Majolus

4° Phys. g. 92. (2



Digitized by Google

Digitized by Google

Phys. a 92

Digitized by Google



Pars Secunda

SIMONIS MAIOLI EPISC. VVLT.

COLLOQVIORVM SEV DIERVM CANICVLARIVM CONTInuatio & ſupplementum, ſeptem colloquiis phyſicis nouis ac penitus iucundis & admirandis, doctiſſimorumque virorum lucubrationibus abſolutum.

QVIBVS PLERAQVE TAM NATVRÆ QVAM *quæ præter naturam, & quæ his adiacent rebus, aut quæ vbique fiunt mirabilia, recenſentur ordine, quem ſequens pagina indicabit.*

OPVS COLLECTVM EST

Ex
- Sacris literis.
- Sacris earum interpretibus.
- Sacris ſanctorumque hiſtoriis.
- Philoſophis qui naturas rerum enarrarunt.
- Profanarum hiſtoriarum omnifariam ſcriptoribus.
- Atteſtationibus eorum, qui Orbem, tum mari, tum continenti peragrarunt.
- Aliisq; auctoribus non paucis, qui ſparſim & obiter de hoc argumento tradiderunt.

Editio noua cum Priuilegio Sac. Cæſar. Maieſt. prodit.





COLONIÆ,

Impenſis Ioannis Theobaldi Schönvvetteri.

M. DC. VIII.



Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. STEPHANO WEBERO MOGVNTINENSI SVFfraganeo, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. D. D. IOAN. SCHVVEICHARDI Archiepiſcopi Moguntini Principis Electoris, in Pontificalibus Vicario, SS. Theologiæ Doctori, Mecœnati ſuo ſumme obſeruando.

AD te denuo itur, Reuerende pater ac Mecœnas obſeruande, non quod nemini poſſit obtrudi; ſed quia nemini magis volo. Primum dierum Canicularium Simonis Maioli Epiſc. Vulturarien. reuerend. partũ P. T. acceptum admodum fuiſſe, non obſcuris argumentis perſenſi, proinde non minus ſecundum etiam hunc fœtum, quem felix Minerua ex illius cerebro feliciter enata, felicius poſt ipſius obitum enixa eſt, P. T. pro ea quam rem literariam atque eam præſertim, quæ ſermone atq; diſcurſu conſtat polyhiſtorico, affecta eſt humanitate atq; beneuolentia, non minus acceptum fore, nihil deſpero. Scio namq; & ſciunt mecum alii ac paſſim deprædicant, P. T. nihil magis habere in deliciis quam literas, in iisq;, dum turgidi alii magnisq; cogitatio-

nibus cœlum terramq; mixturi videntur; T. interim P. à procellis rerum humanarum ſubducto animo per remiſsionum interualla, quantumuis vix etiam ad ſcalpendas aures P. T. ob omnimodam negotiorum molem, hora ſupereſſe videatur, amœniori lectione atq; etiam ſermone animum laxat, literarumq; adeo atq; virtutis ſtudiis æternitati nomina inſerit; quæ quidem inſignes animi P. T. dotes priuatum omnium affectum & publicum teſtimonium iudiciumq; prouocarunt: vnde magna de virtute P. T. hominum opinio, magna liberalitatis commendatio, magna rerum priuatim pariter ac publice geſtarum exiſtit memoria. Accipe igitur, reuerende Pater, cenſum hunc literarium, vicem enim aliam gratæ mentis ſi qua à me offerretur, nihil moraris, hunc vero libens ac lubẽs ex antiqua formula quem offero, æquo precor, vſq; dum in alios alia matureſcent, acceptes animo. Sieſq; opto vrbi præſidium, patriæq; decus, faxitq; Deus, vt P. T. Mecœnatem magnum in poſterum ac longum habeam, ac talem omnino, qualem tot annorum ſpatiis magno meo cum emolumento hactenus reipſa atq; opere perſenſi. Viue & vale, Anna & perenna. Francofurti ad Mœnum Idus Martii, Anno 1608.

R. P. T.

Obſeruantiſs.

Ioannes Theobaldus Schönvvetter
Moguntinus, ciuis & bibliopola
Francofurtenſis.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS COLLOQVIORVM IN HOC *Dierum Canicularium ſupplemento contentorum.*

I. De cultu atque oraculis Deorum. Pag 1

II. De Vaticiniis. Vbi de deorum ſiue dæmoniorum Oraculis, Miraculis, Geniis, Auguriis, Sortibus, aliisque vanis obſeruationibus agitur. 83

III. De Sagis. In quo de dæmonum aſtu, Obſeſſis, Magis, Veneficis, Incantationibus, Lycanthropis, medicamentis dæmoniacis, & quæ ſunt eius generis. 215

IV. De prædictionibus Phyſicis. Vbi de interpretatione euentibusque ſomniorum, de præſagiis Medicorum, Chiromantia, Aſtrologia, aliisque diuinationum ſpeciebus, quarum certæ atque conſtantes rationes è natura peti poſſunt. 328

V. De Aula & Caula. Vbi de conuiuiis, regiis pariter atque ruſticis, de vita aulica ſimul atque priuata, aliisque quæ huius ſunt generis ſuo loco atque ordine agitur. 384

VI. De electione & inauguratione pompoſa Pontificis; deque Imperatoris, Regum, Archiducum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium, &c. Patriarcharũ item, Epiſcoporum, Abbatum, Prępoſitorum, Protonotariorum, Archipreſbyterorum, Archidiaconorum, ſacræ militiæ, &c. honorib. atq; dignitatibus. De Academiis item & Scholis earumq; vtilitate. Vbi de Theologis, Iuriſconſultis, Medicis, Philoſophis, Poetis, Hiſtoricis, Grammaticis, Dialecticis, Mathematicis, Geometris, Muſicis. De Cãcellariis itẽ, Præſidibus, Cõſiliariis, Secretariis, Prætoribus, Aſſeſſoribus, Aduocatis, Scribis, Apparitoribus, Admirallis, Primipilariis, Cẽturionibus, Militib. gregariis, Venatoribus, Piſcatoribus, Aucupibus, Agricolis, Mercatoribus, Typographis, Argẽtariis, Aurifabris, Fabris lignariis, ferrariis, murariis, & quibus non! 463

VII. De ſummo bono. Vbi de vniuerſis mundi bonis, de voluptatib. corporis, de Fortuna, de diuitiis, de gloria & honore, de regnis & imperiis, de ſplendidis ædificiis, de nobilitate, de fauore Regum & Principum, de formæ elegantia, de cultu corporis, deq; animi bonis Laconice agitur, & quam non ſummum in illis bonum conſiſtat, demonſtratur. 520

Digitized by Google

SIMONIS MAIOLI ASTENSIS, EPISCOPI VVLTVRARIEN.

DE ADMIRANDIS TAM NATVRÆ QVAM præter naturam, quæque his adiacent, rebus,

SVPPLEMENTVM, SEV CONTINVATIO DIEſrum Canicularium, Libris ſeu Colloquiis ſeptem abſolutum.

COLLOQVIVM PRIMVM.

De cultu atque oraculis Deorum.

INTERLOCVTORES.

EQVES, PHILOSOPHVS, THEOLOGVS.

EQVES.

BOno Genio gratiam, qui denuo me vobis iunxit, à quibus ne per abſentiam quidem animo diſiungi potui. Vos quęſo deſiderium meum reciproco penſate amore, vt magnos vos amicos & longum habeam. Amorem pariter atq; honorem ex antiqua formula vobis defero ac debeo, quippe ex quorum dulciſſima conſuetudine atque confabulatione fructum iam pridem cepi vberrimum, indentidem in poſterum capturus, modo ſermones denuo miſcere inuicem adlibuerit.

PHILOSOPHVS. Ego viciſſim amorem vobis meum, præuia gratificandi atque inſeruiendi debita promptitudine defero; Atque hæc amoris conſtans erit teſſera, Muſis noſtris admodum conueniens, quæ tantum abeſt, vt propter hoſce noſtros conuentus inquietentur, vt potius iucunde reuiuiſcant, ac priſtino ſuo vigori denuo reſtituantur. Proindeque in oblectamenti honeſti ſolatium cedunt atque remedium. Quamdiu enim miſeriis curialibus, aliiſque grauibus negotiis immoramur, ac tantum non immorimur, liberum ac tranquillum ſpiritum non ducimus, ſed gaudium furunculi inſtar, latēte inflammatione micans ægre ſupprimimus.

mus. Moleſtiam itaque aliquando cum iucunda quadam animi recreatione commutare, alteramque altera commutare, ſummopere conducit.

TH. Deus Optimus Max. Dux & auctor vitæ noſtræ, omniumque honeſtarum actionum, amicos hoſce noſtros congreſſus ad ſui nominis gloriam atque ad proximi noſtri noſtramque pariter ſalutem clementer dirigat. Et quoniam magnorum atque excellentium virorum eſt, contemptis ac paruo in numero habitis, omnibus & priuatis & publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium ſeſe conferre; proinde & noſtræ ætati atque conditioni probe conuenire arbitror, humanarum diuinarumq; rerum inueſtigare ac ſcire rationem, potius quam ſtruendis opibus aut cumulandis honoribus inhærere. Hæc enim πάρεργα, illa vero ἔργα omnium vere Chriſtianorum ſunto.

PH. Ecqua vero erit materies, qua de in pręſenti ab ordinariis noſtris negotiis ſeceſſione colloquemur. De hieroglyphicis, ſi lubet, aut de quibuſuis aliis?

TH. De hieroglyphicis quî colloquar, cum, quid ſint hieroglyphica, eorumve nomine intelligatur, plane neſciam?

Hyerogliphica quid.

PH. Ex Etymologia nominis quadantenus intelligi poteſt, quid per hieroglyphica denotetur; componitur enim ex ἱερὸς & γλύφω, id eſt, ſacra ſculpo. Eſtque Ægyptiorum primitus inuentum. Cum enim inueſtigare Philoſophiam à principio Ægyptii ſacerdotes priſcis illis temporibus cœpiſſent, rerumque ſacrarum cognitionem niterentur clam apud ſe retinere, ne traderetur in vulgus, dederunt operam, vt aliquas notas inuenirent, ſub quibus ſapientiæ præcepta & arcana myſteria ſacrorum continerentur, quas Hieroglyphicas nominarunt, quorum exempla apud Diod. Siculum ſub rerum tam animatarum quam inanimatarum figuris extant quamplurima. Græci inſuper non ſacrorum myſteria duntaxat, ſed & hiſtoricas, phyſicas atque ethicas narrationes notis Hieroglyphicis inuoluerunt, atque ſub iiſdem occultarunt. Sic Hieroglyphicum eſt: REbus IN ARDVıS è LAbYRintho aduerſus BAſiliſcum & CHimæram Pio Labore Halcyona Liberat CONSILIARIVS. En hieroglyphicum.

EQ. Et hoc hieroglyphicum eſt: BALTeum in ASARotum, & GALeam in LARes Principis Profert ac Honorifice Locat AVLÆ MAGISTER. Hic vnguem ſcabe.

TH. GREGI DVRA DOMVS. Anagrammatiſmus eſt. Hic ſurſum deorſum, ante ac retro tranſpone, & tantum non cabaliſtice aliquid commentare. Sed deſinamus iſtis ineptiis inuicem nos laceſſere; reſque tractemus ſerias, eaſque aperte ac dilucide. Atq; vt initium illarũ faciam, ſalutationes veſtrum mutuę, qua alter Genium neſcio quem, alter vero Muſas inclamabatis, non vſque adeo cum Chriſtianiſmo videntur congruere, è gentiliſmo enim primum prodierunt, proinde merito eo releganda; nouum enim deorum ac dearum agmen ſub & obreptitie, cum præſentiſſimo Chriſtianitatis damno atque dedecore facili negotio, ſiquidem in commune in Chriſtianorum ſalutationibus atque preculis vſurpentur, poſſunt inuehere.

Genius eſt angelus.

EQ. Per Genium nihil aliud intelligo, quam angelum, eumque bonum, *quamobrem etiam bono genio* (non malo) *gratiam* dixi. Antiqui enim duos Genios, alterum bonum, alterum malum ſtatuerunt; quam ipſorum opinionem defluxiſſe coniicio ex doctrina ſanctorum Patrum de diſcrimine inter angelos bonos & malos. In quem etiam ſenſum verſus Menandri de geniis citantur à Clemente Alexandrino,

Digitized by Google

xandrino *in 5. Strom.* Euſebio *de præparat. Euangelica,* & Ammiano Marcellino *lib. 25.* Sunt autem verſus iſti:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσαται
ἐυθὺς γενομένῳ. μυσαγωγὸς τῦ βίυ
ἀγαθὸς. κακὸν γὰρ δαίμον' ὐ νομιςέον
εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηςόν. ... Hoc eſt:
Vnicuiq; genius aſſiſtit
Simul atq; natus eſt, qui ei ſit ductor vitæ
Bonus. Malum enim genium non eſt exiſtimandum
Eſſe, qui vitam lædat bonam.

Vnde genialis dies vocatur, quoniam in die natali lætitiæ & hilaritati operam dabant antiqui, & genio indulgebant, quem & mero placabant, vt vel ex Cod. Theodoſiano conſtat.

TH. Quid in antiquorum de Geniis opinione probem, quid improbem ſuo loco ac tempore, vbi de Magia magicisq; incantationib. diſſerendi anſam captabimus, dicam. Sed de Muſis, quibus hos noſtros congreſſus conuenientes eſſe, nec exinde inquietari illas, Philoſophus allegauit, neſcio quid ominer. Vtut enim aliquando in rerum natura Muſę fuerint, illis tamen iamdudum demortuis, nihil periculi, vt inquietentur, ſubeſt.

PH. Muſas ego ex peruulgato doctorum virorum, Poetarum præſertim ſtylo atque ſenſu allegaui. Sic enim Homerus hymnum ſuum orditur:

Salue Iouis inclyta proles.

Et Ouid. *in oper. & diebus* canit:

Pierides Muſæ, quarum viget inclyta cantu
Fama ducum & nomen veſtri immortale parentis
Dicite.

In rebus etiam magnis & difficilibus, quaſi ingenio ſuo diffidentes, Muſas appellarunt, atque ad earum numen confugerunt, vt Homerus Iliad. β. Græcarum nauium numerum & ducum nomina proſequuturus: Ἔσπετε νῦν, &c.

Dicite nunc mihi Muſæ, (inquit) *quæ domos cœleſtes incolitis:*
Vos enim deæ eſtis, & adeſtis, & omnia nouiſtis:
Nos autem famam duntaxat accepimus, neq; quicquam ſcimus.

Vti hæc ex Græco Latina traductio ſonat. Aliisq; locis infinitis, diuerſis rationib. opera Poetarum præcipue, principium ducunt ab inuocatione Muſarum, quas ſibi Præſides & cantilenarum ſuarum auctores aſſerunt, idq; iure optimo, vt inquit Horatius *Carm. lib. 3. Ode 4.* in qua confirmat, ſe à multis periculis, Muſarum ope ereptum fuiſſe: male vero ceſſiſſe omnibus, qui aduerſus Iouem, earum patrem aliquid moliri voluerunt. Quid q; ipſe Plato in Euthydemo: *Quare,* inquit, *ego quemadmodũ Poëta neceſſe habeo initio orationis, Muſas & Mnemoſynem inuocare.* Iuxta veterũ itaq; ſtylum, geniũ atq; ingenium ꝓpemodum, vti reor, Muſas dixi ac veneratus ſum. Nec enim illi inuocationis cultum Muſis tribuerunt, ſed vim animi ingenitam per eas ſapienter innuere voluerunt. Muſas ſiquidem dixerunt ab indagine vel inquiſitione, *ἀπὸ τῦ μώσϑαι, ſecundum Platonem in Cratylo, & Phurnut. lib. 2. de nat. deor.* Alii, *vt Caſſiodorus,* ꝓpter ſcientiarũ & diſciplinarũ inter ſe conuenientiã Muſas vocarũt, quaſi ὁμῦσας, vel certe, quod inuicem ſicut virtutes ſibi eſſe videantur. Atque hinc eſt, quod Heſiodus in Theogenia, Muſas à Ioue & Memoria genitas

eſſe pronunciauit; Non alia opinor de cauſa, niſi quia ab initio ſcientię fons inſitus eſt nobis ab omnium patre, ſed nō ſatis profluens, niſi quis corriuarit. Quod Plutarchus *in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς* aduertit; quare pueris ſuadet, nihil prius memoria exercendum, quod ea ſit eruditionis *ταμεῖον*, id eſt, prompta quædam cella ac theſaurus: quo argumento dictam putant Mnemoſynen à veteribus, Muſarum matrem, cuius hæc ſunt verba, aurea ſane, cunctorum animis inſculpenda: *Sed maxime*, inquit, *puerorum memoriam exercere & aſſueſacere debemus, eſt enim veluti diſciplinæ theſaurus, idcirco matrem Muſarum fabulati ſunt eſſe Mnemoſynen: vt oſtenderent, nihil æque conferre ad ſcientiarum generationem & conſeruationem, quam memoriam. Quocirca illam debemus exercere in vtramque partem, ſiue pueri ea multum polleant, ſiue contra ſint obliuioſi.* Quin & Mnemoſynen Orpheus mentem continere ſcribit, excitareque omnia ſinuoſis (vt ita dicam) animi anfractibus deliteſcentia illatebrataque. Scitumque eſt, Mnemoſynen originem ducere à Mneme, quo vocabulo memoria ſignificatur. Ipſaque mater Mnemoſyne reperitur eſſe nouem literarum, quibus nimirum nouem Muſæ denotantur, quæ ſimul conſtant atque vna incedunt, ad innuendum virtutes inſeparabiles atque indiuulſas eſſe. Diuerſis autem operibus in montibus vacare traduntur: quandoquidem ſolitariam agere vitam, & crebro ad loca à vulgi conſuetudine remota ac perturbationibus ciuilibus libera ſecedere conſueuerunt hi, qui Philoſophiæ nomen dederunt; ſine qua nihil honeſti in ſolitaria vita inueneris. Atque huius rei gratia dicitur nouem noctibus Mnemoſyne congreſſus Iouis ſuſtinuiſſe, etenim nocturna his opus eſt meditatione, quæ ad eruditionem ſpectent, vt inquit Epicharmus: *Si quid ſapientius mediteris, nocturna opus eſt conſideratione*; & omnia quæ ad literas pertinent, noctu potius excogitantur. Capita inſuper Muſarum corollis ex roſis inuicem coadunatis redimita fuiſſe ſcribunt, quia coronam ex roſis, ſicut hederam, proditum eſt Bacchi potentiam ſua frigiditate retundere; nihil tam æque omnia crapulæ, libidinis & gulæ genera reprimere poteſt, quam corona è roſis Muſarum, id eſt, præſtantiſſimis floribus virtutum & diſciplinarum capiti impoſita, vel potius intromiſſa.

TH. Splendide quidem iſta dicuntur, atque in ſpeciem plauſibiliter. Verum enimuero non omnia quæ ab antiquis vſurpata ſunt, promiſcue ad imitationem ſunt inducenda, ni in idem cum iiſdem errorum barathrum labi volumus. Simplex enim & plana eſt veritas, neque monſtroſis huiuſmodi figmentorum inuolucris indiget.

PH. At enim ingeniorum acumen, quo antiqui excelluerunt, ex huiuſmodi commentis mythologicis egregie elucet. Annon enim admirabilis ac prope diuina fuit illorum ſapientia, qui primi religionem & deorum immortalium metum inter homines fabularum inuolucris introduxerunt: non ſolum quia nulla ciuitas, nullus hominum cœtus, nulla domus ſine religione diutius poteſt conſiſtere: ſed etiam quia propter hanc multiplicem fabularum varietatem, nullam mundi partem, nullumque locum eſſe demonſtrarunt, qui diuina deorum præſentia vacare poſſit. Nam quamquam Chriſtianę veritatis participes eſſe non potuerunt, quia nondum ſummum veritatis lumen Chriſtus veræ religionis præcepta tradiderat, tamen pro ſuis viribus, & quantum acie humani ingenii proſpicere potuerunt, demonſtrare conabantur, neminem clam vllum facinus vel turpe vel honorificum ſuſcipere poſſe, quod non continuo à diis obſeruaretur. Atque hos res humanas curare demonſtrabant, cum ritus ſacrorum, & ceremonias, & preces, &

proprium

Digitized by Google

proprium ſingulorum cultum, vel ad placandos, vel ad aliquid petendum inſtituiſſent. Illud enim fuit eorum, qui fabulas excogitarunt, conſilium, vt Deum cuncta videre, cunctaque audire oſtenderet; quos ego vel Pythagora, vel Socrate, vel omnibus illis, qui poſtea vocati ſunt Philoſophi, multo ſapientiores fuiſſe iudico. Nam etſi non erat perfecta illa religio antiquorum, neque prorſus ad probitatem inſtructa, tamen id vitio dare nõ conuenit, quoniam nihil perfectum & plane abſolutum naſci ſolet. Illi igitur vt nullam mundi partem, nullumque locum vel priuatum vel publicum Deo vacuum eſſe monſtrarent, ne quis ſceleratus arbitraretur, ſe deos latere poſſe, & nauigantium, & agricolarum, & militantium, & paſtorũ, & venatorum, & quiduis aliud facientium, deos proprios eſſe dixerunt, quia vulgus & imperita multitudo percipere nõ poterat, quo pacto fieri poſſet, cum vnus ſit Deus, vt is omnia videret eodem tempore quæ fiunt vbique, & dicuntur in infinito prope hominum numero. Vulgus enim pro ſuo ingenio plerumque diuinam naturam metitur, & quæ nimis admirabilia ſibi videntur, quamuis à diuina natura non abhorreant, repellit ac pro falſis habet; quia tanquam male affectus ſtomachus validiora admittere non poteſt. Hæc ipſa cauſa fuit, vt arbitror, vt tantam deorum multitudinem introduxerint antiqui, cum Deum vbique eſſe, omniaque illius nutu gubernari demonſtrare conarentur, cui pro negotiorum varietate diuerſa nomina tribuerunt. Nam vim diuinam cælum & vniuerſas mundi partes ſuperiores gubernantem, Iouem deorum patrem appellarunt: cuius vim eam quæ ſub terris eſſet, vocarunt Plutonem, atque illum Iouis fratrem nominarunt. Cum vero in aquis eadem vis conſiderabatur, quas diuina prouidẽtia omnino carere non putabant, Neptunum dixerunt, atque hunc ipſum etiam crediderunt Iouis eſſe fratrem. Cum per aera penetrarent, rurſus vim ipſam diuinam nuncuparunt Iunonem, eamque cenſuerunt eſſe ſororem Iouis. Atque omnes vires denique per ipſa elementa diffuſas, à ſuperioribus & originem ducere & pendere arbitrati ſunt, quas omnes quaſi ab vno fonte in multos riuulos & naturam earum explicantes diduxerunt. Atque vt ſummatim dicam, ſi rem diligentius inueſtigemus, omnes prope antiquorum deos vel Iouis fratres, vel filios, vel nepotes, vel aliqua affinitate coniunctos inueniemus. Ex quo etiam patet, nihil aliud ſignificare voluiſſe antiquos, quam vnum eſſe Deum, vnum rerum omnium gubernatorem, cuius vis eſſet in omnes res diffuſa, qui vnus cuncta videret, audiret & regeret.

TH. Hoc eſt quod dixi, quia nimirũ veritate, quæ ſimplex eſſe debet oratio, non contenti, ingenii oſtentandi gratia verũ Dei cultum logogryphicis verborũ monſtris inuoluerunt, traditi & ipſi tandem ſunt in reprobum ſenſum, atq; à recto veritatis tramite aberrantes in deuia queq; prolapſi fuerunt, adeoque quo longius à via abſceſſerunt, eo minus regredi deinde potuerunt, atque ita ex errore in errorem, tanquam è Scylla in Charybdim ſubinde deuiarunt, quæ quidẽ iuſtiſſima temeritatis ipſorum pœna fuit. Atque vt rem omnem ab ouo, quod aiunt, repetam, ſic habeto. Deus ſtatim à principio creationis mundi, Angelos & cæleſtes exercitus condidit, qui diuinitati inſeruirent: ex quibus Satan ſuperbia elatus & malitia, defecit à Deo conditore ſuo, deiectusque eſt à ſua dignitate & cæleſti gloria, tanquam Dei inimicus & omnium creaturarum, cum ſuis turmis, & malorũ Geniorum legionibus, quæ ſe implicuerant eadẽ rebellione & ſuperbia. Fuerãt enim à principio & à creatione Angeli Dei in excellenti conditione, & præeminentia *Lapſus Diaboli.*

Digitized by Google

conſtituti: ſed degenerando ſeſe perdiderunt, & facti ſunt inſtrumenta perditionis aliarum creaturarum: ideo condemnati ſunt æterni ignis ſupplicio & gehennæ, vt eſt apud Iudam: *Angelos, qui non ſeruarunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine Deus reſeruauit.* Et
2.Pet.2. Petrus de iiſdem inquit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, &c.* Quibus locis aperte docent Apoſtoli, Diabolum cum ſuis Angelis ſtatim defeciſſe à principio, & ſuo peccato obrutum & immerſum condemnationi æternæ. Et hæc malitia, quam illi ſcripturæ ſacræ tribuunt, non ex creatione, ſed ex deprauatione illi euenit. Quicquid habet damnabile, id defectione & lapſu ſibi acciuit: neque quicquã
Ioan.8. huius defectus ad Deum eſt transferendum. Diuus Ioannes dicit, Satanam, cum
1.Ioan.3. mendacium loquitur, ex propriis loqui, quia non ſtetit in veritate: peccauit enim ab initio. Hæc hiſtoria de lapſu diaboli pauciſſimis verbis perſtringitur in libris ſacris: ſed ea, quæ ſcripta ſunt, debent ſufficere ſobrietati piorum, qui nihil exquirunt in ſcriptis diuinis, niſi quod facit ad ædificationem & eorum ſalutem. Curioſiores autem inquiſitiones & ſuperuacaneas procul reiiciunt, vtpote nihil ad ſe facientes. Sciamus tantum diabolum ſua culpa defeciſſe ab ea integritate, in qua conditus erat à principio mundi: quod vbique dicatur aduerſarius Dei & noſter. Is eſt qui Euam ſeduxit, & Deum tanquam mendacii arguens eum ſuo honore ſpoliauit: is dicitur ſpargere zizania in agro, cum dormit paterfamilias, ad corrum-
Matth.13. pendum vitæ æternæ ſemen. Et Chriſtus ipſe teſtatur, Satanam ab initio fuiſſe
Ioan.8. mendacem & homicidam. Atqui hæc patrantur ab eo facinora, vt mendaciis veritatem Euangelii oppugnet, hominumque mentes diuerſis implicet erroribus: odia & contentiones ſuſcitet: Dei regnum euertat, & nos in æternum interitum ſecum præcipitet, vt eſt omnis malitiæ & iniquitatis auctor, dux & architectus: Cauendum eſt igitur ſedulo ab illius inſidiis, quibus reſiſtendum fortiter. Neque committendum eſt, vt illius illecebris tanquam laqueis aut caſſibus impliciti pertrahamur in perditionem. Nihil cum eo generis humani hoſte truculentiſſimo nobis ſit commercii: neque illius violentiam metuamus, nulla illi poteſtas niſi ab altiſſimo; qui nobis pater eſt: neque permittit nos opprimi, neque tentat nos vltra id, quod conducit & gloriæ ſui nominis, & noſtræ ſaluti.

Creatio hominis. Ad hominem quod attinet, creatus eſt ad imaginem Dei ſumma in dignitate & nobilitate, cui Deus benedixit & ſubiecit terram vniuerſam: illique dominationem dedit in omnes piſces maris, volatilia cœli, & omnes beſtias reptantes ſuper terram, deditque ei omnes herbas ſementantes ſemen, & omnes arbores in vſum hominis. Ab hac felicitate & excellentia ſtatim defecit Adam: eaque defectione totum naturæ ordinem, ſuamque poſteritatem peſſum dedit: quæ mors animæ illius fuit & alienatio, diuortiumque à Deo. Hanc hereditariam corruptionem veteres vocauerunt peccatum originale, hoc eſt, naturæ, quæ prius bona fuerat & pura, deprauationem: Quod vitium ingenitum adferimus ab vtero matris, & au-
Pſal.51. gemus in dies propria malitia. *In iniquitate genitus ſum*, inquit Dauid, *& in peccatis concepit me mater mea.* Omnes ergo, qui ab hoc impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti: & antequam lucem videamus, iam ſumus coram Deo deteſtanda fœditate inquinati *Natura ſumus omnes iræ filii, mortui delictis*
Ioan.3. *& peccatis noſtris: Quicquid genitum eſt ex carne, caro eſt:* & caro per ſe alienata eſt à Deo: ideo renaſci neceſſe eſt ex aqua & Spiritu ſancto, vt ad Deum reditus nobis pateat,

Digitized by Google

pateat, acceſſio & reconciliatio. Ita ſe corrupit Adamus apoſtaſia & defectione hac damnabili, vt hæc contagio ad totam eius ſobolem tranſierit, tanquam à radice ad ramos. Non enim ſolum ſibi, ſed & poſteritati ſuæ perdidit ea ornamenta, quæ Deus conditor illi contulerat à prima creatione. Naturaque illius relicta eſt nuda, & inops omnium bonorum: factumque eſt, vt à radice putrefacta putridi poſtea prodierint rami, qui ſuam putredinem tranſmiſerunt ad alios ex ſe naſcentes ſurculos. Peccatum igitur originale eſt hereditaria naturæ noſtræ prauitas & corruptio in omnes animæ partes diffuſa: Quæ primum facit nos reos iræ Dei, poſtea profert in nobis opera carnis, quæ ſunt, vt ait Paulus; fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, obtrectationes, comeſſationes, & his ſimilia; quæ qui agunt, regno Dei excluduntur, quod iram prouocant diuinam, vt mortem concilient æternam. Sicque deprauata eſt hominis natura, vt illius mens cæcitati, & cor malitiæ perpetuo ſit addictum. Omnes affectus carnis & cogitationes inimicitiæ ſunt aduerſus Deum. Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: Prudentia carnis mors eſt: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubiecta; nec enim poteſt: & qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Propterea toties Apoſtolus regenerationem per Spiritum ſanctum neceſſariam inculcat: ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: *Deponite veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria carnis. Et renouamini ſpiritu mentis veſtræ: & induite nouum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Tãta poſt peccatum inuaſit hominem imperfectio, vt ſi libretur cum vanitate, ipſe iudicabitur vanior. *Non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens aut requirens Deum: omnes declinauerunt: ſimul facti ſunt inutiles: non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agunt: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione plenum eſt & amaritudine. Pedes eorum veloces ad effundendum ſanguinem. In viis eorum contritio & infelicitas: quibus præ oculis non eſt timor Dei altiſſimi.* Ex hac certe, corrupta natura nihil poteſt prouenire, quod non ſit malum & damnabile, omneſque ſub eadem cõdemnatione & maledictione comprehenduntur: cum omnium linguæ fraudulentæ, manus rapinis & homicidiis fœdatæ, labia venenata, opera inutilia, iniqua, putrida, lethalia, quorum animus ſine Deo; quorum intimę cogitationes ſunt prauitas: oculi ad inſidias compoſiti; animi ad inſultandum elati: omnes denique partes ad infinita flagitia concinnatæ, & ab omni virtute alienæ. Si omnibus eiuſmodi portētis obnoxia eſt vniuſcuiuſque anima, qui fructus ex ea manare & prouenire poterunt? Profecto nulli: neque enim arbor mala bonos fructus gerere poteſt. Nonne vita iſta continuum eſt peccatum? & quo diutius nobis prolongantur vitæ dies, eo grauius delictis ac peccatis oneramur & obruimur: nihilque nobis reſtaret præter deſperatioñé, niſi Deus miſericors ſua clementia & bonitate paterna miſereretur noſtri: noſque manu potenti eximeret ex hoc peccatorum barathro, & liberaret à tyrannide diaboli & ſeruitute carnis: contagionemque hanc naturalem ſanaret in ſuis electis, quos viuificat ſpiritu Chriſti redemptoris, & ſuſtentat benigniter. Reprobis vero frænum iniicit, & lupato coercet, impeditq; eorum machinationes, conſilia, conatuſque, ne in actum erumpant & exequantur ſuum furorem, niſi quatenus expedire videt ad conſeruationem vniuerſitatis rerum. Natura omnium & voluntas

Gal. 5.
Rom. 8.
Epheſ. 4.
Pſal. 62.
Eſa. 59.
Pſal. 14.

voluntas ita ſeruitute peccati vincta eſt, vt ad bonum per ſe non poſſit commoueri, nedum adplicare. Sed conuerſio ad Dei clementiam tota eſt referenda. Conuerte me Domine (inquit Hieremias) & ego conuertar. Voluntas eſt in homine quidem: velle bonum profectus eſt, velle malum defectus. Hoc eſt, Bene velle eſt gratiæ, male velle corruptæ naturæ. Cum autem Paulus dicit, ſe cōfidere, quod qui cœpit bonum opus in Philippenſibus, perfecturus ſit vſq; in diem Ieſu Chriſti. Per hoc bonum opus intelligit conuerſionem, quæ eſt in voluntate: corda noſtra flectendo, formando, dirigendoque in iuſtitiam, & confirmando ad perſeuerantiam. *Dabo vobis cor nouum* (inquit Dominus) *ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra: & dabo vobis cor carneū: & faciam vt in praeceptis meis ambuletis.* Certum eſt, niſi Dei clementia & bonitate ſingulari iuuemur, nos nihil poſſe præſtare per nos, quod illi poſſit placere. Nam cum mali ſimus natura, nihil poteſt ex nobis prouenire, quod malum non ſit, & ſimile ſcaturigini, vnde noſtra opera procedunt: ex carne enim nihil niſi peccatum oritur, quod hominem alienum à Deo reddit, & abducit à ſpe vitæ æternæ: niſi renouetur ſpiritu, & regeneretur in nouum hominem. Expurgātes vetus illud fermentum, quod carnem tantum ſapit, & illius concupiſcentias & deprauatas voluntates nutrit & fouet: offuſcatque iudicium hominis, neque permittit vt viam rectam ſalutis agnoſcat, & in ea ambulet. Nam caro, quæ carnis ſunt, ſapit, & à Deo ſe præbet alienam.

Hier. 31. *Phil. 1.* *Ezech. 36.*

Cæterum conditus erat Adam primus noſter parens ad imaginem Dei, & ratione præditus, vt tota mente ad meditationem vitæ æternæ, & virtutis ſtudium erigeretur: Deumque conditorem ſuum cognoſceret, coleretque, & illi ſubiiceretur; illi data erat Eua vitæ ſocia, ne ſolus degeret, poſitique in Paradiſo Eden, & poteſtas conceſſa comedendi de omnibus fructibus: *de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas* (inquit Deus) *in quacunque enim die comederis de eo, morte morieris.* Sed ſerpens dixit ad mulierem: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? Scit enim, quod in quocunque die comederitis de arbore ſcientiæ boni & mali, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* His perſuaſa mulier, comedit de fructu vetitæ arboris, & dedit viro ſuo: hisque ſtatim ſunt aperti oculi, & cognouerunt ſe nudos eſſe, & ſe abſconderunt. Factumque eſt, vt hac inobedientia & lapſu diuinæ maledictioni ſint addicti. Prima nobilitas, in qua erat creatus Adam, ingens erat diuinæ benedictionis & bonitatis beneficium: à quo excidit inobedientia, quæ ex ſuperbia manauit; cui acceſſit dolus Serpentis, qui Euæ impoſuit; Ea enim infidelitate obcœcata, maritum ad peccatum hortata eſt. vnde emerſit ambitio & ingratitudo, dum contempto Dei mandato, turpiter à ſua origine deciderunt; Præcepti certe finis erat, vt ſua ſorte contentus homo, non ſineret ſe efferri mala cupiditate. Temeritas impia in eo apparuit, cum ſuperbe conditoris ſui iuſſui non obtemperans, æqualem ſe Deo eſſe voluit; prophana apoſtaſia Domini ſui iugum excutiēs, ſubſcribensque calumniis Satanæ, qui fœdiſſimis & execrabilibus probris Deum mendacii arguebat, inuidiæ & malignitatis, cum diceret: *Nequaquam moriemini, ſed nouit Deus, quo die comederitis de fructu hoc, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Ex hoc contemptu Dei & infidelitate poſtea patuit ad ambitionem, quæ contumaciæ mater fuit. Quod ſi verbo Dei ſui audiens fuiſſet, optimum adhibuiſſet frænum ad omnes affectus rite temperandos: nihil melius eſſe, quam Dei mandatis parendo, colere iuſtitiam; ac vltimam

Lapſus Adami. *Gen. 2.*

Digitized by Google

mam vitæ felicis metam eſſe, ab ipſo diligi. Prima igitur Adę vita erat manere coniunctum opifici ſuo, & deuinctum. Sed alienatio ab eo fuit animæ interitus. Noluit tamen Deus miſerum hominem in hac morte proſtratum prorſus deſerere, ſed illum ſtatim poſt lapſum ſubleuauit promiſſione Meſſiæ; in quo Adam ac eius poſteri recõciliarentur, & vitam æternã adipiſcerentur. *Sicut enim per vnum hominẽ peccatũ in hunc mundum intrauit, vt per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiuit: Si vnius Adami delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Nam iudicium ex vno in cõdemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem facta eſt. Et ſicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Rom.6.* Hic eſt ille redemptor generis humani Chriſtus, quem Deus Adamo ſtatim poſt peccatum promiſit. Dicit enim ſerpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*: de Chriſto nempe loquens, qui ex Maria virgine debebat naſci.

Promulgatio Legis. Porro quia etiam omnes cæteri homines poſt lapſum Adami eadem maledictione impliciti ſunt, qua primus omnium parens, qui à Deo defecerat, & morti ęternæ addicti, non poterant ex tanta ruina aſſurgere, neq; è tam horrendo emergere naufragio, niſi Dei beneficio aliquid opis illi fuiſſet collatum. Deus temporis ſucceſſu Legem ſuam per Moſen publicauit, vt reuocaret in viam rectam eos, qui perditi erant. At Lex oſtendebat non ſolum verum Dei ſummi cultum ac pietatis regulam; ſed tanquam ſpeculum fuit hominibus, vt ſeſe cognoſcerent obſeruationi illius impares eſſe, & horrore iudicii cogerentur ad remedium confugere; quod proponebatur in Domino noſtro Mediatore & propitiatore. Ad quem non poſſumus venire, niſi propriæ virtutis opinione vacui, & propriæ iuſtitiæ fiducia exuti, fracti & contuſi conſcientia noſtræ egeſtatis, diſcamus humilitatem ac deiectionem noſtri. Lex enim noſtram pungit conſcientiam; atque intrinſecus monitrix eſt eorum, quæ Deo debemus: cum boni ac mali diſcrimen nobis proponit, noſque reos iudicii pronunciat, ſi ab officio tantillum diſcedamus: Quicunq; ſeruauerit totam legem, & defecerit in vno, erit omnium reus. Deo gloriam, honorem, reuerentiam debemus ac timorem, non ſumus noſtri iuris; ab eius nutu nos ſuſpendi oportet: cumque iuſtitia ac rectitudo illi ſint cordi, iniquitas vero abominationi, niſi velimus ab eo deficere, & apoſtaſiæ dãnari, neceſſe eſt tota vita iuſtitiam à nobis coli, ac præſtare ſanctitatem & vitę puritatem. Neque, cum ſoluendo non ſimus, tergiuerſari & excuſare decet defectum noſtrum, & facultatis noſtrę inopiam. Deus ſemper ſui ſimilis eſt, iuſtitiæ amator, iniquitati infenſus, neque quicquam cum peccatoribus habet commercii: Quod in ſua Lege exigit à nobis, id ex naturæ obligatione obſequendi neceſſitas nos monet: Quod autem nõ poſſumus, id eſt noſtri vitii ac culpæ, quæ ex nobis eſt, non ad creatorẽ conferẽda: Malum in nobis eſt, & nobis imputandum. Quicunq; igitur ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt, vt ſcriptum eſt: *Maledictus, qui nõ permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea. At in Lege nemo iuſtificatur apud Deum: ſed iuſtificatus ex fide viuit. Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, vt ſcriptũ eſt: Maledictus qui pendet è ligno Propter transgreſſionem poſita Lex eſt, donec veniret Chriſtus. Stipendium peccati mors, ſtimulus mortis peccatum eſt. Virtus peccati Lex. Quæcunque Lex loquitur, iis qui ſub lege ſunt loquitur: vt omne os obſtruatur, & ſubditus ſit omnis mũdus Deo. Quia ex operib. Legis non iuſtificabitur omnis caro coram Deo: Per Legem cognitio peccati: Et*

Gal.3. Deut.27. 1.Cor.15. Rom.6. Rom.3. Rom.10. & 3.

Gal.1. *Lex iram operatur. Finis igitur Legis Chriſtus eſt, & iuſtitia Dei per fidem illius in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in Ieſum Chriſtum, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam.* Quicunque venit ad illum, miſericordiam conſequitur, & ſubleuationem à peccatis ſuis; quæ Chriſtus in ſe recipit, & pro iis precium iuſtitiæ diuinæ ſoluit, ne ſolutio à nobis exigatur: cui ſoluendo nemo mortalium, quantumuis iuſtus & integer, vnquam eſt inuentus.

Lex ad Chriſtum ducit. Cæterum cum ad Legem vitam noſtram ac vires noſtras expẽdimus, ſentimus toto cœlo nos abeſſe ab ea iuſtitia & perfectione, quam Deo iuſto & perfecto debemus, ſi velimus illi coniungi & ab eo recipi. Hinc metus, horror, ac trepidatio in nobis oritur, ſummaq; cordis anxietas, cum iniquitatum noſtrarum pondus non poſſit conſciẽtia noſtra ſuſtinere; ſibiq; repræſentet ponatq; ante oculos irati Dei iudicium ac condemnationem æternã, quæ propoſita eſt iis, qui Legi ex omni parte non ſatisfaciunt. Scriptum eſt enim *Deut. 27. Maledictus omnis, qui nõ permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis huius, vt faciat ea.* Humiliatus igitur ac deiectus horrore perditionis imminentis, ad Dei miſericordiam, tanquam ad aſylum vnicum, & ſalutis portum ſe conuertit homo peccator, qui ſibi conſultum cupit. Non enim ſatis eſt ſentire ſuam calamitatem, & condemnationis iudicium, ſi hic ſenſus nos conſternet, & ad deſperationem adducat. Erigendus eſt animus, ac ſolicite circumſpicere oportet, an ex his anguſtiis poſſimus aliqua ratione, aut ſeruatoris alicuius ope eripi. Audimus in Euangelio Ioannem clamantem: *Hic eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Is eſt qui liuores noſtros ſuſtulit.* Is eſt, qui fideiuſſor pro nobis apud æternum Patrem eſt præſto. Is eſt, qui nos ad ſe vocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.* Ad Chriſtum igitur nos Lex tanquam pædagogus adducit; hunc ſeruatorem nobis proponit; in eo refugium tutum nobis oſtendit; & propitiatorem demõſtrat, in quo liberationem ab obligatione Legis inuenimus. Chriſtus enim nos redemit à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. Nam ex Lege nemo iuſtificatur apud Deum. Quicunq; ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt, ſed per fidem in Chriſtum benedictio nobis tribuitur. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Criſti daretur credentibus. Requiritur autem vt hæc fides vera ſit ac viua, ne alio lumina deflectat, præterquam in Chriſtum, vtque fructus ſuos producat. Deus, vt indulgens pater, nos ad amorem ſui allicit dulcedine præmiorum; denuncians, virtutibus apud ſe repoſita præmia: neque fruſtra laboraturum, qui ſuis obtemperat mandatis. Reprobis quoque & contumacibus indicit mortis æternæ ſupplicium, & infinitas calamitates in præſenti ſæculo: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezech. 18.* Quamuis cum requirit à nobis hanc obſeruãtiam, poſcit debitum, quod remuneratione dignum per ſe non eſt; ſed cum remunerat gratuita gratia remunerat. Lex cum perfectam requirat iuſtitiam, legitimus illius cultus conſtat obedientia, quæ cuſtos eſt omnium virtutum: eaque non tantum debet eſſe externa, ſed etiam interna & ſpiritualis: cum Deus corda ſcrutetur, & interiora mentis reſpiciat. Cum igitur hæc obſeruantia Legis vires hominis ſuperet, Chriſtum habemus fideiuſſorem & propitiatorem apud Deum Patrem, qui Legis obligationẽ ſuſtinuit, vt nos ab ea liberaret. In eo nobis propoſita eſt liberatio & ſatisfactio, & ſecuritas conſcientiæ: cum ſciamus illum reuera exequi, quod nobis proponit: eſt enim ęterna Dei veritas. Atque hæc eſt ſimplex & plana veritas, cui ſi firmiter inhæſiſſet antiquitas, neq; aliunde mucorẽ ex fœdis lacunis hauſiſſet, ab infinitis, quib. immerſi fuerunt erroribus, muniti perſtitiſſent.

EQ. Ita profectò eſt. Non enim fabulis ludẽdum in rebus fidei, quippe in quibus non de ſtillicidiis aut aquis arcendis, aut de manu conſerenda, ſed de vita, de ſalute æterna, de immortalitate agitur. Proinde par eſt, vt omiſſis huiuſce terrenæ Philoſophiæ auctoribus, nihil certi aſſerẽtibus, rectam viam ineamus. Cum enim ipſi Philoſophi antiqui, Apologorum fabricatores, magna inter ſe concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerunque diſcordent, apparet, eorum iter nequaquam eſſe directum: ſiquidem ſibi quique pro libitu proprias vias impreſſerunt, confuſionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt. Multi enim ſuperſtitionibus vanis pertinaciter inhęrentes, obdurarunt ſe contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis religionibus, quas praue aſſeruerunt, bene meriti, quam de ſe male; qui cum habuerint iter rectum, deuios ſecuti ſunt anfractus; planum deſeruerunt, vt per præcipitium laberentur. Nos igitur, qui ſacramentum veræ religionis accepimus, cum veritas ſit nobis reuelata diuinitus, cum doctorem ſapientiæ ducemq; veritatis habeamus, eum alacriter ſequamur, atque eodem lęti perfruamur. Nullus enim ſuauior animo cibus eſt, quã veritatis plana & ſimplex cognitio. Sane ſæpenumero ſummopere admirari ſoleo, maieſtatem Dei, quæ continet regitq; omnia, in tantã veniſſe obliuionẽ, vt quæ ſola coli debeat, ſola potiſſimũ neglecta fuerit: homines aũt ipſos ad tantã cęcitatẽ eſſe deductos, vt vero ac viuo Deo mortuos prætulerint, terrenos aũt in terraq; ſepultos ei præpoſuerint, qui fundator ipſius terræ fuit. Et tñ ipſi deorum cultores ſæpe Deum ſummũ & confeſſi ſunt & prædicarunt. Nã & cum iurarunt, & cum optarunt, & cum gratias egerunt, nõ Iouem aut deos multos, ſed Deũ nominarunt. Adeo ipſa veritas, cogẽte natura, etiã ab inuitis pectorib. erupit. Id quod tñ non fecerunt in proſperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria ipſorũ elapſus eſt, quũ beneficiis eius fruentes, honorẽ dare diuinæ indulgentiæ debuerunt. At vero ſi qua neceſſitas grauis ipſos preſſit, tunc Deũ recordati fuerunt: ſi belli terror infremuit; ſi morborũ peſtifera vis incubuit; ſi alimenta frugib. longa ſiccitas denegauit; ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruit; ad Deũ confugerunt, à Deo petierunt auxiliũ; Deus vt ſubueniat, orauerũt; ſi quis in mari vento ſæuiente iactatus fuit, hunc inuocarunt; ſi quis ad extremam mendicandi neceſſitatẽ deductus, victum precib. petiit, Deum ſolũ obteſtatus eſt, & per eius diuinũ atq; vnicũ nomen hominũ ſibi miſericordiã quæſiuit. Nunquã igitur Dei meminerũt, niſi dum in malis fuerunt. Poſtquã metus deſeruit, etiã *pericula receſſerunt*; tũ vero alacres ad deorum templa cõcurrerunt, his libarũt, his ſacrificarunt, hos coronarunt: Deo aũt, quem in ipſa neceſſitate implorauerãt, ne verbo quidẽ gratias egerunt, adeo ex rerũ proſperitate luxuria, ex luxuria vero, vt vitia oĩa, ſic impietas aduerſus Deum nata fuit. Atq; hæ ſunt religiones, quas ſibi à maiorib. ſuis traditas ꝑtinaciſſime tueri ac defendere ꝑſeuerarũt, nec cõſiderarũt, quales ſint, ſed ex hoc ꝓbatas atq; veras eſſe crediderũt, ꝙ eas veteres tradidiſſent, tãtaq; fuit auctoritas vetuſtatis, vt inquirere in eã ſcelus eſſe duxerint. Quinetiam quãto ornatiora fuerunt tẽpla & pulchriora ſimulacra, tãto plus maieſtatis habere credebãtur, adeo religio deorũ nihil aliud fuit, q̃ quod cupiditas humana mirabaẽ.

PH. Ecquis vero auſit rationes atque cauſas inſtituti cultus à ſolerti antiquitate exquirere, quippe quos conſtat, omnia prudenti conſilio, matura deliberatione, atq; communib. votis conſtituiſſe. Vnde grauiter Cicero Cottæ Lucillo: *Maioribus*, ait, *noſtris, etiam nulla ratione reddita rationis, eſt credere*.

TH. Quoniã maiorũ nomen tantopere opponis atq; ex Cicer. vrges, videamus

ergo, qui fuerint Romanorum maiores, à quorum auctoritate diſcedi nefas foret. Romulus vrbem conditurus, paſtores inter quos adoleuerat, conuocauit: cumq; is numerus cõdendæ vrbi parum idoneus videretur, conſtituit Aſylum. Eo paſſim confugerunt ex finitimis locis peſſimi quiq; ſine vllo conditionis diſcrimine. Ita conflauit ex his omnibus populum, legitq; in Senatum eos, qui ętate anteibant, & patres appellauit, quorũ cõſilio gereret omnia, de quo Senatu Propert. ita ſcribit:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.
Centum illi in prato ſæpe Senatus erat.

Hi ſunt patres, quorum decretis eruditi ac prudẽtes viri deuotiſſime ſeruiunt, idq; verum ac immutabile omnis poſteritas iudicet, quod centum pelliti ſenes ſtatutũ eſſe voluerunt. Eſt vero pręgnans ſcilicet cauſa, cur illorum auctoritas tanti ſit habenda à poſteris, quos nemo, cum viuerent, neq; ſummus neq; infimus, affinitate dignos iudicauit. Quare oportet in ea maxime re, in qua vitæ ratio verſatur, quẽque ſuo ipſius iudicio ac propriis ſenſibus niti ad inueſtigãdam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertum. Dedit omnib. Deus pro virili portione ſapientiã, vt & inaudita inueſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporib. anteceſſerunt, ſapientia quoq; anteceſſerunt, quæ ſi omnib. æqualiter datur, occupari ab antecedentib. nõ poteſt. Quare cũ ſapere, i. veritatẽ quærere omnib. ſit innatũ, ſapiẽtiam ſibi adimũt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorũ probãt, & ab aliis pecudũ more ducũtur.

PH. Vt maxime fabularum atq; apologorũ, & quæ eius ſunt generis, in diuinis myſteriis habenda ratio non ſit, tamen plurimum habere momenti in arcanis naturæ explicandis, atq; ad imbuendũ animos hominum moralib. quibuſq; virtutũ actionibus, credendum eſt. Atq; vt è quam multis vnum dũtaxat huius rei exemplum adducam: Ecce, quot ex actis Herculis duntaxat moralia eliciuntur?

Herculis acta præcipua, cum mythologiis, in arce viri cuiuſdam illuſtris eleganter expreſſa.

Primum Herculis factum.

Infans in cunis, geminos à Iunone immiſſos ſerpentes, manibus prehenſos extinxit: cum vna cubans Iphiclus frater tertius pãrentes fletu excitaſſet.

Mythologia.

Serpens antiquus iis maxime, de quibus ex benigna propaginis, aut ſyderũ inclinatione virtutis opinionem cõcipit, ab ipſo ortu tendit inſidias. Hos cõtra tum ſancti Angeli ſuſcipiunt tutelari præſidio defendendos, tum ipſa virtutum ſemina, & igniculi natura inſiti, ſeſe nec volunt nec poſſunt deſerere.

Secundum.

Adoleſcens hydram colubris & capitibus pullulantem in Lerna palude telis & claua oppugnauit, tandemq; facibus & igne cõſumpſit, cum cancrum hydræ ſuppetias ferentem, preſſu pedum interemiſſet

Mythologia.

Adoleſcentia violenter à prauorũ ſubinde renaſcentiũ appetituũ impetu infeſtatur, quibus mundi delitiæ cauſam & materiã ſubminiſtrant. Contra hãc in tali ætate lubricis initio veſtigiis, tanquã in paludoſo ſolo, conſiſtit ratio, donec virtutis & pietatis ſtudio exercitioq; confirmata, hydram appetituum cum mundi cancro peſſundet & conſumat.

Tertium.

Digitized by Google

Tertium.

Leonem inuſitatæ magnitudinis, in Nemeæa ſylua inter Cleonas & Phliuntem, cum omnem eam regionem infeſtaret, iugulauit. Cuius ipſi pellis poſtea fuit pro indumento.

Mythologia.

Leonem iugulauit fortiſſimum, quisquis repugnantes rectæ rationi appetitus, non modo ſanis deliberationibus & conſiliis refrænauit; ſed iis omnem omnino ferociendi detraxit facultatem: atq; mentis & rationis iudicio effecit obedientes. Quodnam hoc indumento pectori generoſo pulchrius eſſe poteſt?

Quartum.

Diomedem Thraciæ regem, hominem dirum & ſanguinarium, qui inhumaniſſima crudelitate equos ſuos aduenarum paſcebat carnibus, occidit: eumque viciſſim iumentis ſuis obiecit deuorandum.

Mythologia.

Generoſus animus non poteſt non odiſſe & execrari tyrannos, vt infeſtiſſimos libertatis & ſocietatis humanæ hoſtes: qui tamen, vindicante in eos iuſto æterni Dei iudico, ea plerumque incurrunt mala, quibus alios ipſi afflixerunt.

Quintum.

In hiſpidis Erimanthi montis iugis, aprum terribilem & Arcadiam vaſtantem cepit, & viuum humeris impoſitum detulit ad Euriſtheum.

Mythologia.

Magiſtratus in monte poſitus eſt, edito videlicet & illuſtri loco; at immanis tyrannus atque improbus Remp. apri inſtar vaſtat & conuellit. Sed quisquis eum legitime adeptus eſt, & recte gerere vult, viuum conſeruare debet, neque committere, vt ipſius culpa & ignauia ſalutare eius in Republica exercitium intermoriatur.

Sextum.

Acheloo pro Deianira Oenei Calydonum regis filia, cum ipſo certanti, alterum auulſit cornu; ſicque ille victus, in ſui nominis fluuio ſe occultauit.

Mythologia.

Qui mente praua & malis artibus ad Reip. gubernacula aſpirant, in omnes ſe formas callide vertunt, quo magis voti fiant compotes. Tales conſilio monendi, aut auctoritate coercendi ſunt, vt ſua ſorte contenti, in ſui nominis fluuiis occultentur, & in ea, quam nacti ſunt, priuatæ vitæ ſtatione conquieſcant.

Septimum.

In Lybia apud Lixum oppidum, Antæum gigantem, Terræ filium, à matre duplicatum robur, quoties terrę proiectus eſſet, aſſumentem, tandem lucta pectori aſtrictum ſuffocauit.

Mythologia.

Qui vulgi fauore euecti, legum ſepta perrumpere, & Remp. turbare nituntur, contra hos non ſolum legitimo Magiſtratus iure, ſed arte quoque agendum eſt, vt ſubtractis, quibus contra patriam abutuntur, præſidiis, improbi eorum conatus, abſque tumultu & ſeditione extinguantur.

Octauum.

Interempto Dracone peruigili, aurea mala Heſperidum, quæ Atlantis filiæ fuerunt, ramis decerpſit, & ad Euriſtheum detulit, vt his frueretur.

Digitized by Google

Mythologia.

Annon Draconis inſtar auri peruigil eſt animus, qui dies atque noctes ſola opum cupiditate inflammatus, angitur & æſtuat? Annon hoc extincto animi morbo Heſperidum aureis malis fruitur, quiſquis indulgentis fortunæ beneficiis, cōſiſtente intra ſuos fines vtitur moderatione & liberalitate? An vero Dracones hi ſunt, qui tum ad Reipublicæ labem, tum ad priuatorum detrimentum, monopolia inſtituunt? quibus vtinam Herculea claua reges & principes aurea monopoliorum mala, cum tanta publica priuataque calamitate plerumq; ematureſcentia, è faucibus eriperent.

Nonum.

Atlantem feſſum ſyderibus ferendis, laborem parte leuauit, cum humeros aſtrorum ponderi ſubmiſiſſet.

Mythologia.

Cum Atlante vero an ſyderum pondus ſuſtinent ii, qui omni cogitationum actionumque ſuarum vi, ad cœleſtia tantum contendunt? An potius ii, qui regibus aliiſque magiſtratibus conſilia recta, & ferendis Imperii oneribus idonea ſubminiſtrant.

Decimum.

Geryonem tricipitem ſiue triformem, Fulguris filium in Gadibus ſuperauit, eiusque armenta in Latium tranſtulit.

Mythologia.

Qui paraſiticis artibus ſe dedunt, triformes efficiuntur. Nam ſimul adulatoris, falſi amici & decoctoris perſonam induunt. Hos deuincit & armentis ſpoliat, quiſquis eos à menſa & conuictu ſuo, atque ab omni adeo conſuetudine & familiaritate penitus facit alienos.

Vndecimum.

Cacum Vulcani filium in vaſta ſpelunca degentem, & Latium infeſtantem latrociniis & incendiis, cum mugitu boum interuerſi pecoris receptaculum deprehendiſſet, in ſpeluncæ veſtibulo claua interemit.

Mythologia.

Fures, ſicarii, latrones, incendiarii, & ſimilia humani generis ſtercora, in cauernis degunt, bonorum fugientes conſpectum & ſocietatem. In horum ſpeluncas atque latibula quocumque modo inquirere magiſtratus debent, vt infamibus ſuppliciis plectant comprehenſos.

Duodecimum.

Centauros Ixionis & Nubis filios, ſemihomines & ſemiequos, Hippodamen Pirithoo nuptiarum die eripere volentes bello ſuperauit.

Mythologia.

Fit non raro, vt qui inter equeſtres homines indulgentius aut negligentius educati ſunt, Centaurorum animos induant, minusq; cæteris hominibus ſe delinquere exiſtiment, ſi rapinis rem augeant familiarem, aut alienas temerent nuptias. Hi continendi ſunt, vt ab illicita animum reuocent cupiditate.

Decimumtertium.

Alceſten Admeti Theſſaliæ regis vxorem, quæ pro mariti ſalute vitam ſponte depoſuerat, ab inferis ad preces Admeti reduxit, cum Cerberum claua ſuſtuliſſet.

Mytholo-

Mythologia.

Nihil in coniugio dulcius perpetua amicitia,& ad omnia honeſte conſentiente voluntate, vbi, quod alteri graue eſt, alter in ſe præoptat deriuari. Proinde tales procliuius ex aduerſis eripit ille, à cuius omnia dependent voluntate.

Decimumquartum.

Heſionem Laomedontis Troianorum regis filiam beluæ marinæ expoſitam, & ad ſcopulos religatam, occiſo ceto liberauit.

Mythologia.

Heſionem ſpectas? virgo eſt, nuda eſt, ligata eſt, beluæ obiecta & crudeliſſimæ morti propinqua eſt. Ecquid illa calamitoſius? in eius perſona pupillos, viduas, orphanos, omneſque adeo oppreſſos, & tuæ opis egentes, mente conſidera. Hos vt tuearis atque ſubleues, ideo magis tibi incumbit, quo plus & tu potentia, opibus, auctoritate, gratia conſilioq; vales, & illi periculo atque ærumnis ſunt viciniores.

Decimumquintum.

Veſte indutus, quam ipſi Deianira, conciliandi amoris ergo, accepta Iole fama per errorem miſerat, cum peſtifero Neſſi Centauri ſanguine imbuta eſſet, veneno totum corpus inuadente, grauiſſimorum cruciatuum dolore atq; impatientia, pene in rabiem actus, ſemet in ſtructam pyram in Oeta monte coniecit, ſicque expirauit, ætatis ſuæ anno 52.

Mythologia.

Quã luctuoſus exitus viri fortiſſimi? Sic fit, vt qui vagis fœminarũ congreſſib. per omnẽ vitam ludunt, aut ab iis quib. excellunt artib. deſerantur: aut eorũ fructu nec diu nec vere gaudeant, quę fortiter & p̃clare agendo optime adminiſtrauerũt.

Vnum aut alterum adhuc exemplum mythologicum allegabo: Sphinx tetro atque monſtroſo corporis habitu effingitur, pectore quidem ac facie muliebri, ſed pedibus ac cauda leonis, alasq; inſuper & vngues habens velut harpyiæ, inſolubilia ænigmata tranſeuntibus propoſuiſſe, quæ qui ſoluere non poſſent, ex improuiſo vnguibus ad ſe in rupem traxiſſe & præcipites dediſſe. Quis vero primo intuitu inſignem aliquam doctrinam ſub hoc commento deliteſcere exiſtimet? Et tamen non vnam ſed plures easq; inſignes doctrinas ſub hoc monſtro ſapiens inuoluit antiquitas. Quid enim aliud ſignificant alæ, niſi fortunæ inconſtantiam. *Aut cur vngues in prædam* flexæ illi tributæ ſunt? niſi quod vndecunque libuerit, *omnia poteſt auferre.* Cur humana eſt facies? quia humanum eſt ſubiici calamitatibus & viciſſitudinibus fortunæ. Leonina pars forti animo eſſe ferenda aduerſa ſignificat, quæ vel vi omnino ſunt ferenda. Si quis enim miſerias prudenter ſuſtinere nequiuerit, aut niſi ſe ſapienter inter aduerſa cuſtodierit, ille ab ipſa Sphinge crudeliſſime torquetur & laniatur. Atque vt ſummatim dicam, nos monere per hanc fabulam ſapientes voluerunt, aut prudentia & Mineruæ conſilio iniquitatem eſſe ſuperandam, aut ſi minus iſtud fecerimus, nos ab illa ſuperari oportere. Idem iudicium eſto de fabulis Plutonis, Proſerpinæ, Harpyiarum, Cyclopum, &c. ad quorum vel ſaltem mentionem horrore concuſſi fuerunt antiqui, quippe per Plutonis fabulam, vitæ tranquillitas; per Proſerpinam, ſeminum plantarumq; natura, quod per terram hinc inde ſerpant; Per Harpyias vis & natura ventorum; per Cyclopes, vapores partim è mari, partim è terra eleuati, è quibus fulmina ac fulgura naſcuntur, pulchre admodum denotabantur. Nihilque adeo ab antiquis fabuloſum proferebatur, quod non aut ad egregiam aliquam virtutem ſectandam

inſigne adferret incentiuum, aut ad enorme aliquod dedecus fugiendum maximũ haberet momentum. Inſuper etiam virtutum ſimulachra, aras ac templa ſtatuerunt, vt ex earum honorifico aſpectu populus ad imitationem pertraheretur, qua in re imprudenter aut præter decorum egiſſe illos neutiquam video. Cum enim turbæ fœminarum & imperitæ multitudini religio & deorum metus, & fides & probitas, & temperantia eſſet in animis inſerenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neque integritatem rapinæ atque libidini ſine aliquo deorum metu anteponerent, non ſolum fabuloſæ de diis narrationes à ſapientibus fuerunt excogitatæ, ſed etiam fabuloſæ imagines, & picturæ monſtris prope ſimiles introductæ. Sic fulmina Ioui tributa ſunt, tridens Neptuno, ſagittæ Cupidini, fax Vulcano; ac varia terrorũ inſtrumenta Diis cæteris. Nam cum minime ſit inexpugnabilis mortalium natura, neque validiſſimas machinas expectet, quippe quæ omnium calamitatum ſemina intra ſe contineat, vel ſi paululum oculos ab illius cuſtodia Deus deflexerit; per ſe ſine aliis pugnæ inſtrumentis continuo labefactabitur. Hanc tantam percipiendam eſſe ex fabulis vtilitatem aperte & prolixe declarat Dionyſius Halicarnaſſ. *lib. 1. rerum antiq.* Sic aliæ fabulæ naturæ ſecreta continent, vt illa, quod Venus è ſpuma ſit genita, quod Phœbus Cyclopas occiderit, quodque illi fulmina Ioui fabricarint. Aliæ fortunæ inconſtantiam declarant, noſque ad eam forti animo ferendam inſtruunt, vt ea quæ de Phœbo narrantur, quod armenta pauerit Admeti. Aliæ ab impuris opinionibus & à crudelitate, atque omni perfidia & impura libidine nos retrahunt, vt Lycaonis fabula. Aliæ ad deterrendos homines à rebus turpibus ſunt inuentæ, vt Ixionis ſupplicium apud inferos. Aliæ cohortantur ad ſtrenuitatem, vt ea quę traduntur de Hercule. Aliæ ex auaritiæ ſordibus nos erigunt, vt ſitis Tantali. Aliæ ad deprimendam temeritatem confinguntur, vt calamitas Bellerophontis & cæcitas Marſiæ. Aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religionem, vt mirifica Elyſiorum camporum amœnitas. Aliæ ab omnibus denique flagitiis reuocant, vt ſeueriſſimi triumuiri apud inferos ſingulorum animas defunctorum iudicantes, & grauiſſima conſceleratorum ſupplicia. Equidem ſic exiſtimo, quaſi ſuauiſſimum humanæ vitæ condimentum exiſtere fabularum inuentionem, ac earum ærumnarum quas in vita patimur, non mediocre ſolatium; quas etiam idcirco à ſapientibus fuiſſe excogitatas cenſeo. Hinc enim cum ſingulari oblectatione ea percipimus vitæ recte degendæ præcepta, quibus ſine ſuauitate fabularum terga continuo verteremus.

EQ. Eſto ſane, apud doctos & cordatos viros magnum habuiſſe momentum, apud imperitos tamen nõ item, quippe apud quos ſatius haud raro foret, plane eas ſilentio ſupprimere, q̃ cum ſummo ipſorum ſcandalo temere eaſdẽ effutire, & credendas ꝓponere, quippe quarũ quamplurimę tales ſunt, vt ſaluo pudore vix queãt recenſeri, niſi decenti periphraſi atq; interpretatione leniantur. Dicam quod res eſt. Virtutũ imagines non intra parietes aut ædiculas luto vel lapide factas, ſed intra pectus collocandæ ſunt, & interius comprehendendæ, ne ſint falſæ, ſi extra hominem fuerint collocatæ. Virtutis, pietatis, ac fidei, homo ipſe delubrum eſto, nec enim ab homine, ſiquidem is vult in cœlum aſcendere, ſeparari poſſunt, neque debent. Si enim colenda ſunt, in ipſo homine ſint, neceſſe eſt. Si autem ſunt extra hominem, quid opus eſt ea colere quibus careas? Virtus colenda eſt, non imago virtutis; & colenda, non ſacrificio aliquo aut thure, aut precatione ſolenni, ſed voluntate

tate ſola atque propoſito. Nam quid eſt aliud colere virtutem, niſi eam comprehendere animo & tenere? Hic ſolus virtutis eſt cultus, nam religio & veneratio nulla alia niſi vnius Dei tenenda eſt. Nihil igitur opus eſt tantos ſumptus vel fingendis vel colendis imaginibus impendere. Firmius & incorruptius templum eſt pectus humanum: hoc potius ornetur, hoc veris illis numinibus impleatur.

PH. Nullum ergo ſtatuarum atque imaginum vſum eſſe, autumas, ſuperuacanea omnia eſſe reris, quæ in ſtatuas impenduntur? *Statuarũ vſus.*

EQ. Habent & ſtatuæ ſuum vſum & quidem inſignem. Romani antiquiores tribus potiſſimũ de cauſis ſtatuis abundarunt. Prima fuit, vt præclariſſimorum virorum, qui literis, vel armis, vel aliquo pręclaro facinore Rempublicam iuuaſſent, memoriam honeſtarent. Secunda fuit, vt familiarum nobilium antiquitatem poſteri obſeruarent, colerent & oſtenderent. Principes enim familiæ in atriis maiorum imagines adſeruabant, *Plin.lib.35.cap.2.* Et Romani patricii in Larario ſeu domus ſacrario Deorum & præclariſſimorũ imagines habuerunt, quas Senatorii viri in atriis ſeruare ſolebant ad nobilitatis natalia demonſtranda, eaſdemque (vt teſtis eſt Polybius *lib.6.*) feſtis diebus apertis armariis ligneis, in quibus aſſeruabantur, in domus atrio exornarunt, atque etiam in domeſticorum funere extulerunt. Cic. *in Verrem*, ſcribit eſſe ius ponendi imagines ad memoriam poſteritatemq; prodendam. Et in Orat. pro Rab. *Delectat* (inquit) *imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita*, & in Orat. pro Plantio: *Non dubitas quin omnes, qui fauent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te Ædilem fecerint.* Et in Piſonem: *Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum.* Et pro Sulla: *Si quæris qui ſint Romæ regnum occupare conati, ex domeſticis imaginibus, inuenies.* Intelligens M. Manlium Capitolinum, qui ideo de ſaxo deturbatus eſt. Hoc idem indicat Liuius quum dicit: *Ancum Martium nobilem vna imagine Numæ.* Item: *Appium Claudium honoratiſſimæ imaginis ad poſteros.* Et Iuuenalis Sat. 6.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Maiorum.

Et iterum alibi:

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Et Horatius:

Famæ ſeruit ineptus,
Qui ſtupet in titulis & imaginibus.

Sicuti itaque imagines huiuſmodi nobilitatem & antiquitatem familiæ demonſtrabant, ita qui eiſdem carebant, noui homines dicebantur. Suetonius in Veſpaſiano, inquit: *Flauia gens obſcura, & ſine imaginibus.* Et Cic. de ſe ipſo homine nouo in Rullum dixit ad Populum: *Quemadmodum quum petebam, nulli me vrbis auctores generis mei commendarunt, ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Ob id apud Plinium *lib.35.cap.2.* legimus, Meſſalam Oratorem graui oratione prohibuiſſe inſeri genti ſuæ Læuinorum alienam imaginem. Et Meſſala ſenior indignatus, quum Scipionis Africani tranſiſſet atrium, vidiſſetque, adoptione teſtamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini. Has imagines cereas fuiſſe conſtat ex Martiale & Iuuenale, pictas tamen & coloratas. Et ex Ouidio in epiſtola Laodamiæ ad Proteſilaum:

Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.

Sed clarius ex Plinio ſcribente loco præallegato: *Apud maiores in atriis imagines erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat populus.* Hæ autem imagines non integri totius corporis effigies erant à capite ad pedes, membris omnibus & lineamentis conformatæ, ſed humerorum tenus oris ſimulachrum effingebant; Quod inter recentiores docuit Turnebus *Aduerſariorum lib. 26. cap. 3.* & ex vetuſtioribus Polybius *lib. 6.* ſcribens huius generis imagines ita effictas, vt magnitudine quam ſimillimæ apparerent reliquo corporis trunco. Harum vſum multiplicem fuiſſe apud ſcriptores reperio, nempe ad nobilitatem teſtandam. Præterea & ad ſucceſſorum animos ad auitas virtutes imitandas excitamentum quoddam erant. Vnde Valerius Maximus de Torquato Silani patre ſcripſit in hæc verba: *Videbat ſe in eo atrio conſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati ſeueritate conſpicua imago poſita erat, prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies maiorum ſuorum cum titulis ſuis, iccirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* De hac re plura apud Tiraquellum *in Commentarius de nobilitate, c. 20. num. 150.* Tacitus *lib. Annal. 2.* de Libone Druſo Scriboniano: *Proauum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti coniux fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam imaginibus domum oſtentat.* Hæ etiam imagines in funeribus & exequiali pompa extra ædes producebantur. Nec ſolum propinquorum, & agnatione vel affinitate coniunctorum, in funere ſtatuæ deferebantur, ſed etiam principum, illuſtriumque virorum imagines, ita vt etiam quandoque inimicorum & hoſtium ſuorum, Illuſtrium tamen virorum, ſtatuas in funebri apparatu delatas obſeruemus. Ita C. Cæſar in amitæ ſuę funere Marii ſtatuas deferri voluit, pro decore familiæ, ne quid deeſſet, quod exequiarum apparatum diminueret, teſte Plutarcho in illo. Ita in Auguſti funere, teſte Dione *in Auguſto*, delatæ non ſolum propinquorum ipſius ſtatuæ, excepta Iulii Cæſaris, eo quod eſſet in Deorum vel heroum numerum relatus, ſed & ſtatuæ ciuium Romanorum, quicunque Principatum vnquam tenuerant, capto ab ipſo Romulo exordio, & quædam etiam Pompei magni ſtatua ferri viſa eſt; & Tacitus *in ima parte libri tertii Annal.* eam auream protulit ſententiam; In funere Iuniæ C. Caſſii vxoris, & M. Bruti ſororis, ſub Tiberio, viginti clariſſimarum familiarum imagines ante latas, in quibus præfulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo, quod effigies eorum non viſebantur. Et iterum *lib. 4.* ſcribit, Tiberium in Druſi filii ſui funere originē Iuliæ gentis æneam, omneſque Albanorum Reges, Romulum & Appium Claudium, cæteraſque Claudiorum imagines longo ordine produxiſſe. Plinius *lib. 35. cap. 2.* inquit: *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera* Et Ouidius libro Amorum primo, Eleg. 8.

Nec te decipiant veteris plena atria ceræ.
Tolle tuos tecum pauper amator aues.

Iuuenal. Satyr. 8.

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atq; vnica virtus.

Et Apuleius lib 6. Metamorph. *Et depictam in tabula fugæ præſentis imaginem meæ domus atrio dicabo.*

Horatius

Horatius in Epo. Ode 8.

Eſto beata, funus atque imagines,
Ducant triumphales tuum.

Et Statius Papinius lib. Thebaidis 6.

Exin magnatum ſeries antiqua parentum
Inuehitur.

Ita etiam qui ob aliquod crimen damnati fuiſſent, ſtatuæ honore priuabantur, vnde in funere Iuniæ Caſſiæ, nec Bruti, nec Caſſii prolatæ, teſte Tacito. Et ex eodē lib. 2. habemus cenſitum fuiſſe, ne imago Libonis exequias poſteriorum comitaretur. Sic in porticu fori ſui Auguſtus Ducum ſtatuas, qui Imperium Pop. Romani ex minimo maximum reddidiſſent, edicto profeſſus commentum ſe id, vt illorum veluti exemplar & ipſe dum viueret, & inſequentium ætatum Principes exigerent à ciuibus, *Suet. in Auguſt.*

PH. Hanc Auguſti ſententiam vtinam noſtrorum temporum principes, & nobiles, diuitesque viri ſequerentur, dum aliqui ſtulta quadam ambitione maximas pecunias in coemendis ſtatuis antiquis profuſiſſime expendunt, non vt ſculptorum in illis excellentiſſimorum artem admirentur, ac honore proſequantur eorum memoriam, atque vt præclara facinora eorum, quorum effigies referunt, æmulari conentur. Faxit Deus, vt aliquando reſipiſcant, & veram virtutem & gloriam, non apparentem ſectentur. Et boni quicunque Catonem imitentur, qui interrogatus, quid ita inter multos nobiles ſtatuam non haberet. *Malo* (inquit) *bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam, quod eſt grauius, cur impetrarim muſſitare.*

EQ. Memoriæ proditum eſt à Plinio *lib. 34. cap. 7.* Rhodi fuiſſe ſignorum ad ſeptuaginta tria millia, nec pauciora Athenis, ac Olympiæ Delphis vltra etiam ſuperfuiſſe creditum eſt, ex Pauſania lib. 1. de Atticis. *L. Mummius deuicta Achaia ſignis vrbem Romam repleuit, multaque & Luculli inuexere, cæteriq; deinceps Duces & Imperatores Romani vniuerſa Græcia debellata.* Tertia & poſtrema cauſa multitudinis ſtatuarum apud antiquos fuit Deorum copia, quos colebant ad millia plura. Atque hic poſtremus ſtatuarum vſus adulterinus fuit.

PH. At non à Romanis primum cœpit, ſed multis retro ſæculis cultus deorum inſtitutus fuit.

EQ. Neque etiam à Romanis primitus inſtitutum dico, vſurpatum tamen ab iiſdem deorum cultum affirmo, & antiqua Romanorum monumenta idem cōfirmant. Illud tamen interim dico, non omnes antiquos ſapientes in inſtituendis ſacrorum cum ratione inſaniiſſe. Repetam id ex hiſtoriis antiquioribus paulo altius.

Tradit Beroſus Ninum Babyloniæ regem, & Semiramidis maritum, fuiſſe primum, qui poſt generalem diluuii magni inundationem (quæ ſub Noa Iano, ſiue Ogyge priſco contigit) erexit imaginem Ioui Belo Iunonique parentibus ſuis, & Saturno Nembroto Rheæq; auiæ: quibus non ſolum ſtatuas in media vrbe Babyloniorum poſuit, ſed etiam templa ac ceremonias ſacras in eorū honorem & memoriam inſtituit. Atque illi inter Aſſyrios pro Diis magnis habiti ſunt: ſucceſſuque temporis regum mandato illis honores diuini, ſacrificiaque tributa: cum à principio imagines ac templa memoriæ illorum conſecrata eſſent. Ita factum eſt, vt hic imaginum cultus, & idololatria, quæ ab exiguis principiis ortum ſumpſit, *Deorū cultus quando cœperit.*

Digitized by Google

pſit, longe lateque per totum orbem terrarum dilatata & diffuſa fuerit: Aſtuque Satanæ (qui Dei hominumque eſt inimicus) promulgata eſt hæc conſuetudo adorandi homines mortuos ab Aſſyriis ad Ægyptios, deinde per totam Aſiam. Et breui cōtigit, vt hoc exemplum peruagatū ſit ad reliquas nationes, quæ iam replerant terram coloniis, & frequentibus habitatoribus. Quorum vnuſquiſque proprios Deos ſibi finxit, ex principibus vel regibus, qui populos pietate, conſilio, beneficentia vel potentia iuuiſſent, quos poſt mortem, beneficiorum acceptorum memores, inter cœlites cōſtituerunt, participesq; fecerunt gloriæ veri Dei (quem non ignorabant conditorem eſſe mundi totius) aut illi plane ſubſtituerunt.

TH. Proh hominum inſaniam, vt in religione maluerint ſua ſequi commenta, quam retinere cultum diuinum, à vero Deo ordinatum, & poſteris traditum à priſcis Patribus. Spreto relictoque Dei mandato, honorem & ſeruitutem Diuinitati debitam, contulerunt ad Deos fictitios & peregrinos: ſuperſtitionibus nefandis ſeſe inquinantes, & ſacris prophanis iram Dei prouocantes. *Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, coluerunt & ſeruiuerunt creaturæ potius quam Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula: propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* Rom. 1. *Infandorum idolorum cultura,* vt dicitur libro Sapientiæ, cap. 14. *omnis cauſa mali eſt, & principium & finis. Dum lætantur, inſaniunt; vaticinantur falſa; viuunt iniuſte: peierant cito: Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum; & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt.* Apoſtaſia enim hæc cum impietate inuexit inter homines infinita ſcelera, ac vitæ totius deprauationem.

EQ. Sed & Aſſyrii ſtatim poſt diluuium Nini regis exemplum ſecuti, innumeros erexerunt Deos. *Aſſyriorū Dii.* Exiſtimabant enim Maieſtatem illam diuinam mundi conditricem infinitam, omnipotentem, inuiſibilem, iuſtam, miſericordem, bonam, non poſſe exprimi, neque ſubiici oculis hominum, neque poſſe cognoſci qualis ſit, niſi per ſuas creaturas, per quas illius potentia ac bonitas manifeſtatur: maxime per homines qui inſignibus virtutibus, ac dotibus à Deo illuſtrati ſunt: qui conſiliis, auxilio, & doctrina rude genus humanum & infirmum docent, inſtituunt, protegunt & defendunt: propulſantes ab eis omnem iniuriam, & violentiam malorum, à quibus opprimuntur: Propterea Deum ſummum non inuito illis communicare partem ſui honoris, qui ſemper in auctorem redundat. Idem quoque de cæteris creaturis tradiderunt: per quas Deus, vel ſuum iudicium, vel miſericordiam exercet ſuper homines: quibus vel reuerentiam, vel metum, vel honorem tribuendum docuerunt, & in ipſis Deum colendum: quod per eas diuinæ bonitatis munera in nos ſtillent: Inepte garriebant Deum nihil aliud eſſe quam Naturam, ſiue arcanam inſpirationem, quæ mundum vegetat vniuerſum. Ideo mundum non ſolum eſſe imaginem Diuinitatis, ſed eſſe illius corpus.

TH.

TH. Hanc impiam ratiocinationem refutat ſcriptura ſacra, ac ipſa ratio. Non enim conditor conſtituitur eodē gradu, quo illius opus; cum natura ſit ordo præſcriptus à Deo in rebus creatis. At Dei potentia illius æternitatem ſatis declarat, & principium habere à ſeſe, quod omnia ab eo ſuam ducant originem; cunctaque, quæ ſurſum ac deorſum ſpectemus, viuam illius imaginem adumbrant. Nō quod oporteat illis adorationem aliquam præſtare, quantumuis excellentia videantur, ſed recta ad opificem omnium nos decet conuertere mentis noſtræ aciem. A ſuis enim virtutibus manifeſtatur Deus; quarum cum intra nos vim ſentiamus, multo viuidior in nobis eſſe debet hæc meditatio. Et quia non poſſumus illum capere, non propterea debemus ad viſibiles creaturas illius maieſtatem alligare, vt ad has proſtrati vota noſtra & preces offeramus ſummo numini; quod credamus illum ex ligneis, lapideis, metallicis, corruptibilibuſq; ſtatuis nos reſpicere & audire; noſtriſque neceſſitatibus ſubuenire, & in periculis nobis opitulari.

EQ. Hic error (cuius cauſa Deus iratus diluuio mundum vniuerſum ſubmerſerat) ſtatim inuaſit mentes hominum poſt reſtaurationem orbis, etiam viuente adhuc Noa. Cuius nepotes ſeſe nefanda idololatria ſtatim prophanauerūt & corruperunt: id patet in hiſtoria Ioſuæ *cap. 24.* de Thare & Nachore: Et Chami, ſiue Chameſenui, poſteritas cum patre (cui Deus maledixerat propter impietatem & contemptum erga patrem Noam) totam Aſſyriam & Ægyptum innumeris ſuperſtitionibus & idololatria corrupit, vt teſtatur Beroſus in ſua epitome. Hinc manauit infinita Deorum turba, quibus commiſerunt adminiſtrationem cœli & terrę, ſub imperio tamen illius primæ eſſentiæ diuinæ æternæ; quæ condidit totam rerū omnium machinam. Salomon *Sap. 14.* teſtatur primum idolorum cultum manaſſe ab iis, qui hunc honorem detulerunt mortuis, vt ſculptis imaginibus memoriam illorum ad poſteritatem proferrent; & hanc conſuetudinem verſam poſtea fuiſſe in legem; iuſſuq; tyrannorum ceremonias & ſacra fuiſſe inſtituta defunctis Principibus, illis nimirum, qui inſigni aliquo beneficio iuuiſſent ſuos conciues & rempublicam. Cui rei acceſſit & adulatio hominum, qui etiam malos Principes deificarunt, vt in Derceto muliere Aſcalonita, quæ cum ex adulterio concepiſſet & peperiſſet Semiramidem, pudore culpæ ſe in ſtagnum præcipitem dediſſe fertur, & in piſcem mutatam; atque ſub piſcis figura poſtea fuiſſe cultam. Ita quoque Apis anima in bouem, Anubis in canem: & eiuſmodi metamorphoſes; ſub quibus homines pro Deis culti ſunt. Xenophon tradit, clararum familiarum auos fuiſſe Saturnos appellatos, filios primogenitos Ioues; filias Iunones; nepotes vero Hercules. Hinc contigit, vt plures Saturnos, Ioues, Iunones, & Hercules legamus in hiſtoriis antiquorum. Primum autem omnium patrem dixerunt Ianum, vel Ogygem, quem Chaos & Cœlum cognominarunt, maiorum ac minorum Deorum parentem. Hunc finxerunt biceipitem, & duas habentem facies, quod ſecula quæ præceſſerant diluuium generale, viderat, & quæ ſecuta ſunt. Inde pullulauit illa deorum myrmecia, figmentis & ſuperſtitionibus plena.

TH. Horrenda ſunt hæc, & horrendum atque abominandum magis, quod etiam Iſraelitæ in eiuſmodi diras idolomanias ſeſe immerſerunt: quippe qui probe nouerāt, tam ex doctrina parentum & maiorum ſuorum, quam inſtitutione Moſis, vnum eſſe verum Deum; qui ante multa ſęcula ſeſe manifeſtarat patribus, Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo: ſenſerant & illius præſentiam, potentiam & auxilium; cum paulo ante manu forti miraculoſe erepti eſſent de ſeruitute Ægyptiorum: in

eorum præſentia apertum eſt mare, ſicco pede tranſiit populus per medium ſinũ Erythræum, in quo ſubmerſus eſt Pharao cum ſuo exercitu. Cum tamẽ Moſes ad Deum conſcendiſſet in ſummitatem montis Sinai, eius abſentia pertæſi Iſraelitæ, conclamarunt omnes: Neſcimus quid contigit iſti Moſi; ſurge, inquiunt ad Aaronem, *Exod.32.* fac nobis Deos, qui nos præcedant. Quorum importunitate victus Aaron, ex inaurib. aureis populi vitulum conflauit fuſilem; dixitque: Iſti ſunt Dii tui, ô Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Poſtero autem die, quo ſolemnitas ab Aarone fuit indicta, populus obtulit holocauſta & victimas pacificas: ſeditque manducare & bibere, & ſurrexit ludere. Reuerſus autem Moſes, cum ſuos inueniſſet tam nefanda deos alienos apoſtaſia ſequi & colere, indignabundus tabulas lapideas, in quibus Dei digito decem præcepta Legis ſcripta erant, cõfregit: Dominus autem irritatus contra prophanos, ſtatuit perdere populum, illiuſq; iuſſu cæſa ſunt vno die à Leuitis viginti tria millia hominum; neve in reliquam multitudinẽ Dei furor exardeſceret, Moſes pro populo deprecatus eſt. Hinc ſcaturiginem idololatriæ videmus ortam, quod homines non credant præſentiam Dei, niſi ſub aliqua forma illum ſibi ante oculos repræſentent. Et qualem animo imaginantur, talem ſibi proponi poſcũt. Mens idolum gignit, manus artificis parit. Quod etſi, qui iudicio cæteris præſtant, non credant eſſe Deum: illic tamen diuinitatem numinis aliquam putant adeſſe, & ideo ſtatim ad adorationem prolabuntur: exiſtimantque Deo gratum eſſe, ſi colatur quoquo modo inuentionibus hominum; ac ſufficere illi, dummodo maieſtas diuina non omnino deiiciatur è ſolio, & illius potentia nõ negetur. Sed audiamus de hoc inſano idolorum cultu iudicium Pauli Apoſtoli, is nempe aperte ait, deos gentium malos eſſe dæmonas, *1.Cor.10. Chariſſimi,* inquit, *fugite ab idolorum cultura: Quæ immolãt gentes, dæmonibus immolant. Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* Et ſcriptura ſacra ſic loquitur *Num 4 Si dominum ad iram irritaueritis idololatria, peribitis de terra. Diſperget vos Deus in omnes gẽtes, ibiq; ſeruietis diis, qui hominum manu fabricati ſunt, ligno & lapidi, quæ non vident, non audiunt, non comedunt, non odorantur. Leuit.19. Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis. Ego Dominus, Non facietis vobis idolum aut ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidẽ ponetis in terra, vt adoretis eum: ego enim ſum Dominus Deus veſter. Non plantabitis lucum & omnem arborẽ, iuxta altare Domini Dei veſtri. Non facies tibi atq; conſtitues ſtatuam, quæ odit Dominus Deus tuus. Leuit.26. Deut.16. Infelices ſunt,* inquit Salomon. *& inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, argentum, artis inuentionem & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.*

Græcorum dii. EQ. Habuit quoq; Græcia Deorum infinitã turbam, quorũ partem cœli, partem aeri, alios terræ, alios mari, alios inferis præfecit. Cœlum Ioui patri commiſerunt. Et in cœlo diuerſos Deos & animalia, monſtraq; & figmenta ſtatuerunt. Zodiacum in duodecim ſigna diſtribuerunt, Arietem, Taurũ, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Aquarium & Piſces. Reliquam firmamenti conuexitatem repleuerunt vrſis, draconibus, centauris, capris, & reliquis nugis, quarum nomina impoſuerunt cœleſtibus corporibus: ac de ſingulis monſtroſas fabulas & metamorphoſes prodiderunt. Rurſum ſeptem cœlis inferioribus præfectos dederunt Saturnum, Iouem, Martem, Apollinem, Mercurium, Venerem & Dianam: qui planetarum orbes moderarentur. Aerem Iunoni commiſerunt; quæ ſub ſe Aeolum & ventos habuit. Cyclopes fulmina

Digitized by Google

mina fabricarunt Ioui: nullaque pars cœleſtium plagarum ſuo caruit Genio.

TH. Vſque adeo cerebrum humanum fertile eſt vanitatis & figmentorum, cum à Dei mandato incipit aberrare, & ſuæ rationi locum dare, quo vagatur longius, eo ſemper recedit magis à ſcopo propoſito & à via veritatis, cui nos inſiſtere diuina iubet Sapientia, procul à nobis reiectis omnibus humanis inuentis, à quibus ſeducimur, & in perditionis præcipitium adducimur.

EQ. Quinetiam eo impietatis prorupit humana vanitas, vt diis ſuis ſcelera, iram, libidinem, furta & homicidia tribuerint. Diſcordias & inimicitias inter deos conſtituerunt; conuiuia & ebrietates, inceſtus & adulteria; & ad modum humanum veſci cibis, & potu Ambroſia & nectare: colludere inter ſe; iocari, nugari; de amoribus diſceptare. Ideo Venerem ex Saturni genitalibus ortam, præeſſe rebus amatoriis: cui Cupidinem dederunt filium, armauerûtque pharetra, arcu, ſagittis, & facula; leuem, ſtolidum, cæcum, temerarium finxerunt, promiſcue in Deos & homines ſua tela vibrantem, & cœleſtia terreſtriaque ſuo ſubiicientem imperio.

Terræ dominationem Opi vel Cybelę, quæ mater eſt Deorum maiorum, commiſerunt, quam diſtribuerunt in diuerſas prouincias, & ſingulis Deos proprios dederunt; Fauni, Panes, Satyri, Oreades. Dryades montibus & arboribus: Naiades fontibus, ſtagnis & lacubus. Singuli fluuii ſua numina habuerunt, à quibus denominationem ſortiti ſunt. Napeæ prata, viridaria, pomaria & hortos coluere. Pales agros curauit: Ceres frugibus præfuit. Triptolemus frumento; Chloris floribus: Bacchus vino: Pomona & Vertumnus pomis. Ariſtæus melli commiſſus eſt. Domibus Lares Geniique inſederunt. Penates ædium ſecretiores partes, imo nulla pars domus ſuo caruit Deo. Inuentis quoque & artibus ſuos præfectos dederũt. Studiis bonarum artium, muſicæ, & melodiæ præſidet Phœbus, Minerua, ac Muſæ. Medicinæ Æſculapius cum patre Apolline. Parturientibus Lucina, Lenana, Statilinus, Ilithya. Bello Mars, Pallas, Enyo, Bellona. Pulchritudini Venus. Amori Cupido. Gratiis Charites. Fabris Vulcanus. Mercatoribus, furibus & cauſidicis Mercurius. Nec vlla ætas, nulla ars, nulla vrbs, regio, aut locus inuentus eſt deſtitutus ſuo Deo tutelari, & Genio conſeruatore.

Maria quoque cum bonam ſuperficiei terræ partem occupent, propterea illis quoque numina præeſſe voluerunt. Hinc Oceanus Amphitrite, & Neptunus pro *ipſorum figmento*, ſummum in iis habuerunt imperium: quibus ſubiecti, tanquã ſecundæ claſſis diui, Tritones, Nereus, Glaucus, Portunnus: Nymphæ infinitæ, ac reliqua ſali numina: de quibus apud Heſiodum in Theogonia, cæteroſque poetas, qui Deorum iſtorum nominibus centurias conſcripſerunt.

Inferos adiudicarunt Plutoni: nam tres iſtos fratres Saturni & Rheæ filios vniuerſum mundum inter ſe partitos fuiſſe, ſcriptis prodidit antiquitatis fabuloſitas. Iupiter cœlos occupauit & terram: Neptunus maria: Pluto inferos. Plutoni, quem Ditem vocauerunt, maritauerunt Perſephonem Cereris filiam, quam patruus rapuit in Sicilia in Enneis campis, legentem flores cum Syrenibus filiabus Acheloi. Ante portam & inferni aditum Stygem cum ſuo lacu, quem Acheruſam vocarunt, repoſuerunt; quem transfretare Charontis cymba neceſſe eſt animas, quæ Orcum ingreſſuræ ſunt. Portæ præeſt Cerberus canis triceps. Intrinſecus æſtuat Cociti lacus, & Phlegethon: ignitis vndis torridus, quibus ſontes immergantur, & perpetuis tormentis cruciantur. Sunt alia loca peccatoribus deſti-

rata:

nata: vbi Tytius vulturino lancinatur roſtro; Siſyphus perpetuo labore rotat ingentem lapidem. Ixion rota rapida in orbem trahitur; Tantalus aqua merſus ſiti horrenda tabeſcit. Belides vrnis pertuſis aquam indeſinenter haurire coguntur. Infinita ſupplicia deſcribuntur à Græcis, quibus puniuntur homines propter ſcelera commiſſa dum adhuc eſſent in vita. Minos, Rhadamantus, & Æacus, tres ſunt inferni iudices; qui ſeueras pœnas præſcribunt ſingulis peccatis, prout vnius cuiuſque grauitas videtur exigere. Carnifices habent ad imperium promptas, truces, cruentas & crudeles Furias ſeu Eumenydas, vel Erinnyas: quæ ſunt Megera, Alecto, ac Tyſiphone: hæ colubrinis flagris lacerant & proſcindunt adiudicatos Coceto & Phlegethonti. Adſcripſerunt quoque piis animabus locum proprium, vbi quiete degunt æterna; quem vocarunt Campos Elyſios: in iis horti, vireta, prata, campi, ſpeluncæ, monteſque ſumma amœnitate viſuntur, in quibus viuunt perpetua felicitate ſancti Manes; ac ſeſe oblectant omnibus iis exercitiis, quibus libenter vacarunt, cum adhuc viuerēt. Ad ingreſſum Elyſiorum Camporum lento ac tacito flumine defertur Lethe: de quo bibunt animę beatorum; vt omnium obliuiſcantur malorum ac moleſtiarum, quas inuiti antea perpeſſi ſunt ſuper terra: & hoc cautum à Fato æterno dixerunt antiqui, ne memoria moleſta tangerentur animæ ſanctorum, dum recolerent ærumnas & calamitates vitæ tranſactæ. Pythagorici vlterius progreſſi ſunt. Obliuionis fluuium adſignant animabus defunctorum, quæ tranſmigraturæ ſunt in noua corpora. Ac poſt epotam Lethen omnium præcedentium oblitæ, deſiderio nouæ vitæ geſtientes, expectant, donec natura illas in corpora recenter nata tranſmittat: Raroque contingit vt mente recolant, quæ ante actis ſęculis perpeſſæ ſunt in corporibus, in quib. prius vixerunt. Quamuis ipſe Pythagoras publicauerit, ſe in corporibus alienis antea vixiſſe, quorum nomina recitat.

PH. Dixi antea prolixe, eruditam antiquitatem rationem habuiſſe imperitæ multitudinis, cuius peruerſitas alio modo non potuit compeſci. Probe nimirum intellexerunt, homines ſibi relictos, facile belluinos induere mores, & tantum nō in beſtias transformari. Vt itaq; naturam corporum ſuorum ſeruent, quippe cum cæteræ animantes pronis corporibus in humum ſpectent, quia rationem acceperunt, homini autem ſtatus rectus & ſublimis vultus ab artifice Deo datus fuit, cuius beneficio cœlum rigidis ac ſtantibus oculis intueri poſſunt; proinde, ne tam nobilis atque excellens hominis natura per vitam diſſolutiorem, ad quam aloqui deprauata hominis natura quam maxime prona eſt, per incuriam turpiter proſtitueretur, ſubleuandam quauis ratione eam iudicarunt, omniaque adeo inſtituta tum ad cognitionem rerum naturalium, tum etiam ad rectorum morum rationē pertinentia ſub fabuloſis integumentis, ipſorum iudicio ad imprimēdum ea animis hominum quam maxime accommodis, libere ita propoſuerunt. Hinc omnia illa, quæ vel Ariſtoteles, vel ante eum Plato, vel Empedocles, vel Pythagoras, aliiq; Philoſophi, tam de naturæ opificio quam de moribus tradiderūt, antiquarum fabularum artificum dogmata fuerunt, è quibus tantum quiſque hauſit, quantum ſui ingenii ferret facultas. Quo etiam cōſilio fabulam illam de Prometheo & Pandora omnium malorum inuectrice confinxerunt.

Pandora. *EQ.* Fabula fabulam, ſuperſtitio ſuperſtitionem parit, fœtu quidem fœcundo; at minus proſpero. Fabula hæc eſt. Græci ſuperſtitionum inuentores, primum formatorem hominis dixerunt fuiſſe Prometheum Iapeti & Themidis filium: qui ex limo

ex limo terræ formauit imaginem ad ſimilitudinem humanam: ſed cum ex terrena materia facta eſſet craſſa & ſtupida, eam animauit igne cœleſti, quē ex Iouis ſolio furatus eſt clanculum, concaua arundine incluſum, ne furtum animaduerteret Iupiter. Hoc ſacrilegium vt Deus vlciſceretur (indigne enim tulerat homines recens creatos vigore cœleſti & ſapientia diis ſimiles reddi) Mulcibero mandauit, vt ad dearum cœleſtium formam figuraret imaginem: quæ vt fuit abſoluta, illam Iupiter vita & ingenio donauit, Iuno ornauit, Pallas erudiuit, Venus illi pulchritudinem & gratiam tribuit, Mercurius eloquentiam, cæterique dii aliquid doni in hāc nouam Deam contulerunt, vnde nomen Pandoræ ſortita eſt. Illius manu impoſitus eſt crater aureus à Parcis, Cloto, Lacheſi & Atropo; quo incluſit Iupiter morbos, languores, curas, ſolicitudines, egeſtatem, pudorem, triſtitiam, & reliqua omnia mala & incommoda, quibus vita humana poterat exagitari & vexari: Statutumque erat Fati decreto, vt homo volens, ac ſua ſponte compulſus hunc craterem aperiret, & in ſe admitteret monſtra illa ęrumnarum, quæ inde euolarunt. Vtque id non coactus faceret neceſſe fuit, ne poſtea hominum genus merito cōqueri poſſet, Deum fuiſſe auctorem malorum & calamitatum, quibus miſeri mortales poſtea ſunt agitati, & cruciatibus aſſiduis moleſtati: Quas cum vltro ſuaque ſponte excepiſſet, ſtultum fuit culpam in Iouem transferre. Mulier cum ad Prometheū veniſſet, neque illi, qui prudens erat, poſſet perſuadere, vt munus oblatum exciperet; conuertit ſe ad Epimetheum Promethei fratrem iuuenem imprudentem & fatuum: qui geſtiens craterem acceptum aperuit, ſtatimque facto impetu è fundo ſe proripientes illæ peſtes & calamitates mundum repleuerunt, omnem hominem ſuo viru & contagio inficientes; vnde poſtea vita humana infelix & anxia reddita eſt: quibuſque Deus vlciſcitur hominum peccata, qui numine cœleſti neglecto, ſceleribus & vitiis ſeſe contaminant. Addiderunt & huic figmento, Spem iacuiſſe in fundo crateris, depreſſam à reliquis malis, quæ cum celeriter euolaſſent, ſpes miſera pondere defatigata, non potuit ſe expedire vt foras prodiret: Nam Epimetheus horrore perculſus, operculum vaſi obdidit: ſpeſq; incluſa in cœlum reportata eſt; mortaleſque poſtea calamitoſe afflicti ſunt, nulla ſpe ſibi relicta, innumeris afflictionibus & ærumnis, quas imprudentia in ſe attraxerant. Prometheus vero, eo quod Iouis oblatum munus metu inſidiarum reieciſſet, dicitur à Mercurio Iouis iuſſu ad Caucaſum mōtem adductus, & in ſpelunca, quæ erat apud Paropamiſſadas, vinctus, vt teſtatur Strabo lib. 15. ne tantum furtum videretur impune contra Iouis voluntatem commiſiſſe. Dicunt præterea, huic additam fuiſſe aquilam, quæ iecur illius aſſidue renaſcēs laniaret ac deglutiret, vt ait Apollonius *lib. 2.* Erat enim columnæ alligatus, neq; vllo pacto ſe mouere poterat: cui quantū iecinoris per diem ab aquila conſumebatur, tantundē per noctem excreſcebat, ne vnquam doloris materia deficeret. Huic ipſi Prometheo, vt & Vulcano, ac Palladi ara communis fuit erecta in Academia, vbi etiam Lampadiferorum curſus certamen primum inſtitutum fuit, qui in vrbē accenſas faces deferentes decurrebant: in quo certamine ſtudebant, vt accenſę faces ſeruarentur. Nam cuius fax extincta fuiſſet, is victoriam ſuccedenti concedebat; atq; hic eodē modo ſequenti, ſi ſua extingueretur, & reliqui eodem ordine. Quod ſi nemo accenſam facē tuliſſet, palma in medio relinquebatur. Memoriæ prodidit Pauſanias *in priorib. Eliacis*, inter cętera Herculis facinora illud quoq; cenſeri, quod aquilam ſagitta transfixerit, Prometheumq; è vinculis exemerit. *Pherecides lib. 10. de nuptiis Iunonis.*

Digitized by Google

PH. Fabulam fideliter recenſuiſti. Quid vero illa ſignificet, ego explicabo. Prometheus, vt ſenſit Zezes, Mens eſt, quę res futuras multo ante præuidet; ſicut ecõtra Epimetheus (qui frater Promethei fingitur) Cognitio eſt, quã acquirimus poſt rerum euentus, cuius filia eſt Pœnitentia. Dicitur fuiſſe filius Iapeti, qui nihil aliud eſt, vt ſenſit Proclus, niſi celerrimus motus cæli, & huius vniuerſi, qui vocatus eſt Iapetus apud Græcos *ἀπὸ τοῦ ἰάεσθαι καὶ πέτεσθαι, à motu ſcilicet & volatu.* Cum Prometheus igitur ex Iapeto matre Themide oriatur, erit optimus affectus in animis noſtris, qui ex impreſſione cœlorum nobis innaſcitur, mater iuſtitia atq; æquitas, è quibus bona conſilia, & prudentia tum in rebus priuatis, tum etiã in publicis adminiſtrandis, & rerum humanæ vitę neceſſariarum inuentiones exſurgunt. Quod Prometheus hominem finxerit, cui ſingulorum animalium particulas adiunxerit, quid aliud ſignificat, quam prudentiam multas mutationes animis noſtris imprimere. Per ignis inuentionem, ſimplicem atque agreſtem conditionem primæuorum hominum intellexerunt. Cum enim illi (vti credidit antiquitas) neq; arandi viam, neq; artem vllam ſciebant; neq; morbos eſſe aut mortem opinabãtur, ſed in terrã collapſi, ignari quid ſibi accidiſſet, expirabãt: viuebantq; ferarũ more, agreſtium arborum fructibus aut oleribus veſcentes, nudiq; aduerſus feras nudis manibus pugnabant. Hi cum nullam omnino futuri temporis haberent rationem, nullis fructib. in hyemem reſeruatis, inedia per hyemem multi eorum abſumebãtur. At experiẽtia paulatim neceſſitateq; magiſtra & cauatas arbores ingreſſi ſunt, & ſpeluncarum beneficio ab aeris iniuria protegebantur; quod genus vitæ degebant omnium fraudum atq; etiam ignis expers: neq; quid eſſent leges, quid reges, quid furta, quid cædes, quid militia cognorãt. Verum cum diuturna incommoda illos prudentiores feciſſent (nihil enim facit magis ingenioſos quã pericula & difficultates) dictus eſt Prometheus ſiue prudentia ignem inueniſſe, & per illũ poſtea omnes artes, quibus humana vita excolitur. Nulla enim prope eſt ars, quæ igne nõ egeat. Fabulati inde ſunt antiqui, quod Iupiter ob ignis inuentionẽ iratus Prometheo, omnia malorum genera demiſit hominibus: quia nullum eſt malum, quod nõ ex voluptuaria vita, quæ multas artes habet miniſtras, proueniat. Nam vna cũ artibus ipſis & reges exorti ſunt, & latrocinia, & bella, & ſolicitudines animorum eruperũt, & omnia illa deniq;, quib. humana vita vndiq; vexatur. Dicunt pręterea, Ioui Promethcũ carnes in alteram pellem incluſas, in alterã oſſa obtuliſſe: quia cũ voluptatibus & delitiis non ſolum legum & æquitatis, ſed etiam deorum immortalium contemptus in genus humanũ irrumpit. Quis enim vere gloriari poteſt, aut certe quàm pauci ſunt, qui magis ſunt ſolliciti de vero & legitimo Dei cultu, quam de bonitate prædiorum aut numero pecuniarum. Dicta eſt etiã Iouis aquila iecur Promethei aſſidue lacerare, quia prudentiorib. hominibus mens ſemper ad varias cogitationes diſtrahitur. Et quoniã nullus dolus, nullumq; latrociniũ diuturnam ſociam habere trãquillitatẽ cõuenit, inde traditũ eſt in fabulis, quod igne inuento Iupiter oẽm prioris vitæ tranquillitatẽ mortalib. eripuit. Creſcere per noctem tantũ iecinoris ſolitum Prometheo dicitur, quantũ aquila per diem deglutiuerit, quoniã natura alterna tempora quieti & animi curis cogitationibuſq; determinat. Alligatus columnæ dicitur, quoniã corpori alligata eſt anima prudẽtiæ ſedes & domicilium, ꝙ ipſum per ſe eſt tanquam ſaxeum, cum nullã habeat cognitionem. At epar eſt rationis motus, quia nõnulli ſapientes id cogitationib. mentis ſedẽ eſſe crediderũt. Dicitur formaſſe Pandoram Vulcanus, quia calor & tẽperies

apta

Digitized by Google

apta cœli donet fertilitaté, quæ, vt ait Theophraſt. *in lib. de cauſis plantar.* magis q̃ vllus labor mortaliũ operatur. Quid vero ſignificant Lampadophoria, q̃ in honorẽ Mineruæ Vulcaniq; & Promethei celebrabantur, in quib. curſores accenſis facib. currebant? Nihil aliud ſane, q̃ vniuerſum præſentis vitæ curſum eſſe nobis moleſtiarũ atq; curarũ plenũ, quæ vbi ceſſauerint, à curſu ipſius vitæ ceſſandũ eſt, & ſuccedentib. lampades, lites, morbi, calamitates, animorumq; ſolicitudines in manus tradẽdæ. Atq; vt ſummatim colligã, ſignificare per hęc voluerũt ſapiẽtes, maximã eſſe vitæ præſentis perturbationẽ, auaritiã cuncta recta ſubuertere, viris bonis eſſe ſemper aduerſus difficultates pugnãdũ, oẽm mortaliũ vitã eſſe curarũ plenã, neq; vlli ſperandam eſſe quietẽ dum viuimus. Nonnulli tñ hæc ad hiſtoriã detorquẽda putarunt. Nã Herodotus memoriæ prodidit in eo libro, quẽ cõpoſuit de vinculis Promethei, Scytharũ fuiſſe regẽ Prometheũ; qui quũ ſubditis populis res victui neceſſarias ſuppeditare nõ poſſet, eo ꝙ Aquila, fluuius ita vocatus, illius regionẽ inundaret, in vincula cõiectus à Scythis fuit. At Hercules quũ eo diuertiſſet, fluuiumq; detorſiſſet in mare, ita vt nõ amplius inũdaret regionem, dictus eſt intercemiſſe aquilã, & ipſum Prometheum è vinculis liberaſſe. Scriptum eſt ab iis, qui res Ægyptiacas memorię prodiderunt, & à Polycharmo *in rebus Lyciis*, atq; à Diodoro Siculo, Nilũ Ægypti fluuium aliqñ ſub exortũ canis Sirii, quo tempore per Eteſias maxime ſolet intumeſcere, aggeres diſrupiſſe, atq; Ægyptũ inundaſſe, & illam partẽ pcipue cui imperabat Prometheus. Tãta vero facta eſſe dicitur inundatio, vt oẽs fere homines perierint, quare ꝓpius periculo fuit, ne per deſperationẽ Prometheus ſpõte vitã cum morte cõmutaret. is aũt fluuius ob celeritatem & vim curſus Aquila fuit vocat⁹, q intima Ægypti deuaſtabat. Fama eſt Herculẽ gnauũ cõtinuo obturaſſe eruptionẽ, fluuiumq; in ſuũ alueũ cõcluſiſſe, quare Gręci poſtea fabulati ſunt, ꝙ Hercules aquilã occiderit, iecur Promethei aſſidue rediuiuũ vorantem. Theophraſt. ſcriptũ reliquit, Prometheũ inde dictũ fuiſſe ignẽ ad hoẽs è cœlo detuliſſe, quia rerũ diuinarũ & philoſophię cognitionẽ primus omniũ mortaliũ hominib. oſtẽderit, primusq; oculos illorũ ad illa cœleſtia & ſempiterna corpora ſpeculãda erexerit. Hęc ſub Promethei & Pãdorę fabula & alia his ſimilia cõtinebãt.

EQ. Si omnes eſſemus Oedipi, qui huiuſmodi logogryphos prompte enodare calleremus, non eſſent eiuſmodi fictiones morales æque atq; phyſicę nõ vſq; adeo improbandæ. Cum vero raris tantũ ingenii acumen cõceſſum ſit, vt verã hiſce inuolucris incluſam ſententiã aſſequi poſſint, quin etiam pro ratione ingeniorũ, vti etiã omnes allegoricę dictiones, lubricæ admodũ ſint, nec in earundem expoſitione ſibi vſquequaq; ſatis cõſtent, ſicut id ex tua ipſius diuerſimode allegata de Prometheo expoſitione planum eſt, proinde nihil adhuc dum video, quid eiuſmodi nęnias tantopere commendet. Vtut maxime autem aliquo colore palliari poſſint; illud tamen abominabile admodum eſt, quod eo inſaniæ plurimi populi prorupe- runt, vt non illis ſuffecerit diuinitatis honores tribuere aſtris cœleſtibus, Heroib. & Principib. illuſtrib. (qui multis beneficiis homines ſibi conciliarant) ſed & inter deos receperunt portenta & monſtra; Simiã, Crocodilum, Ibin, Arietem (qui illis erat Iupiter Hammon) Bouem, Apin, Oſyrin, Canẽ, Anubin, & alia animalia. Ac ne ſatis illis videretur colere beſtias brutas, illis ceremonias & publica conſtituerũt ſacrificia, templaq; & aras, & ſacerdotes ſacrauerũt. Cultum quoq; diuinũ tribuerũt cepis, alliis, porris, cucumerib. & infinitis creaturis, q̃ ſenſu & vita carẽt: pręxẽtes myſteria occulta, & plebi incognita; quo viderentur nihil facere ſine legitima *Ægyptiorũ dii.*

ratione ac Deorum conſilio. Tanta fuit ſemper & vbique hæc Deorum varietas, maxime inter Ægyptios, qui inter reliquos homines ſuperſtitionibus vanis vſque ad inſaniam delirauerunt.

TH. Non ſine cauſa dicit Apoſtolus *Rom.1.* iram Dei reuelari de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: & paulo poſt: *dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & ſerpentium.* Et hos fructus producit natura humana peccato corrupta, niſi à Deo Opt. Max. fulciatur, cõuertatur, & inſtituatur: cui nihil gratius, nihil acceptius eſſe poteſt obedientia. Mens hominis per ſe ad excogitandos numinum cultus varios ac nouos ſemper fuit procliuis: In qua re ſeſe manifeſtat irreligioſa mortalium religionis affectatio: qui dum ſuis inuentis & ſuperſtitionibus ſuam iuſtitiam ſtabilire conantur, ab obſeruatione mandatorũ Dei procul recedunt. *Obſerua,* inquit Altiſſimus per Moſen, *Deut.12. & audi omnia, quæ præcipio tibi, vt bene tibi ſit, & filiis tuis in ſempiternum, cum feceris quod bonum eſt, & placitũ coram Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc facito tantum, nec addas quicquam, neque diminuas.*

EQ. Cæterum inter varios portentoſosq; deos, quibus Ægyptii ſua fana ac delubra repleuerunt, Canopus nõ obtinuit poſteriorem locum. Fuit enim Canopus iſte Amyclæus nauis Menelai gubernator: qui cum ab expeditione Troiana rediret, tempeſtate actus delatus eſt in Ægyptum, ibique tactus ictu ſerpẽtis mortuus eſt; ſepultusq; ad Nilum, vbi poſtea vrbs à Canopi nomine conſtructa eſt, diſtans ab Alexãdria ſtadiis CXX. Illi temporis ſucceſſu ciues erexerũt ſtatuas, ſacraq; decreuerunt, & templa dedicarunt. Contigit autem vt Chaldæi diuerſarum religionum excogitatores, vagarentur per Aſſyriam & Arabiam, docentes mentem illam æternam conditricem & conſeruatricem mundi totius, velle coli ab hominib. nõ ſub ſtatuarum aut imaginum figuris, quæ corruptibiles, mutę & mortuæ eſſent, & facturæ artis humanæ, quæ ex nulla ſui parte poterant exprimere vel repræſentare infinitam illam Deitatem ſupernam, ſpiritualem & viuentem ab æterno, ſed ſeſe manifeſtare hominibus ſub ſymbolo ignis. Quia igne (ſecundum opinionem Heracliti) cuncta creata ſunt, & vita temperatus eſt calor; mors autem frigus perpetuum (Alii humidum cum calido dixerunt originem eſſe creaturarum omnium.) Et vt appareret animorũ immortalitas, homines igne & aqua vti, reliqua animalia contenta ſunt aqua. Addebant Chaldæi, Deum illum mundi conditorem benignnm & miſericordem eſſe erga eos, qui diuinis obtemperabant præceptis; ſed iuſtum & terribilem in contumaces & rebelles: iraſci grauiſſime delictis prophanorum, ac conſumere in ſuo furore deos lapideos ac metallicos, qui illi conferebantur; quod experientia cõprobabant. Idola enim ſiue metallo, lapide vel ligno facta eſſent, adpoſita igni conſumebantur, & perdebãt ſuam formam, qua ſola dii cenſebantur. Cum igitur veniſſent in Ægyptum, docerentq; eadem, quæ in Aſia, ſacerdos Canopi homo Philoſophus & literatus, fraudem Chaldæorũ non ignorans, dolum dolo excepit. Concione populi conuocata ipſe vltro hortatus eſt Ægyptios, ne temere reiicerent Chaldæorũ doctrinã, quæ à ratione non erat aliena: non tamen patriã religionẽ leuiter desererent, quam à parentib. acceperant. Deos illos inter ſe cõmittendos eſſe ſuadebat, ac pie religioſeq; expectãdũ, quis eſſet ſuperior futurus. Interim, vt cautus erat, Hydriam foraminib. vndequaq; terebro aperuit, q̃ cera texit, ac gypſo colorato ſuperinduxit; impleuitq; hydriã aqua, & eius orificio

orificio caput ſtatuæ veteris ſuperimpoſuit; ſummaq; reuerẽtia, ac ceremoniis exquiſitis ſpectante toto populo venerandũ iſtum Deũ igni Chaldęorũ adhibuit: Vtrinq; Ægyptii Canopi numẽ, Chaldæi voce eleuata ſuũ deum ſub ignis forma inuocabant. Incaleſcente autẽ hydria propter ignis propinquitatẽ, liquefacta eſt cera, apertisque foraminibus magno impetu effuſa eſt aqua in ignem circumiacentem: qui multa inundatione ſpectantibus & admirantibus omnibus ſuffocatus & extinctus eſt. Sacrificulus vero arrepta inde occaſione hortatus eſt Ægyptios, vt maiore reuerentia Canopum colerent, ſacra illius frequentarent, ac ſe tanto numini voluntarie ſubmitterent. Ex eo tempore Canopi ſtatua figurata eſt in ſpeciem vrnæ: Cuius formam oſtendunt Marius Delphinus Romanus Patritius. Petrus Lepidus Regius apud Mediomatrices Procurator: ac memini me aliquando vidiſſe ſimiles inter ornamenta conclauium ducis Vrbinatis Piſauri, & Roberti Strozziæ Card. Romæ.

TH. Ruffinus *lib. 11. cap. 26. hiſtor. Eccleſiaſt.* de Canopo etiam hæc ſcribit: Quis vero (inquit) Canopi enumerare ſuperſtitioſa flagitia poſſet? Vbi prætextu ſacerdotalium literarum (ita enim appellabant antiquas Ægyptiorum literas) magicæ artis erat pene publica ſchola; quem locum velut fontem quendam atque originem dæmonum in tantum venerabantur pagani, vt multo ibi maior celebritas quam apud Alexandriam haberetur. *Et paulo poſt:* Nunc vero aduentante ſacerdote Dei Theophilo, nullus profuit ſudor, nec ceris fraus obtecta ſubuenit: vaſtata ſunt omnia, atque ad ſolum deducta. *Hac Ruffinus.*

E Q. Cæterum quod ad Romanos attinet, etſi illi quidem ſub initium conditæ vrbis, in ſtatuis parum eſſe auxilii afflictis, proindeque nihil diuinitatis aut cultus iis tribuendum credebant. Id quod vel ex hoc vnico patet. Cum enim Tarentum expugnaſſet Conſul Romanus, multasq; ſtatuas deorum aureas & argenteas cum præda cepiſſet, ſcribenti ad Senatum, quid de iis facturus eſſet, reſponſum eſt, vt Deos Tarentinis iratos relinqueret. Nimirum hoc reſponſo Romani ipſos ſuſque deque ferre, ſiue iratos ſiue propitios huiuſmodi deos fictitios habent. Poſtquam vero Romani protenderunt Imperium extra Italiam, & cum Græcis communicarunt, ab eis, ſicut bonas artes & Philoſophiam, ſic etiam omne genus ſuperſtitionum & opinionum de religione didicerunt, & in vrbem inuexerunt, reliquosque populos variis traditionibus & ſacris ſuperarunt: aſciſcendo vndequaque peregrinos Deos, & illis in vrbe templa, ſacella & aras erigendo. Vnde dictum eſt non abſurde ab aliquo Romano. Poſtquam in vrbem introducta ſunt ſimulachra, & ſtatuæ deorum publicæ ſunt populo propoſitæ, vt ad eas ſuas dirigerent preces, & vota conciperent, elanguiſſe in hominũ animis pietatem, & morum diſſolutionem ſuperinductã eſſe. Cum enim ſuos deos iiſdem affectibus, & cupiditatibus percelli, & rapi exiſtimaſſent, quibus vulgare genus hominum, aut eos contempſerunt, aut ad eorum exempla vitam compoſuerunt. Exiſtimaueruntque quod cœleſtium fieret imitatione, debere tolerari, vel adprobari: Nam fures, latrones, adulteri, polluti, impoſtores, & cæteri, ſuos habuerunt tutelares deos: quos inuocabant & colebant vt maleficia quæ aggrediebantur poſſent conficere. Sic adulteræ mulieres Veneri victrici & felici ferebant munera; impoſtores, periuri, fures Mercuriũ pręſidem honorarunt: auari Plutũ: latrones & oppreſſores violenti Herculem: cynædi Iouem: & ita de cæteris. Nullum enim vitii genus fuit, quod ad aliquem deorum non potuit referri, quorum patrocinio & exemplo

Romanorum dii.

poſſent ſecurius exequi quod machinabantur. Vtque rudis populus, & literarum imperiti poſſent facilius Deum à Deo diſcernere, & eius proprias cognoſcere virtutes & energiam, ne in inuocatione hallucinarentur, & fallerentur, ex armamentario cœli conquiſita ſigna tribuerunt ſingulis, quæ propria illis eſſent & peculiaria: vt compertum eſſet vnicuique, quod Deus hic vel ille poſſet conferre beneficium: ne precibus extorquere miſeri mortales conarentur ab aliquo deorum, q̄ ſui non eſſet muneris: Stultum enim fuiſſet à Venere voluptati & ocio dedita, texendi, nendique peritiam poſcere, cum deliciis præficeretur, & amoribus. Ad Palladem veniendum erat, quæ lanificii præſes credebatur. Propterea cautum eſt probe ac ſapienter, vt ſtatuarii & pictores ſingula numina ſuis inſignirẽt notis: Iupiter fulmen tenebat, Neptunus fuſcinam, Pluto vncum, Saturnus falcem, Cybele tympanum, Apollo lyram, Pallas ægydem & haſtam: Mars peltam & ſamcam: Bacchus thyrſum, Hercules clauam: Mercurius caducæum, Diana venabulum, Cupido pharetram, & arcum: Venus faculam: Hymen roſas: Vertumnus ſcalas: Pales raſtrum: Pan fiſtulam ſeptemplicem: Vulcanus incudem & malleum, & ita de cæteris. Quin & dii ſinguli proprias habuerunt aues, vel animalia quibus comitabantur. Ioui tribuerunt aquilam: Iunoni pauonem: Mineruæ noctuam: Herculi draconem Heſperium: Baccho Tygrem & Panteram: Veneri cygnum & columbam: Saturno ſerpentem: Plutoni Sphyngem: Neptuno Phocas: Dianæ ceruum & canes: Marti lupum: Mercurio Ibidem: Æſculapio colubrũ: Phœbo cornicem. Mille mõſtra, mille nugas & fabulas ſemper excogitauit mens humana, quibus deciperetur, ac deciperet. Quoq; magni illi Philophi ſibi magis indulgebant in deſcribenda rerum natura, quã ingenioſis his hieroglyphis adumbrare ſe credebant, eo longius aberrabant, & diſtrahebantur à vero ſcopo cultus diuini, quem Deus ſummus ſibi poſtulabat tribui; idq; præſcripto mandato, quod ex ſacris literis diſcimus: vltra quod, ingenium hominis nihil poteſt comminiſci præter vanitatem, & ſtultitiam.

TH. Ita eſt, nam quamprimum homo ſuo indulget ingenio neq; illud ſub obſequium Dei eiusq; verbi captiuat, tum continuo cũ Hortenſio apud Ciceronem quærit: *Si Deus vnus eſt, quæ eſſe beata ſolitudo queat.* Tanq̃ nos qui vnum eſſe dicimus, deſertum ac ſolitariũ eſſe dicamus. Habet enim miniſtros quos vocamus nuntios. Verum hi neq; dii ſunt, neq; deos ſe vocari aut coli volunt: quippe qui nihil præter iuſſum ac voluntatem Dei faciant. Vnde patet, quantum à ſuperſtitione differat pura religio. Dicit n. Deus ſe eſſe æmulum, ac fore ſeuerum vltorem, ſi cũ vllo deo fictitio illum aſſociet homo, regulamq; proponit in ſua lege, ad quã vult omnem cultum Numinis ſui referri, & ſuo arbitrio honorari. Quod homini debet eſſe frænum validiſſimum, quo intra fines & limites officii ſui contineatur. Sane antiqui illi tam Philoſophi, q̃ populorum doctores, ne viderentur aliquid detrahere de eo quod deberi ſummo Numini non ignorabant, Deorum minorum cẽturias æterno rerum omnium Conditori ſubiecerunt, quibus par eſſet cum illo ſummo Deo cœli ac terræ adminiſtratio. Sed hac ſocietate Deus impie deiicitur à ſua ſede, & illi ſceptrum è manibus extorquent Idololatræ, q̄ fictitiis ſuis deis cõmunicant. Manet n. illud dictum Chriſti ad tentatorem: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſeruies: Matth. 4.* Et Angelus reprehendit Ioannem, quod in genua venerabundus coram eo procidiſſet, *Apoc. 19.* Et Petrus Cornelium reprehendit, quod ante illius faciem genicularetur, *Act. 10.* Zacharias dum loquitur de reſtauratione Eccleſiæ, dicit tunc

vnum

vnum fore Deum,& vnū illius nomen, *Zac. 14.* Quibus teſtimoniis clare iudicatur quæcunq; pietatis officia alio transferuntur, q̃ ad vnum Deum, ea ſacrilegio abominando inuolui. Cæterum Deus, cui vni omnia debemus, maxime à nobis exigit orationem, fiduciā, & gratiarū actionem. Adoratio eſt, cum illū veneramur & colimus: illius celſitudini nos ſubmittentes, & conſcientias noſtras ſubiicientes legi illius. Fiducia, cum ex cognitione virtutū eius, in eo ſecuri acquieſcimus: Cum in eo ſapientiam, iuſtitiam, potentiam, veritatē, bonitatem omnem reponimus; & ſola illius communicatione nos ęſtimamus beatos. Inuocatio, ſi quoties vrget neceſſitas, in eius fidem & auxilium nos recipimus, tanquam ad vnicum præſidiū. Gratiarum actio, eſt gratitudo, qua laus bonorū omnium illi tribuitur, tanq̃ auctori omnis beneficentiæ. Hæc omnia Deus ſibi iubet conſecrari, neq; quicq̃ horum alio deriuare. Caueatur hic vana ſuperſtitio; qua animi à vero Deo deflexi, huc atq; illuc tanq̃ in varios diducuntur deos. Contenti ſint homines vno vero Deo: neq; lacerent eius cultū, quem vnus ille ſibi ſoli vendicat. *Cauete ne forte decipiatur cor veſtrū, & recedatis à Domino, ſeruiatiſq; diis alienis, & adoretis eos, & iraſcatur Dominus, claudatq; cœlum, &c. Deut. 11. Cum reperti fuerint apud te vir aut mulier tranſgredientes pactū Domini, vt vadant, & ſeruiant deis alienis, & adorent eos, ſolem & lunam, & omnem militiā cœli quæ non præcepi, &c. Educes virum aut mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidib. obruentur, Deut. 17.* Prouocatur Deus ad Zelotypiam, quoties figmenta noſtra ſubſtituimus in eius locum. *Caue ne quando obliuiſcaris pacti Dei tui, quod pepigit tecum, vt facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit. Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus Zelotes.* Pura ſit cōſcientia vel ab occultiſſimis apoſtaſię cogitationib. Cum Deus interiora noſtra rimetur & cognoſcat, neq; illum lateant abſtruſiſſimæ cogitationes noſtræ; quas, ſi malæ ſint, inultas non fore minatur: multo minus ſi coram eo adulteremus: & honorem, qui illi ſoli debetur, ad alios deos nefando ſacrilegio transferamus: Neq; hic fallamur noſtris intentionib. nos honorare Deū vnum cōditorem omnium rerū, in ſuis creaturis. Deus hic ſolus audiendus eſt: neq; illi dandus interpres, q verba pręceptorū illius in aliū ſenſum detorqueat, q̃ voluit. *Non facias quod bonum videtur ante oculos tuos: hæc facito quæ præcipio tibi, neq; addas quicq̃, neq; diminuas. Deut 12. Pr. 30.*

EQ. Sæpe cum indignatione admiror, cum antiqui, & præſertim Romani ab animorum magnitudine atque grauitate tantopere à ſcriptoribus commendentur; cur nihilo ſecius ex leuibus ſæpius atque ridiculis cauſis ſimulachra ac templa memoriæ ergo erexerint atque conſecrarint. Exempla extant in hiſtoriis quamplurima. At vnum hoc ſufficiat. Vrbe à Gallis occupati, obſeſſi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta feciſſent, ædem Veneri Caluæ conſecrarunt. A Lacedæmoniis fortaſſe didicerant, deos ſibi ex euentis fingere, qui cum Meſſenios obſiderent, & illi furtim deceptis obſeſſoribus egreſſi, ad diripiendam Lacedæmonem concurriſſent, à Spartanis mulieribus fuſi fugatique ſunt. Cognitis autem hoſtium dolis, Lacedæmonii ſequebantur. His armatæ mulieres obuiam longius exierunt, quæ cum viros ſuos cernerent parare ſe ad pugnam, quod putarent Meſſenios eſſe, corpora ſua nudauerunt. At illi vxoribus cognitis, & aſpectu in libidinem concitati, ſicut erant, armati permiſti ſunt vtrinque promiſcue, nec enim vacabat diſcernere, ſic iuuenes ab iiſdem antea miſſi, cum virginibus, ex quibus ſunt Parthenii nati; propter huius facti memoriam, ædem Veneri armatæ, ſimulachrumque poſuerunt, quod tametſi ex cauſa turpi venit, *Simulacra ex leuibus cauſis erecta.*

tamen

tamen honeſtius videtur, armatam Venerem conſecraſſe quam caluam. Eodem tempore Ioui quoque Piſtori ara poſita eſt, quod eos in quiete monuiſſet, vt ex omni frumento quod habebant, panem facerent, & in hoſtium caſtra iactarent: eoque facto ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos

PH. Ridicula profecto hæc ſunt religionum ac cultuum initia, quorum ego ſi defenſor eſſe deberem, nihil tam grauiter quererer, quam deorum numen in tantum veniſſe contemptum, vt turpiſſimis nominibus ludibrio habeatur.

EQ. Quis etiam non rideat Fornacem deam? vel potius doctos viros celebrandis fornacalibus operari? quis cum audiat deam Mutam, tenere riſum queat? Hanc eſſe dicunt, ex qua ſint nati Lares: & ipſam Laram nominant, vel Larundam. Quid præſtare colenti poteſt, quæ loqui non poteſt? Colitur & Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto boum; diuinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem. Et Cunina, quæ infantes in cunis tuetur; ac faſcinum ſummouet. Et Sterculus, qui ſtercorandi agri rationem primus induxit. Et Tutinus, in cuius ſinu pudendo nubentes præſident, vt illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur. Atque hæc quidem aliquam habent imaginem. Illud vero extremæ dementiæ argumentum fuit, quod inſuper quoque lapidem quendam informem atq; rudem, cui nomen Terminus fuit, coluerunt. Hic nempe is lapis fuit, quem pro Ioue Saturnus deuorauit. Nec immerito illum honorem Romani lapidi huic tribuerunt. Cum enim Tarquinius Capitolium facere vellet, eoque in loco multorum deorum ſacella eſſent, conſuluit eos per auguria, vtrum Ioui cederent; & cedentib. cęteris, ſolus Terminus manſit, (Vnde illum Poeta Capitolii immobile ſaxum vocat) ea fortaſſe fiducia, quod illum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaque Capitolio, ſupra ipſum Terminum foramen eſt in tecto relictum: vt quia non ceſſerat, libero cœlo frueretur. quo ne ipſi quidem fruebantur, qui lapidem frui putauerunt. Huic ergo publice ſupplicabatur, quaſi cuſtodi finium Deo: qui non tantum lapis, ſed ſtipes etiam interdum eſt. Magis vero lapides ac ſtipites fuerunt, quia lapides coluerunt.

TH. Ego cultores huiuſmodi multo imprudentiores infantibus eſſe iudico. Hi enim ſimulachra homines eſſe putant, illi vero deos. Hos ætas facit putare quod non eſt, illos ſtultitia. Hi vtique breui deſinunt falli, illorum vanitas & durat, & ſemper creſcit.

Dii turpes et ſcelerati.

EQ. Venio nunc ad proprias Romanorum religiones. Romuli nutrix Lupa, diuinis honoribus apud Romanos olim affecta eſt. Et ferendum quadantenus, ſi animal ipſum fuiſſet, cuius figuram gerit. Author eſt Liuius, Larentiæ eſſe ſimulachrum, & quidem non corporis ſed mentis ac morum. Fuit enim Fauſtuli vxor, & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter paſtores, id eſt, meretrix nuncupata eſt, vnde etiam lupanar dicitur, exemplum ſcilicet Athenienſium in ea figuranda Romani ſecuti ſunt, apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum tyrannum occidiſſet; quia nefas erat, ſimulachrum conſtitui meretricis in templo, animalis effigiem poſuerunt, cuius nomen gerebat. Itaque vt illi monimentum ex nomine, ſic iſti ex profeſſione fecerunt. Huius nomini etiam dies feſtus dicatus eſt, & Larentinalia conſtituta.

PH. Non inficior. Authores enim paſſim lupanarium Romanorum mentionem faciunt. C. Suetonius Tranquillus *in Cæſare*, ſcribit, Lupercos & lupercalia ſiue

lia ſiue lupanaria renouaſſe. Erant autem Luperci, ſacerdotes Panos dei paſtorum, qui ſacra faciebant in lupercalibus ſacrificiis, inſtitutis à Romulo & Remo. Lupercos autem nudos inceſſiſſe patet ex Virg. 8. Æneid.

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos.

Et non ſolum nudos, ſed & vnctos curſitaſſe, Plutarch. *in Antonino* teſtatur. Quinimo accincti pelle caprina, paſtorum inſtar, ex Iuſtino *lib.43.* diſcurrebant per vrbem. Auguſtus tamen pudori conſulens, ſtatuit, ne imberbes curſitarent, ex Suet. *in illius vita, cap.31.* Horum inſtar poſtea aliæ ſocietates quædam inſtitutæ, quæ in Lupercalium die per vrbem curſitarent, diuerſimode appellationem ſortitę ab eorum auctoribus; ita Luperci *Fabiani* dicti à Fabio eorum inſtitutore, quorum meminit Propertius lib.4. Eleg.1.

Vnde licens Fabius iura Lupercus habet.

Fuere, & *Quintiliani*, vocati à Quintilio. Vtroſque nominat Ouid.2. Faſt. lib.

Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe, Remumque
Vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos.

Horum in modum in Cæſaris honorem & tertio ſodalitas Lupercorum inſtituta. Hos *Iulios* vocatos legimus *in 2. Philipp.* in qua Cic. M. Antonium inſectatur, quod in Lupercalibus, in quibus ſedebat Cæſar amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus, ſe Lupercum exhibuerit. De qua re Suet. *in Iulio Cæſare, cap. 79.* ait: *Lupercalibus pro roſtris à Conſule Antonio admotum ſæpius capiti ſuo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui Opt. Max. miſerit.* Liuius in epiſt. lib. 96. *Et quod à M. Antonio Conſule collega ſuo, inter Lupercos currente, diadema capiti impoſitum in ſella repoſuit.* Lupercos in honorem Cæſaris Iulios inſtitutos docet quoque Dio *lib.44.* Lupercorum ſodalitatem german. Cic. in orat. pro Cœlio dixit. Ciceron. verba hęc ſunt: *Fera quædam ſodalitas & plane paſtoritia, atque agreſtis germanorum Lupercorum, quorum coitio, &c.* exiſtimo eos ita nominaſſe, quod ſodales huiuſmodi eſſent inter ſeſe veluti fratres, & germani. Hos etiam & *Crepos* vocatos legimus apud Sex. Pomp. F eſt. à crepitu pelliculärum, quem faciebant verberantes, mos enim erat Romanis nudos in Lupercalibus diſcurrere, & pellibus obuias quaſque fœminas ferire, ſponte etiam palmas feriendas præbentibus mulieribus, ob id ſibi fœcunditatem & partus facilitatem dari arbitrantibus, teſte Plutarcho in Romulo. *Lupercos & Lupercalia* dictos Seruius inquit, vbi enarrat illud Virgilianum:

— Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

Quod ſub monte Palatino, canem ſacrificabant, Lupi inimicum. Vnde & *lupercal* quidam dictum putant, quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Ouidius 2. Faſt.

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Alii (quod veriſimilius eſt) aiunt locum hunc eſſe ſacratum Pani Deo Arcadiæ, cui etiam mons Lyceus eſt conſecratus, quod λύκους, id eſt, Lupos non ſinat in oues ſæuire. Et Ouid. 2. Faſt.

Quid vetat Arcadia dictos de monte Lupercos.

EQ. Cæterum, non hanc ſolam Romani meretricem coluerunt, ſed Faulam quoque, quam Herculis ſcortum fuiſſe, Verrius ſcribit. Iam quanta iſta immortalitas putanda ſit, quam etiam meretrices aſſequantur? Flora, cum ma-

gnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet, populum ſcripſit heredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum quos appellant Floralia. Quod quia Senatui flagitioſum videbatur; ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eamque oportere placari, vt fruges cum arboribus aut vitibus bene proſpereque floreſcerent. Eum colorem ſecutus in faſtis poeta, non ignobilem nympham fuiſſe narrat, quæ ſit Chloris vocitata; eamque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, vt haberet omnium florum poteſtatem. Honeſte quidem iſta dicuntur, ſed inhoneſte turpiterque creduntur. Nec debent, cum veritas quæritur, huiuſmodi nos velamenta decipere. Celebrabantur autem illi ludi cum omni laſciuia, conuenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcænitas omnis effundebatur, exuebantur etiam veſtibus populo flagitante meretrices; quæ tunc minorum fungebantur officio, & in conſpectu populi vſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinebantur. Sed & Cloacinæ ſimulachrum in cloaca maxima repertum Tatius conſecrauit; & quia cuius eſſet effigies, ignorabat, ex loco illi nomen impoſuit. Pauorem palloremque Tullus Hoſtilius conſecrauit.

TH. Digni profecto hi, qui ſemper deos ſuos (ſicut optari ſolet) ſecum præſentes haberent.

EQ. Apud Lampſacum Priapo litalis victima eſt aſellus. Cuius ſacrificii ratio in faſtis hæc redditur. Cum dii omnes ad feſtum matris magnæ conueniſſent, epuliſque ſatiati noctem luſibus ducerent: quieuiſſe humi Veſtam ſomnumque cepiſſe; ibi Priapum ſomno eius ac pudicitiæ inſidiatum: ſed illam intempeſtiuo clamore aſelli, quo Silenus vehebatur, excitatam, libidinem vero inſidiatoris eſſe detectam. Hac de cauſa Lampſacenos aſellum Priapo quaſi in vltionem mactare conſueuiſſe: apud Romanos vero eundem Veſtalibus ſacris in honorem pudicitiæ conſeruatæ panibus coronari.

TH. Quid turpius? quid flagitioſius? quam ſi Veſta beneficio aſini virgo eſt? Venit mihi iam in mentem obiter id, quod ii referunt, qui φαινόμενα conſcripſerunt, cum de duabus Cancri ſtellis loquuntur, quas Græci ὄνους vocant; aſellos nimirum fuiſſe, qui Liberum patrem transuexerint, cum amnem tranſire non poſſet, quorum alteri hoc præmium dederit, vt humana voce loqueretur: itaque inter eum Priapumque ortum eſſe certamen de obſcæni magnitudine; Priapum victum & iratum interemiſſe victorem. Sed nolo excutere tam deforme myſterium, nec Priapum denudabo, ne quid appareat riſu dignum.

PH. Qui poſſunt iſthæc tantopere reprehenſionem mereri, cum etiam Cicero in ſimili fere negotio magnum audaxque conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicat, quod Cupidinum & amorum ſimulachra in Gymnaſiis conſecraſſet.

TH. Minime certe illud magnum aut omnino conſilium dicendum fuit, ſed impudicorum hominum perdita & deplorata nequitia, qui liberos ſuos, quos erudire ad honeſtatem deberent, proſtituerent libidini iuuentutis: à quibus fla-

bus flagitiorum deos, & quidem in illis potiſſimum locis, vbi nuda corpora corruptorum luminibus patent; & in illa coli ætate voluerunt, quæ ſimplex & improuida prius erudiri, & in laqueos poteſt cadere quam cauere. Non mirum ergo, ſi exinde flagitia poſtea manant, apud quos ipſa vitia religioſa ſunt, eaque non modo non vitantur, ſed etiam coluntur. Videturque ex ſchola iſthac prodiiſſe ſoror illa, quæ ſuum fratrem ad inceſtum prouocans, apud Ouidium crimen ſuum ita excuſat:

Quid deceat neſcimus adhuc: nos cuncta decere
Credimus, & ſequimur magnorum exempla deorum.

Et quæ ſequuntur.

EQ. Non mirum; recte ais; qui enim pudicitia ſcholis ineſſe poteſt, vbi templorum præſides dii pariter deæque omni ſpurcitiei genere ſunt inquinati. Opis bona dea impotenti Atys amore adeo exarſit, vt quum eo potiri non poſſet, illi amentiam immiſerit, eoque ipſum per veneficia adegerit, vt ſibi ipſi teſtes amputaret. Iuno ex frictione pudendorum Vulcanum concepit. Quis etiam ſine pudore leget quæ ſcripta ſunt de generatione Eriſthonii & Orionis? Lampſaceni etiam monſtroſæ virilitatis hominem Priapum diuinitate donarunt, & religioſe coluerunt: Licet Ægyptii tradant longe ante Priapum Lampſacenum fuiſſe hunc deum apud ſe in ſummo honore. Aſſerunt enim Oſiridem à Typhone occiſum, & in partes diuiſum eſſe: eius vero pudenda in Nilum proiecta fuiſſe (quod ea neque Azo regina Æthiopiæ, neque quiſquam ex ſeptuaginta conſpiratis vellet excipere.) Et à Lepidoro, Phagro, & Oxyrincho piſcibus deuorata eſſe: quæ poſtea Iſis inuenta, tholoque templi appenſa iuſſit adorari, & Phalum vocari. Hæc & ſimilia traduntur theologia antiquorum: quibus homines ad omnem turpitudinem deorum exemplis pelliciebantur.

TH. Quis ſacra hæc toleret myſteria? quibus mens mortalium non tantum abſtrahitur à cultu & reuerentia Dei, ſed etiam protruditur in omnem ſpurcitiam, & libidinem?

PH. Figmenta poetica pleraque ſunt, quæ hoc caſu de diis narrantur.

TH. Errat, quiſquis hæc putat. Poetæ enim de hominibus loquebantur: vt autem eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant, deos eſſe dixerũt. Itaque illa potius ficta ſunt quæ tanquam de diis, non illa quæ tanquam de hominibus locuti ſunt, quod clarum fiet exemplo quod inferam. Iupiter Danaen violaturus, aureos nummos largiter in ſinum eius infudit. Hæc ſtupri merces fuit. At poetæ, qui quaſi de deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ maieſtatis infringerent, finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum, eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum ſagittarumque deſcribunt. Idem rapuiſſe dicitur in aquila Catamitum. poeticus color eſt. Sed, aut per legionem rapuit, cuius inſigne aquila eſt: aut nauis in qua eſt impoſitus, tutelam habuit in aquila figuratam. Idem iudicium eſto de Io Inachi filia, quæ poſtea Iſis dicta fuit, nam & hanc in bouem conuerſam mare tranaſſe fingunt. Certus enim dies olim in faſtis habebatur, quo Iſidis nauigium celebrabatur, quæ res docet, non tranaſſe

illam, ſed nauigaſſe. Non ergo res ipſas quidem geſtas finxerunt poetæ; ſed rebus geſtis adhibuerunt quendam colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, ſed ornare cupientes, veritati interim hiſtoriæ nihil abrogantes. Proinde maximopere illi decipiuntur, qui omnia hæc à poetis conficta eſſe arbitrantur. Neſciunt enim, qui ſit poeticę licentiæ modus; quouſque progredi fingendo liceat: cum officium poetæ ſit in eo, vt ea quæ geſta ſunt vere, in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa traducat. Figmenta poetica eſſe inquis? Cur vero ſic figurantur, vti à poetis deſcribuntur, cur itidē ſic coluntur? Non ergo mentitos eſſe poetas, reipſa probarunt. Ita enim deorum ſimulachra confinxerunt, vt ex ipſa diuerſitate ſexus appareat, vera eſſe quæ dixerunt Poetæ. Nam quod aliud argumentum habet imago Catamiti & effigies aquilæ; quum ante pedes Iouis ponuntur in templis, & cum ipſo pariter adorantur: niſi vt nefandi ſceleris ac ſtupri memoria maneat in æternum? Sic illud de ſortitione regnorum obliqua figuratione obſcurarunt, quo veritas inuoluta tegeretur. Aiunt enim Ioui cœlum obtigiſſe, Neptuno mare, inferna Plutoni. Cur non terra potius in tertiam ſortem venit? Niſi quod in terra res geſta eſt. Ergo illud in vero eſt, quod regnum orbis ita partiti ſortitique ſunt, vt Orientis Imperium Ioui cederet; Plutoni, cui cognomen Ageſilao fuit, pars Occidentis obtingeret: eo quod plaga orientalis, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, Occidentis autem inferior eſſe videatur. Sic veritatem mendacio velauerunt, vt veritas ipſa perſuaſioni publicę nihil derogaret. De Neptuni ſorte manifeſtum eſt, cuius regnum tale fuit, quale Pompeii infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ poteſtatem Senatus decreuerat, vt prædones perſequeretur, ac mare omne pacaret; Sic Neptuno maritima omnia cum Inſulis obuenerunt. Quomodo id probari poterit? ais. Nimirum veteres hiſtoriæ docent. Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis & cæterorum qui dii putantur, collegit, hiſtoriamque contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeque in fano Iouis Triphylii, vbi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Ioue, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua perſcripſit, vt monumentum eſſet poſteris rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius & ſecutus, cuius hæc ſunt verba ibi: *Iupiter Imperium Neptuno dat maris, vt inſulis omnibus & quæ ſecundum mare loca ſunt, omnibus regnaret.* Vera ſunt ergo quæ loquuntur Poetæ. Poteſt & mons Olympus figuram poetis dediſſe, vt Iouem dicerent cœli regnum eſſe ſortitum, quod Olympus ambiguum nomen eſt, & montis & cœli: In Olympo autem habitaſſe Iouem, eadem hiſtoria docet, quæ dicit: Ea tempeſtate Iupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, & eo ad eum in ius veniebant, ſi quæ res in controuerſia erant. Item ſi quis quid noui inuenerat, quod ad vitam humanam vtile eſſet, eo veniebat, atque Ioui oſtendebat. Multa in hunc modum Poetæ trāſferunt, nō vt in deos mentiantur quos colunt, ſed vt figuris variiſq; coloribus venuſtatem ac leporem carminibus ſuis addant. Qui autem non intelligunt, quomodo aut quare quidque figuretur, poetas velut mendaces & ſacrilegos inſequuntur.

PH. Si dii deæque gentilium ſcelerum atque turpitudinum notis infames fuiſſent, non tantopere, vt à diis genus atque originem deducerent, heroes ac principes ſuperiorum ſeculorum laboraſſent. Cum vero ex auctoribus conſtet, pleroſq; in id

in id incubuiſſe, vt ſuæ nobilitatis principes aut in deos aut in heroes, deorum nothos filios referret. Inde ſatis argumẽto eſt, deos non infamia notatos, ſed virtutũ atque facinorum inſignium nomine ad miraculum vſque apud quemque bonum bene audiiſſe. Non enim eſt credibile, quenquam ſibi tales optare maiores, aut eos tam ſtudioſe gẽnealogiæ ſuæ ipſius inſerere, qui fuerunt vitæ ſceleratioris ac diſſolutæ.

EQ. Nõ iam dicam nec prolixius diſputabo, num etiã tum temporis eiuſmodi deorum flagitia, cædes, ſtupra, &c. pro flagitiis fuerint habita. Sed hoc dico ac moneo, attendendum eſſe, quinam illi fuerint, qui tantopere laborarũt, vt dii in ipſorum genealogias referantur. Monſtra ac terræ filii (*vno verbo*) plerique fuerunt. Inter hos fuerunt Galba & C. Caligula. Galba (*vt Ant. Auguſt. de familia Roman. tradit*) ſtatuarum titulis ſe pronepotẽ Q. Catuli Capitolini ſemper aſcripſit; & cum generis ſui imagines longo ordine in atrio collocaret, paternã originem ad Iouẽ, maternam ad Paſiphaen Minois vxorem retulit. Quis præterea abſque riſu Caii Caligulæ, multis alioquin horrendis ſceleribus contaminatiſſimi monſtri fatuam & deliram inſolentiam non rideat vel potius deteſtetur? Is enim humano faſtigio altior haberi volebat, ſeque cum Luna coire, & à Victoria coronatum videri; Iouem ſe fingebat, eaque occaſione cum multis aliis mulieribus, tum vero cum ſororibus congreſſum eſſe præ ſe ferebat. Sæpe Iuno, Diana, Venuſque fiebat, mutato cum nomine etiam habitu. Inde aliquando muliebri ornatu conſpiciebatur, craterem ac thyrſum gerens, modo viriliter compoſitus, clauam ac leonis pellem geſtabat, alias barbatus conſpiciebatur, alias imberbis; nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans: iam virgini bellatrici ſe aſſimulabat, mox in mulierem transformabatur; denique compoſitione veſtitus & ornatu impoſito ſibi ac circumiecto, mirifice variabatur, quiduis potius quã homo videri cupiens. Tanta videlicet fuit illis temporibus cæcitas, vt nobiliſſimum hic ſe eſſe putaret, ſi genus duceret vel ab illo omnium cubilium adultero, vel ab hac ſuæ pudicitiæ ſupra ſexum atque fœminæ conditionem prodiga.

TH. Eſt hæc profecto ridicula fatuitas. Intolerabilior tamen longe illorum veſania eſt, qui ſe ex ſerpente, qui homini natura atque ex inueterato ac genuino odio infenſiſſimus eſt, non tantum prognatos gloriati ſunt, progenitoreſque ſuos in ſerpentes mutatos recenſere laudi duxerunt, ſed diuinitatem etiam aliquam & peculiarem cultum illi attribuerunt; quam quidẽ impiam & faſtu turgidã opinionẽ mirifice auxit Satan, impoſtor ille omnium maximus, vtq; homines eo grauius deciperentur, faciliuſque aſſenſum præberent, opinionem illam non triobolariis, ſed viris cordatis ſummiſque heroibus ingeſſit; qualis fuit Alexander Magnus, qui gloriari non erubuit, Olympiadem matrem à Dracone ſub ſpecie Iouis Ammonis compreſſam, ex illo ſe genitum eſſe. Vnde eius inſignia fuere, anguis infantem vix natum & adhuc madentem ſanguine, ore euomens, ſicut è veterib. numiſmatis eius ſigillum reperitur. Simile inſigne Otto Vicecomes, quum Saracenum in Aſia duello viciſſet, eius galeæ detraxit, ſuiſque inſigniis gentilitiis adiecit, ſicut in Alciati emblematibus depicta & deſcripta cernuntur.

EQ. Vt de ſingulis planius conſtet, euoluam paulisper præcipuas res deorum geſtas, quibus apud auctores inſigniuntur. De Hercule (qui quaſi Africanus inter deos habetur) produnt hiſtorici, quod orbem terra . quem peragraſſe ac pur-

Digitized by Google

gaſſe ipſum memorant, ſtupris, libidinibus, adulteriis inquinauerit; nec mirum, quum eſſet adulterio genitus Alcmenę. Quid vero potuit in eo eſſe diuini, qui ſuis ipſe vitiis mancipatus & mares & fœminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem, quæ magna & mirabilia geſſit, talia iudicanda ſunt, vt virtutibus diuinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum, ſi leonem aprumque ſuperauit? ſi aues ſagittis deiecit? ſi regium ſtabulum egeſſit? Si viraginem vicit cingulumque detraxit? Si equos feroces cum domino interemit? Opera ſunt iſta fortis viri, hominis tamen. Illa enim quę vicit, fragilia & mortalia fuerunt. Nulla eſt enim (vt ait Orator) tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt, quæ ille nec fecit vnquam, nec potuit. Neque vero etiam fortior iudicandus eſt, qui leonem, quam qui violētam in ſeipſo incluſam feram ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres deiicit; quam qui cupiditates auidiſſimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui fimum de ſtabulo, quam qui vitia de corde ſuo egerit, quæ magis ſunt perniciosa, quia domeſtica & propria mala ſunt, quam illa, quæ & vitari poterant & caueri. Egregium ſcilicet & iſtud eſt, quod ad pedes impudicæ mulieris Omphalæ, ipſius veſtibus indutus ſedens, penſa fecit. deteſtabilis turpitudo. ſed tanti erat voluptas. Idem furore atque inſania percitus, vxorem ſuam cum liberis interemit. Hæc & talia huiuſmodi profectò viri fortis ac virtuoſi facinora non ſunt, quippe qui temperantia, moderatione & iuſtitia præfulget, indeque viri fortis nomen ſortitum. Quod ſi igitur nō in virorum fortium, multo minus ergo in diuorum claſſem referendus eſt.

PH. Non indiſcrete omnibus, quicquid de ipſo temere produnt, Poetis fides habenda.

EQ. Neq; ego indiſcrete omnibus fidem adhibeo. Non enim Lucilii nec Luciani, quippe qui nec diis nec hominib. pepercerunt, fabuloſis narrationib. inhæreo, nec quicquam fidei, niſi & alii auctores conſentiant, ipſis tribuo. Illis tamen credo Poetis, qui deorum laudes cecinerunt. Quibus enim credemus, ſi fidem laudantibus non adhibebimus? Et qui hos mentiri putat, proferat alios quibus credamus auctores, qui nos doceant, qui ſint iſti dii; quomodo & vnde orti, quæ ſit vis eorum; qui numerus: quæ poteſtas: quid in his admirabile: quid cultu dignum. Credo igitur iſtis, qui non vt reprehenderent, ſunt locuti, ſed vt prædicarent. Homines hunc Deum putarunt. Sed Philoctetes eius heres non putauit, quippe qui facem ſuppoſuit arſuro; qui artus eius & neruos cremari ac diffluere vidit; qui oſſa eius ac cineres in Oeta monte ſepeliuit; pro quo munere ſagittas eius accepit.

Æſculapius & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, niſi quod ſanauit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quod à Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius, de illuſtribus viris diſſerens, ait, incertis parentibus natum, expoſitum, & à venatoribus inuentum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didiciſſe medicinam, & tandem Cynoſuris ſepultum, Tullius refert.

Quid Apollo pater eius? Nonne ob amorem, quo flagrauit, turpiſſime gregem pauit alienum? Idem formoſum puerum, & dum amat, violauit, & dum ludit, occidit.

Homi-

Homicida Mars, & per gratiam cædis crimine ab Athenienſibus liberatus, ne videretur nimis ferox & immanis, adulterium cum Venere commiſit.

Caſtor & Pollux dum alienas ſponſas rapiunt, eſſe gemini deſierunt, nam dolore iniuriæ concitatus Idas, alterum gladio transuerberauit; & eoſdem Poetę alternis viuere, alternis mori narrant; vt iam ſint non deorum tantum, ſed etiam omnium mortalium miſerrimi, quibus ſemel mori non licet.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam ſui reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum? Cœlo ſcilicet dignus, quia palæſtram docuit, & lyram primus inuenit.

Liberum patrem, in ſenatu deorum ſummæ auctoritatis primæque eſſe ſententiæ, ſcilicet neceſſe eſt: quia præter Iouem ſolus omnium triumphauit, exercitum *duxit*, Indos debellauit; ſed inuictus ille Imperator Indicus ab amore ac libidine turpiſſime victus eſt. Delatus enim Cretam cum ſemiuiro comitatu, nactus eſt impudicam mulierem in littore, ac fiducia victoriæ Indicæ vir eſſe noluit, ne nimium mollis videretur: atque illam patris proditricem, fratris interemptricem, ab alio relictam & repudiatam in coniugium ſibi vendicauit, & liberam fecit, & cum ea pariter, ſcilicet, aſcendit in cœlum.

Quid horum omnium pater Iupiter, qui in ſolemni precatione Optimus Maximus nominatur, nonne à prima ſua pueritia impius ac pene parricida deprehenditur? cum patrem regno expulit ac fugauit, nec expectauit mortem decrepiti ſenis, cupiditate regnandi, & cum paternum ſolium per vim, per arma cepiſſet, bello eſt à Titanibus laceſſitus, quod humano generi principium fuit malorum; quibus victis & pace in perpetuum comparata, reliquam ſuam vitam in ſtupris adulteriiſque conſumpſit. Amphitryonem ac Tyndarum præterire non poſſum; quorum domos dedecore atque infamia pleniſſimas reddidit. Illud vero ſummæ impietatis atque ſceleris eſt, quod regium puerum rapuit ad ſtuprum. Parum enim videbatur, ſi in expugnanda fœminarum pudicitia maculoſus eſſet ac turpis; niſi etiam ſexui ſuo iniuriam faceret. Hæc qui fecit, anne Maximus dicendus? Certe optimus non eſt, nam hoc nomen corruptoribus & adulteris minime competit. Niſi forte nos homines erramus, qui talia facientes, ſceleratos vocamus ac perditos, omnibuſque pœnis digniſſimos iudicamus. Stultus proinde & *M. Tullius*, qui C. Verri adulteria obiecit: eadem enim & Iupiter, quem *colebat*, admiſit: qui P. Clodio ſororis inceſtum: at illi Optimo Maximo eadem fuit & ſoror & coniux.

THEOLOG. Liquido ergo & hoc apparet, non potuiſſe fœda huiuſmodi monſtra vllo pacto deos fieri, quia ne homines quidem probi fuerunt, eaque in vita ſua geſſerunt, quæ mortem pariunt ſempiternam. Ob quam cauſam etiam lubens ac pro vero accepto, quod ipſe etiam Homerus ſummum illum Iouem dæmonibus aggregauit, atque alii etiam Poetæ ac Philoſophi deos fictitios modo dæmonas, modo deos nuncupant; quorum alterum verum, alterum falſum eſt. Illi enim nequiſſimi ſpiritus, vbi adiurantur, ibi ſe dæmonas confitentur; vbi coluntur, ibi ſe deos mentiuntur; vt errores hominibus immittant, & auocent à veri Dei notione, per quam ſolam poteſt mors æterna vitari. Et quia diuinitatem per ſeipſos affectare non poterant, aſciuerunt ſibi nomina potentum regum, ſub quorum titulis hono-

res

res deorum ſibi vendicarent. Veruntamen apud inferos ſunt, atque in continuis cruciatibus æternum manent. Euocent magi, quibus peritia eſt ciere ab inferis defunctorum manes ſiue vmbras, Iouem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Apollinem, patremque omnium Saturnum; Reſpondebunt ab inferis omnes, & interrogati loquentur; & de ſe ac Deo fatebuntur. Poſt hæc euocent Chriſtum, non aderit, non apparebit, quia non amplius quam biduo apud inferos fuit.

Satyri, Fauni, Sileni.

EQ. Quid? quod ſtulta antiquitas eo dementiæ prouecta fuit, vt etiam Satyros, Faunos, Silenos Syluanosque pro Semideis ſiue ſylueſtribus numinib. coluerint, ideoque non ſolum eis lucos conſecrarunt, ſed etiam ſcenas in ludis eiſdem deſtinatis, vt auctor eſt Vitruuius, frondibus, ſpeluncis, montibus, gramine, reliquiſq; agreſtibus rebus in topiarii ſpeciem (quod hodie adhuc apud nos in Italia vſitatũ eſt) peculiares conſtruxere, artificesque in eorum ſtatuis ſingularem diligentiam adhibuere, ſicut & Romæ videre licet, & teſtis eſt de hac re Plinius *lib. 36. c. 5.* vbi inter Praxiteis opera Satyros quatuor celebrat.

TH. Eo nimirum dementiæ homines rudes & ad timorem propenſi, progreſſi ſunt, vt quicquid formidabile & admirabile apparuiſſet, pro Deo habuerint, atq; cum Satyri & Syluani per ſyluas & agros crederentur vagari, quibus armenta vel greges fierent obuii, ne his nocerent, inter Deos paſtorum & agricolarum illos retulerunt, de quorum tamen genere atq; origine neutiquam ipſis cõſtitit, id quod ex antiquorum ſcriptis ſatis liquet, quippe qui de ipſorũ origine, vel vbi, vel quando eſſe cœperint, nihil certi ſtatuunt.

EQ. Plinius *lib. 7. hiſtor. natur.* animalia Satyros eſſe ſcribit velociſſima, quæ quatuor pedes haberent, in ſubſolanis Indorum montibus, humana effigie, ac recte currentia. Hi manibus dicebantur eſſe aduncis, cornua habere in fronte, cum pars extrema ſimilis eſſet caprarum, tantæque pernicitatis, vt propter velocitatem niſi ſenes aut ægri capi nequeant. Pierius *in hieroglyphicis lib. 10* citat Pauſaniam, qui audierit ab Euphemo quodam probatæ fidei viro, cum in Hiſpaniam nauigaret, aduerſa tempeſtate ſe in exteriorem Oceanum eſſe delatum, poſtque multorum dierum nauigationem ad inſulas quaſdam deſertas perueniſſe, quas homines ferino trucique aſpectu ſylueſtres inhabitabant, corporibus hirtis, pilorum colore ſubrufo, caudis, equino pene maioribus præditi. Qui poſteaquã nautas illuc aductos inſpexiſſent, ocyus omnes ad extremum littus accurrere, vocem quidem nullam, ſed ſtridorem quendam informem & inarticulatum emittentes; in fœminas autẽ, quæ naui illa caſu vectabantur, eos adeo furioſos inuaſiſſe, vt ægre ab iniuria etiam cæſi flagris abigi ſummouerique potuerint. Veritus vero nautas, ne quid indignũ paterentur, inhibita naue procul ab anchoris ſtetiſſe, barbaram vero quandã mulierem, quam ſecum habebant, in littus expoſuiſſe, in quam omnes poſtea petulantiſſime debacchantes, per omnia corporis vaga libidinem exercuerint, eaſque Satyrorum inſulas à nauigantibus appellari. Pomponius Mela inſulas quaſdã fuiſſe tradit, vltra Atlantem Mauritanię montem, in quibus per noctem lumina viderentur, cymbalorumque ac tympanorum, & fiſtularum, & tibiarum ſtrepitus audiretur, cum tamen nemo per diem cerneretur; quas inſulas Satyri habitare crediti ſunt.

PH. Rectiſſime igitur Grammatici hæc ſalaciſſima monſtra è virili membro, quod Græci σάθην dicunt, nomen habere volunt, cum præſertim omnes auctores in hoc conueniant, Satyros in libidinem & procacitatem eſſe maxime procliues,

neque

neque poſſe eos hac in re ſatiari. Ideoque videmus eos paſſim in picturis non ſolũ eſſe comites Veneris, ſed currui etiam velut iumenta iunctos. Hinc quoque Satyriaſmus vel *σατυρίασις*, morbi genus, quod à Latinis tentigo, vel ſecundũ Iuuenalem, veretri intenſio nominatur, à Satyrorum ſimilitudine, qui ſemper propter libidinem genitalibus intenſis pinguntur, appellationem habet. Quod etiam Macrobius *lib. 1. cap. 8. Saturnal.* confirmat, vbi dicit, Satyros quaſi Sathunos, quod ſint in libidinem proni, nuncupatos. Vnde accidit, vt carminum genus quoddam propter petulantiam & laſciuiam Satyra nominatum ſit. Duo namque Satyrarum genera fuiſſe conſtat; alterum antiquius, quod ſola carminum varietate conſtabat: alterum recentius, apertam hominum reprehenſionem, interdum non inutiliter, non raro autem petulantem continens & acrem vitiorum obiurgationem.

TH. Ridiculum, imo impium eſt, quod de Satyris Rabbi Abraham *in Geneſi* nugatur. Is enim aſſerere auſus fuit, Faunos, Satyros, Incubos & ſimiles, eſſe creaturas, ſed imperfectas; quod Deus veſpera ſabbati præuentus illos non perfecerit. Et ob hanc cauſam eos fugere ſabbati ſanctitatem, quærentes montes & tenebrarum latibula, in quibus deliteſcant vſq; ad finem ſabbati, & tunc reuertentes infeſtare homines, quibus nocere conantur.

EQ. Mittamus delira iſthæc Rabinorum ſomnia. Illud vero obiter hic allegare lubet, quod Plutarchus & alii nonnulli Alexandro Magno contigiſſe ſcribunt. Cum enim Tyrum obſideret, & Tyrii fortiter reſiſterent, impetuſq; eius diu eluderent, ob hanc rem ſollicito Alexandro, quod hæc diuturna obſidio illi quaſi à curſu victoriæ deſtinatæ, contra Orientem velut remorã iniiceret; viſus eſt Satyrus ei in quiete eminus alludere; deinde volenti eum capere, fuga elabi, tandẽ multa orantis & circumcurſitantis in manus venire. Coniectores nomen Satyri diuidentes, haud abſurde pronunciarunt, *σὰ τύρος*, id eſt, tua erit Tyrus; quod etiã euenit, ideoq; etiam fontẽ oſtendi idem auctor ſcribit, apud quem in ſomnis cernere Satyrum imaginatus fuerat. Sed hæc alio ſpectant. Et quia Silenorum paulo ante facta eſt mentio, quid de illis prodant hiſtorici, ſcire aueo.

PH. Pauſanias in rebus Atticis natu maximos Satyrorum, Silenos nuncupatos fuiſſe memorat, ſed vnus præcipue inter illos cæteris antiquior memoratur. Hunc ſcribit Lucianus *in conſilio Deorum*, ſenem fuiſſe, & caluum & ſimum, & aſino plerunque vtentem, breuis ſtaturæ, corpore obeſo ac ventricoſo, auribus magnis & arrectis, tremulum, baculo innitentem. Ebrium hunc ſemper fere fuiſſe innuit Virgil. *Eclog. 6.*

Silenum pueri ſomno videre iacentem
Inflatum heſterno venas vt ſemper Iaccho.

Hunc Satyri ſemper comitabantur, vt innuit Ouid. *in 2. de arte amandi.*

Ebrius ecce ſenex pando delapſus aſello
Clamarunt Satyri, ſurge age, ſurge pater.

Hic vna cum ipſis Satyris ſemper fere Bacchum ſequebatur, vt eſt *in libro quarto Metamorph.*

——Bacchæ Satyrique ſequuntur,
Quiq; ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.

Memoriæ prodiderunt auctores, quod Bacchus ætate confectos Silenos in Italia reliquerit, cum ad bellum aduerſus Tarſenſes exiturus eſſet, quibus mandauit, vt

F vites

vites curarēt,quo vini ferax efficeretur Italia; quare poſteri ſtatuas deinde Silenorum,vinum in vtribus ferentes,ad perpetuam Silenorum memoriam erexerunt, vt teſtatus eſt Androtion *in lib.2.de ſacrificiis*.Cum Ioui aduerſus Gigantes pugnāti opem tuliſſet Silenus,dicitur eius aſinus, quo in eo bello vſus fuerat, inter ſydera Iouis beneficio locatus,& ex altera parte præſepis conſiſtere,cuius mentionē facit Aratus *in lib.de ſignis aquarum & ventorum*. Cæterum ea, quæ de Sileno iam dixi,nō carent myſterio.Silenum dicunt auctores,Bacchi comitem,ſenem, ventricoſum, titubantemque,quia vinum & ebrietas cum obeſos faciat & ventricoſos, tum caput plerunq; grauat & titubantes facit,& ad ſenectutem citius perducit:hæc enim omnia incommoda,& corporis turpitudines idcirco Bacchi comites finxerunt: quidam putarunt Silenum ſenem fuiſſe Bacchi alumnum,quia vinorum vetuſtas omnes etiam prædictas turpitudines augeat. Idcirco dicebatur ab aſino vehi ſolitus, quia tardi ſunt plerunq;& inutiles negotiis,qui plus potare ſolent,quam conueniat: nam voluptates omnes parum conferunt humanæ vitæ, quippe cum non animum ſolum,ſed corpus etiam rebus omnibus inutile reddunt,ſi plus operæ illis detur,quam natura ipſa poſtulauerit, ad huius rei ſempiternam memoriam & cohortationem,veteres eius aſinum inter ſidera collocatum fuiſſe tradiderūt. Sic vero de aſino iſto ſeſe habet:Eſt nubecula quædam in Cancri oſtraco inter ſcapulas exiſtens,habetque vtrinque ſtellas,quæ Aſelli vocantur; quare illa iure dicitur Præſepe. Vbi igitur illa nubes pura & aperta videtur, futurum cœlum ſerenum ſignificat;vbi vero euanuerit,quod quidem accidit ob cōdenſatum humorem,quū illa ſit tenuis & debilis,illæ duæ ſtellæ videntur fieri propinquæ, atque id futuram tempeſtatem ſignificat.Illud autem fit, vt videantur congredi, quia corpus diaphanes vaporum in aquam prope verſorum radios oculorum infringit,neque patitur frequentes ad rem conſpectam peruenire, quare non poteſt deprehendi vera diſtantia. Atque id quidem hiſce verſiculis ex Arato comprehenditur:

Hinc Præſepe nota; nubes id parua videtur
In Boream ſurgens, vbi fulgent ſydera Cancri:
Hoc propter geminæ voluuntur lumine ſtellæ
Pertenui,nec longinqua nimis: haud tamen illæ
Coniunctæ:ſpatioq; vlnæ diſtare videntur.
Altera fit Boreæ propior, deuergit in Auſtrum
Altera: & hæ dicuntur Aſelli.ſeparat illas
In medio Præſepe,polo,idq; repente ſereno
Ex oculis hominum vaneſcit,at hæ coeuntes
Fiunt vicinæ ſtellæ, & ſimul eſſe videntur,
Imbribus immodicis vt Iuppiter arua rigabit.

EQ. Faunorum quoque antea mentionem fieri memini. Nomen ipſum monſtroſum,etiam Deum ſeu dæmonem potius monſtroſum præ ſe fert.

PH. Fauni etiam agricolarum Dei ab antiquis crediti fuerunt, qui autem vel quam haberent formam,de eo apud antiquos certi nihil conſtat,niſi quod Faunū dicunt fuiſſe Pici Latinorum regis filium,patrem vero Satyrorum ac Faunorum; ſororem inſuper habuiſſe Faunam,vel(vt alii maluerunt)Fatuam. Habuit etiam filium Sterculium,qui primus agrorum ſtercorationem inuenit, & idcirco inter Deos fuit relatus. Ouidius Faunos cornipedes *in 2.Faſtorum* dicit:

Cornipedi Fauno cæſa de more capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Tribue-

Digitized by Google

Tribuerunt præterea illis cornua. Coronabantur pineis ramis, quod illa arbor grata ſibi eſſe putaretur. A nonnullis dæmones eſſe exiſtimabantur, qui attonitos redderent omnes obuios. Hi igitur Fauni, ſiue animalia fuerunt, ſiue dæmones crediti, omnino pro diis ab agreſtibus hominibus colebantur, eisque capra mactabatur.

EQ. Quale numẽ tale ſacrificiũ. Mõſtroſus genitor, mõſtroſa ac ſordida proles.

PH. Quoniam non niſi per nouas & admirabiles, aut etiam formidandas figuras; Deorum metu multitudo imperitorũ teneri poterat, idcirco & cornua & cornei pedes, & terror ille Panos nõ diſſimilis, Faunis additus eſt: quippe cum multa fuerint ad terrorem excogitata ab antiquis, vt qui ad cultum deorum rationib. adduci non poſſent, rerum terribilium mirabilitate demum ad metum cultumque eorum impellerentur.

EQ. Sed quid de Syluano habes, nam & de huius ſeu dei ſeu dæmonis cultu, mihi nihil conſtat.

PH. Obſcurum ſane & ipſius Syluani genus, vtpote agreſtis Dei, exiſtit. Vnum ſatis conſtat, Syluanum fuiſſe ſyluarum Deum, paſtorumque & finium agrorum. Fiebantque illi antiquitus ſacra apud Latinos, vt paſtorum præſidi, offerebaturq; illi lac potiſſimum, iuxta illud Horatianum:

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant.

Atq; hic quidem deus, vt & ſuperiores, excogitatus fuit, vt exiſtimarent homines, nullum locum eſſe, qui carere Deo poſſet, nihilq; agi aut in agris, aut in ſyluis poſſe, quod à Deo aliquo non videretur: ac neque armenta, neque arbores, neque agrorum fœtus ſine diuina bonitate poſſe augeri aut ſeruari. Quamuis non defuerunt, qui Syluanum craſſiorem materiam elementorum cõcretorum putauerint, eumque & agrorum, & ſyluarum, & paſtorum Deum crediderint, quippe cum inde vniuerſa animalium plantarumque ſalus pendeat. Neque nomen ipſum ab hac interpretatione valde diſſentit.

TH. Eſt nimirum ab ipſa natura ita comparatum, vt quum nimio deorũ metu homines opprimantur, ad humilia & ſordida quæq; declinent, nihilq; poſſe committi tam paruum, quod dii maxima cum iracundia & ſupplicio non vlciſcantur. Hæc res fecit, vt ii Græci, qui Ægyptiorũ aliarumque nationum acceptas ab iis ſuperſtitiones deriſerant, in multo maiores errores ſint poſtea collapſi. Nam vt antea dictum, & adulteros, & latrones, & ebrioſos ac facinoroſos homines, qui multo erant brutis impuriores, pro diis coluerunt; quare quum de diis loquerentur, adulteria, furta, parricidia, prælia, crudelitatemque illis iniunxerunt, quæ propria ſunt latronum & ſceleratorũ hominum facinora, vt res diis talibus conuenictes. Athenienſes tamen cum ſapientiores eſſent, ac horũ deorum turpitudinẽ intelligerent, neq; vllum niſi ſempiternũ optimum eſſe poſſe Deum putarent, quia eſſe omnino cognoſcerent, qui vero eſſet ignorarent, aut etiã fateri ob cæterorũ Græcorum metũ non auderent, ignoto Deo aram erexerunt. Hanc tantã deorũ multitudinem tot fabularũ inuolucris poſtea implicarunt, cum liceret omnibus, quicquid de diis collibuiſſet, confingere, vt quamuis multi poſtea conati ſint, nemo tamen hactenus expedire illos deos ex his inuolucris potuerit, ſed adhuc complures impliciti permanent, & in perpetuum fortaſſe nonnulli manſuri ſunt. Qui enim omnia, quæ de diis ab antiquis dicta fuerunt, ad optimum finem ſe deducturum putarit, idem ſperet, ſe omnia nauigia, quæ vbique nauigant, ſine vlla

iactura in portum poſſe deducere. Non enim ſemper cum ratione inſanierunt antiqui ſapientes vocati aut poetę in his confingẽdis. Perdurauit huiuſmodi de multitudine deorum opinio vſq; ad Platonis tempora, qui priſcam Gręcorum Theologiam quodammodo immutauit, cum vnum eſſe Deum crederet, & eum vniuerſum aſſidue gubernare, quem modo mundi animam, modo mundũ ipſum appellauit; modo vim illam, quæ eſſet in omnib. naturalib. corporibus diffuſa atq; permiſta. Romani poſtea Græcia ſubacta, quaſi captiuam Græcorum religionem in patriam tranſtulerunt, cum & antea Gręcorum ſacrorũ ritus permultos haberent, & ſi quid ad abſolutam ſuperſtitionem deficeret, illud totum ex Hetruria ſæpius acciuerunt, donec omnium ſuperſtitionum euerſor Chriſtus non modo tantam impurorum deorum multitudinem profligauit, ſed etiam veram, ſanctã, & omnibus ſaluberrimam religionem introduxit: quæ nulla vnquam vel leuitate gentiũ, vel impuritate ac ſcelere populorum, vel ſacerdotum auaritia, vel hęreticorum calumniis labefactabitur.

Cultuũ & ſacrificiorũ Ethnicorũ ritus.

EQ. Faſtidium fere ex meamet ipſius tot futilium deorum recenſione ipſemet cepi; cum tamen vix centeſimam partẽ vel leuiter attigerim, & multa inſuper, præſertim de geniis, laribus, &c. (de quib. tamen paulo poſt infra peculiariter agetur) omiſerim. Accingam me igitur nunc ad ipſa cultuum ac ſacrificiorum Ethnicorũ ſolemnia.

TH. Nullum alium ego agnoſco cultum, nec eſt vlla alia ſpes vitæ homini propoſita, niſi vt abiectis vanitatib. & errore miſerabili Deum cognoſcat, eiq; ſoli ſeruiat; huic temporali renunciet vitæ; ac ſe rudimentis iuſtitię ad cultum veræ religionis inſtituat. Hac enim conditione naſcimur, vt generanti nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti, Deo religati ſumus, vnde ipſa Religio nomen accepit.

PH. Quia iam in cultus ac religionis negotio verſamur, velim verum religionis & ſuperſtitionis diſcrimen noſcere, Cicero enim mirifice eas ab inuicẽ diſtinguit. Sic namq; *in lib. 2. de natur. deor.* ſcribit: *Non enim philoſophi ſolum, verum etiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. Nã qui totos dies precabantur & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati. Qui autem omnia, quæ ad cultũ Deorum pertinent, retractarent & tanquam relegerent, ii dicti ſunt religioſi, ex relegendo tanquam ex eligendo elegantes, & ex deligendo diligentes, intelligendo intelligentes. His enim omnib. ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo, ita factũ eſt in ſuperſtitioſo & religioſo, alterũ vitii nomen, alterum laudis.* Inſulſa atq; inepta mihi videtur hæc Cicer. interpretatio.

TH. Sic ſane eſt; quam inepta enim ſit hæc interpretatio ex re ipſa noſcere licet. Nam ſi in iiſdem diis colendis & ſuperſtitio & religio verſatur, exigua vel potius nulla diſtantia eſt. Quid enim mihi afferet cauſæ, cur precari pro ſalute filiorum ſemel, religioſi; & idem decies facere, ſuperſtitioſi eſſe hominis putetur? Si enim ſemel facere optimum eſt, quanto magis ſæpius? Si hora prima, ergo & tota die. Si vna hoſtia placabilis, placabiliores vtiq; hoſtiæ plures; quia multiplicata obſequia demerentur potius quam offendunt. Non enim nobis odioſi videntur ii famuli, q̃ aſſidui & frequentes ad obſequiũ fuerint, ſed magis cari. Cur igitur ſit in culpa, & nomen reprehẽſibile ſuſcipiat, qui aut filios ſuos magis diligit, aut deos magis honorat; laudetur autẽ qui minus? Quod argumentũ etiã ex contrario valet. Si enim totos dies precari & immolare criminis eſt; ergo & ſemel. Si ſuperſtites filios ſubinde optare vitioſum eſt, ſuperſtitioſus igitur & ille, qui etiam raro id optauerit.

Aut

Digitized by Google

Aut cur vitii nomen ſit ex eo tractum, quo nihil honeſtius, nihil iuſtius optari poteſt? Nam, quod ait Cicero, religioſos à relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum deorum pertineant; cur ergo illi, qui hoc ſæpe in die faciant, religioſorum nomen amittant; cum multo vtique diligentius ex aſſiduitate ipſa relegant ea quibus dii coluntur? Quid ergo eſt? Nimirum religio veri cultus eſt, ſuperſtitio falſi. Et omnino quid colas intereſt, non quemadmodum colas aut quid precere. Sed quia deorum cultores ſe religioſos putant, cum ſint ſuperſtitioſi, nec religionem poſſunt à ſuperſtitione diſcernere, nec ſignificantiam nominum exprimere. Dixi religionis nomẽ à vinculo pietatis eſſe deductum; quod hominem ſibi Deus religauerit & pietate conſtrinxerit; quia ſeruire nos ei vt domino; & obſequi, vt patri, neceſſe eſt. Superſtitioſi autem vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut ii, qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt; aut qui parentibus ſuis ſuperſtites colebant imagines eorum domi tanquam deos penates. Nam qui nouos ſibi ritus aſſumebant, vt deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabãt. Eos vero, qui publicos & antiquos deos colerent, religioſos nominabant. Vnde Virgilius:

Vana ſuperſtitio veterumq; grata deorum.

Sed cum veteres quoque deos inueniamus eodem modo conſecratos eſſe poſt obitum; ſuperſtitioſi ergo, qui multos ac falſos deos colunt. Nos autem religioſi, qui vni & vero Deo ſupplicamus. Hæc ad inſulſam Ciceronis de religione & ſuperſtitione interpretationem. Nunc de ſacrificiorũ Ethnicorum origine diſſeram.

Origo ſacrificiorum Ethnicorum, & totius *ἱεροσκοπίας, aruſpicinæ*, ex illis eſt ritibus, quos à principio ſancti Patres, Adam, Seth, Nohe, & filii, Sem, Iaphet, & ceteri, vſurparunt, & pie religioſeque coluerunt, conſeruarunt, atque exercuerunt non auctoritate arbitriove priuato, ſed iuſſu mandatoque Dei. Nam, vt ante, ita poſt lapſum primorum parentum, cum Deus recepiſſet genus humanum, victus interceſſione Filii & voluntaria ſponſione obedientiæ integræ exoluendę, pro genere humano, eorumque perpetiendorum atque exhauriendorum, quæ illi perferenda fuiſſent in æternum: Tunc ergo non voluit genus humanum, vel pecudũ more vagari temere, abſque lege & notitia Dei Conditoris, vel petulanter fingere, ex arbitrio, numina & cultus: ſed tradidit promiſſionẽ, de Meſſia naſcituro ex muliere, conculcaturo caput Serpentis, & inſtauraturo genus humanum, vt fieret rurſus *ναὸς ἅγιος, καὶ εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἐναργής, templum ſanctum, & imago Dei expreſſa:* in ea, ſe & ſuam ille voluntatem, cum perſpicue demonſtrauit, tum illuſtriſſimis, & euidentiſſimis confirmauit teſtimoniis. Ad hanc promiſſionem, & hunc in ea patefactum Deum, alligauit animos hominum, huic intentos eos atque affixos eſſe voluit, excluſis & prohibitis omnibus commentis aliis quibuſcunq;, & vndecunque ortis. Atque vt ante lapſum, quamquam clariſſimam ſapientiæ & iuſtitiæ lucem accenſam, de æterna ſua luce, primorum parẽtum animis inſeuerat, quę, quid requireret, quæque præſtari vellet, immutabiliter oſtendebat: tamen peculiarem, expreſſo mandato, conſtituebat legem in oculos incurentem, quæ iubebat eos abſtinere à fructibus arboris boni & mali, & in hac obſeruanda, ſuam illos ſibi declarare probareq; obedientiam volebat: Sic poſt lapſum, etſi & reſiduæ, de prima luce ſcintillulæ; & paulo poſt ſubinde repetitæ ac renouatæ notitiæ legis diuinæ, ſatis monebant, quæ poſtularet Deus, quæ ipſi diſplicerent: tamen cum nouo modo, &

Sacrificiorum Ethnicorũ origo à ſanctis Patribus.

 aliter

Digitized by Google

aliter, quam initio ſe hominum generi patefeciſſet, edita noua promiſſione, nouum etiam ei & ſingularem cultum adiunxit, nimirum certos ritus ſacrificiorum certorum, quos retineri in ſua Eccleſia, & reuerenter coli, tractari, ac peragi, vera fide, intuente promiſſionem his præfixam, fiducia venturi Meſſiæ voluit? Non temere, nec, quod delectaretur pecudum euiſceratione & combuſtione, ritus tales inſtituit: ſed, cum vellet ſemper in Eccleſia extare beneficia Filii, euidentibus & ſenſui ſubiectis ceremoniis velut conſignata, ſingulari conſilio & ſapientia, impreſſerat illis conſpicuam promulgatæ promiſſionis imaginem, vt, inter adminiſtrationem rituum, mactationem, immolationem, & recitationem præceptarum precum, hac oculis expoſita & ſenſibus ſubiecta ſpecie, admonerentur de Meſſia, qui ex promiſſo diuino naſciturus, & vera victima futurus eſſet, pro peccatis generis humani: & exuſcitarentur hoc ſpectaculo, ad cogitationem lapſus, triſtiſſimarum pœnarum, reſtitutionis ſui per Meſſiam, immenſi amoris & miſericordię Dei. Quemque promiſſio pollicebatur, eum, velut picturis adumbratū, ſacrificia oculis contuendum proponebant. Deinde, occaſione horum rituum, cum repeti memoriam promiſſionis aſſidue, &, vera gratitudine, celebrari tantum beneficium: tum fidem, coniunctam cum firma ſpe & expectatione Meſſiæ, atque inuocationem exerceri voluit. Eam ob cauſam, tum vt certo ſtatuerent, vere adeſſe Deum, ſpectareque & diſcernere inter ea, quæ ex vera fide proficiſcerentur, & fictitia, & iccirco, maiore cura & reuerentia, ea adminiſtrarent, & diligentius, vſque ad natum Meſſiam, tuerentur & cuſtodirent, frequentiſſime ſanctis Patrib. oſtendit ſeſe, accenſis igne cœleſti victimis. Tandem vero, cum in eo populo, in quo, à cæteris gentibus omnibus ſeparato, Eccleſiam ſibi collegerat, politiam etiam certis legibus conſtitueret, eo fine, vt conſtaret certo, quæ gens Meſſiam mundo paritura eſſet: certa mandata, de ſacrificiorum ritibus, legibus & tempore dedit, eoſque obſeruari, & peragi ad præſcriptum voluit accuratiſſime, adeo, vt ſi intermiſſa ab aliquo, aut polluta, aut ſecus, atque inſtitutum erat, perfecta eſſent, is crimen ſubiret læſæ maieſtatis diuinæ, & reus fieret æterni iudicii Dei: Siq; ii, qui præerant populo, profanationem non vindicaſſent, hoc expurgato ſublatove, in idem crimen, & pœnas eaſdem totus incideret populus.

Hos ritus, cum ipſis differentiis ſacrificiorum, tradidit & commendauit initio Deus ipſe Patrib. primis, ex quorū poſteris aliqui, vt Nohe, Sem, Abraham, Iſaac, Iacob, &c. retinuerunt eos, cum doctrina ipſa, conſtanter & ſancte, quibus cū fœdus iniit, data promiſſione, quod amplificare familias poſterorum, tuerique, ac ꝓpagare vellet, &, ex his ipſis naſciturū eſſe Meſſiam, generis humani Redemptorem. Tandem, cum poſteritatem eorum, iugo ſolutam Ægyptio, & deductam in terram, quam multo ante Patribus promiſerat, legibus obligaret, atque imperio, ne, ſine ordine politico, diſſolute viueret, de integro etiam leges ſacrificiorum, ſed illi politiæ, quam meditabatur & extruebat, accommodatas, repetiit inter cęteras, diſtinxitque, & deſcribi atque imponi populo, per Moſen curauit: tum, vt ſcirent, non humana conditas auctoritate, ſed diuinitus conſtitutas eſſe, atque ſancitas, ad eaſque obſeruandas & exequendas ſe aſtringi: nec licere cuiquam, aut negligere, vel violare has temere, aut diuerſas ab his excogitare, & eaſdem, inde vſque à mundi exordio, Patribus in vſu fuiſſe: tum, vt inde ſacerdotes victitarent ac ſuſtentarentur, qui, cum Deus occupatos eos vellet eſſe cura miniſterii, id eſt, doctrinæ & ceremoniarum, non poterant vacare quærendis parandis rebus ad vitam

tam

Digitized by Google

tam neceſſariis: &, iuſtum fuit, ali miniſtros Dei ſumptibus illorum, quorum gratia, diuinis rebus operam dabant & ſeruiebant. A diluuio igitur, cum Nohe, & filii ipſius inſtauraſſent genus humanum, erudierunt id de his tantis rebus, procul dubio accuratiſſime. Multi ex familia Sem, & ceterorum, hanc à maioribus communicatam hereditatem ſanctam, & ſalutarem, viciſſim ea, qua decuit, religione, reuerentia, fide, & pietate ex ſe natis nepotib. tradiderunt, ita, vt continua ſit ſerie propagata, vſque ad conſtitutionem politiæ Iſraeliticæ. Plurimi vero, petulantia, & Epicureo contemptu, aut negligentia, quod leuius afficerentur tantis rebus, quantas hæc doctrina complectebatur, aut ſtudio nouitatis, & Diaboli impulſu ac perſuaſu, corruptam maiorum hereditatem abiecerunt & aboleuerunt. Abolitionem doctrinæ mox conſecuta eſt veri Dei obliuio. Ex hac nata prodigioſa commenticiorum numinum multitudo. Quanquam enim, & proprio animorum iudicio & naturæ totius præſtantia conuicti, fateri cogerentur, non ex bruta materia, hoc Mundi corpus profiliiſſe, nec temere, ſuove nutu, in hunc conſluxiſſe ordinem nec caſu regi ſuſtinerique, ſed oportere eſſe Architectum, qui id, & initio velut tornauerit in æquabilem illam rotunditatem, & gubernet ac ſuſtentet, & eundem oportere eſſe omnipotentem, ſapientem, iuſtum, bonum, vindicem ſcelerum: tamen tantum inualuerat nata, ex peruerſitate deprauatæ naturæ, ad ſuperſtitionem, propenſio, vt, contra illa argumenta, ſenſa, ſtatutaque animorum ſuorum & euidentia totius naturæ teſtimonia, auctorem ipſum aſpernarentur & creaturis in Dei locum, vel ſuo ductu, vel Diaboli, ex occaſionibus aliquibus, perſuaſu, aſſumptis adhæreſcerent: *Et cum cognouiſſent Deum* (inquit Paulus) *non glorificauerunt vt Deum, neque gratias ei egerunt, ſed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum: quum ſe ſapientes eſſe profiterentur, ſtulti facti ſunt: ac mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* Nec ſatis eis fuit creata corpora in deos conuertiſſe: ſed ipſos etiam Dæmones coluerunt: & quocunque in loco, vel inſolitum quid accidiſſet, vel inuſitata ſpecie, apparuiſſent Dæmones, illi peculiaria adeſſe numina, eaque ipſa ne iraſcerentur, neglecta, ſacrificiis demulcenda, retinendaque in officio, & concepta beneuolentia, cenſuerunt: quandoque, quos cultus, quæve ſacrificia expoſcerent ipſi Dæmones, ex aſciticiis, quibus comparebant figuris, edicebant. *Dæmonum cultus.*

Extincta igitur doctrina, & deleta ex animo memoria veri Dei, etſi retinuerunt Ethnici vmbras ſacrificiorum: tamen, cum non regerentur amplius norma verbi diuini, ideoque neſcirent, quo eſſent conſilio inſtituta, & quo ſpectarent, quidve monerent, tum mutarunt veteres ritus, vel abrogatos prorſus, vel nouis ac ſubdititiis confuſos, pro conditione numinum, quibus decernebantur: tum excogitarunt rationem, ex victimis, æſtimandi occultos numinum ſenſus alienos aduerſosque, aut propitios & addictos, quæve ſecutura eſſent, ſecunda ne an contraria, vſurpatis, ſignorum loco, fortuitis, aut ſine ratione, temere conſtitutis indiciis, errore ſtultiſſimo: quod eos neceſſe fuit facere: alioquin enim, in iſta Dei ignoratione, dubitaſſent perpetuo, quæ expectanda eſſent, quæve ſibi de numinibus pollicerentur ac perſuaderent.

Rationem & interpretationem ſignorum, mox cõfirmauit Diabolus. Exiſtimo autem, his comminiſcendis, poſt amiſſum verbum, præbuiſſe occaſionem Ethnicis obſcuram memoriam miraculorum, quæ ad ſacrificia ſanctorum Patrum exhibue- *Indicia in Ethnicorũ ſacrificiis vndenata.*

exhibuerat Deus ſæpiſſime, inflammatis cœlitus victimis, approbatisve, ac ſuſceptis, quæ placerent, vel contra repudiatis, quæ diſplicerent, certis atque euidentib. teſtimoniis. Talis itaq; Sacrificiorum Ethnicorum origo eſt.

PH. Retinuerunt interim ſemper aliquid ex patrum religione. Deprauatio autem inde nata fuit, quia à ſuis progenitorib. non recte ac ſedulo fuerũt inſtituti in doctrina cœleſti, de Deo ac veris Dei cultibus. Ea enim eſt humanorum ingeniorum fragilitas, vt ſi non recte & aſſidue doceantur de Deo, & externo in oculos occurrente cultu, mox verum Dei cultum, nouorum cultuum excogitatione atq; in immenſum multiplicatione, numero & ſuperſtitione horribiliter deprauent. Et quidem ex patrum religione, Ethnicas ſuperſtitiones (illius ſane obliuione) natas eſſe vel ſolę numinum Ethnicorum appellationes profectæ à patribus, argumento eſſe poterunt. Coluerunt ignem Chaldæi & Perſæ, tanquam Deum, quem Orimaſda vocarunt, quaſi ignem ſanctum, vel lucem diuinam, ex *Orim heſed*, Gręci & Romani ἑστίαν ſeu Veſtam, quę appellatio ſignificat ignem Domini, ex Eſchia. Vtriſque, vt ratiocinor, huic cultui vſurpando ac celebrando cauſam præbuit, memoria inflammatarum cœlitus victimarum. Saniores etiam hoc exiſtimo ſignifire voluiſſe, quod ſit Deus æterna lux: vel hæc ipſa, quæ in totum fuſa Mundi Syſtema, ſupra conſtituit diſcrimina corporum, τῶν ἐνεργείᾳ διαφανῶν, *quæ reipſa ſunt perſpicua*, infra & τὰ δυνάμει διαφανῆ, *quæ facultate ſunt tranſparentia*, traiicit ac complet, & τὰ ἀδιόρατα ſeu obſcura ſubiens aliquo ſplendore imbuit: vel alia quæpiam abdita atque inacceſſa Lux.

Orimaſda.

Græci, & præcipue Athenienſes, ἀθηνᾶν, *Mineruam*, coluerunt, quam & παλλάδα, *Pallada vocarunt.* Eadem Romanis culta eſt, Mineruæ nomine. Appellatio Ἀθηνᾶς valde cognata eſt vocabulo Adonai, quod nomen eſt veri Dei: ita vt pæne non dubitem, originem inde eſſe vocabulo, poſt rem, id eſt, agnitionem veri Dei, amiſſam, translato in aliud numen commentitium. Vel eſt à Thanim, quæ vox Draconem ſignificat, vt alludat ad hiſtoriam ſeductorum à ſerpente primorum parentum, cuius memoria, vt propagaretur ad poſteros, conſentaneum eſt, certa ſacrificia à Patribus inſtituta fuiſſe, quibus agerentur gratiæ Deo de promiſſo Mediatore, qui ſit cōculcaturus caput ſerpentis. Conſtat autem Athenienſes coluiſſe idolum, effigie Draconis, de quibus celebratũ eſt, quod exhiberent cultus diuinos, atque obſequia præſtarent tribus peſſimis rebus, Draconi, Noctuæ, & Populo.

Palladis appellatio eſt à Pale, quæ vox Hebræis ſignificat admirabile quiddam, ſeu miraculoſum. Et Διὸς apud Græcos, Iouis, apud Latinos, nomen, idem eſt cum Hebræorum Iehoua. Cum autem in fabulis Græcorum ſit, Mineruam progenitam eſſe ex cerebro Iouis, moueor & appellationibus & fabuloſo ænigmate, vt exiſtimem, huic occaſionem dediſſe obſcuram memoriam doctrinæ ſanctorum Patrum, de Dei eſſentia, & tribus perſonis diuinitatis, ſed non intellectæ ab Ethnicis. Videtur omnino alludere, ad æternam, & vere cum ſtupore admirandam generationem Filii, patefactã Patribus diuinitus, qua Pater æternus, qui eſt mens æterna, ἄναρχος καὶ ἀτέλευτος, *expers principii & infinita*, gignit ab æterno Filium, coæternam & ὁμοούσιον, *conſubſtantialem*, imaginem ſui, καὶ λόγον θεὸν, *& ſermonem Deum.* Eſt enim cerebrum ſedes mentis, & fons cogitationum, quibus formantur imagines rerum, ſed euanidæ. At Pater æternus, æterna mens, gignit Filium λόγον καὶ εἰκόνα συναΐδιον, *verbum, & imaginem coæternam*, non euanidam, ſed οὐσιώδη, *ſubſtantialem.* Ita præcipua pars doctrinæ Patrum, de Dei eſſentia, & de diſcrimine perſonarum

ſonarum Patris & Filii, in fabellam commutata, excidit animas hominum, atque ex omni memoria euanuit apud Ethnicos: ipſum vero fabuloſum ænigma reſedit in iiſdem, & perdurauit.

Iſidis cultum inſtitutum ratiocinor ex tenui, vt ita dicam, aura famæ, quæ fuit reliqua, de muliere paritura filium generis humani Redemptorem. Significat enim Iſis ſeu Iſcha virginem aut fœminam.

Iouem pæne omnes gentes inter numina habuerunt, & præcipuis affecerunt honoribus, tanquam cęterorum principem. Conſeruata eſt enim memoria vocis Iehoua, cum obſcuro, de vno vero Deo, ſomnio, & poſt abolitam doctrinam, huic vno vero Deo addita ſunt magna agmina commentitiorum numinum.

Nomen *ἥρας, Iunonis*, apud Græcos, haud ſcio, an non ſit idem, cum vſitata Latinis voce Hera, id eſt, domina, quæ vtraque Hebræam ſapit originem, vnde & Er dicitur Hebræis, qui Latinis magiſter ac dominus.

Iani nomen eſt à Iauan, qui pater fuit gentis vtriusque Græcæ & Latinæ.

Fabulam de Gigantibus, aggeſtione & accumulatione montium, extructuris aditum ad cœlos, & Iouem inde deturbaturis, videtur peperiſſe mentio Gigantum, in Geneſi, & hiſtoria, de impedita diuinitus exædificatione turris Babylonicæ. Et idem ſignificat vox Titanes, quod Gigantes ſeu *γηγενεῖς, Terrigenæ*, Tit enim terra eſt, ſeu humus. Ita peruenerunt ad Ethnicos, pauca quædam nomina, ex doctrina & hiſtoriis Patrum, eaque & mutilata, & fabellis obſcurata, & corrupta figmentis peregrinarum opinionum, & obruta ſuperſtitione: inde tamen manaſſe, agnoſci ac iudicari poteſt.

E Q. Auxerunt autem & commentitiorum idolorum numerum, & religionum deprauationem, regnorum mutationes, gentiumque translatarum commixtiones, aut ſponte nouas ſedes, & noua regna quærentium migrationes. Omni tempore enim mutationes receptarum & vſitatarum religionum commouerunt Imperia, & Reſpublicas, & cauſas præbuerunt mutationibus. Cuius rei exempla ſunt Regna Sarracenica, Perſica, Turcica, occaſione diſſidiorum in religione, auulſa ab Imperio Romano, & ex his conflata atque conſtituta: aut viciſſim, cum mutatis Imperiis, vel deductis coloniis, religionum innouationes inuectæ ex commixtionibus gentium inter ſeſe, ac confuſionibus, religionum perturbationes, ac confuſiones natæ ſunt mirificæ & tetræ, quas, veritatis ac lucis cœleſtis obſcurationem & abolitionem ſequi, neceſſe fuit. Has comitata eſt obſtinata animorum cæcitas. Hæc nouis ſubinde furoribus Diaboli accumulata, eo vſque inualuit, vt homines noua numina, & cultus nouos, eosque portentoſos prorſus, & abominandos, cumque immanitate coniunctos condentem Dæmonem, ac turpiſſimarum ac fœdiſſimarum libidinum, aut demonſtrantem occaſiones, aut præcipientem commixtiones, cupidiſſime ac religioſiſſime audirent & ſequerentur. Neque dubium eſt, multa numina de indicio Diaboli ſuſcepta, & rituum plurimorum leges, hoc dictante, exceptas eſſe ac deſcriptas.

Pauſanias auctor eſt, Pani apud Athenienſes locum, inter numina Attica, & honores decretos fuiſſe diuinos, tali occaſione, quod, cum nuncium Philippidem, ad Lacedæmonios miſiſſent, de Perſarum in Atticam irruptione, hic reuerſus retuliſſet, Lacedæmonios minus mature copias educturos eſſe, quod religione impedirentur cum exercitu exire, antequam Luna orbem compleſſet: Sibi vero, ad Parthenium ſaltum, Pana obuiam factum, qui, ſe Athenienſibus in pugna,

Pan qua occaſione cultus Athenis.

Digitized by Google

ad Marathonem præſto futurum, ſit pollicitus. Sic Romana monumenta Numam Pompilium referunt, de conſilio & monitu Ægeriæ Nymphæ, totam διάταξιν τῶν ἱερουργιῶν, *rationem ſacrorum*, diſtribuiſſe in claſſes octo, & totidē conſtituiſſe συμμορίας, *decurias ſeu claſſes*, ſacerdotum, qui his recte tractandis atque adminiſtrandis præeſſent. Prima claſſis ſacra complectebatur κοινὰ, *communia*, ſeu πολιτικὰ, *politica*, pertinentia ad Curias ſingulas, quæ exercebant Curiones, φυλάρχοι ἢ λοχαγοὶ, *præfecti tribuum, & quaſi tribuni*, Græcis dicti. Secunda pertinebat ad Flamines ſeu στεφανηφόρους, *coronam ferentes*. Tertia, ad Tribunos Celerum. Quarta, ad Augures. Quinta, ad virgines Veſtales. Sexta ad Salios. Septima, ad Feciales ſeu εἰρηνοδίκας. Octaua, ad Pontificem maximum.

Rhodiis conflictantibus, cum difficultatibus quibuſdam, inexplicabilibus humanæ ſapientiæ, & petentibus remedia à dæmone Delphico, renunciatum eſt, tunc deſituram calamitatem, ſi, Phrygum exemplo, placarent ſacrificiis impuriſſimis Adonin, qui ſemetipſum, præ furioſi amoris impatientia euiſcerarat. Oraculi verba ſunt:

Ἄττιν ἱλάσκεσθε μέγαν θεὸν, ἁγνὸν Ἄδωνιν, Ὄλβιον.
Magnum Attin placate Deum, cum numine ſancto,
Numine, Adoni, tuo, ſancto ſimul atq; beato.

De Alexandro, in Aſiam ituro, contra Perſas ſciſcitantibus Amphyctionibus reſponſum eſt:

Ζῆνα θεῶν ὕπατον καὶ Ἀθηνᾶν Τριτογένειαν,
Τιμᾶτε βροτοειδῆ ἐν σώματι κρυπτὸν ἄνακτα:
Ὃν γονέεσσιν ἀρίστοις Ζεὺς μὲν ἔσπειρεν ἀγαυὸν,
Εὐνομίης θνητοῖσιν Ἀλέξανδρον βασιλῆα.

id eſt:

Supremumque Iouem, diuum ſimul atque Mineruam,
Corpore mortali velatum extollite regem;
Quem, pater ille Deûm, præſtantum ſtirpe parentum
Seuit, Alexandrum, cuſtodem iuris in orbe.

Talia prodidit, cum vt idololatricos cultus augeret Diabolus, tum vt adularetur Regibus.

TH. Quid vero turpius fuit iis ſacris, quę Gręci θεοφορήσεις, κορυβαντιασμοὺς, βακχείας, διαπαννυχιασμοὺς, *numinis afflationes, Corybantum furores, bacchanalia, peruigilia*, in templis virorum cum mulieribus; Bacchanalia & Lupercalia feſta Romani vocarunt? Semper enim idololatriam, libidinum portentoſæ confuſiones, & omnis generis enormia ſcelera alia ſecuta ſunt, ſicut & Paulus teſtatur: Et, cum oppreſſa doctrina Euangelii, ſemper legis etiam diuinæ notitia & auctoritas, vel obſcurata elanguit, vel fracta proiectaque concidit: vt ſola ſemper Eccleſia Dei, legis notitiam illuſtrem habuerit, & explicatam, ſolaque vſum legis, recte intellexerit atque exercuerit. Denique ita ſemper accidit, vt ab vna & perpetua doctrinæ norma, quam proponunt Lex Dei, & Euangelium, quicunque diſcederent, ii protinus, & ab illo itinere, quo recta ad Deum ducimur, depulſi deuiarent, & id, quo niteretur animus, amitterent, cumque perpetuis conflictarentur dubitationibus, ne regerentur amplius voce legis diuinæ, ſed incitati à Diabolo ruerent, quo, excæcatæ mentis erroribus, & cupiditatum flammis impellerentur. Et ſicut dicitur, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, συμβαίνει τὰ ἄλλα, *Dato vno inconuenienti, ſequuntur plura*: ſic

mox

mox,velut cum tempeſtate, omni tempore, horribilis caligo impiarum opinionum,ac ſuperſtitionis & licentiæ, lucem veritatis obruit, cum vel leuiter mutatæ religiones, à præſcripto canone, ſemel denegarunt.

E Q. Luſtrationum quoque mentionem fieri apud auctores memini, quæ non minima pars ſuperſtitionum Ethnicarum fuerunt. De iis igitur erudiri aueo.

De luſtrationibus.

P H. Plura luſtrationum genera,veriaq; apud priſcos Romanos obſeruamus. Luſtrabant enim exercitum, quod Liuius *lib.1.& 38.* tradit. Et Dionyſius Halicarnaſ. *lib.4.* Cic.*lib.de Diuinat.* confirmant. Diem autem huiuſmodi luſtrationis *Armiluſtrium* vocabant,teſte Varr.*lib.4. Linguæ Latinæ*, ſub dio autem fiebat luſtratio hæc,vti Plutarchus *in Bruto*,& Liuius *lib.1.& 3.* ſue, oue, tauro mactatis,à quibus tamen variat Dionyſ.Hal. *lib.4.* hircum pro ſue ſupponens. Græcos vero mactato cane luſtraſſe exercitum conſtat ex Liuio *lib.4.* & Herodoto *lib.7.* Vrbem quoque luſtrabant & populum Romani,tradente Liuio *lib.22.& 38.* maioribus hoſtiis, partim etiam lactentibus ſacrificatis,de qua re Feſtus *lib.6.* Varro *lib.5. ling. Latinæ*, &Macrob.*lib.Saturnal.1.& 3.* Galli in vrbis luſtratione hominem extra pomœrium vrbis lapidibus obruebant, ex Lactantio Statii interprete in eum locum:

—— Et tandem matri data flere poteſtas,
Luſtralemne feris ego te puer inclyte Thebis,
Deuotumque caput vilis ceu mater alebam?

Curias pariter expiare ſolitos Romanos conſtat ex Varr.*lib.5.ling.Lat.* excerptũ vitulum ex fordæ bouis immolatæ vtero ſacrificantes, vnde & *Fordicidia* ſcara illa vocata,de quibus Feſtus *lib.6.*& Ouid. *4.Faſt.*

Forda ferens bos eſt, fœcundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Luſtrabantur etiam Coloniæ deducendæ, *ex Ciceron.lib. de Diuinatione.* Victimis cæſis luſtrabant quoque claſſem, crudis extis cæſæ victimæ in mare proiectis, teſte Liuio *lib.29.* vbi de luſtratione claſſis à Scipione facta. Et Appiano *lib.5.bell. ciuil.* Vnde Virgil.*lib.Æneid.5.*

Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego, hunc candentem in littore taurum,
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Proiiciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Luſtrabant pariter & agros Romani, vina fundendo,teſtimonio Catonis *rei ruſticæ lib.41.* De huiuſmodi luſtratione Virgil.1.Georg.

—— Et quum luſtrabimus agros.

Armenta quoque,& præcipue ouium greges à paſtoribus luſtrabantur eo pacto,quo ab Ouidio *lib.4.Faſt.* ſcriptum legimus:

Paſtor oues ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Vnda prius ſpargat, virgaque verrat humum;
Frondibus & fixis decorentur ouilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores,
Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,
Tectaque fumanti ſulphure balet ouis.
Vre maris rores, tædaſque, herbaſque Sabinas,
Et crepet in mediis Laurus aduſta focis,

Digitized by Google

Libaque de milio milii fiſcella ſequatur,
Ruſtica præcipue eſt hac Dea læta cibo.
Adde dapes mulſtramq; ſuas, dapibuſq; refectus,
Syluicolam tepido lacte precare Palem.

Et Tibullus *lib.1.Eleg 1.* ſcribit:

Hic ego Paſtoremque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

Luſtrabant etiam tubas, vnde *Tubiluſtria* dicta, teſte Varr. *lib.5.ling.Latina*, & Ouidio lib.Faſt.

Summa dies & quinque tubam luſtrare canoram
Admonet, & forti ſacrificare Deæ.

Et libro quinto:

Proxima Vulcani lux eſt, quam luſtria dicunt;
Luſtrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

De eadem re Feſtus Pompeius *lib.18.* Rogus quoque in funeribus luſtrabatur ex Virgilii ſententia lib.2.Æneid.

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, per mæſtum funeris ignem
Luſtrauere in equis vlulatuſque ore dedere;
Spargitur & tellus lachrymis, ſparguntur & arma:
It cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.
Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frænaque feruenteſque rotas, pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigeraſque ſues, raptaſque ex omnibus agris,
In flammam iugulant pecudes, tum littore toto
Ardentes ſpectabant ſocios, ſemiuſtaque ſeruant
Buſta, neque auelli poſſunt, nox humida donec
Inuertit cœlum ſtellis ardentbus aptum.

Luſtrabāt pariter domos, eas ſulphure ſuffientes, quod habemus ex Dioſcoride *lib.7.cap.78.* & Plinio *lib.35.cap 15.* & Proclo Platonico *lib. de ſacrificiis*, & clariſſime ex Homero *lib.22.Odyſ.* circa finem:

ὄισε θεῖον γρηῦ κακῶν
ἄκος, ὄισε δὲ μοὶ πῦρ,
ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Id eſt, *Porta ſulphur anns malorum medelam, poſtea autem ignem, vt ſuffiam domum*, & Virg. 6 Æneid.

Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ
Luſtrauitque domos.

Inſuper luſtrabant etiam lectum ſulphure & ouo. Ouid.2.de arte amand.

Et veniat quæ luſtret anus lectumque locumque,
Præferat & tremula ſulphur, & oua manu.

Ouis enim in luſtrationibus vſos antiquos, conſtat etiam ex Iuuenale Saty.6.

Grande ſonat, metuique iubet Septembris & Auſtri
Aduentum, niſi ſe centum luſtrauerit oues. TH.

TH. Mirum eſt, cum antiqui ſcriptores tot luſtrationis modos deſcripſerint, cur non itidem modum quo infantes die luſtrico expiarentur, recenſuerint.

PH. Etſi expreſſe eius non fecerunt mentionem, non tamen omnino reticuerunt. Conabor ergo infantium luſtrationes, quantum id quidem coniectura aſſequi licet, afferre. Corpora humana ab antiquis multifariam expiari ſolita obſeruamus. Primum aqua, igne, & ſulphure. Ex Ouid lib. 6. Metamorph.

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Ad quod etiam ſpectare videtur illud Tibulli lib. 1. Eleg. 5.

Ipſeque ter circum luſtraui ſulphure puro,
Carmine quum magico præcinuiſſet anus.

Et Propertius lib. 4. eleg. 9.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulphure & igne caput.

Ad idem facit Virgilianum illud lib. 12.

—Alii fontemque ignemque ferebant.

Vnde & aquã in corporum luſtratione vſos priſcos Romanos conſtat, quod & ex alio Virgiliani loco, *lib. 2 Æneid.* patere poteſt.

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates.
Me bello ex tanto digreſſum, ex cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero. Et 4. Æneid.
Annam cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem.
Dic corpus properet fluuiali ſpargere Lympha. Et lib. 6. eiuſdem.
Idem ter ſocios pura circum tulit vnda,

Et Ouid. lib. 13. Metamorph.

—Rore leui ſpargens ego luſtror ab illis,
Et purgante nefas nouies mihi carmine dicto,
Pectora fluminibus iubeor ſupponere centum.

Oreſtem aqua fluuiali à materna cæde expiatum tradit Pauſanias *libr. 2. Corinthiacorum.* Et Suidas ait in dictione ἀρδάνιον, Græcos egredientes domo, vbi mortuus aliquis eſſet, aqua, quę pro foribus apponebatur in vaſe, ſe aſperſiſſe, vt ſe expurgarent & expiarent. Et in ſacris paginis *8. & 9. c. Num.* aquã expiationis apud Hebræos obſeruamus. Aſpergebant autem corpora aqua excepta ramo oliuæ. Sic Virg. lib. ſexto Æneid.

Spargens rore leui, & ramo felicis Oliuæ, vel Lauri.

Vnde Iuuenalis Satyr. 2.

—Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis; & ſi foret humida laurus.

Ex dictis itaq; coniici poſſe exiſtimo, infantes die Luſtrico à Romanis igne, aqua, & ſulphure expiari ſolitos, igne quidem & ſulphure ſuffitib. excitatis, aqua vero eoſdem aſpergentes, adhibitis etiam verbis, ſeu carminibus ad rem facientibus. Vel etiam in aqua die luſtrico infantem forte immergebant, namq; Gal. *l. b. 1. de ſanitate tuenda, cap. 7.* Auic. *lib. 1. Fen. 3. doct. 1. c. 1.* Alfarauius *lib. 2. pract. tit. 26. cap. 2.* ſale & aqua, vel aqua marina primis diebus abluere infantes docent. Vnde Cic. *in Orat. pro Q. Roſcio* ſcripſit: *Mare, quo omnia, quæ violata ſunt, expiari putantur*; quo vero ad ignem ſpectat, tradit Plato *in Theæteto,* Athenienſes infantes die luſtrico manibus geſtantes cir-

Digitized by Google

tes circum ignem curſitare ſolitos. Legimus *2. Paralip. cap. 28.* de Achaz filio Dauid: *Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Beneumon, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritum gentium.* Quo vero die à primo ortu infantes expiarentur, varii varia ſcripſere. Plato loco citato, die quinto id factum ſcribit, Suidas & Plutarchus *Problem. 102.* Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 16.* Feſtus Pompeius *lib. 10.* vbi de luſtricis diebus, decimũ maſculis ſtatuunt, fœminis octauum, nonnunquam ſeptimum. Ariſtot. *lib. 7. de natura animalium*, ſeptimum aſſignat. D. Antoninus Imperator, teſte Iulio Capitolino *in illo*, tertio die à partu infanti nomen indi iuſſit, & in actis apud Præfectos ærarii nomen profiteri. Hinc illud Iuuenalis *Satyr. 9.*

Tollis enim & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri. foribus ſuſpende coronas,
Iam pater es.

Quod vero die luſtrico & nomen infanti imponeretur, clare patet ex hoc Sueton. loco, & aliis locis ſuperius adductis, quod & nono die aliquando factum, ob idque potiſſimum Nundinam Deam Romanis excultam Macrobius & Feſtus tradidere.

EQ. Si qua luſtratio politica in memoriam videlicet natorum infantulorum, aut etiam temporis, quo ablactati fuerunt, à veteribus habita fuiſſet, ſiquidem abfuiſſet ſuperſtitio, non foret, meo quidem iudicio, vſque adeo improbanda. Quia vero quęlibet antiquorum luſtratio non caruit ſuperſtitione, proinde omnino explodenda eſt atque improbanda. Piaculum enim & nefas eſſe olim ducebatur, vel attrectarę duntaxat aliquid ſacri; niſi vel corpore luſtrato, vel aquę ad vſus ſacros comparatę effuſione ceu conſecrato. Sic Æneas apud Virgilium:

——Ter ſocios pura circumluit vnda
Spargens rore leui.

Et fuit conſuetudo vetuſtis Patribus, ante tractationem ſacrorum abluere corpora: quam conſuetudinem conſeruarunt Iudæi, qui multum vtuntur lotionibus. Imitati Patres Ethnici, vſurparunt eaſdem creberrime, non tantũ ad eluendas corporum ſordes, ſed etiam ad expiationes ſcelerum, & expurgationem inquinamẽtorum, ſi quæ corpori contaminato libidinibus, cædibus, rapinis, aut aliis ſimilibus, adhæſiſſent. Quibuſdam etiam ſola aſperſio aquæ inter Februa fuit.

Romæ olim ad portam Capenam, poſtea Appiam vocatam, aqua, quæ Mercurio ſacra fuit, alii alios aſpergebant, vt hac conſperſione abſtergerentur & delerentur, ceu inuſtæ corporibus notæ deformitate flagitiorum, ac præcipue periuriorum. Tali perſuaſione ſeu ablutione Peleus Patroclum abſoluiſſe, & Acaſtus expiaſſe Peleum à cæde fratris Phoci, & Ægeus Medeam à cæde liberorum, traditur. Idem mos luſtrandorum corporum Turcis in vſu eſt, hoc enim extergi luem peccatorum, & tolli labem omnem, perſuaſum habent, de propagata à maioribus & inueterata opinione. Ideo & lauationibus vtuntur creberrimis, & templa ſua ingreſſuri, priuſquam pedem inferãt, aqua ſeſe, quæ in aditu amplo, vaſe ad hos vſus aſſeruatur, perluunt, Sed his omiſſis, quæ iam dudum interciderunt, atque in earum locum vera Chriſtianorum luſtratio ſubſtituta eſt; nunc ad ritum ſacrificiorum, qui apud Ethnicos olim viguit, tranſeamus.

TH. Ritus quos Ethnici in ſacrificiis ſuis vſurparunt, continua propagatione ex ſanctorum patrum conſuetudine trãſſumptos & aliquibus commentitiis conflatos

Digitized by Google

flatos fuiſſe, ipſa rituum collatio oſtendit. Cumque his vterentur, illi ſine Dei & promiſſionum notitia, immo ſine notitia numinum, ad quæ dirigebantur, neque intelligerent finem, cuius gratia ritus inſtituti erant: meminiſſent tamen ex tenui & incerta fama, ſolitum Deum, euidentibus teſtimoniis, aut probatis ſacrificiis, annuere cœptis, aut auerſatis illis ac repudiatis, negare ſucceſſus: neceſſe fuit eos, qualeſcunque ex hoſtiarum viſceribus, aut aliorum fortuitorum euentuum ſubitis inuerſionibus coniecturas comminiſci, ex quibus affectiones numinum erga ſeſe æſtimarent. His coniecturis Diabolus blanditus eſt, & aſſenſit, inſolitarum apparitionum & *φασμάτων*, *ſpectrorum*, mirabiliter variatis ludis ac præſtigiis: quales recenſentur in Homerico carmine:

Τοῖσιν δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοὶ τέρατα προύφαινον,
Εἷρπον μὲν ῥινοί, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει
Ὀπταλέα τε καὶ ὠμά: βοῶν δ' ὡς γίνετο φωνή. id eſt,
Protinus his ſuperi portenta oſtendere, pelles
Serpere humi, verubus carnes mugire cruenta,
Aſſataq;, boum qualis vox prata fatigat.

Ægyptiis ſexcenta ſexaginta ſex genera ſacrificiorum in vſu fuerunt. Romanis & Græcis non multo pauciora. Agonalia, Dapſa, Farreationes, *ἑκατόμβαι*, *hecatombæ*, hoſtiæ, Hyacinthia, Armiluſtra, Ianualia, Lucalia, Lupercalia, Nouendinalia, Nyctiluca, Palatialia, Paſtillaria, Popularia, Broteruia, Solitaurilia, Stata, Rubigalia, Fontanalia, Ormia, Parentalia, Inferiæ, Conſualia, Lampteria, Amburbia, Ambarualia, Vinalia, Orgia, Latialia, Dianæ, Taurica, Bacchanalia, Trieterica, Liberalia, Cocytia, Forticidia, Ordicalia, Lemuralia, Saturnalia, Cerealia, Adonia, Theonia, Laurentalia, Opalia, Palilia, Quirinalia, Vertumnalia, Quinquatria, Diapalia, Diaſia, Hormea, Nemea, Mytriaca, Palogygia, & plura alia: quib. fere aut ſola anima diis conſecrabatur, quę hoſtia animalis dicebatur, aut offerebatur victima eo fine, vt inde de illius numinis voluntate coniecturæ fierent, cuius opera ad rem aliquam perficiendam opus erat.

Mactabant autem vt plurimum, oues, ſues, capras, boues, gallinaceos, & anſeres. Maiores victimas inauratis cornibus producebant, minores coronatas. Ex hœdis & agnis rectius deos conſuli, futuraque prænoſci cenſebant, quod mitiores eſſent, ideo diuinaturi ex ouium genere, aliquid cædebant, & mactationi ſemper adiungebant immolationes. Romani mola ſalſa libabant, quæ ex farre toſto, confractoque, ſale & aqua parabatur: ſine his nulla fieri ſacrificia rata, & vim ſali peculiarem ad placanda commouendaque numina ineſſe ſentiebant. Idcirco peculiares his conficiendis dies feſtos deſtinarant, quos Fornicalia feſta nuncupabant, inde, quod far in fornacibus torrerent. Illis diebus, ſi quis non ſacra patrio ritu peregiſſet, is hanc intermiſſionem, Quirinalibus feſtis, peculiari ſacrificio, luere & expiare cogebatur: hinc Quirinalia ſtultorum ferias cognominabāt. Gręci hordei primitias, & placentas ex hordeo, ſale conſperſas libabant: eos, qui hordeum colligebant, *κριθολόγους* appellabant. *Fornicalia*

In ſacrificiis diuinatoriis, Romani ſeruabant ritus. Cum ſacerdos victimam ad aram adduxiſſet, ſtans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Principium precationis à Iano & Veſta fieri oportebat, quæ in omnibus ſacris præcipua numina erant, & in votis nuncupandis, compellationem primam meruerant inde, quod per eos aditus ad cæteros patere opinio erat: & obſeruabatur *Sacrificiorum ritus apud Romanos.*

batur in ea precatione, vt Iupiter pater Opt. Max. omneſque dii cæteri, patres aduocarentur. Ne quid vero verborum præteriretur, aut præpoſtere recitaretur de ſcripto, præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari, qui attenderet ſedulo, alium, qui fauere linguis iuberet, & tibicinem canere, ne quid infauſtum exaudiretur, oportebat: quod cum Diræ obſtrepentes nocuiſſent, aut precatio erraſſet, repente extis capita adimi, vel corda, geminarive, ſtante adhuc victima, compertum eſſet. His peractis, ſacrum, ab immolatione, Sacerdos inchoabat. Fruges, aut molã ſalſam in caput victimæ deponebat, addito thure maſculo: vocabatur ritus ille immolatio, quaſi molæ in caput victimæ collocatio. Deinde vinum aſpergebat: ſed, priuſquam id affunderet, ſcipulo aut ſimpuuio ligneo vel fictili admodum paruo, (quod inter ſacra vaſa, cyatho non erat admodum abſimile) & ipſe leuiter delibabat, & aſtantibus guſtandum deferebat, vt pariter libarent. Vocabatur hic ritus libatio. Quo facto, ſetas inter cornua victimæ, manu euulſas, tanquam prima libamina proiiciebat in ignem, conuerſuſque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat: tandem victimam diis exhibitam & dedicatam iubebat iugulare miniſtros, qui, quod mactarent eas, cultrarii & victimarii, à nonnullis popæ & agones vocabantur: reliqui partim, admotis vaſculis, emanantem cruorem excipiebant, partim victimam excoriabant & abluebant, partim ignem accendebant. Vbi purgata erat, mox aruſpex, flamen, aut ſacerdos, cultro ferreo, viſcera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret. Erat is culter ferreus & oblongus, manubrio eburneo, clauis æneis, ære Cyprio, & capulo argenteo ornatus: non enim manu licebat contrectare viſcera, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret. Inſpectis tandem & exquiſitis ſingulis ex omni viſcere & membro, miniſtri partes certas deciſas farina farris inuoluebant, & in calathis ſacrificanti offerebant. Sacerdos aris impoſitas, foculo incenſo comburebat, quod reddere erat & litare. Eum ignem ex olea, lauro, aut quercu corticis craſſioris, aut cuius caudex cauus fungoſuſque eſſet, accendere, vel numinibus adolere, nefas erat: ſuſpecta enim erant ligna illa, tanquam diri & mali ominis. Vbi, quod diis tributum erat conflagraſſet, ad epulas ipſi & conuiuia conuertebantur. Inter veſcendum diis laudes canebant, pedibuſque circum aras complodentes ad numeros pſallebant, & pulſatis cymbalis choreas agebant. Decantabant autem aliis diis alios hymnos. Dianæ Hypingos, Apollini Pæana, Dionyſio Dithyrambos, Cereri Iulos, Veneri ἐρωτικοὺς, *amatorios* hymnos. Græci præter hæc *προσῴδια, has cantilenas, quæ diis accinebantur*, accinebant & *ὑπορχήματα, carmina quæ ſaltantib accinebantur*, & *στάσιμα, carmina ſtantis chori*. Veteres etiam tibias inflarunt, antiquo, vt opinor, maiorum more: ſed poſtea, ne tibiæ adhiberentur, legibus cautum fuit.

Ritus ſacrificandi.

EQ. Non omnium ſacrificiorum iidem fuerunt ritus apud antiquos, nec eadẽ vbiuis fuit ratio. Introducti enim fuerunt partim ſtultorum atque ignarorum hominum inſcitia, partim inſidiis eorum ſacerdotum, qui conabantur per varietatem ceremoniarum rem in pretio retinere. Partim etiam hoc fiebat dæmonum malignorum fraude, cum eſſet adhuc poteſtas tenebrarum, qui per has ambages homines in ſeruitio retinere, & perpetuo falſæ religionis idololatriæque vinculo aſtringere nitebantur, neque vllam libere reſpirandi animis illis ſuperſtitionibus oppreſſis concedebant facultatem, vt poſſent tantum fallaciarum ſecum parumper conſiderare & aliquando cognoſcere, quam abſurdam, quam vanam, quam ridiculam, quam omni ſcelerum genere contaminatam religionem amplecterentu-

tu.

Digitized by Google

tur. In ſacrificiis anniuerſariis, quæ Patrenſes patrio ritu Dianæ Laphyræ cognomento inſtituerunt, mos fuit, vt ſexdecim cubitorum longitudinis ligna viridia in orbem circa aram illius Deæ digererentur, atque intra hæc ipſa aridiſſima & aræ propinqua. Tum cœno locum in morem ſepti vndique obſtruere conſueuerunt, quibus peractis pompam cum magnificentiſſimo apparatu Deæ tranſmittebant. Per eam pompam virgo nubilis, quæ foret omnium pulcherrima & ſapientiſſima iudicata, ſacerdotio in his ſacris perfungebatur, quæ ſequebatur pompã poſtrema omniũ, bigis inuecta ceruis pro equis currũ trahentibus, deinde die poſtero eius diei, quo pompa ad templum transmiſſa fuiſſet, cum magno finitimorum omnium tum priuatorum, tum etiam publico ſtudio ſacra rite celebrabantur, atque intra illud aræ ſeptum multa viuentia animalia coniicere pro victimis mos fuit: apros ſcilicet & hinnulos ceruorum, caprearũ, luporum & vrſorum, & aliquando feras iam prægrandes, tum multiplicia auium adultarum genera quibuſdam plumis detractis. His addebantur ſemina omnium prope fructiferarum arborum, quibus intra ſeptum iniectis ignibus immiſſis aridiora ligna accendebantur, quod ſi qua immiſſarum ferarum forte aufugiſſet ex illo ſepto, aſtantes ſtudioſe curſitabant ad eam capiendam, atque receptas feras intra ardens ſeptum iniiciebant, vti teſtatus eſt Porphyrius *in lib. de ſacrificiis*, & Pauſanias *in rebus Atticis*.

In ſacrificiis illis, quæ in honorem Heræ deæ vocatæ, celebrabantur apud Arcades, mos non fuit victimas iugulare, ſicut in aliorum deorum ſacris vſus obtinuit; ſed cum victimæ complures & peropimæ illi deæ mactarentur, pro ſuo cuiuſque arbitrio artum victimarum, quem quiſque primum apprehendiſſet caſu & fortuito, præcidere iure illorum ſacrorum iubebatur: quem ſolum artum deæ ſacrificiis offerre primum mos fuit, atque illo vſto pro primitiis, tum ad accẽdendas victimas accedebatur.

In ſacrificiis Iſidis cognomento Tithoreæ apud Phocenſes, quæ fiebant anniuerſaria, mos fuit, vt horis pomeridianis homines opulentiores boues aut ceruos immolarent: qui vero magis tenui eſſent fortuna, offerrent anſeres aut aues meleagrides, aut alias huiuſmodi tenues victimas, cum capræ & ſues tanquam impura animalia ad illa ſacrificia omnino non admitterentur. Iubebantur autem legibus ſacrorum rituum & inſtitutis illius deæ, victimas illas quas offerrent, in pyram, quæ fuerat extructa intra quendam adytum, demittere lineis aut byſſinis vinculis ligatas, quæ quidem omnia efficiebantur cum pompa & muſicis inſtrumentis ſtrepentibus, vt traditum eſt in hiſtoriis ab Artimenide.

Cereris ſacrorum ritus is fuit apud Phigalenſes, vt nullæ victimæ cęderentur, ſed fructus conſitarum arborum, & fauos, & ſuccidam lanam ad aram porrigerent, quæ ad quandam ſpeluncam extruebatur, quibus oleum poſtea ſuperinfuſum accendebatur: quæ ſacra fieri quotannis cum publice, tum priuatim conſueuerunt, vt ſcriptum eſt à Pauſania *in rebus Arcadicis*. Huic eædem deæ Chthoniæ cognomento ſiue indigenæ apud Argiuos, quanta adhiberetur diligentia in iis ſacrificiis, quæ ſtatis diebus per æſtatem agebantur, patet vel ex eo ritu, quod non modo cum pompa ſacrificuli, qui annuis fungerentur magiſtratibus, agmen ducebant, quos viri ac fœminæ ſequebãtur, & pueri, omnes veſtibus albis induti, coronas capitibus ẽ multis hyacinthis intextas habentes, ſed & in

extrema deinde agminis parte boues ſequebantur eximiæ, præduris vinculis diſtentæ ac reluctantes, quæ ad templum attrahebantur, eo cum veniſſent, vnam ipſarum boum immiſſis retinaculis intro agere mos fuit, atque foribus adſtantes, vbi intromiſſam viderent, poſtes obiicere conſueuerunt. Erant in eo templo aniculæ quatuor cum falcibus relictæ, quibus curæ erat bouem intromiſſam interficere, atque vna illarum, vbi caſus tuliſſet, collum hoſtiæ præcidere iubebatur. Tũ reclusis foribus alteram eodem ritu mactandam immittebant, atque ſingulatim quotquot offerebantur boues, ab illis aniculis mactabantur.

At ridiculus plane mos erat ille, qui ſeruabatur in Iouis cognomento Poliei ſacrificiis, de quo ſcriptũ fuit à Nicocrate Cyprio *in rebus patriis*, & à Pauſania *in rebus Atticis*. Nam fuit conſuetudo in illis ſacrificiis, vt hordeum cum tritico permiſtum aræ imponeretur eius Iouis, neque vlli ſinerentur ibi eſſe cuſtodes: atque cum bos ob parata ſacrificia ad aram accederet, easque fruges ſuper ara attingeret, vnus è ſacerdotibus arreptam ſecurim in bouem iaculabatur, ac ſtatim fugiebat. Illi qui aſtiterant, quaſi non viderint percuſſorem, ſecurim in iudicium vocabant, tanquam auctorem ac ream eius cædis, quæ condemnabatur, vt infringeretur: victimam vero, quia non poſſe viuere arbitrarentur, Ioui Polico decernebant immolari, omnium ſuffragiis & communi conſenſu. Mille huiuſmodi ſacrificiorum diuerſimodorum ritus enumerare poſſem, id quod tamen nimis longum & tædioſum foret.

De ſacrificiis deorũ cœleſtium.

PH. Sed & victimæ ſacrificantium fuerunt variæ, & varia ſuffimentorum ratio, variusque ſacrificantium habitus. Neque enim omnibus diis molæ offerebantur, neque omnibus accẽdebantur lumina, neque ſacra fiebant ſemper ſuper ſublimibus aris, neque ſemper per diem. Diuerſa denique pro ſingularum nationum more, pro varietate temporum, pro creditorum deorum natura ſacrificia vbique offerebantur; quod alia cœleſtibus, alia terreſtribus, alia aquaticis, alia diis inferis conueniebant. In cœleſtium corporum, quæ ignea eſſe credebant, ſacrificiis, lumina & figuras & multa ad viſum ſpectantia addiderunt, eorumque aræ ſublimes ſtruebantur, ſuper quibus accendebantur lumina, & victimę cæſæ imponebantur. Cum igitur ſacra fiebant ſuperis, ac Ioui præcipue, aræ in ſublimibus locis extruebantur. Quin etiam & Apollini aram in littore erexerunt Argonautæ, atque cum mons ibi nullus eſſet, ſublimem illam fecerunt, *Apollon. in libro ſecundo Argonaut.* Huius rei vel illud argumento eſt, quod etiam apud Latinos altare, quaſi alta area, vocatum fuit. Erat præterea illa templorum erigendorum conſuetudo, vt non modo ſublimia & ampla erigerentur, ſed etiam quæ orientem ſolem ſtatim exciperent, *Plutarchus in Numa Pompilio.* Vnde Virgilius *lib. 12. Æneid.* ſacrificantes inducit ad ſolem orientem conuerti, cum ita inquit:

Illi ad ſurgentem conuerſi lumina ſolem.

Erat præterea conſuetudo, vt diis ſuperis mane ſacra fierent ſole oriente, ſicuti vita defunctis & inferis occidente ſole, *Calixenus Rodius in iis quæ ſcripſit de Alexandria.* Coronabantur autem in ipſis ſacrificiis & victimæ, & altaria, & homines ſacrificantes, *Demoſth. in oratione contra Midiam.* Et quoniam alię arbores diis aliis fuerunt conſecratæ, idcirco diis variis ſacrificaturi ſacerdotes variis coronis ornabantur: vtpote in Dionyſiacis myrto, *Ariſtoph. in Ranis.* In Cerealibus quercu coronabantur, ad perpetuã accepti ab illa dea beneficii memoriã. *Virg. lib. 1. Georg.* In ſacris

cris Herculis populo coronabantur, *Virg. lib. 8. Æneid.* In ſacrificiis Apollinis lauro coronabantur, *Apollon. lib. 2. Argon.*

Neque vero victimæ quæuis eligebantur in ſacrificia, ſed quæ præſtantiores eſſent, multo ante reſeruabantur; quare cum è grege deligerentur, egregiæ victimæ dictæ ſunt: at cum eximerentur ex armentis, quibus notæ inurerentur ſacræ, eximiæ. Erant autem ſingulari diligentia delectæ victimæ, quæ deorum ſacrificiis dicebantur, non ſolum ob eximiam pulchritudinem, ſed etiam ob puritatem coloris, cum diuerſi omnino reiicerentur, neque liceret mutilam aut aliqua corporis parte carentem, victimam ad aram adducere, *Lucianus in dialogo de ſacrificiis.* Neque etiam laboribus aſſuetas victimas, neque illas, ex quibus aliqua vtilitas capta fuiſſet, diis conuenire arbitrabantur, *Virg. lib. 12. Æneid.*

Veſtes quoque ſacerdotum puras neque aliqua macula inquinatas conuenire putarunt, *Virgil. vbi ſupra.* Itidemque aliis diis alius coloris veſtes magis erant idoneæ, nam diis inferis atræ veſtes, cœleſtibus purpureæ, quibus etiam albæ, vt ſacrificulis Cereris conueniebant, *Menander in libr. de myſteriis, Ouid. lib. decimo Metamorphoſ.*

Deinde diis aliis fœminæ victimæ tantum, aliis ſoli mares immolabantur, in omnibusque ſacrificiis committebatur piaculum, ſi quis cæde pollutus vel alio flagitio ad aras acceſſiſſet, minimeque grata erant ſacrificia, quæ ab impuris manibus ſceleratorum hominum offerebantur. Idcirco per nouem dies noctesque ſaltem oportebat ab omni libidine ſacerdotes aut mulieres æditüas, aut initiaturas abſtinere, vt eſt in his:

Perq; nouem noctes Venerem tactusq; virorum
In vetitis memorant.

Sic & Cybeles ſacerdotes membrum genitale ſibi quodam lapide abſcindebant, vt caſti viuerent, de quibus Auguſtinus *lib. 7. de ciuitat. Dei* ſcribit: ideo abſciſſos ſeruire matri deûm, vt ſignificaretur, eos qui ſemine indigeant, terrã ſequi oportere, quæ mater deûm antiquitus appellata fuit, quippe in qua omnia reperiantur, & Athenis alii bibebant cicutam, vt vim membri genitalis amitterent, & mulieres præterea initiaturæ ſibi lectos è viticis foliis ſubſternebãt, vt refrenarent libidinẽ. Cæterum ad ſacra nemini quoque, niſi lotis manibus accedere licebat: quare & Æneas ſacra attingere, ita vel per ſummam pietatis oportunitatem recuſat apud Virgil. *lib. 2. Æneid.*

Tu genitor cape ſacra manu patriosq; penates;
Me bello è tanto digreſſum & cæde cruenta
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Exiſtimabant enim antiqui eandem eſſe animi quam etiam corporis purgationem; vt cum quis in flumine manus aut corpus abluiſſet poſt cædem, ille purus ſtatim efficeretur. Nã cum purus ſit Deus, & ab omni prorſus ſorde immunis, non conuenire crediderunt illi miniſtro, qui ad eius altare accederet, manus aut aliquam corporis partem habere inquinatam aut impuram. Quare ſi quis neglecta purgatione ad ſacrificia acceſſiſſet, eius preces deos neque audire, neque reſpicere arbitrabantur.

Digitized by Google

Erat prӕterea non parua diligentia in eligendis lignis, quӕ conuenirent ſingulis ſacrorum generibus, quoniam non ex quibuſuis lignis ignis accendebatur, ſed ex lignis in legibus ſacrificiorum nominatis. Sic in ſacris Bacchi antiquitus nulla ligna niſi oporobaſilidis, aut phibaleę ficus, aut viticis cum foliis vitium vtebantur, *Hegemon lib. 2. Georg.* In ſacris Veneris myrtus vrebatur: at apud Sicyonios ignis non fiebat, niſi è lignis iuniperi, quibus folia addebantur pӕderotis, vt ait Pauſanias *in Corinthiacis*. In Iouis ſacris ligna ilicis, in Martis fraxinorum, in ſacris Herculis albӕ populi, cerri aut ӕſculi, aut corni, *Ephorus libro ſecundo de ponderib. Aſiæ.* Eſt autem illud argumento, quod ſummam diligentiam adhibuerint antiqui in eligendis lignis ad ſacrificia, quod cum ӕdituis, auguribus, fœcialibus, interpretibus, lignitores etiam vocati prӕerant ſacrificiis, quibus id tantum curӕ erat, vt legitima ligna pararentur, & concinne igni imponerentur, nam niſi omnia ſeruarentur legitima in ſacrificiis, publicӕ inde calamitates oriebantur; cuius rei vel illud argumento eſt, quod ſi quis in Iouis Lycӕi templum, aut etiam in aream, minime peractis prius luſtrationibus legitimis ingreſſus fuiſſet, intra annum omnino mori neceſſe erat. *Hegeſander libro decimo ſeptimo*, & *Pauſanias in Arcadicis.*

Summa prӕterea obſeruantiӕ & reuerentiӕ Deorum templa fuerunt apud maiores: nam ſi quis ſupplex ad aras deorum confugiſſet, eum inde diuellere per religionem non licebat, vt ſcribitur à Pauſan. *in Achaicis.* Quare cum Athenienſiũ magiſtratus in eos ſӕuiiſſent, qui cum Cydone in arcem Mineruӕ confugerant, & ipſi & omnes eorum poſteri, violatӕ religionis Mineruӕ pœnas dederunt. Sic Lacedӕmonii cum violaſſent eos, qui ſupplices in templum Neptuni confugerant, tam ingentibus, tamque crebris terrӕmotibus Sparta concuſſa eſt, vt nulla prope domus expers tantӕ ruinӕ fuerit, atque longum eſſet calamitates eorum memorare, qui propter neglectam vel falſam antiquorum religionem in ſummum capitis diſcrimen inciderunt.

Prӕterea quoque non parua adhibebatur diligentia in obſeruandis victimis, vbi ad aras adductӕ fuiſſent, an libenter aſtarent: nam ſi reluctarentur, remouebantur ab aris, quia diis minime gratӕ eſſe putabantur. *Virgil. lib. 2. Georg.* Experiebantur prӕterea voluntatem victimarum per molarum inſperſiones, cum illis & cultri & victimarum tergora conſpergerentur & cultrum obliquum, à fronte ad caudam ante immolationem deducere ſolebant, *Virg. lib. 12. Æneid.* Enimuero tantum erat in obſeruandis victimis ſtudium, vt non ſufficere videretur, ſi quiete ad aram aſtitiſſent, niſi etiam annuerent ſacrificiis, vt ait Myrtil. *lib. 2. rerum Lesbicarum* his verbis; *Nam ſane ſacerdotes aquam infundere in aurem victimæ conſueuerunt, vt illa annuat illis ſacrificiis.*

Erant prӕterea aquӕ propriӕ ſingulis ſacrificiis magis aptӕ creditӕ, nam in ſacris & in nuptiis Athenis nulla aqua, niſi Callirhoes fontis, vti mos fuit. In Delo aqua templi nulla alia in re niſi in ſacris vti ſolebant, ac neque fluuiorum quidem cӕterorum omnium aquӕ omnibus ſacrificiis aptӕ putabantur: ſiquidem Ioui Olympio aqua Alphei grata fuit, vt in Arcadicis rebus teſtatur Pauſanias. At Amphiarai fontis vocati, qui erat in Oropiorum agro Amphiarai & Apollinis templo proximus, aqua neque ad luſtrandum, neque ad lauandas manus vti fas eſſe cenſebant.

Obſeruabatur prӕterea ex inſtitutis ſacrificiorum, vt ternarius numerus in ſacris

Digitized by Google

ſacris vſurparetur: nam vt ſcripſit Porphyr. *in lib. de ſacrificiis*, mos fuit antiquorum, vt cum floribus herbas & ramos arborum, & animalia dæmonibus prius offerrent, cum eſſent altiſſimo Deo immolaturi; quod quidem ter faciebant, vt illi dæmones ipſi ſummo Deo vota ac preces hominum ſacrificantium aſportarent, quos Dei ſupremi nuncios eſſe arbitrabantur. His enim & gratias agebant pro impetratis à Deo beneficiis, & ſalubria precabātur, & hos venerabātur vt ſummi & excelſi illius Dei miniſtros. His ita obſeruatis, tum ſacerdotes preces incipiebant, ac paucis præmiſſis vinum inter cornua victimarum effundebant. *Ouid. lib. 7. Metamorph.* Virgilius non ſolū ſacerdotes, ſed illos etiam quorū ergo ſacra fiebant, vinū inter cornua fundere ſolitos ait *lib. 4. Æneid.* Deinde paucis interiectis precib. farina hordei cum ſale permiſta primū in tergus victimæ ſpargebatur; quæ iſta de cauſa, tenui aqua, tanquam leui imbre fuerat à miniſtro perfuſa; atque illæ molæ dicebantur, quas Græci ὐλοχύτας vocarunt (ab ὐλαὶ, hordeum, & χέω, fundo.) Vbi igitur ita conſperſæ victimæ aliquandiu ſtetiſſent, dum preces à ſacerdotib. ſacrorumque præfectis agerentur, cultri ad eas iugulandas, aut ſecures parabantur, & hydria aqua plena ad lauandas manus miniſtrorum. Deinde poſt nonnullas precationes aliam molarum partem cum villis è fronte victimæ euulſis in ignem ſuper aram tunc accenſum coniiciebant, quæ prima libamina vocabantur, *Homerus lib. 3. Odyſſ.* Erat præterea illa conſuetudo, vt illi, quorum cauſa fiebant ſacrificia, altera manu cum precibus, dextra videlicet, aram tenerent, quem ritum attigit Virgil. *lib. 4. Æneid.* Nec longo ſane interuallo peractis quibuſdam precationibus victimas ſecuri percutiebant, *Homer. vbi ſupra.* Vbi igitur purgatæ & molis conſperſæ & diſſectæ fuiſſent victimæ, antequam illarum membra incenſis altaribus imponerentur, thus in flammas iniiciebatur, & in illud vinum è pateris in flammas in deorum honorem. Poſtquam hæc egiſſent, elegiſſentque partes victimæ, quas diis offerrent, reliquas in conuiuia, quæ per omnes ſolemnitates in honorem deorum fiebant, reſeruabant; at illæ partes quæ electæ forent ſacrificiis, vt ignem facilius admitterent, molis conſpergebantur, *Apollon. lib. 8.* Cum ignis poſtea exarſiſſet, vt etiam magis extolleretur, ſuper hæc vinum effundebant, *Homer. Iliad 1.*

In ſacrificiis illorum deorum, qui aerii putabantur, præter ignem etiam thus, multos odores & cantilenas addiderunt, cum illos harmonia delectari arbitrarentur; atque dii huiuſmodi credebantur omnes illi dæmones, qui à terra & ab aqua omnem regionem vſque ad locum ſtellarum ſupremum gubernarent. Nam ad triginta millia dæmonum eſſe ſcribit Heſiodus, qui Iouis ſint miniſtri, & obſeruent quæ fiant à ſingulis hominibus. Et quoniam cantus & harmonia, muſicorumque inſtrumentorum ſoni non ſine quadam voluptate aera permouent: illa de cauſa cantu etiam delectari illi dæmones crediti ſunt, *Hom. 1. Iliad.* Cæterum laudes quoq; deorum & hymni, dum vrerentur victimarum partes aræ impoſitę, circa ipſam aram canebantur; at cum vſtæ fuiſſent illæ, & quæ reſeruatæ erant in conuiuium, coctæ, his veſcebantur. Deinde poſt conuiuium antequam diſcederent, gratias diis agentes, quod eos in conuiuium accepiſſent, vltimam ſacrificiorum partem linguas victimarum in ſacros ignes coniiciebant, & vini parum ſuper illas, *Apollon. lib. 1.*

Quoniam vero dæmones illi qui mari præerant, pro natura loci craſſiores eſſe putabantur; idcirco in eorum ſacris craſſiora quædam corpora offerebātur, quæ ad *De ſacrificiis marinorū deorum.*

guſtum pertinerent corpuſque haberent magis ſolidum. Nam cum vinum in ſacrificiis deorum ſuperorum offerretur,& delectæ partes victimarum,tamen ex illis in ignem coniectis & concrematis nihil aliud ad eos deos niſi nidor & vſtulatorum animalium fumus perueniebat,vel odor thuris. At in ſacrificiis marinorum deorum res longe aliter ſe habere credita eſt: nam cum taurus Neptuno mactabatur,tunc ſanguis colligebatur in crateres,atq; non percutiebantur ſecuri victimę, ſed cultris iugulabantur. Erant autem nigræ illæ victimæ, quæ vel diis inferis, vel tempeſtatib. vel diis marinis offerebantur,fiebantq; ſemper in littore maris. Cæterum quum turbato Neptuno taurus immolaretur,tūc vbi eſſet placidus, mactabatur agnus,& aper aliquando: quæ etiam animalia, quum maris naturam variis temporibus indicarent,omnia ſimul aliquando cædebātur in Neptuni ſacrificiis. Iugulatarum deinde victimarum in ſacris marinorum ſanguis collectus in mare in patera fundebatur cum precibus,quod genus rituum à ſacrificantib. in littore ſeruabatur; ſin autem in mari initiarentur, victimas non in pateram,ſed in mare cum precib. iugulabant. In ſacrificiis etiam fluuiorum & patriorum deorum ac heroū, ſi qui per flumen nauigarent(nam mos fuit antiquis, vt diis eorū locorum,ad quę nuper accedebant, ſacrificarent,antequam de naui exirent, vt ii benigni ac fauſti exciperent accedentes)idem ritus ſeruabatur,cum vina in fluuios effunderentur cum precibus,vt ait Apollon.*lib.2.* Nymphæ item cum aquarum deæ eſſe putarentur,craſſiora quædam & ipſæ ſacrificia requirebant: quibus mel & lac offerebatur, & mulſum.

De ſacrificiis inferorum.

EQ. Hæc ſacrificia aliquam potuerunt pro ſtatu illorum temporum habere rationem plauſibilem. Abſurda vero nimium ſunt ſacrificia illa,quę inferis fiebant,quæ non ſolum tempore ſed etiam colore victimarum & ritu plurimum differebant; nam hæc ſacrificia non niſi per noctem fieri cōſueuerunt, vt ait Virg. *lib. 6. Æneid.*

Tum regi ſtygio nocturnas incboat aras.

Vt autem victimæ quæ ſuperis mactabantur,cum iugularentur,cogebantur iugulum ſuperius vertere: ita quæ mactabantur inferis, caput ad terram depreſſam tenebant,teſte Cleone *in 1. Argonauticorum*,& Myrtillo *in 2 rerum Lesbicarum*.In horum igitur deorū ſacrificiis victimę in effoſſas foueas iugulabantur,teſte Apollon. *lib.3.* Cumque iugulaſſent in foueam, vinum deinde cum precib. in ſanguinem effundebant.Cum vero ſacra fierent Plutoni inferorum regi,isque mens diuina putaretur,quæ in vniuerſam terræ molē eſſet diffuſa,omniaq; gubernando penetraret,ſicut Oceanus per mare penetrare creditus eſt;eius ſacra non prorſus abhorrebant à ſuperorum ſacrificiis: quare adhibebatur ignis huius ſacris, & illi delectæ cæſarum victimarū partes imponebantur cōburendæ,vt patet ex Virg. *lib. 6. Æn.*

Tum regi ſtygio nocturnas incboat aras:
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens fumantibus extis.

Nam oleū pro vino ſacrificiis Plutonis adhibebatur,omnino vero diis illis qui erant benefici,& albæ victimæ & placidæ mactabantur: at maleficis, ne nocerent, & nigræ & ferociores putabantur conuenire: ea tamen lege ſeruata,vt marib. mares,at fœminis fœminę victimæ cęderentur. Vinum prętерea omnium ꝑpe deorū ſacris erat accommodatum,at non in ſacris Cereris: nam in eius ſacrificia vinum inferri non oportebat, vt teſtatur Plaut. *in Aulularia*. Cauſa autem cur diis inferis ſacri-

ſacrificaretur, hæc prætendebatur, quod illi putabantur eſſe omnium malorũ auctores. Hiſq; ſacra fieri ſolebant ab iis qui ab aliquo morbo conualuiſſent, tanquã peperciſſent, quod genus *ἀποθειωμὸς* quaſi luſtratio nominabatur. Sola autem fuerunt Eumenidum ſacrificia, quæ illum præcipuum ritum habuerunt, vt à tacitis ſacerdotibus agerentur, qui Heſychidæ dicti fuerunt, ante quæ ſacrificia hero Heſycho aries immolabatur, teſte Polemone *in iis quæ ſcripſit ad Eratoſthenem*. Induebanturq; nigris veſtibus diis inferis ſacrificantes nigro, hoc eſt, nocturno tempore. Mactabaturq; his ouis nigra prægnans, neque vinum harum dearum ſacrificiis erat accommodatum, cum Nephaliæ dicerentur?

PH. Sapientiſſimi profecto & optimi illi homines fuerunt, qui primi inter mortales hanc opinionem introduxerunt, quod anima noſtra immortalis exiſtẽs, poſtq̃ fuerit ex his corporum vinculis ſoluta, ad ſeueriſſimos iudices accedat, ibiq; pro meritis vel ingẽtia præmia vel grauiſſima ſupplicia ſortiatur. Quid enim tam poteſt ab omnibus ſcelerib. animas hominum retrahere, q̃ ſi ſibi perſuaſerint, omnib. tum reddendam eſſe anteactæ vitæ rationem, cum neq; mentiri neque tergiuerſari licebit; ſed omnia quæ fuerunt in vita nefarie cõmiſſa vniuerſis gentibus conſpicua, tanquam maculæ aut putreſcentes puſtulæ in corporibus apparebunt? Quæ leges ciuiles, quæ conſuetudo ciuitatum, quæ ſeueritas iudiciorum tantũ poteſt in animas hominum? His enim neglectis multa flagitia clam cõmitti poſſunt: & nonnulli tormenta parui faciunt, & mortem, ſi ita res poſcat, æquiſſimo animo perferunt. At vbi neq; tunc tamen finem laborum & calamitatum ſibi adeſſe ſentiunt, mirum eſt, quantopere ab ipſa cõſcientia, & ab æternorum ſuppliciorũ metu retardantur. Hoc ita eſſe, facile fuit viris bonis & temperantibus perſuadere: at multitudini quæ non niſi craſſiori quodammodo allicitur aut impellitur, non faciebant hæ rationes ſatis ad perſuadendum: ſed multa apud inferos terribilia & vel dictu horrenda ficta ſunt, multa ad voluptatem excogitata, quibus rudiores homines ad probitatem adducerentur. Quis enim non cõmoueretur magnopere, cum ſciret, poſt mortem ſibi adeundam eſſe paludem Acherontis, quæ prima excipiebat obuias animas? cum terribilis animarum portitor Charon ſqualidus barbaq; promiſſa, ac rutilantib. oculis nigram nauiculam gubernaret, & nigro malo annexa caliginoſa antenna velificaret? cum Phlegethontem animo cõplecteretur frementibus flammarum vndis conuolutum? cum Cocytus ſubiret grauiſſimus & triſtiſſimus armis, cuius fremitus querularum animarũ voces imitabatur? cum Cerberus triceps, cum ſeueriſſimi iudices, cum furiæ venirent in mentem, quæ ſingulos cogerent per varia tormenta commiſſa ſcelera fateri. Quis vero, hæc ſerio ſecum agitans, intrepido animo aliquod flagitium aggrederetur? Accedebat ad terrorem terribilis inferorum tyranni vultus, ſtridularumq; cathenarum ſtrepitus à vinctis animabus tractarum: ſonabant plagarum verbera quæ ſontib. infligebãtur: exaudiebantur cruciatarum animarũ lamentationes. Hæc tametſi à nõnullis paruifierent ac deriderentur, tamen nemo erat, qui quidem extremum vitæ præſentis diem ſibi adeſſe ſentiret, quin magnopere formidaret, atq; vniuerſę vitæ rationem ad hæc non timenda ſi fieri poſſet, quam paratiſſimam eſſe non cuperet. Vnum eſt enim morituris bonum viaticum, innocentiæ, recteque præteritæ vitæ recordatio, quæ ſola nos intrepidos ad omnium iudicum præſentiam & ad omnia pericula perducit. Ex altera parte nos hortabantur ſapientes ad probitatem, ingentibus & iucundiſſimis voluptatibus propoſitis in campis Elyſiis.

Nam

Digitized by Google

Nam quicunque virorum bonorum inſtituta ſeruaſſet, ſanctéque vixiſſet, hic in beatorum cœtum deducebatur, vbi omnis generis ferax erat tellus fructuũ, aquæque de fontibus liquidiſſimis fluebant, ac prata variis florib. ver perpetuum agentia veſtiebantur: ibi concilia erant philoſophantium, ibi theatra poetarum, ibi cyclici chori, ibi muſica oblectamenta, ibi concinna & elegantia conuiuia, voluptaſque nulli moleſtiæ coniuncta. Nequeenim calor immodicus, nec frigus ſentiebatur, ſed aer ſemper ſalubris erat & temperatus, neque vehementioribus ſolis radiis inflãmabatur. Quod etiam eſt ſuauiſſimarum auicularum genus, quod ibi nõ mirificos concentus exerceret? aut quæ arbores ſunt odoriferæ, quæ non ſemper amæniſſimis florib. veſtirentur? hinc lites, hinc inimicitiæ, hinc odia, hinc latrocinia, hinc doli, hinc periuria, hinc inuidia exulabat. Hic feliciſſima vita, & ab omni moleſtia tranquilla, ſine mortis aut ægritudinis metu traducebatur, vt dicebant. Quod felicitatis genus illis ſolis expoſitum erat, qui ſanctè piéque vixiſſent, aut qui peccata quidem nonnulla, ſed medicabilia & leuia commiſiſſent, quæ quodam in loco non longe ab hoc expurgabantur. His rationibus ad corporis voluptates pertinentibus (alias enim voluptates vulgus non percipiebat) aliiſque ſimilibus conati ſunt antiqui multitudinis animos partim ſpe voluptatum, partim metu ſuppliciorum ad iuſtitiam vitæque integritatem reuocare. Et quoniam primus omnium mortalium Pluto iſtas rationes excogitauit, vt ſenſit Hecatæus, hunc eſſe locorum illorum regem crediderunt.

De ſacrificiis mortuorum.

EQ. Cæterum non diis ſolum, qui res humanas gubernare putabantur, ſacrificia fiebant ab antiquis, ſed etiam mortuis, tanquam dæmones quidam & ipſi exiſterent, ſacra offerebantur, ſiue cum quis ad inferos deſcendere putaretur, ſiue cum anniuerſariis ſolennitatibus aut aliis de cauſis ab inferis euocaretur, his parentabant. Cum aliquis igitur propinquus mortuus eſſet, mos fuit antiquorum, vt capillos deciderent, & lugerent in eius honorem qui mortuus eſſet, teſte Homero *lib 4. Odyſſ.* & Alcæo epigrammatographo in his carminibus:

Extinctum luget Pylades te Græcia tota
Ad viuam tonſis crinibus vſque cutem.

Hos vero capillos qui cædebantur, mos fuit tanquam inferias mortuis conſecrare, & cum lachrymis in tumulum extremum donum coniicere. Præſtantioribus autem viris atque opulentioribus mortuis pyra ſtruebatur inſignis: & ſi eſſent in bello mortui, captiui pro victimis cum illis vrebantur. Quinetiam non ſolum captiui, ſed etiam res cariores in pyram vna mittebantur, vel animalia quibus maxime delectarentur viui, teſte Homero *lib.23. Iliad.* & Virgil. *lib.10. Æneid.* Vbi has inferias obtuliſſent, cadauer ad pyram afferebatur, quo pyræ impoſito ignis à propinquiore ſubiiciebatur, in quam pyram vltima dona omnes amici congerebant, vel ad odorẽ vel ad guſtum pertinẽtia, vel vt pyra facilius concremarentur, deinde cineres & quod reliquum erat oſſium, colligebatur, vinoque rigabatur, vt cum ſuaui odore extingueretur, & in vaſa modo aurea, modo argentea, modo ærea includebatur, *Virgil. lib.6. Æneid.* At vbi anniuerſariæ fierent exequiæ, nihilominus munera ſuper aras extructas deponebantur, *Virgil. lib. 5. Æneid.* Erat tamen conſuetudo, vt ſterilis vacca animabus mortuorum plerumque mactaretur, *Homerus lib.11. Æneid.*

TH. Cum vero oſſa & cineres mortuorum pyra exuſta colligerentur, quomodo igitur cineres corporis demortui à cinerib. lignorum potuerunt dignoſci,

quia

Digitized by Google

quia namq; corpus ſuper pyra impoſitum crematum fuit, cineres vtrinq; fuerunt commiſti, proindeq; vix ac ne vix quidem ab inuicem potuerunt dignoſci?

PH. Non dubium eſt, & multi etiam ſunt in ea opinione, habuiſſe illos arcas lapideas, in quibus incluſa cadauera vrerentur, cum præſertim etiam Theophraſt. *in lib. de igne,* inquiat, omnia quæ intra lapidem circularem includerentur, in cinerem conuerti cadauera, cum vſta alioquin deſerant reliquias.

Cæterum ſin domi mortui eſſent, qui vrebantur, neque vlli eſſent captiui, qui iugularentur in pyram, res quæ cariores extitiſſent viuis, vna coburebantur: quare Virgilius Didonem facit inter cætera Æneæ res relictas ſecum in pyram deferentem. Sin exequiæ fierent pro iis qui mortui fuiſſent abſentes, erigebantur illis tumuli pro aris, atque his vinum & ſanguinem victimarum ad radices tumuli offerebant, & aliquando lac cum ſanguine, animasque vocabant ad bibendum ſanguinem, *Lucianus in Necyomantia & in Charonte, & Virg. lib. 3. Æneid.* Ornabantur autem aræ ſiue tumuli, quæ pro abſentibus defunctis erigebantur, cupreſſo, quæ arbor funebris putabatur, & vittis nigris aut cæruleis: mulieres adeſſe his exequiis non ſolebant niſi ſolutis capillis, cuiuſmodi exequiæ à Virg. deſcribuntur *lib. 3. Æneid.* Hæc fieri conſueuerunt pro abſentibus. Erat inſuper etiam conſuetudo, vt fores illarum domorum in quibus aliquis mortuus eſſet, cypariſſo ornarentur, ne quis neſcius ingrediens pollueretur: quæ arbor iudicata fuit funebris, quia ſemel cæſa non amplius repullulet. At cineres eorum qui vſti fuiſſent domi, ſepeliebantur, vt teſtatur Sophocles in Oedipode tyranno. Cum vero anniuerſariæ fierent exequiæ, nigræ oues mactabantur, & ſanguis earum in crateres collectus cum precibus in effoſſas foueas effundebatur, animæque vocabantur ad bibendum, vt ſignificauit Euripides *in Hecuba.* Neque vero ſanguinem ſolum, ſed vinum etiam in terram effundebant, *Hom. Iliad. 23.* Fuit etiam illis mos lac addere; flores etiam Virgilius *lib. 5. Æneid.* addidit. Mulſum præterea & aqua & molæ ſupra vinum & ſanguinem in foueam iaciebantur, *Hom. lib. 11. Odyſſ.* Omnino vero & res aliæ complures in foueam iaciebantur; & quod putabatur ſuperfuiſſe mortuis, ſiue quæ res è fouea non euanuiſſent, poſt abſolutas exequiarum ceremonias non longo temporis interuallo vrebantur, *Lucianus in Charonte.* Atque vbi animas aduocarent, ſupra congeſtum tumulum aſcendebant, atque inde ter animas altiſſima voce vocabant ipſorum mortuorum. Quod ſi vocatæ animę ad has exequias non accederēt, inter mortuos illi connumerabantur, quare ita ſcripſit Virg. lib. 1. Æneid.

Spemq; metumq; inter dubii ſeu viuere credant,
Siue extrema pati: nec iam exaudire vocatos.

EQ. Putida hæc & elumbia fuerunt. Itaque non diutius his immorabimur. Sed de victimis nunc porro agemus. Fuit enim non parua diligentia in eligendis victimis in ſingulorum deorum ſacrificiis; cum aliæ deis bonis vt prodeſſent, aliæ malis, ne obeſſent, cæderentur. Nam malis nigræ, bonis albæ conueniebant: ſterilibus ſteriles, fertilibus prægnantes, maribus mares, fœminis fœminæ. Telluri prægnans iuuenca mactabatur, Proſerpinæ ſterilis. Cereri non mare ſue, ſed fœmina res ſacra fiebat: at Baccho non capra, ſed hircus mactabatur. Cereri vero primitias frugum offerri mos fuit. In eiuſdem Deæ ſacrificiis præterea aliquando porca offerebatur ac cædebatur, quod eſſet id animal inuentis ipſius Deæ infeſtū. Sic Bacchus, quia caper infeſtum ſit animal ſuis inuentis, eius cæde lætari creditus eſt. At vero Marti furibundo taurus ferox animal immolari ſolitus eſt, & Apollini

Victima deorum de exploratione extoris.

I cum

Digitized by Google

cum ob nimium calorem excitaret peſtem, & frementi Neptuno, & implacabili Plutoni. Ioui vero nefas erat, Taurum immolari, rerum omnium moderatori, ſiue furibundum aliud animal: quia rerum omnium gubernatorem minime omniũ furibundum aut ferum eſſe conuenit, ſed omnem ſuam præſtantiam in conſilio & humanitate & prudentia collocatam eſſe putare. Mactabatur tamen bos arator aliquando, vt patet ex oratione Demoſthenis. *in Midiam* Homerus *in Iliade lib. 7.* ſuem cicurem immolari facit Ioui & Soli, quod animal ſane non immite eſt neque ferum. Lucianus *in Dialogo Ganimedis,* ait arietem Ioui etiam immolari ſolitum. Homerus alibi Soli, & Telluri, & Ioui agnos obtulit in ſacrificiis. Præterea etiam victimæ ob aliquam ſimilitudinem aliquando mactabantur, vt equus Soli, ob celeritatem, *Ouid. lib. 1. Faſt.* Dianæ cerua immolari ſolebat, Fauno capra cædebatur, quamuis aliquãdo res ſacra illi fiebat agna vel hędo, *Horat. lib. 1. carm.* Termino deo apud Romanos frugibus in ignem iactis, & fauis, & vino & agno litabatur, *Ouid. lib. 2. Faſt.* Nymphis vero lac & mulſum conueniebant. Cæterum & illud quoque non eſt ſilentio prætereundum, quod in rebus firmis ac ſtabilibus futuris, creſcentes victimas adhibebant, at in parum firmis ſeneſcentes. Variaque adeo ſacrificiorum genera diis variis offerebantur.

Cæterum victimarum aliæ mactabantur conſultandi gratia, quæ vocabantur conſultatoriæ, in his cæſis hepatis & fibrarum ſitus ab aruſpicibus diligenter obſeruabatur, ex quibus deorum voluntatem prædicebant; nam pluribus de cauſis antiqui diis ſacrificarunt: nunc vbi gratias agerent; nunc vbi aliquid peterent: nũc vbi iratos placarent: nunc autem honoris gratia tantum, vbi illos colerent. Fuerunt autem multi diuinandi modi, aut ab aſpectu auium, vnde erant auſpicia; aut à cibo, vnde ſoliſtimum ac tripudium; à garritu auguria; à cantu oſcinæ; à volatu præterea vel dextro vel ſiniſtro; ab afflatu diuino vaticinia, à fulgurum obſeruatione aſtrorumque peritia. Diuinabant præterea inſpicientes ignem, vel aquam, vel terram, & viſis oſtentis, aut prodigiis, portentis, monſtris, ſomniis aliiſq; huiuſmodi ſignis: diuinabant etiã vates, qualis fuit Amphiaraus, vnde Iophon Gnoſius oracula vatum multa carminibus complexus eſt. Qui conſulendi cauſa ad templum accedebant, omnes prius luſtrabantur, deinde arietes immolabant, quorum ſubſtratis pellibus dormientes nocturna viſa expectabant, de quibus fit mentio à Pauſ. *in Attic. reb.* & à Virg. *lib. 7.* Hæc vbi contigiſſent, opus eſſe Deos placare per ſacrificia crediderunt, aut eorum voluntatem inquirere.

PH. Græci Extiſpicinæ, *ἡπατοσκοπίας* ſiue diuinationis ex inſpectione hepatis inprimis habebant reſpectum; quamquam enim explorarent ea omnia, quæ viſcerum nomine continentur, vt epar, lien, cor, renes, & cetera: iecur tamen vaticinii huius ſedem & fontem eſſe, eoque recte conſtituto, & optime temperato pro victimæ natura, læta promitti: vitiato aut mutilato, aduerſa portendi opinarentur, ſiue refragarentur cetera, ſiue conſentirent: & quod inde initium conſiderationis fieri oportebat. Cuius cauſam, vel ex natura deſumptam, vel ex Patrum hiſtoriis profectam, ratiocinor. Etenim, inter viſcera, primo omnium formatur epar, ex ſanguine menſtruo, qui, ex prægnantium corpore, in matricem attrahitur, & fons eſt ſanguinis: cumque valet vigetque, ſanguinem gignit purum, naturæque conuenientem: de bono ſanguine, bona fit, in ceteris partibus, nutritio, nec facile temperies ſpirituum, in corde, & cerebro, ipſorumque membrorum inficitur aut læditur, ſi inſtauratur & fouetur benigno, exacteque temperato & elabora-

borato ſanguine. Ergo, ſi in fonte ſanguinis nihil reperiſſent vitii, ratiocinabantur, reliquas partes omnes, integritate & puritate, epati congruere, vtpote quæ, nutrimento inde tranſmiſſo, reficerentur & alerentur, notisque cæteris certius & tutius fidebant. Eligebant enim, Patrum exemplo, victimas integras & illibatas: contra pollutis, morbidis, aut quacunque affectis labe, offendi & commoueri ad iram deos, conſtanter credebant. Idcirco, priusquam adhiberent eas ſacrificiis, diligenter cõtemplabantur, & pertentabant forinſecus, nunquid, quod immundiciem argueret aliquam, vel labem interiorum, aduerterent. Inchoata ergo extorum contemplatione à iecinore, ſi illud grata & natiua purpura tuberet, nullaque eſſet contaminatum labe: vel, ſi caput iecinoris auctum duplicatumve, aut geminum iecur reperiretur: vel, ſi extremæ fibræ, verſus interiora, replicatæ ac conuolutæ viſerentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certiſſima dare, & magnas acceſſiones, potentiæ amplificationem, prolationem finiũ, triumphos, ſumma dignitatum faſtigia, deſignare augurabantur. Conſtitutis etiam, in epate, geminis capitibus, vnum hoſti, alterum illi, in cuius gratiam inſtituebatur diuinatio, deſtinabant: alterutrum eorum, ſi, vel corrugatum emarcuiſſet, vel colorem habitumque ſuum, quouis modo, mutaſſet, ruinam aut inclinationem, aduerſaque omnia minitari: ſi velut inflatum atque diſtentum intumuiſſet, & florido enituiſſet colore, motuque alacri & continuo micaſſet, victoriam certam ſpondere, & ſucceſſus feliciſſimus illi putabatur, cuius nomine cædebatur. Lucanus, exta Cæſarem victorem renunciaſſe, contra Pompeium, annotauit:

Quodq; nefas nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem,
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas mouet improba pulſu.

Si vero, aut obſitum vlceribus puſtulisve, aut liuore deforme, aut duritie contractum corrugatumve abſceſſibus, aut humoribus vitioſis imbutum eſſe, atque obſtructum: vel, ſi in ſua non conſpiceretur ſede, ſed aut à præcordiis auulſum ſubſediſſet, aut, permutatis ſedibus, lienis locum occupaſſet, illo in dextram regionem tranſlato, aut procidiſſet in anteriora: vel, ſi contabuiſſet, aut alioquin gracilius iuſto aridiusque appareret: vel, ſi totum defuiſſet, aut ſolo caruiſſet capite: denique ſi, inter coquendum, purulenta inquinaretur ſanie, aũt ad eum exareſceret modum, vt inter exta non emineret, aut colliquatum diſſolueretur in pultem: hæc piacularia eſſe funeſtaque, adeo perſuaſum erat, vt ſecus accidere, atque ab his demonſtratum erat, nihil poſſe affirmaretur. Sic anno vrbis 636. Catoni Conſuli immolanti exta emarcuerunt, & caput iecinoris euanuit. Caio principi, & M. Marcello iecur ſubito extabuiſſe, annotatum eſt. Lucilio Lupo inter exta caput iecinoris non inuentum eſt. Quare prælio periiſſe exiſtimatus eſt.

A iecinore Cor inſpiciebant: id ſi palpitaret, aut exiliret, aut flacceſceret, aut minus iuſto appareret, aut omni deſtitueretur pinguedine, aut coiuiſſet in rugas, aut, inter exta, omnino non viſeretur, exitii, diræque, atque infeſtæ fortunæ omina præbebat. Nam & Iulio Cæſari, quotidie, purpurea veſte proceſſit, & à coniuratis interfectus eſt, cor bis in opimis bobus defecit, & Caio Mario Vticæ immolanti. Sic Pertinaci Cæſari vtriuſque viſceris, epatis & cordis defectus, in ea, quam ante mortem mactari iuſſit, victima, interitum portendit. In ara Veneris

Paphiæ, vbi, puro igne & precibus altaria adolebantur, certiſſima ſemper fibris hœdorum fides eſt habita. Adiiſſe hanc & conſuluiſſe Titum Veſpaſianum Filium prodidit Cornelius Tacitus, qui & templi & ſcientiæ artiſque haruſpicum eo in loco originem refert. Si vero, aut ſolito grandius, aut ſpiſſum, glabrumque, & humectum, nec flaccidum, nec ex ariditate, in plicas rugasq; cõtractum cor inueniretur, aut ſi in ſumma baſi, largiore pinguedine, veſtitum foret, aut abriperetur ab aquila, propitios hæc deos & cœptis annuentes, flatusq; ſecundos aſpiraturos, confirmabant.

Corde explorato, ad fellis, lienis, pulmonum, & membranarum viſcerà ambientium conſiderationem ſe vertebant. Si *κύστιν χοληδόχον*, *veſiculam fellis*, geminam, qualem Auguſto exhibitam ferunt, eo die, quo Antonium profligauit ad Actium, aut copioſa bile turgentem atque effluentem notaſſent, acria & felicia prœlia expectabant. Si ſuo loco poſito lienem, ſine puſtulis, duritie, corrugatione, ſineq; alieno colore, conſpexiſſent, felicia propoſitæ rei ominabantur. Si contra in dextrum lien vergeret, aut antrorſum propenderet, aut reperet deorſum, aut notas alienas, à natura ſua, haberet: Si exta, ex ſacrificantium manibus, decidiſſent: Si viſcera aut cruore fœdius aſperſa, aut liuido fœdata colore, aut macula variata forent: Si peritonæum ruptum alicubi hiaret, aut ſanguine ſuffuſum eſſet: Si phlyctænis & ampullis, pure aut ſalſilagine refertis ſcaterent inteſtina, aut lacerata eſſent intus, vel rupta ac diuulſa: Si dracones inter exta ſerperent: Si fœterent viſcera, aut putrilaginem redolerent: fatalium hæc & iam imminentium malorum indicia erant, quæ, pro cõditione earum rerum, de quibus victimæ conſulebantur, vates interpretabantur.

Pulmones bifidi inciſique moras adferebant rebus, & cunctationes: ſimplices & ſolidi, mora rupta continuabant rerum curricula, & executionem maturabant.

Sacrificia *ἄσημα*, quibus nulla inerant ſigna, Muta: quæ conſpicuas & illuſtres notas exhibebant, Arguta: quæ multum fortunæ & felicitatis pollicebantur, Regalia Romani vocabant. Et tanti faciebant has diuinationes, vt & libris deſcribi rationem conſulendi, eosq; inſtar oraculorum, cuſtodiri publice, & in ea diſciplina, ſuos exerceri à teneris curarint liberos, nihilq; mouerint aut cœperint, niſi ſacrificiis diligenter perluſtratis & examinatis. Affici enim victimas, notisq; monitricibus euentorum ſubito ceu conſignari ab iis numinibus, quæ adeſſent coram vocata, & ritus ſpectarent, perſuaſiſſimum habebant.

TH. Sæpius ego admiror, tam crebrum in ſacrificiis Ethnicorum, porcorum vſum, cum tamen lege diuina veteri non tantum eius vſus in ſacrificiis, ſed etiam in cibis omnino prohibitus fuerit. Quę quidem prohibitio non caruit inſigni ratione. Eſt enim lutulentum hoc animal & immundum, nec vnquam cœlum aſpicit, ſed in terra, toto & corpore & ore proiectum, ventri ſemper & pabulo ſeruit, nec vllum alium dum viuit, vſum præſtare poteſt, ſicut cæteræ animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum iuuant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuuiis ſuis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus euigilant. Interdixit ergo Deus, ne porcina carne vterẽtur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus ſeruientes, ad iuſtitiæ ſtudium & exequutionem inepti eſſent. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent ſicut ſus,

quæ

Digitized by Google

quæ ſe ingurgitat cœno:vel ne terrenis ſeruiant ſimulachris,ac ſe luto inquinent: luto enim ſe oblinunt,qui deos,id eſt, qui lutum terramque venerantur. At vero pluribus diis antiquitas ſæpius porcos mactauit. Syluano porcum cæſum, docet Iuuenalis Satyr.*6.*

Cædere Syluano porcum.

Et Cereri Eleuſinæ quoque immolatum legimus apud Varronem *lib.2.c.4.* quod pariter confirmat Tibullus lib.eleg.primo,eleg.10.

Hoſtiaq́ę plena myſtica porcus ara.

Nonnũquam & Veneri mactari ſolitum ſcribit Callimachus.In funere defunctis & cæſam porcam Marcus Victorianus in hæc verba ſcriptum reliquit: *Qui iuſta defuncto non fecerunt,aut in faciendo peccauerunt,iis porca contrahitur,quæ omnibus annis immolari oporteat.* Hinc Cicero 2 de legib. *Sunt iura,quæ in porca contracta.* Poſtremo & in feriendo fœdere porcus ſilice occidebatur, quod ex Liuio hoc in loco, & libro etiam 9.elicimus: & Quinctilianus *lib.8.*cõfirmat, inquiens, cædi ſolere porcum in feriendo fœdere. At Sueton.non porcum,ſed porcam mactari ſolitam tradit *in Claudio,cap.25.* per hæc verba: *Cum regibus fœdus in foro icit porca cæſa.* Virgil. lib.8.Æneid.

Cæſa iungebant fœdera porca.

Idem pariter ſentit Feſtus,ſcribens, Porci effigiem inter militaria ſigna locum obtinuiſſe,quia confecto bello,inter quos pax fieret,cæſa porca fœdus firmari ſolebat,quod pariter Varro confirmat. Porci autem,qui in ſacris cædebantur,ſeu ſacris faciendis deſtinabantur,*ſacres* appellabantur. Plautus in Menechmis: *Quanti hic ſunt porci ſacres?* & in Rudenti: *Vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero Laribus familiaribus,cum auxerunt noſtram familiam,ſunt domi agni & porci ſacres.* Quod idem eſt his,quos Tibullus myſticos dixit,quoſque Ariſtophanes modo *μυστηρικὰς*, modo *μυστικὰς* vocauit. De modo feriendi fœderis,& mactanda porca plura Cic. *lib.de Inuent.*

EQ. Quale pecus,tale ſtabulum. Nam Diabolus gaudet porcorum ſterquilinio,id quod ex hiſtoria porcorum Gergeſenorum notum eſt. Cæterum habuerũt etiam ſacrificia ſiue ludos taurios,qui quidem non admodum pro ſtatu illius temporis,ſi abfuiſſet ſuperſtitio,forent improbandi. Ludos autem hos Taurios, Feſtus Pompeius tradit *lib.18.* olim inſtitutos, & diis inferis conſecratos, quod regnante Tarquinio Superbo magna in mulieres grauidas incidiſſet peſtilentia, ob diuturnam taurinæ carnis eſitationem. Denominationem autem puto deſumptã à Tauris,quibus in huiuſmodi ludi genere vterentur. Sicuti Taurinam Romæ portam, Eſquilinam etiam dictam legimus,à bouis capite,quod ſupra erat inſculptum; & *Taurobobium*,ſacrificium taurorum, & *Suotaurilia*, ſacrificium ex oue,ſue & tauro paratum. Quod autem in ludis Romani taurorum pugnam frequenter ſpectandã præberent,veluti & hodiernis temporibus fieri videmus in alma vrbe, Venetiis, Florentiæ,& alibi,deprehendimus ex Plutarcho *in lib.de Alexandri fortuna*,& Seneca *lib.de Ira 30.* vbi pugnantes tauros in Ludis Phœniceo colore,& rubicundo irritari,efferarique ſcribunt. Et Plinius *lib.8.c.45.* de tauris verba faciens ait: *Teſſalorum gentis inuentum eſt,equo iuxta quadrupedante, cornu intorta ceruice taurum necare; primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar Dictator.* Varro *lib.1.* aut aliorum computatione,quarto. *In tauriis ludis*,inquit,*conſuetum metas circumcurrere*, quod nec à tauris alienum,ſcribente Plinio ibid. hæc de tauris verba: *Bigarumq́ę etiam curſu citato velut*

aurigas inſiſtere. In ludis itaque religionis cauſa factis, id eſt, in Deorum honorem, taurijs, vel taurilijs appellatis tauris, vſos fuiſſe Romanos, ob idq; ita appellaſſe, non ſolum ex dictis patere puto, ſed & antiquorum numiſmatum fide comprobare poſſumus. Sebaſtianus Erizus Cæſaris Auguſti argenteum nummum, in cuius aduerſa parte inſculpta eſt pugnacis tauri effigies, enarrans, inquit, eum cuſum ob memoriam ludorum tauriorum ab Auguſto celeberrimè factos. Ego argenteos nummos antiquos binos vidi ſimiles vndequaque. In parte vna impreſſum erat caput Mineruæ Galeatæ, & galeę cono criſtam adiectam, vel plumeam, vel ex cauda equina, vel ex alia re conſimili, quales ſępe deſcribuntur ab Homero in Iliade: in altera taurus integer impreſſus eo ſtatu & ſitu, vt videatur colluctari, atque aliquem cornu petere velle: habet enim caput oblique demiſſum, & cornua ad feriendum accommodata & compoſita: pedes aũt inflexos & incuruatos, quaſi eis terram fodere, & puluerem ſpargere conetur, iuxta illud Virgilian. *lib. 9. Æneid.*

Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

In ora infima inſcriptum eſt ΘΟΥΡΙΩΝ. Hos nummos eadem de cauſa cuſos affirmare poſſumus, nam Græci dicunt θορεῖν, quod Latini impetum facere, ſeu impetu inſilire, & θούριος, dictus eſt Mars, quod eſt bellicoſus ſeu pugnax, θουραῖος, potens, audax, θοῦρος, impetuoſus.

EQ. Apud Lindum quoque, quod eſt oppidum Rhodi, Herculis ſacra, ridicula illa ſane olim fuerunt, quorum à cæteris longe diuerſus fuit ritus, ſiquidem non εὐφημίᾳ (vt Græci appellant) ſed maledictis & execratione celebrabantur, eaq; pro violatis habuerunt, ſi quando inter ſolemnes ritus alicui vel imprudenter bonum verbum excidiſſet. Cuius rei hæc ratio reddebatur, ſi tamen vlla eſſe ratio in rebus vaniſſimis poteſt. Hercules cum eo delatus eſſet, famemque pateretur, aratorem quendam aſpexit operantem, ab eoq; petere cœpit, vt ſibi vnum bouem venderet. Ille negauit fieri poſſe, quia ſpes ſua omnis colendæ terræ duob. illis iumentis niteretur. Hercules ſolita violentia vſus, quia vnum accipere non potuit, vtrumque ſuſtulit, at ille infelix, cum boues ſuos mactari videret, iniuriã ſuã maledictis vltus eſt, quod homini eleganti & vrbano gratiſſimum fuit. Nam dum comitib. ſuis epulas apparat; dumq; alienos boues deuorat, illum ſibi amariſſime conuitiantẽ cum riſu & cachinnis audiebat. Sed poſtquã Herculi diuinos honores ob admirationẽ virtutis deferri placuit; à ciuib. ei ara poſita eſt, quam de facto βόζυγον, i. bouis iugum nominauit, ad quam duo iuncti boues immolarentur, ſicut illi quos abſtulerat aratori; eumq; ipſum ſibi cõſtituit ſacerdotẽ, ac pcepit, vt iiſdẽ maledictis ſẽp in celebrandis ſacrificiis vteretur, qꝫ negaret, ſe vnquam epulatum eſſe iucundius.

TH. Hæc non ſacra ſunt, ſed ſacrilegia; in quibus id ſanctum ducitur, quod in aliis ſi fiat, etiam ſeueriſſime vindicatur.

EQ. Ridicula ſunt hi cultus; at magis ridiculi cultores, qui vel inhoneſto ſaltatu in huiuſmodi feſtorum ſolemnitatib. tripudiarũt, vel qui nudi, vncti, coronati, perſonati, aut luto obliti hinc inde diſcurrerunt. Sunt profecto ineptiæ hominum pene demẽtium. Quid de ſcutis iam vetuſtate putridis dicam? quæ cum portarũt, Deos ipſos ſe geſtare humeris ſuis arbitrati ſunt. Furius Bibaculus inter præcipua olim pietatis exempla numeratus fuit, qui cum prætor eſſet, tamen lictorib. præeuntibus Ancyle portauit; cum haberet magiſtratus beneficio magiſtratus eius vacationẽ. Nõ ergo ille Furius, ſed plane furioſus fuit, qui præturã hoc miniſterio ſe putauit ornare. Quis vero hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid ſanitatis?

cum

cum videat homines velut mente captos ea ſerio facere, quæ ſi quis faciat in luſu nimis laſciuus & ineptus eſſe videatur. Merito igitur, præſertim quando hæc à viris non imperitis ac rudibus fiunt, Lucretius exclamat:

O ſtultas hominum mentes, ô pectora cæca!

Porro inſigniter obſcœnum fuit feſtum Floræ deæ in nuditate corporũ olim celebratum; cuius obſcœnitatem vel eo ipſo prodiderunt, quod in præſentia virorũ grauium à celebratione conſueta abſtinebant. Cum enim Cato aliquãdo in theatrum, in quo eiuſmodi ludi à nudis ſcortis celebrabantur, ingreſſus fuiſſet, mulieres tanti viri grauitate & auctoritate permotæ, nudare ſe noluerunt, tantiſper dum diſcederet. Idem vero theatrum illud, idem & proſtibulum Iſidorus putauit, eo, quod poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur, vt Tertullianus non abſque ratione eas tanquam publicæ libidinis hoſtias in ſcena proferri dicat. *Feſtũ Floræ deæ in nuditate corporum celebratũ.*

EQ. Britannis quoque longe tempore mos inoleuit, coniuges & nurus nudas, & ſucco herbarum delibutas ad templa ducere, & ita ſupplicare, ac captiuorũ ſanguine diis litare.

TH. Horreſco legens impudentiam, lubricitatem & libidinoſam cęcitatẽ veterum, inprimis autem de Venere Gazæa. In triuio enim vel quadriuio ſtabat ſtatua marmorea, cuius effigies erat Veneris, vti habebatur, inſtar nudæ fœminæ, quę palam oſtendebat verenda ſua. Statuam hanc in honore habebant omnes ciues, maxime vero mulieres lucernas accendentes, & thure ſuffientes. Dicebãt etiam eam in ſomnis reſpondere iis, quæ volebant inire matrimonium. Decipiebantur autem egregie, plerunq; enim iuſſis à dæmone contrahere matrimonia, peſſime illis cedebat, rixæque atque diuortia inde oriebantur.

EQ. Sæpius ego miror, quo colore Tiberius, Heliogabalus, aliique Imperatores obſcœni flagitioſam ſuã ipſorũ vitã, & mores turpiſſimos palliauerint, qui nudas puellas ſibi cœnantib. miniſtrare, atq; etiam currum trahi voluerunt, & eiuſmodi obſcœnis & libidinoſis actionibus iiſq; publicis admodum delectati ſunt

PH. Allegarũt haud dubie antiqua Lycurgi inſtituta de veſtitu & exercitiis puellarum cum adoleſcentibus, allegarunt etiã Platonis conſtitutiones in libris ſuis de repub. & legib. in quibus iubet mulieres, non ſolum iuuenculas, ſed etiam anus in gymnaſiis nudas cum viris luctari: adoleſcentulas nudas curſu & equis certare, & in ſolemnitatib. eas quoq; nudas cum nudis iuuenib. tripudiare. Nullam enim omnino cuſtodiam à libidine tutam eſſe, niſi animus caſtitate & pudicitia ſit munitus, prætendentes. Crebro etiam haud dubie allegarunt Auguſti Cæſaris in ſimili fere negotio reſponſum quoddã. Cum enim Liuiæ coniugi Auguſti aliquando obuiam facti eſſent quidam viri nudi, eaque de cauſa (iuxta antiquam Romuli legem: *Qui ſe nudum à fœmina videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus habeatur*) necãdi eſſent, ita eos eripuit morti, ꝙ diceret, pudicis mulierib. hos nihil à ſtatuis differre.

EQ. Frigida hæc eſt excuſatio, eſtque repetitio, quam vocant principii. Quis enim ſanus allegatas Lycurgi, & Platonis conſtitutiones vnquam approbauit? Imo ſummopere à viris grauibus hoc nomine reprehenduntur. Sic enim Euripides *in Andromache*, de hiſce Lycurgi conſtitutionibus in eleganti quodam, carmine, quod Latine ſic ſonat:

——Neque ſi velit quapiam
Caſta eſſe, queat Spartana puella
Quæ cum iuuenibus relinquentes domos

Nudis

Nudis femoribus & tunicis diſſolutis,
Curſus palæſtrasq; non tolerabiles mihi
Communes habent, & tamen admirabile videtur
Si non caſtas mulieres educatis!

Appellatque Euripides mulieres & virgines Laconicas, quæ lege Licurgi, nudæ in publicis ſpectaculis ſe exhibebant & exercebant, ἀνδρομανεῖς, quod impudica ſuorum corporum nuditate, multos ad furorem turpis amoris & libidinis adigerent. Et Plato quoque ob allegatam conſtitutionem, quam, ſecutus conſtitutiones Licurgi, libris ſuis politicis inſeruit, ab Euſebio aliisque ſcriptoribus Eccleſiaſticis grauiſſime reprehenditur.

TH. Et Auguſtinus ita ratiocinatur: Si nihil in libidine illa ineſſet pudendum, non texiſſent ſua genitalia primi homines poſt peccatum. Nam genitalia potius, quam ora per quæ comederant, texerunt & occultarunt: atque ea ipſa non manu, ſed ficu, ne ea vel ipſi attingerent, tanta nimirum turpitudo in iis poſt peccatũ inhæſit.

PH. Non admodum ſane & ipſe ego iſtiuſmodi feſta probare poſſum. Quid vero de illis cultibus, quorũ ſolemnis & veneranda fuit quędã grauitas? Verbi gratia, Πυρσοκοπία & πυρομαντεία, quę ex incenſarum & iam ardentium victimarum flãmis de euentibus coniecturas capiebat. Inſederat enim in animis hominum illa, quæ inde vſq; à patribus manarat opinio de inflammatis cœlitus victimis, quod ita intelligebant, vt Deum ipſum flammea ſpecie ex alto delapſum victimas deuoraſſe crederent. Inde & numen flammis illis condi tegique, & cum rapidiſſimo motu in ſublime tenderet, abripi eo ab aris victimas, transferrique in cœlum, neque in vlla ſacrificiorum parte clariora certioraque de numinis affectu teſtimonia conſpici, ſtatuebant firmiter. Quare nec quouis igne adoleturi ſacrificia vtebantur, ſed eo tantum, quem ex fomite, à radiis ſolaribus incenſo propagatum, lignis appoſitis, perpetuo in peculiaribus templis magna religione fouebant & conſeruabant, ita vt neque extingui eum ſinerent, neq; vſurpari alio, niſi ad ſolas victimas, & vt pollutum expiarent. Romani cuſtodiebant eum ignem, tanquam arcanum & cœleſte depoſitum, per virgines Veſtales ſeu ἑστιάδας, conditum in penetralibus ſacris, & velut ſanctiore receſſu templi Veſtæ, cum Palladio & Diis Penatibus Troia aduectis; quo nulli hominum, niſi Veſtalibus & Pontifici, vt ἱεροφάντῃ καὶ ἱεροφύλακι, *ſacrorum antiſtiti & cuſtodi*, adire fas erat.

Templum Veſta Romanum.

EQ. Ita eſt Nam templum ipſum hodie adhuc forma circulari rotũdum, in valle, quæ Palatino & Capitolino interiacet, viſitur, notũ nomine S. Marię de Gratia. Id interdiu ingredi vetabatur nemo: ſub noctẽ eo accedere maſculo non licebat, fœmellæ fas erat; neq; effigiem in eo aliquam, nec ſimulacrũ collocabant vllũ. Veſtam enim diuinum ignem credebant eſſe, vt, velut per ſomnium à maiorib. acceperant, qualem in tabernaculo Domini ſacerdotes Iſraelitici nutriebant.

PH. Et Veſtæ nomen Latinis, τῆς ἑστίας Græcis, quorum vna eſt origo & forma eadem, nihil ſignificant Latinorum vel Græcorum Lingua. Hebræa eſt vtraque vox, & quidem ex Eſchia cõpoſita, quod ignem Dei ſignificat. Ex quo ſatis apparet, à Patribus hanc conſuetudinem defluxiſſe, & remanſiſſe inter Ethnicos, cum tenui vmbra deprauatorum rituum. Videtur & Aſcanii nomen aliud ſignificare nihil, quam ſacri ignis cuſtodem & ſacerdotem, ab Eſch Kohen.

EQ. Collegium Veſtalium à Numa Pompilio inſtitutum principio, & quatuor tantum

tantum virgines ſolemniter initiatas, quarum nomina feruntur fuiſſe, Gegamia, Beremia, Camilia & Torpeia: lapſis inde tẽporibus, cum in ſex partes populus diuiſus eſſet, quo ciuium partibus Veſtalium numerus reſponderet, duas additas, Dionyſius auctor eſt: *Virgines, inquit, Veſtales numero quatuor, à Numa ſacris initiatæ: quibus deinceps duas adiecerunt, quæ facta permanſerunt.*

PH. Aucto & propagato imperio, creuit numerus ad vicenarium, quarum, quæ pręſidebat, dicebatur Maxima. Cooptabãturque in hunc ordinem arbitrio decretoq; Pontificis Max. delectæ ex ingenuis & libero patre genitis, quarum integritas erat ſumma, pudor incorruptus, virtus perſpectiſſima: inuitæ vero ac detrectãtes etiã cogebantur. Si qua mortẽ oppetierat, in eius locum ſurrogabatur alia, quã nec minorem ſex, nec maiorem decem annis, nec patrimam aut matrimam eſſe, nec oris aut ſenſuum vitio aliquo laborare, nec patre, qui tres pluresve ſuſcepiſſet filios, nec matre, quæ diuortium feciſſet, procreatam eſſe oportebat. Admiſſæ ad ſacerdotium, ſacrum ignem fictilibus vaſculis incluſum, repoſitumque in abditiſſimis penetralibus Veſtæ, ſubdito, cum opus eſſet, alimento tuebantur & aſſeruabant, eamque curam & cuſtodiam per vices agebant. Si quando extinctus foret, id inter maxima prodigia habitum, & anxia ſolicitudine expiatum fuit: nec minus negotia omnia ceſſabant & intermittebantur, illo non procurato, aut diis non propitiatis, quam ſi dira aut tetra prodigia nunciata eſſent. Ea vero virgo, cuius incuria defeciſſet ignis, à Pontifice Maximo in conclaui abdito, locoq; penitus abſtruſo, lineo velo obtento, flagris cædebatur. Extinctus reparabatur, vaſe æneo pellucido, trium angulorum, ad Solis iubar expoſito, detentoque eo vſque, donec radiorum repercuſſu, vibratuq; & collectione, calore aucto, aridus fomes ex aduerſo collocatus, ignem inde conciperet. Initiatas triginta annorum caſtitatem ſpõdere & præſtare oportebat: quos ita partiebantur, vt primo decennio, quæ de cultu & ceremoniis, ritibusque ſacrorum libris deſcripta erant, ediſcerent, altero, quæ didiciſſent, opere complerent: tertio, alias eadem diſciplina, cui ipſæ aſſuerant, inſtituerent & exercerent. Conuictæ & damnatæ inceſtus, ſtata die, ſub effoſſa humo, ad portam Collatinam, in loco, cui ſcelerato nomen erat, viuæ defodiebantur. Stuprator in comitio cædebatur ad necem. In imo foueæ ſubterraneæ, quo ſcalis deſcenſus patebat, repoſita erant, lectulus, lucerna ardens, panis, lac, aqua, & olei modicum. Virginem damnatam, cũ demptis vittis è vertice, cultu miſerabili, maximo omnium horrore, eo Põtifex feretro perduxiſſet, ſolutam vinculis, ſolemne præfatus carmen, ad oſtium foueæ conſtituebat, cumque deſcẽdiſſet, illo auerſo, mox, ſcalis ſublatis, cæteri aggeſta deſuper humo, viuam obruebant. Illa die tanquam lugubri & ominoſa, iuſtitio indicto, nihil publice geri licebat. Si quando Veſtales ſacra diis libarent, aut Veſtæ rem diuinam facerent, vittis incedebant redimitæ albis, prætextu oblongo & quadrangulo deſuper impoſito, fibulaque ſubnexo, & albo indutæ veſtimento, cui ſuffibulum nomen erat: & mola ſaleque tuſo in fictilem ollam miſſis, aqua mox iniecta ſacra faciebant. Defectum capillitium perire atterive non ſinebant: ſed in Lotum arborem cõſpicuæ magnitudinis, quæ in Lucinæ ara colebatur, tanquam ſacroſanctum deponebant, quæ inde capillata dicta eſt. Tantus eſt habitus huic ordini honos, vt & aduerſus eas, aut iuſſa & decreta earum, nulli Magiſtratui intercedere liceret: &, ſi qua diſſidia incidiſſent, vel offenſæ aut ſeditiones exortæ fuiſſent, Veſtalibus intercedentibus & deprecantibus

Digitized by Google

componerentur, & pacis fœdera inirentur: idque ideo, quod æterni & ſacri ignis cuſtodes eſſent & conſeruatrices.

TH. Poterat huiuſmodi diligens cultus obſeruatio ſacrificiorumq; ratio certis numeris atq; obſeruationibus definita, homines fortaſſe compellere ad credendũ, aliquid ſubeſſe diuinitatis in ipſis diis, ſi vna cum puritate hoſtiarũ, quæ mactabãtur, animi potius quam corporis ſordes expurgaſſent ſacrificuli. Veruntamẽ cum impurorum deorũ aris & ſacrificiis impuriores præfecti eſſent ſacerdotes, neceſſe fuit omnia his ſuperſtructa tandem corruere. Pręterquam enim quod altaria & tẽpla tanquam lucri tabernas vbiq; extruxerunt, eoq; artificioſe homines deceperunt, nullumq; adeo fallaciarum genus prætermiſerũt, vt ſuperſtitione oppreſſos in officio retinerent, etiam nulla crudelitas quam in homines exercebãt, ab aris & templis hòrum deorum abeſſe conſueuit. Pauca horum ex infinitis prope, vt res apertior fiat, allegabo, quæ pertinent ad horum deorum crudelitatem cognoſcendam.

Maſtationes hominum.

Scriptum reliquit Dionyſ. Halicar. *lib. 1.* magnam peſtem aliquãdo ortã fuiſſe in Pelaſgorum regione, atq; omnia prope animalia deorũ ita intercidiſſe, & fœminas vel mutilos infantes peperiſſe, vel abortũ feciſſe. Iſtud vero contigiſſe, quoniam orta ſterilitate agrorum, ab ea vt liberarentur, vouerant optima quę naſcerẽtur, ea ſe diis conſecraturos: mox facti voti compotes non reddiderunt quod promiſerant, cum multo precioſiora cæteris retinuiſſent. Deinde ſciſcitantibus, quo pacto poſſent liberari hac tanta calamitate; mox hominum decumas fuiſſe ab ipſo oraculo petitas, teſtatur Dionyſ. & Euſeb. *lib. 4 Euangel præpar.* Idem quoque Dionyſ. teſtatur, Saturno, antiquiſſimo prope deorum, hominem antiquitus immolari ſolitum: nam vt ait Plutarch. *in libello de ſuperſtitione*, Carthaginienſes ſponte liberos huic Deo mactabant: qui vero liberos non haberent, à patribus emebant, immolabant: aſtabant parentes, qui ſi lacrymauiſſent aut ingemuiſſent, ſine honore vitam in poſterum degebãt, ac nihilominus mactabantur filii, atque ante ſtatuam Saturni omnia tibiis & tympanis perſonabant, ne puerorum, dum mactarentur, exaudiri poſſet eiulatus & luctus. Hãc poſtea ſacrificiorum immanitatem Hercules, cum in Italiã acceſſiſſet, arã Saturno erecturus, in manſuetiorem ritum cõmutauit, iuſſitque pro veris hominib. apud Italos hominũ ſimulacra in Tyberim deiici, vt ait Ouid. *in 2. Faſt.* ne prorſus tollere religionem videretur, ſiue quod mitiorẽ Deum ſe habiturũ putaret, ſi rem mitigaſſet, ac nõ penitus ſuſtuliſſet. Dianæ quoque, quæ nauigationem Grę corũ ad Troiam impediebat, eosq; Aulide retinebat, iuſſus fuit Agamemnon antequam à littore ſolueret, ex oraculo Iphigeniam mactare, de qua Euripides luculentiſſimam Tragœdiam compoſuit, atq; in eadem omnem ſacrificandi crudelitatem declarat. In Sardo præterea inſula, quę nõ procul diſtat ab Herculis columnis, ſenes qui ad ſeptuageſimũ ætatis annum acceſſiſſent, à ſuis filiis ridentib. in Saturni honorẽ lignis cædi ſolebant, deinde è præcipiti loco deiiciebantur; vnde ductum eſt prouerbium: riſus Sardonici, ſicut ſcripſit Timæus hiſtoricus *in rebus Deliacis*. Memoriæ quoq; proditum eſt, in Taurica regione eam fuiſſe ſacrorũ legem, vt quicunq; eo delati maris tempeſtate fuiſſent, vel quicunq; deniq; aduenißent, ii mactarentur pro victimis Dianæ Tauricæ; id quod ex Iphigenia in Tauris Euripidis cognoſcere licet, qui etiã impuram eſſe illã religionem [illegible]bit. Marti quoq; homines apud Scy[illegible]h[illegible]s immolatos fuiſſe ſcribit Herodotus in [illegible]pomene: *Quoſcunq;*, inquit, *ex hoſtib. viuos ceperint, ſingulos è centum hominibus deli*[illegible] *ques non eodem modo quo pecudes, mactant, ſed longe diuerſo: vbi enim vinum in capita*

effude-

effuderint, hommes in quoddam vas iugulant, ſanguinem eorum colligentes. An vero humanior fuiſſe exiſtimandus eſt Neptunus? is n. Idomeneo in patriam è bello Troiano redeunti, eam immiſit tẽpeſtatem, vt coactus ſit promittere, ſe Neptuno ſacrificaturum, quod primũ ex animalib. ſibi exeunti è naui obuiũ fuiſſet: mox cum filius primus occurriſſet, eũ ſacrificare neceſſe fuit. Lunæ quoq; in Albania, quæ regio non procul diſtat à mari Caſpio, homo immolari ſolebat, cum maxime omnium deorũ Luna ibi coleretur: nam multi è ſeruis numine afflati ibi diuinabant, quorũ qui plurimũ numine correptus eſſet, ſolus per ſyluam errans ſacra cathena comprehenſus à ſacerdotib. vinciebatur, ſumptuoſeq; & opipare per annũ nutriebatur, deinde cũ aliis hoſtiis ad deæ ſacrificia mactãdus ducebatur, *Strabo lib. 11.* Peſcenius Feſtus *in librũ hiſtoriarum* refert, Carthaginẽſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare: & cum victi eſſent ab Agathocle rege Siculorum, iratum ſibi Deũ putauiſſe: itaq; vt diligentius piaculũ ſoluerẽt, ducentos nobiliũ filios immolaſſe.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum, Quæ toties peperit ſcelerata atque impia facta.

EQ. Cui ergo dementiſſimi homines illo ſacrificio cõſulebant? cũ tantã partẽ ciuitatis occiderent, quantã fortaſſe ne Agathocles quidẽ victor occiderat. Quid vero de infantib. qui Saturno, vti paulo ante dictũ, immolabãtur, dicam, nõ inuenio. Tam barbaros, tã inhumanos fuiſſe homines, vt parricidiũ ſuum, i. tetrũ atq; execrabile humano generi facinus, ſacrificiũ vocarent: cum teneras atq; innocentes animas, quæ maxime eſt ætas parentib. dulcior, ſine vllo reſpectu extinguerẽt, immanitatemq; omniũ beſtiarũ, quæ tñ fœtus ſuos amant, feritate ſuperarent. O dementiã inſanabilẽ! quid illis iſti dii durius atq; inclementius imponere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quã faciunt propitii; cum ſuos cultores parricidiis inquinãt, orbitatib. mactant; humanis ſenſib. ſpoliant? Quid vero in hiſce diis, nedũ hominib. cultorib. poteſt eſſe ſancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras deorũ ſumma ſcelera cõmittunt? Optime igitur Quintilianus *in Fanatico:* Iſtud, inquit, ſi Deus cogit, iratus eſt. Etiamne hęc ſacra ſunt? Nonne ſatius eſt pecudum more viuere, quam deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere.

TH. Sed & Leucades quotãnis auertẽdæ deorũ & Apollinis ꝑcipue, iræ, impurũ aliquẽ hoẽm deligebãt, quẽ mactare cõſueuerũt. Semnonũ, Druidarũ, Lycęarũq; & Pergæarũ victimarũ, & aliarũ nationũ, ꝙ homines diis immolare ſolebãt, cõſuetudinẽ, ſilẽtio iã ꝑtereo. Hoc vnũ dicã, cũ tanta deorũ crudelitate tamq; impia religione, nullã oĩo ꝓbitatẽ eſſe potuiſſe. Neq; n. in ſingulos hoẽs tantũ aliqñ deſęuierũt, ſed in vniuerſos exercitus: nã cũ Brennus Gallorũ Imperator inſignẽ cladem accepiſſet à Græcis, cũ quib. acie dimicauerat, mox ꝑ noctẽ Panos furore cũ reliquiis exercitus agitatus eſt, atq; Galliæ acies inter ſe ita dimicauerũt, vt penitꝰ fuerint deletæ. Nõ eſt igitur mirũ, ſi ſæpius eſt ad parricidia acceſſitꝰ Iupiter. Vnde iure optimo diis omnib. crudelior à Philætio appellatur *in lib. φ. Odyſ.* Et Pallas eum & inſanũ & malũ vocat *in lib. 8. Iliad.* Et Achilles *lib. vlt. Iliad.* omniũ malorũ omniũq; calamitatũ auctorẽ Iouẽ eſſe demõſtrat. Venus quoq; nõ ſolũ Iouẽ, verũ deos etiã oẽs inclemẽtes vocat apud Virg. *lib. 2. Æneid.* q a Troiã ꝓpter inuidiã & ob accepta à Græcis munera euerterint. Iupiter itidẽ Iunonis illecebris ductꝰ auctor fuit violãdi fœderis, ꝙ ꝑcuſſum fuerat inter Gręcos & Troianos, vt eſt *in lib. 4. Iliad.* cũ Palladem iuſſerit in aciem Troianorum deſcendere, eosq; impellere ad fœdus violandũ. Atq; cum leuiſſimi hominis & impuri ſit dicere mẽdaciũ, neq; hoc quidẽ vitio caruit Iupiter, qui mendax ab Hyrtacide vocatus fuit, vt eſt in lib. μ. Iliad.

Iuppiter an mendax pater es; nec iam vlla loquenti
Danda fides?

Cumque fuerit Apollo etiam auctor crudelitatis creditus, ſæpius fuit ad cædes faciendas rogatus, mortalesque ad cædes faciendas ſæpius adiuuit, teſte Virg. *lib.6. Æneid.* Ecquæ vero poſſunt eſſe preces crudeliores, quam eæ, quæ ſunt Polynicis apud Euripidem *in Phœniſſis*, cum ita inquit:

Iuno verenda ſum tuus: nam nuptiis
Iunxi ego Adraſti filiam, terram incolo,
Concede fratrem occidere, & victoria
Dextram cruentam ferre fratris ſanguine.

Aduocabantur etiam ad furta dii antiquorum, qui latronibus & inſidiatoribus fauere putabantur, cum eſſent pleni omnis impuritatis: quare ita ſcripſit Horatius in Epiſtolis:

Iane pater clare cum dixit Apollo,
Labra mouet metuens audiri pulchra Lauerna,
Da mihi fallere, da iuſtum ſanctumq; videri,
Noctem peccatis: & fraudibus obtice noctem.

Multi deniq; ad cędes, ad flagitia complura, ad latrocinia, ad adulteria ab his diis ſe adiuuari crediderunt, & non dubitarunt, vt adiuuarentur, precari.

EQ. Tolerabilior ergo in tam deplorate impio deorum cultu, illa fuit Cyclopis ſententia, quæ homines ad voluptates vitæque ſuauitates percipiendas hortatur, quæ etiam vniuerſam illam religionem euertit: ita autem inquit apud Euripidem in Cyclope:

Neceſſe terra ſit volenti ſiue non,
Herbas creare, pinguis vt ſit grex meus,
Nulli deorum, ſed mihi quem nutrio,
Et huic deorum maximo ventri: viris
Vt ſolus eſt hic Iupiter prudentibus,
Bibendi, edendi vt lex diebus ſingulis,
Viuendi & vſque ſuauiter.

TH. Ecce conſilium hoc eſt non hominis, ſed filii Neptuni & Iouis ipſius nepotis, cui vanum fuiſſe illum deorum cultū facile credi poteſt. Sed quid opus pluribus? tanta fuit horum deorum crudelitas, vt Ięſionem, quam Aten vocarunt, Iouis ipſius filiam eſſe tradiderit Homerus *lib.7. Iliad.* quamuis Dei ſola proprium ſit beneficentia.

EQ. Non mirum ſane eſt, deos tam ſæuos erga homines extitiſſe, atque omnia diſcordiæ, crudelitatis, & perfidiæ ſemina in homines à diis ipſis manaſſe, cum tāta fuerit iam inde ab initio inter hos deos contentio, quantam neq; cœlum neq; terra capere potuit. Quod ſi ſceleratum eſt illum armis perſequi, à quo aliquod magnum beneficium acceperis, profecto ſceleratiſſimus fuit Saturnus, qui illum inſecutus eſt, à quo huius lucis vſuram acceperat. Verum nō ſolum inſecutus eſt, ſed etiam captiuo virilia membra amputauit, vt teſtatur Ouidius in Ibin.

—*Saturnus vt illas*
Subſecuit partes, vnde creatus erat.

Hoc paternum exemplum cum ſibi ante oculos ad imit[illegible]
ſet, Saturnum patrem & ipſe cum armis inſecutus e[illegible]

pulit. Iam vero, quanta fuit Saturni feritas, qui filios ſuos vorabat? an poteſt is eſſe tolerabilis in alios, qui tam fuit ferus in ſuos filios? ſed neque Iupiter quidem omnes contentiones patre de regno deiecto ſuſtulit, neque regnum quietum poſſidere potuit, cum Gigantes quaſi paternæ iniuriæ vltores, in illum conſpirarint, eumque pene de regno deiecerint. Enimuero cum hæc quoque certamina abſoluiſſet, victoriamque fuiſſet conſecutus; non tamen regnum quietum poſſedit, ſed omnes prope dii in illum aliquando inſurrexerunt, atque ab affinibus pene fuit in vincula coniectus, *Hom. lib. 1. Iliad.*

Neque vero inter ſe ſolum inimicitias hi dii exercuerunt perpetuas, verum etiam tantum auctoritatis ac virium hominibus alius in alium tradiderunt, vt ſæpius ab hominibus fuerint vulnerati, vt Iuno ab Hercule ſagitta, *Hom. 4. Iliad.* Vulneratus etiam fuit ab eodem Pluto. Quin etiam Mars ipſe belligerantium Deus, mortalium arma effugere non potuit, *Homerus vbi ſupra.* Et Venerem quoque à Diomede vulneratam tradunt.

PH. Ex his vero aliud nihil colligitur, quam, fuiſſe duriſſima illorum hominum ingenia, quibus erat religionis & deorum metus in animis imprimendus, cum virorum bonorum exemplis & ſapientum oratione eo adduci non poſſent: ſed neceſſe erat, eos vel ſceleratorum quos ipſi admirabantur, auctoritate, vel implicitis fabularum figmentis ad deorum cultum adduci: nam hæc omnia tradita ſunt ab antiquis nulla alia de cauſa, niſi vt homines ad probitatem inſtituerent, & res naturæ aperirent obſcuras. Nam cum turba fœminarum imperitorumq; multitudo rationes philoſophicas minime poſſent imbibere, neque per eas ad religionem & fidem & ſanctitatem facile inuitari; Deorum metu & timore opus fuit; quæ certe ſine fabularum rerumque admirabilium figmentis in animis hominum imprimi non poterant. Atque hæc etiam cauſa fuit, cur fulmen Ioui & Ægidem attribuerint antiqui pro armis, & tridentem Neptuno, & ſagittas Cupidini, & faces Erinnybus vltricibus ſcelerum, & Palladi dracones, & diis cæteris arma diuerſa conceſſerint. Quod vero latius inde progreſſi ſunt, ac deorum inter ſe iurgia aliaque his conſimilia, quæ deorum naturæ minus conuenire videntur, confinxerunt, bono id ab ipſis inſtituto factum fuit. Quod enim de Saturno fingitur, ipſum partes genitales patri abſcidiſſe, itidemque Saturnum caſtratum fuiſſe, eo ſignificatum fuit, vnum eſſe ætherem atque vnum mundum, nec plures ex ſeipſis gigni, vnum etiam eſſe tempus (per Saturnum denotatum) quod curſum cœli metiatur. Cumque res omnes abſumantur per tempus, & rurſus aliæ in abſumptarum locum ſufficiantur, inde Saturnum filios ediſſe finxerunt, & rurſus vomuiſſe. qui deiectus de regno idcirco fuit, quod ætheris natura credita ſit ab omni corruptione immunis, cum non ſentiat vim temporis, quod inferius extra ſuum regnum detruſit. Iupiter vero fratres à paterna voracitate liberauit, quia elementorum materia ſecundum totum ſit ſempiterna. Atque hæc dogmata ſub hac fabula ad Philoſophiam ſpectantia occultabantur. Ethice vero per id, quod Saturnum à filio de regno deiectum finxerunt, innuere voluerunt, nullas eſſe opes eximias ſine maximis periculis & animi perturbationibus, omniſque denique iniquitatis Deum eſſe vindicem. Non offendendos eſſe parentes poſtea ſignificabant, cum Iupiter paternam crudelitatem ſit imitatus, quia paternæ vel iniquitatis vel probitatis exempla domeſtica filii plerumq; ſequuntur. Sic enim vitandam opum eximiam præſtantiam, vt neq[illegible] neceſſariam, & ab omni iniuria abſtinendum, ſignificabant.

cabant. Atque ſic de cæteris, de quibus idem eſto iudicium, & quilibet vel mediocriter in mythologicis verſatus explicationem de meliori nota, negotioq; accommodatum facile inueniet atque formabit. Sed & mactationes hominum peruetuſtæ ſunt. Nam & ante Troiana tempora, & non à ſolis Ethnicis, ſed & populo Dei, humano ſanguine litatum conſtat, in quo, qui filios filiasq; exurerent in valle Gehennon, in gratiam & cultum idoli Moloch, fuerunt plurimi.

TH. Imo hæc ἀνθρωπομαντεία, etiam in orbe Chriſtiano quondam exercita fuit. Magnaque confluxit colluuies Pſeudophiloſophorum ad diſciplinæ vatidicæ profeſſionem, tractationemque & vſum, cum in alias vrbes tum vero Athenas maxime & Alexandriam, qui maſculos & fœmellas impuberes atque incorruptos ad aras idolorum Ethnicorum mactarunt, & carnes etiam horum deguſtarunt.

EQ. De Iuliano apoſtata etiam produnt hiſtorici, ipſum præterquam, quod rurſus aperiri idolorum templa, eisque ſacrificari iuſſit, quinetiam oraculum Apollinis, quod nato Chriſto, ſicut & reliqua, ſublata poteſtate tenebrarum, virtute veræ lucis obmutuerat, inſtaurare decreuit; horrenda inſuper eaque magica ſacra inſtituiſſe ipſum ferunt. Nam cum Carris iter in Perſas faceret, ſpeluncam quandam ſubiens, ibi ſceleſtis ſacris operatus eſt, iiſque peractis, paucis conſciis huius rei adhibitis, fores feris occluſit ac conſignauit, appoſita cuſtodia. Eo autem in illa expeditione interfecto, (conto nimirum in iliis perfoſſus cum mercedem linguæ putidiſſimæ accepiſſet,) fores eius ſpeluncæ paulo poſt à curioſis hominibus, qui noſcere cuperent, quid Imperator ibi tam ſerio cuſtodiri iuſſiſſet, apertæ ſunt; in qua inuenta eſt muliercula capillis ſuſpenſa, extenſis manibus, ex cuius iecinore crudelis ille apoſtata, ventre diſſecto, victoriam ſcilicet de Perſis explorare voluerat. Antiochiæ vero & alibi in abſtruſis & ſecretioribus locis, arcas humanis capitibus plenas, & in puteis multorum ſubmerſa corpora virorum inuenta, reliquias ſcilicet Iulianicorum ſacrorum ſcribit Cedrenus & Godfridus Viterbienſis.

TH. Quid hoc de tam immani monſtro mirum? Cum Adrianum quoque alioquin multis virtutibus ornatum Imperatorem talibus magicis ſacris multum tribuiſſe teſtetur Dion in eius vita, adeo vt Antinoum, eximiæ pulchritudinis puerum, quem etiam in delitiis habuerat, in Ægypto immolauerit, eumque inter Deos retulerit. Quo in loco poſtea vrbem conditam ab eo denominauit, eiq; ſtatuas per vniuerſum orbem terrarum (quæ noſtro tempore paſſim Romæ videntur) erexit.

EQ. Sed & Imperatorem Heliogabalum, non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſceleratiſſimum monſtrum, hoc genus ſacrificii etiam in vſu habuiſſe, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, vt maior eſſet vtrique parenti dolor, Ælius Lampridius tradit. Valerianus quoque Imperator eiuſmodi ceremonias impuras & incantationes execrabiles & ſacrificia abominanda perfecit, miſeros pueros mactauit, infelicium parentum liberos immolauit, nuper nata viſcera ſcrutatus eſt, & figmenta Dei, quaſi ex his facinoribus fortunatus, diremit ac reſcidit.

TH. Verum vterque etiam, iuſto Dei iudicio, infeliciter vitam finiit, adeoque huius ſceleris pœnas dedit. Ille enim crudeliter tandem à ſuis interfectus, & in latrinam coniectus, inter fœda excrementa computruit. Hic vero infeliciſ-

ſime

ſime regnauit, & tandem etiam in prælio captus, à Sapore Perſa inſtar ſcabelli eius pedibus ſubiectus eſt, donec in hac miſeria conſeneſcens, viuus excoriatus fuit.

EQ. Hæ ſceleratæ & abominandæ immolationes olim apud Hetruſcos ſolennes fuere, ſicut ritus earum in marmoreis monumentis in hodiernũ diem conſpiciuntur, inprimis autem Peruſii vnum adhuc integerrimum ex tanta vetuſtate, magna cum admiratione vidi. Et ſub hoc prætextu Romani hanc bellicoſam gentem ſublatis illis odioſis victimis humanis facilius deuicere. Vt autem taceam de ſacris literis, vbi legimus, inter Iudæos, ritus gentilium, deſerto vero cultu diuino, ſectantes, ſimiles ἀνθρωπομαντείας vſitatas fuiſſe negari non poteſt, in Galliis quoque eas olim frequentatas eſſe; ob eam rem multi ſunt in ea opinione, inter quos eſt Geruaſius, Arelaten Aram latam à priſcis appellatam. Nam in eo loco, inquit, prope ciuitatem, quæ Rocheta dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, & ſuper eas ara impoſita, vbi quotannis ad Calendas Maias frequens vndique populus humanas hoſtias pro ſua ſoſpitate mactare conſueuerat. Itaque tres iuuenes emptos anno toto ſaginabant, quos conſtituto die ad ipſam aram immolabant, victimarum ſanguine circumſtantem populum aſpergentes.

TH. Sed hunc ritum diuus Trophimus, vnus ex 72. Chriſti diſcipulis illuc ex *Iudæa* miſſus, ſuſtulit: docens, non cruore mortalium hominum, ſed Chriſti ſanguine debere aſpergi.

EQ. Sed & has ſuperſtitiones occidentalib. Indię populis, quos Caribes appellant, adhuc vſitatas eſſe poſt alios Benzo affirmat. Ii enim ad bella Chiappem idolũ ſuum deferunt, eiq; priusquam expeditionem ineunt, lectas humanas victimas ex captiuis mactantes, plurib. ſacrificiis litant, totumq; ipſius ſimulachrum ſanguine oblinentes, carnes inter ſe ipſi epulantur. Plura ſi quis de huiuſmodi impiis & nefandis immolationib. ſcire deſiderat, is earum ritus, quam breuiſſime, ſed accurate ex quammultis auctoribus collectos inueniet apud Lilium Gyraldum, in hiſtoria deorum, *Syntagmate 17.*

TH. Sed hæc immania ſacrificiorum monſtra Deus vindex cũ ipſis inſtauratorib. hinc inde cõpreſſit. Verumenimuero videtur flagitaſſe mactationes hominum Diabolus, cum quia delectatur cædibus, tum, vt illuderet Filio Dei, qui indutus *humana* natura, ſeſe litaturus erat Deo Patri, de arcano decreto diuinitatis, ꝑ *peccatis generis humani.* Atq; vt concludam hunc locum, totum hoc diuinationis genus, quod extiſpicium vocatur, cum ſit commentum hominum, ignorantium verum & verbo patefactum Deum, & abducẽtium animos ad cultus Idololatricos, & indagationem voluntatis diuinæ impiam, falſam, & toto cœlo aberrantem, ex ſignis, vel à diabolo præfixis, vel ſine mandato, priuata auctoritate, confictis: ꝓhibetur, primo Decalogi præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me*, & ad diabolica pertinet vaticinia. Etſi enim ad ea, quæ ſua voce mandauit, ſacrificia, quæq; fide ad ipſum directa fiebant, miracula Deus, de doctrina teſtificantia, primis Patrib. exhibuit: tamen Idolorum in Ethnicis ſacrificiis cultus, & ſanctorum rituum blaſphemam ac horrendam profanationem, deteſtatum eum ardẽtiſſimo odio, & ſeueriſſime vltum eſſe, certum eſt, cum ex immota regula, *Non Deus volens iniquitatem tu es*; tum ex omnium ſeculorum hiſtoriis. Quare quicquid ibi nouum inſolitumq; apparuit, vt ſi quæ abfuerunt partes, vel redundarunt, vel permutatis ſedibus locatæ, aut labe affectæ fuerunt: id omne à diabolo perfectum, ipſo immol...

tempore, ſeu vere amotis, quæ interierant, ſeu impoſtura faſcinatis oculis, minime dubitemus.

Vnde enim tam ſubita extorum mutatio euenit, in ipſa immolatione, vt aut abeſſet aliquid, aut ſupereſſet? Vnde deceſſio capitis aut receſſio? Vnde, ſi caput fuit in iecore, cor in extis, mox euanuit, ſimul ac molam & vinum vates inſperſerat? Denique, qua ſe vi exta, ad immolantis fortunam accommodarunt, vt in alium ſe mox habitum coloremque conuerterent, pecudis iecur nitidum & plenum, horridum mox, marcidum & exile fieret? Etenim viuis victimis defuiſſe aliquid, cor præſertim, affirmari nequit: non enim vixiſſet illa, fonte vitæ deſtituta. Nec labes inſignes occuluiſſent interiorum viſcerum, ſi à morbo contacta aliquo exilia, exigua, & victa habuiſſet. Affectas autem victimas immolationi non adhibuiſſent, cum magno ſtudio, integerrimas exquirerēt ac diligerent. Aut, ſi caruiſſe largiamur viuas victimas viſceribus, cur excordes potius, aut iecinora habentes *ἀκέφαλα, capite carentia,* alius, (quibus nihil fuit magis dirum,) alius mox impollutas & integras, ex eodem delegit numero? niſi etiam peculiaris inerat hoſtiis diligendis vis: ſiquidem non raro primam infauſto, proximam pulcherrime litatam fuiſſe conſtat. Ergo aut aliquis id abripuit, quod ſubito interiit ex oculis, iniecitve, quod nuſquam viſum antea mox apparuit: aut naturæ vis aliqua illud confecit atque exedit, hoc progenuit. Si naturæ hoc tribuimus, erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubito occidat, contra perpetuum naturæ curſum. Id vero, cum experientiæ refragetur, & alienum ſit à ratione, vt amouerit, quod euanuit, ſubiecerit, quod acceſſit, aut ſuperfuit, neceſſe eſt, non natura, ſed alia quæpiam cauſa libere agēs & occulta. Talis eſt cauſa, Deus ipſe, Deive miniſtri Angeli ſancti, aut Dæmones. Auerſatus eſt & condemnauit ſacrificia Ethnica Deus, totumq; illum idololatricum cultum. Solius ergo Diaboli ludibria ſtatuamus fuiſſe, quæcunque acciderunt ad litationes Ethnicas.

Tages auctor Extiſpicinæ & Aruſpicinæ.

EQ. Ex auctore huiuſmodi ſacrificiorum omnia ſacrificia ſuſpecta redduntur. Huius enim diſciplinæ & Aruſpicinæ auctorem Hetruſci, proſciſſione terræ exaratum, celebrarunt puerum, nomine Tagen, qui, vt ex Hetruſcorum libris Cicero commemorat, cum terra araretur, & ſulcus altius impreſſus eſſet, repente extitit, pucrili ſpecie, ſed ſenili prudentia, & cum affatus eſt, qui arabat. Ad huius conſpectū, cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremq; maiorem, cum admiratione, edidiſſet, concurſus eſt factus, totaq; breui tempore in eum locum Hetruria conuenit. Tum plura ille eſt locutus, multis audientibus, qui omnia eius verba exceperunt literiſque mandarunt. Omnis autem oratio fuit ea, qua aruſpicinæ doctrina continetur. Talibus auctoribus editæ & promulgatæ ſunt religiones Ethnicorum: talibus clam inoleuerunt occaſionibus, vt, quando cœperint, non conſtet. Nec dubium eſt, (ſi vera eſt fabula) hunc ipſum Tagen Dæmonem fuiſſe, tali habitu corporis circumdatum.

TH. An vero id non eſt extreme miſerum, quod prædonum ſuorum inſtigationibus ineſcati deos coluerunt atque opinati ſunt, quorum tamen neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem ſciuerunt; ſed inhærentes perſuaſioni vulgari, libenter errarunt, & ſtultitiæ ſuæ fauerunt. A quibus ſi perſuaſionis eius rationem quis requiſiuit, nullam potuerunt reddere, ſed ad maiorum iudicia confugerunt, quod illi ſapientes fuerint, illi probauerint, illi ſcierint, quid eſſet optimum; adeoque ſeipſos ſenſibus ſpoliarunt & ratione abdicarunt,

Digitized by Google

runt, dum alienis erroribus crediderunt. Sic implicitiomnium rerum ignorantia, nec ſe nec deos ſuos nouerunt. Hinc fida ſilentia ſacris inſtituta ſunt ab hominib. callidis, vnde factū vt neſcierit populus quid coleret. Peractis enim ſacrificiis inanibus omnem religionem in templo & cum templo ſicut inuenerant, reliquerunt, nihilq; ſecum ex ea neque attulerunt, neque retulerunt. Inde eſt, ꝙ eiuſmodi religiones, neque bonos facere, neque firmæ atque immutabiles eſſe potuerunt. Quæ enim eſt ſuperſtitio illorum deorum? quæ vis? quę diſciplina? quę origo? quæ ratio? ꝙ fundamentum? quæ ſubſtantia? quo tendit, aut quid pollicetur, vt ab homine poſſit fideliter ſeruari fortiterque defendi? In qua nihil aliud eſt quam ritus ad ſolos digitos pertinens. Noſtra vero Chriſtiana religio eo firma eſt & ſolida & immutabilis, quia iuſtitiam docet, quia nobiſcum ſemper eſt, quia tota in animo colentis eſt; quia mētem ipſam pro ſacrificio habet. Illic nihil exigebatur aliud, quam ſanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio: hic bona mens, purum pectus, innocens vita. Illuc veniebant ſine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obſcænæ meretrices; veniebant gladiatores, latrones, fures, venefici, & precabantur nihil aliud, quam vt ſcelera impune committant. Quid enim latro ſacrificans aut gladiator roget, niſi vt occidant? Quid venenarius, niſi vt fallat? Quid meretrix, niſi vt plurimum peccet? Quid adultera, niſi aut mortem viri, aut vt ſua impudicitia celetur? Quid lena, niſi vt multos bonis exuat? Quid fur, niſi vt plura compilet? Apud Chriſtianorum vero ſacra etiam leui communique peccato locus eſt nullus. Et ſi quis ad ſacrificium non integra conſcientia venerit, audit quæ illi Deus comminetur; ille qui latebras cordis videt, qui peccatis ſemper infeſtus eſt, qui exigit iuſtitiam, qui fidem poſcit. Nullus hic malæ menti aut malæ preci locus eſt. Hinc etiam illa Epicureiſmi atq; atheiſmi Gentilium monumenta; quale, inter cætera, fuit Sardanapali, Aſiæ regis potentiſſimi, delitiis ſicut ſus luto, prorſus immerſi, omnium mortalium profaniſſimi. In eius enim Epitaphio ſculpta fuit imago, dextræ manus coniunctis digitis velut ad ſonum elidendum, in eoque literis Aſſyriis hoc inſcriptum, vti Athenæus *lib. 12. cap. 12 dipnoſophiſt.* ex Ariſtobulo refert: *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialen & Tarſum vno die condidit: Ede, bibe, lude; reliqua ne digitorum quidem ſtrepitu digna ſunt.* Strabo autem *lib. 4. Geograph.* ex Chærilo poeta hos verſus ſubiicit:

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Delitiis animum, poſt mortem nulla voluptas,
Namque ego ſum puluis, qui nuper tanta tenebam
Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hauſit; at illa manent, multa & præclara relicta,
Hoc ſapiens vitæ mortalibus eſt documentum.

Hunc Sardanapalum deinceps alii plures, immemores futuræ vitæ, imitati ſunt, ſicut ex eorum monumentis poſteris hoc notum eſſe voluerunt, quorum vnum conſpicitur in Aragoniæ vrbe clariſſima, ſicut ab Appiano *in Antiquitatibus* refertur, tale videlicet: *Quo vadam neſcio, inuitus morior, valete poſthumi. M. Poſthumius eques.* Item ibidem prope forum Iudæorum: *Iulia B. Priſca vix. an. XXVI. Nihil vnquam peccauit, niſi quod mortua eſt.* Pataui quoque adhuc viſitur Epitaphium Pæti in ædibus Cartulariorum, ad diuum Thomam Apoſtolum: *Mer. S. D. Popilius Pætus, Gn. labef. Poeta, Coſ. deſig. fratri ſuo B. M. F. Hunc ſomno æternali patria retinet.* Item Brixiæ: *Qui me volent, Valete matronæ matreſque familias. Vixi, &*

vltra vitam nihil credidi. Me Veneri alumnæ addixi. Quos potui, pellexi filtris & aſtu. Viro humato non vidua fui nec mariti nomen adepta. Quæſo non inuidete. Portia familia eſt Veneris domus, illicium cupidinum. Caue viator, ne me diu calcatam calces.

Huc referri poſſunt verſiculi Hadriani Cæſaris, quos moriens, vt Ælius Spartianus memoriæ tradidit, compoſuiſſe dicitur. Ex quibus apparet, quam is perplexus & dubius fuerit, quodque nullum certum religionis & fidei ſuæ ſaltem opinione habuerit fundamentum, licet in colendis ſuis diis & ſacris conſtituendis ſedulus & diligens fuerit: *Animula, vagula, blandula, Hoſpes comeſque corporis. Quæ nunc abibis in loca, Pallidula, rigida, nudula, Nec vt ſoles, dabis iocos?* Ex quibus conſtat, plerosque Ethnicos non ſolum in magna, ſecuritate immemores futuræ vitæ impie vixiſſe, illosque impune hoc feciſſe, ſed etiam perpetua monumenta ſuæ profanitatis ad poſteritatem extare laudi ſibi duxiſſe.

PH. Ita eſt. Imo Ariſtoxenus Philoſophus, ſicut à Lactantio *lib. 7. cap. 13. de diuino præmio*, citatur, aſſerere auſus fuit, nullam omnino eſſe animam, etiam cum viuit in corpore, ſed ſicut in fidibus ex intenſione neruorum effici concordem ſonum & cantum, quem Muſici harmoniam vocant; ita in corporibus ex compage viſcerum, ac vigore membrorum vim ſentiendi exiſtere, quo nihil delirius dici poteſt.

TH. Maiori autem admiratione dignum videtur, quod in populo Dei Sadducæi, qui corrupti philoſophia Græca multa cum Epicureis habebant communia, palam carnis reſurrectionem, Angelos & Spiritus negare auſi ſunt, cum tamen iuſti vel iuſtitiarii ab omnibus nuncupari voluerint. Zaddic enim iuſtus Hebræis eſt. Illud vero horrore non caret, etiam inter Chriſtianos quandoque reperiri, qui præcipuum hunc fidei articulum de mortuorum reſurrectione vel non credere aut in dubium vocare, vel etiam omnino impugnare audent, vt noſtro tempore de Serueto & aliis proditum eſt, qui etiam animę mortalitatem aſſerere conati fuere.

PH. Hoc, ni fallor, M. Antonius Zimata *problem. 50.* innuere voluit, vbi quærit, propter quam cauſam clerici & monachi mortem præ aliis ægre ferant ac perhorreſcant? Verum, reſpondet, quia natura eorum frigidi cordis extat & melancholica eſt? An quia prorſus funditusque interire ſe animaduertunt, quandoquidem nec in propria, nec in poſterorum natura conſiſtunt, vbi ex vita migrauerint.

TH. Manichæi ſane, vt ex Auguſtino *in lib. de hæreſib.* liquet, reſurrectionem carnis fore negabant, pro qua corporum μετεμψύχωσιν ſubſtituebant, per quam humanæ animæ in alia corpora migrarent, eorum nempe, quos quisque in hac vita amaſſet vel etiam occidiſſet: vt qui muſcam vel murem occidiſſet, in muſcam vel murem mutaretur, atque, vt vlterius delirare pergebant, contrariam ſortem illi ſortiretur homo, quam hic quisque noſtrum habuiſſet: diues nimirum in pauperem, pauper in diuitem renaſceretur, ſicut etiam Epiphanius hanc ridiculam opinionem notauit. Hinc ſuperſtitionis huius aſſeclæ imitantes Pythagoræorum nugas & Encratiſtarum furores & hæreſin, eſum carnium vitarunt, eodem modo & ouorum atque lactis, nefas arbitrati, ex vllo animantis genere quicquam deguſtare, ne, vt falſe Tertullianus, bubulam de aliquo proauo quisquam obſonaret. Sed iam domum repetamus, propediem denuo de iis quæ huic materiæ adiacent, amice collocuturi.

COLLO-

COLLOQVIVM SECVNDVM

De Vaticiniis.

Vbi de deorum ſiue dæmoniorum Oraculis, Miraculis, Geniis, Auguriis, Sortibus, aliisq; vanis obſeruationibus agitur.

EQVES.

QVam effrænata quouis tempore fuerit ingenii humani curioſitas, ſæpe ego mecum, dum veſaniæ ipſorum monumenta vetera, quæ vbiuis exſculpta viſuntur, intueor, cum ſtupore & tantum non lacrymis conſidero. Quæ quidem curioſitas inde initium ſumpſit, ac continua quaſi agitatione protelata fuit, quod omnes homines natura ſe ſaluos atque incolumes eſſe, & in rebus conſtitui ſecundis, cum mala aduerſaque & perturbationes animi quasuis auerſari cupiunt. Idcirco ſolliciti de futuris, & ſperantes & metuentes, & inquietis animis magis inhiantes futuris, quam tranquille fruentes præſentibus, mirabilibus cogitationum motibus, ceu procellis maria, agitantur, & nihil non faciunt, credunt, ſuſcipiunt, quo & ex his ſeſe fluctibus expediant, & vel præſentem ſtabiliant felicitatem, futuramve conſequantur, vel amoliantur onus præſentium malorum, & contra aduerſitates ſecuturas ſeſe obfirment atque præmuniant. Cumque diuinitus mala bonaque immitti ſibi, & illa vitari vel ſaltem mitigari, hæc confirmari certo cultuum & ceremoniarum ritu, ex reliquis de Deo notitiis perſuaſum habeant, ignari Dei ac voluntatis & promiſſionum diuinarum, qua id fiat ratione, quove modo, anxie ſolliciteque inquirunt.

PH. Ita fert humanæ fragilitatis conditio, præſertim quando ingeniorum vana curioſitas recta ratione non compeſcitur. Tum enim aliud ex alio naſcitur atque ſuppullulat, atque ex altera parte Spes, ex altera Metus, cum adiuncta ἀπιστία & incredulitate, perpetuarum dubitationum aculeis animos eorum pungunt, vexant & vellicant mirifice, turbasq; & inquietudines commouent, & ingentes concitant fluctus, quibus intus forisq; fremunt & reſonant omnia. Ita fit, vt quamuis homines in acerbiſſimis caſibus, ſpes alat atque ſuſtentet, tamen in ipſa attentione & ſpe, ſemper ſeſe inferat ac miſceat metus; qui quidem formidinum cruciatus acriores ſunt, & animos conuellunt atrocius, quã vllæ aduerſitates præſentes. Quapropter geſtiunt omnes finem videre vel ſpei vel metus. Atq; hic fomes eſt & incendiuum omnium diuinationum, ariolationum, oraculorum, auguriorum & quorum non! quæ tantopere vbique locorum & gentium inualuerunt.

TH. Fomes atque incentiuum eſt in ipſa hominis deprauata natura. Homo enim à natura prauus atque ad omne malum pronus, niſi coerceatur, quicquid lubet ſibi licere, adeoque priuilegium turpitudinis exinde ſe habere exiſtimat, quod nimirum ſuæ ipſius naturæ conditio aliter non ferat, ſomniatque ſibi Deum propitium in omnibus quæ perpetret, dummodo ſiue in commiſſo ſiue in committendo flagitio ſacrificium offerat, ſic enim expiari peccata externo illo opere opinatur. Vbi vero audiunt & ſentiunt, Deum iraſci grauiter peccatis

hominum, nec placere ipſi ſacrificia, quæ offeruntur manibus cruentis atque impuris, & corde peruerſo, ibi continuo cum deſperato illo Caino indignantur, & quiduis potius machinantur, quam vt de peccatorum ſuorum grauitate ſerio cogitent, eorumque veniam demiſſo corde à Deo ſuppliciter exorent atque exigant. Hæc demum eſt infelix illa, hominis reſpectu, occaſio, quam nactus Satan ambabus, quod aiunt, manibus arripit, eaq; ratione ſeſe animis hominum mirifice inſinuat. Nouit enim imbecillitatem ſenſuum & animorum noſtrorum, quorum illos ludificare ac præſtringere, hos nullis fultos cœleſtibus ſubſidiis capere & circumuenire, ipſi facilimum eſt. Et quemadmodum ab initio immani ſuperbia & horribili odio Dei, primos parentes promiſſo ſapientiæ diuinæ flagitioſe ineſcauit, & hoc modo auulſos à Deo, ac dotibus diuinis exutos, horrendis inuoluit tenebris, vſque adeo vt exigua lux in homine ſupereſſet. Sic poſtea, vt hanc ſcintillulam veræ notitiæ Dei, quæ ex inenarrabili miſericordia Dei adhuc reliqua erat, prorſus extingueret, & contemptum, immo ignorationem Dei confirmaret, animos præſtigiis effaſcinatos & tenebris obductos ſeu excæcatos, à veris Dei cultibus, Verboque mandante veros cultus, & monſtrante Deum, & vera naturæ ac diuinorum operum conſideratione abduxit, & perfecit tandem, vt homines obliti conditoris & ſuimetipſius, non mactarent & offerrent victimas eo modo, legē, fine, & fide, qua exhiberi eas Deus requirebat, nec verum Deum intuerentur animis, neque ad eum celebrandum referrent ac dirigerent ſacrificia, ſed alia commenticia idola ſectarentur ac colerent, & in ſacrificiis, quorum vmbram ex diſciplina ſanctiſſima maiorum retinuerant, neſcio quæ exta, fumos, ignes, & ſimilia, expenderent, indeque de Dei voluntate, & ſecuturis euentibus coniectarent, horribili furore ac plane Diabolico. In natura vero non veſtigia ſapientiæ ac præſentiæ diuinæ ſcrutarentur; nec cauſas mirandorum operum, effectionesque, & quo conſilio facta, ad quos vſus deſtinata eſſent, inueſtigarent; ſed rebus creatis abuterentur, & vel ſignificationes eis affingerent certorum euentuum contra naturæ ordinem, & primam conſtitutionem, vel nouas vires ſe iiſdem inducere, naturis rerum mutatis, & velut in nouam formam conuerſis, opinarentur: idque vt haberet aliquam religionis ſpeciem, & prætextu nominis diuini credulos homines facilius alliceret & caperet, ſacrarum ſententiarum recitationem, à quibus noua illa vis proficiſceretur, adhiberi voluit. Deinde, vt maior admiratio, & ardentior cupiditas erga iſtas impoſturas incenderetur in animis, altiusq; inſideret, & radices ageret, ſæpe coniecturas illas, omina, præuiſiones, & prædictiones, euentu comprobauit, contemptas vero aut neglectas duriſſime vltus eſt. Sic initio diabolus, cum adhuc vigeret in animis hominum aliqua de Deo opinio, & vires rerum conditarum minus obſcuræ eſſent, præſtigias ſuas prætextu verbi cœleſtis, & ſpecie mirabilium atque occultarum virium naturæ fucatas, inuexit ac ſtabiliuit.

Cæterum vbi iam euanuiſſet ex animis vera Dei notitia, & vagarentur homines ſine certis teſtimoniis, quærentes alii alia numina, quo ad ſe hac occaſione totos conuerteret à Deo abſtractos: non ſolum his mediis in natura propoſitis vtendum cenſuit; ſed vel certos homines ipſe obſeſſos agitauit aut afflauit, vt velut extra ſe rapti, afflati à dæmone, quædam vaticinarentur: vel ad ſpecus, latebras, aut idolorum templa, miraculis editis, oracula aperuit, in quibus vel ipſe ex cauernis, ſtatuis, ac ſimulacris, humana voce, nutu, aliove geſtu, ſomniis etiam, reſpōſa reddidit:

didit:vel per ſuos illos, quos electione aut ſorte acceperat miniſtros, ea protulit. His miſeros & Dei ignaros homines & dementauit,& pellexit atque attraxit ad ſe, adeo,vt agminatim vndiquaque accurrerent,& furibundi ſpiritus illos ſciſcitarẽtur ac conſulerent de euenturis in vita vel ſucceſſibus vel impedimentis: nec inchoarent,molirentur,aut mouerent quicquam,niſi cõſilio ab oraculis petito. Ad iſtas latebras dona offerebantur & cumulabantur immenſa, inſtituebantur & fiebant ſacrificia, decernebantur ac celebrabãtur feſta ac *πανηγύρεις* ſeu *ludi ſolemnes*. Diodorus refert,Phocenſes ad bellum ſacrum ex templo Delphico plus quam decem talentorum myriades,id eſt,plus ſexagies centenis millibus coronatorum accepiſſe.Inde opes templi ex collationibus & donariis diuerſarum gentium collectę & cumulatæ multis annis,æſtimari poſſunt.

EQ. Quomodo vero Deus ſe ſanctis patribus olim manifeſtauit, aut quæ fuit Prophetarum Prophetiarumque ratio,ex quibus de Dei erga ipſos voluntate certo ipſis conſtare potuit?

*TH.*Duo quaſi ſuprema genera Prophetiæ in S.ſcriptura inuenio:Vnum per ſacerdotes,alterum per Prophetas: quanquam ſæpe,qui Prophetę,iidem& ſacerdotes erant Cæterum ſacerdotalis prophetiæ modus conſiſtebat in applicatione Ephod.Fuit autem Ephod duplex;vnum linteum,etiam minoribus conceſſum ordinibus,vt puero Samueli,*1.Reg.2.* alterum ſacerdotale, quod etiã vocatum eſt ſuperhumerale,auro & trium colorum varietate ornatiſſimum.Huic aureis catenulis appenſum erat Rationale ſeu Pectorale, vtroque enim nomine vtuntur Latini.Pectorale autem dictum fuit Latinis,quia pectori appenſum; Rationale vero, quia more animalis ratione p̃diti ratiocinabatur: hac ipſa de cauſa, iudicii elogio addito illud cohoneſtabant, vocantes *Rationale iudicii, & iudicium filiorum Iſrael*, & *iudicium Vrim*,in Hebræo quidem fonte. Rationem huius nominis puto eſſe hãc, quia S.ſcriptura conſueuit id,quod quiſque facere debet, ſiue cuiuſque officium vocare *iudicium*. Sacerdos autẽ rationali indutus, proponebat Deo hominum dubia,deſideria & negotia:& per Rationale nõ tantum Deus propitiabatur, ſed etiã ſignificabat hominibus,quid fieri vellet,& quis rei ſucceſſus futurus eſſet. *Vrim & Thumim.*

Iam quod ad attinet ad Vrim & Thummim,quæ Rationali ſiue pectorali inſerta erant, communiter recepta eſt ſententia, fuiſſe duodecim gemmas precioſas, iuxta duodecim tribus Iſrael.Et quoniam gemmæ iſtæ ſplendidæ & micantes clariſſimi refulgebant luce,dictæ ſunt non ſolum ſplendidæ & lucentes, id quod parum fuerum;ſed ſplendores & illuminationes, *Vrim:*& quoniam erãt ex gemmarum illis generibus,lectiſſimæ,integerrimæ, & perfectiſſimæ dictæ ſunt non perfectæ,ſed perfectiones,*Thummim:*ea emphaſi,qua ſolent Hebræi,vt & Latini, abſtracta pro concretis vſurpare. Nominum vero ratio hæc fuit; *Vrim* dicta,quia vt lux quædam tenebras ignorantiæ diſcutiebat fulgore ſuo. *Thummim* vero,quia,vt omnis prophetię,certa quoq; ſplendoris erat promiſſio,& indubitato Deus,quod fulgore pollicebatur,id euentu perficiebat,nec fas erat dubitare.

Quod vero ad vſum prophetiæ attinet, conſiſtebat is in interrogandi reſpondendique certis quibuſdam modis.Modus interrogandi,vti putatur,is fuit:Sacerdos poſt debitas preces, viua voce propoſuit interrogata, indutus cum alia veſtimenta ſacerdotalia,tum Ephod & Rationale,ſeu monile gemmatum Ephodi appenſum; quod vocabant *applicare Ephod*, ſeu *conſulere Dominum applicato Ephod*, vel ſimpliciter conſulere Dominũ,*1.Reg.23.*Hunc morẽ nobis S.ſcriptura explicat per

 Eſdram

Eſdram, *2. Eſdr. 7.* ſi ad Hebræum fontem recurratur, vbi enim iuxta Hebraicum textum Latine ita ſonat: *donec ſtaret ſacerdos doctus & eruditus*, ſeptuaginta interpretes vertêre: *ſtaret illuminationibus & perfectionibus*, & ſenſus eſt: Donec ſacerdos Dominum conſuleret indutus Vrim & Thummim. Quod vero ad reſpondendi modum attinet, eũ arbitror fuiſſe duplicem. Cum enim has gemmas Deus inſeri iuſſerit pectorali: vt per tam lucentes perfectoſque lapides, ipſe lucis perfectioniſque omnis auctor interrogaretur, & reſpondens, tam Sacerdotes, quam Principem & populum ſpirituali ſua luce illuſtraret ac perficeret, euoluens inuoluta, explanans ambigua, & docens quæ facienda omittendaue forent, & modos præſcribens, quibus res inchoandæ perficiẽdaq;: ſatis apparet, reſpõſiones interrogationibus accõmodari debuiſſe: interrogationum vero quadã per affirmationem negationemue nudam poſſunt expediri, quædam longiorem requirunt explicationem. Arbitror itaque ad prius illud genus interrogationum, nudo lapidum ſplendore ſeu fulgore reſponſum: & ex eo Sacerdotem colligere ſolitum, ſuaderet an diſſuaderet conſulenti; Ad poſterius genus interrogationum non reſpondebatur illo tantum ſplendore (nec enim commode hoc potuit) ſed longe aliter. audiebatur enim à Sacerdote interna quædam, vel externa quandoque locutio ſeu oraculum, quod ipſe poſtea interroganti manifeſtaret. Quanquam nec hic abſurdum ſit opinari, ad ſplendorem tunc lapidum acceſſiſſe ſacerdoti lumen Propheticum menti eius è Deo infuſum. De hac quidem reſponſione prolixiore, patet ex Regum geſtis, *2. Reg 5. v. 13.* vbi præter reſponſionẽ ad interrogata, inſuper Deus docuit modum prælii conſerendi, & propter talem modũ reſponſionis, puto genus hoc oraculi vocari cõſueuiſſe, *reſponſionem per Sacerdotes. 1. Reg. 28.* Hęc de *Oraculo per Sacerdotes.* Poſt Dauidis Regnum, raro per Sacerdotes Domino reſpondente, frequentius eſſe cœpit *oraculum per Prophetas*; quod diuidi poteſt in *viſionem & ſomnium*: ſicut & *oraculum per Sacerdotes* diuidi potuit etiam in *viſionem fulgoris, & manifeſtationem verbi.*

Hæ duæ ſpecies, *viſio* & *verbum*, aliquando iunctæ ſunt cum *raptu* ſeu *ecſtaſi*, aliquando ſeparatæ. Simul fuêre in raptu B. Pauli, ad tertium vſque cœlum, vbi vidit & audiuit, quæ non licet homini loqui; fortaſſis etiam Ezechielis viſio quædam talis fuit, quæ vocatur *iad*, hoc eſt, prophetia non leniter, ſed violenter influens. Quando igitur ecſtaſis accedit, tunc tenenda Patrum doctrina, Prophetas non fuiſſe ſic mente captos vel attonitos, vt non probe ſcirent, quid prædicerent. hoc enim proprium fuit fanaticorum, quales erant hæretici Montaniſtæ & vates Gentilium. Nam ecſtaſis duplex eſt, vna diuina, alia diabolica: vt inſinuat Tertullianus his verbis; *Ecſtaſis hoc operatur de ſuo proprio, vt ſic nobis ſapientiæ imagines inſerat, vt & errorum.* ſapientiæ ſcilicet ac veritatis diuina, errorum & falſitatis diabolica. Non igitur auctor ille ecſtaſim ſumſit pro mentis attonitæ abalienatione, & animi quadam impotentia; qualis erat in pſeudoprophetis illis, ſed more patrum & recto, pro raptu, ſiue pro abſtractione tantum à terrenis & ſenſuum corporeorum functione: nec voluit ſic conſtitutum Euangeliſtam ſcripſiſſe, ſed quæ dum in tali ecſtaſi conſtitutus viderat, ea poſtmodum in ſcriptum redegiſſe, vt mittam D. Pauli raptum; talis haud dubie D. Ioannis fuit, quo teſtatur, cum dicit *ſe in ſpiritu fuiſſe* (ἐγενόμην ἐν πνεύματι) ſcilicet correptum & abſorptum in ecſtaſi, vt rectiſſime Haymon fuit interpretatus.

Tertia ſpecies erat *ſomnium*, dormientibus tantum, medio ſimulacro ſiue phantaſmate, contingens; Hebræi vocant *chalom*, Græci ἐνύπνιον. Si quis quę cenſura

tura ſunt ſomnians, ipſe quid ſomniet non intelligit; tunc eius reſpectu non erit prophetia, ſed adſpectu tantum illius erit prophetia, cui Deus ſignificationẽ ſomnii reuelabit: quare Ioſeph propheta, & non Pharao vel eius ſerui: Daniel propheta, & non Nabuchodonoſor: ſomnians autem ipſe demum annumerabitur prophetis, quando cum ſomnio ſimul intelligentiam ſomnii percepit, vt Daniel in altero ſuperbi Regis ſomnio.

EQ. Quæ vero eſt ratio viſionũ in nouo Teſtamento apud Chriſtianos. De his enim Deus ipſe apud Ioelem c.2. *Effundam* (inquit) *Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri.* Et mox ſubdit: *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* Ergone omnes viſiones Chriſtianorũ promiſcue recipiendę?

TH. Probate Spiritus, num ſint ex Deo, diligenter monet D. Ioannes. Non enim eſt iudicium præcipitandum, ſed res Deo mediantibus precibus commendãda, resq; prudenter indaganda. Docent hoc ſacræ literæ. Narrat Ioſeph Iacob patri ſua ſomnia: increpat eum pater, ſed rem tacitus cõſiderat. Apparet Angelus Ioſue filio Nun, forma viri armati: ille diſquirit interrogatione quis eſſet, nec adorat incognitum. Audit Samuel vocantem Deum, nec reſpondet Domino, ſed accurrit ad Heli donec monitus fuiſſet ab Heli Sacerdote quomodo ſe gerere deberet. Helias diſcernit inter turbinem, commotionem, ignem, & auram leuem, & perpendit prudenter, in quo illorum Dominus ſe manifeſtaret. Salutat virginem ſacratiſſimam Gabriel Archangelus: illa priuſquam reſponderet, *cogitat, qualis eſſet illa ſalutatio*, non id leuiter, ſed *διελογίζετο*, mature & diu animo atque cogitatione voluebat, verum illa ſalutatio illuſoria eſſet & à Deo, an à dæmone, vt optime Euthymius. Quamdiu igitur res dubia eſt, lõge tutius cenſetur, potius eam cum pia humilitate repudiare, quam cupide & confidenter recipere aut aſſentiri.

EQ. Quid ni vero liceat pia intentione recipere. Non enim veriſimile eſt, Deũ permittere, vt Chriſtiani præſertim deuotiores, inanibus viſionum ſpectris aut fallacibus præſtigiis ineſcentur. Vnde etiam apud Cæſarium legimus, multos precibus à Deo reuelationes viſioneſque & poſtulaſſe, & obtinuiſſe: ſi petere licet, cur non & oblatas amplecti ſtatim atque recipere?

TH. Multa fiunt à multis non imitanda, imo nec probanda, maxime ab hominibus incompertæ ſanctitatis. Nam ſi quis, de quo conſtaret ſanctum eſſe, id in caſu aliquo peculiari & neceſſario peteret, vt non auderem damnare; ſic non vererer cæteris ſuadere, ne idem ſibi putarent imitandum. Quoniam inuenio viros doctos, & valde ſpirituales ſemper huiuſmodi deſideria ac petitiones improbaſſe: quia naſci ſolent ex occulta ſuperbia, æſtimatione & amore ſui, quo cupiunt manifeſtam aliis ſuam ſanctitatem; vel ſaltem ex curioſitate vana, & ideo Deus ſolet permittere tales decipi & impingere. Tradit D. Auguſtinus, conatum hoc dæmonem ſibi perſuadere, vti ſignum aliquod à Deo peteret: ſe vero id detrectaſſe, gnarum quam multos hæc curioſitas perdidiſſet. Ideo alibi monet his abſtineamus, & quod intra nos eſt, Dei regnum in iis, quę videntur nõ quæramus. Poſt Auguſtinum idem monemur à Gerſone, cuius in ſimilibus magna ſane auctoritas eſt, his verbis; *Enarrantur exempla ſanctorum Patrum, qui curioſitatem huiuſmodi viſionũ vel miraculorum tanquam pernicioſiſſimam fallaciſſimamq; refugerunt.* A qua ſe Auguſtinus liberatum *in ſuis confeſſionibus*, gloriatur in Domino. Quam propterea D. Bonauentura abhorendam nimis eſſe determinat, totoque conatu repellendã, nunc orationi-

orationibus,nunc increpationibus non tam ſuæ ipſius curioſitatis atque proteruiæ,quam etiam ipſius Satanæ extremæ ac profligatæ impudentiæ. Exemplo illius, qui dum ſibi dæmon transfiguratus in Chriſtum, diceret, *ego ſum Chriſtus te perſonaliter viſitans,quia dignus es:* confeſtim clauſit oculos vtraque manu, vociferans; *Nolo hic Chriſtum videre,ſatis eſt ipſum in gloria ſi videro:* ſtatimque diſparuit. Alius quiſpiam ſub aliis verbis ſimilem ſeruauit in huiuſmodi illuſione humilitatem. *Vide,* inquit, *ad quem miſſus ſis. Ego certe talis non ſum,quod dignus ſim hic videre Chriſtum.* Atque in ſimili fere caſu ementitæ viſionis allegauit vir quidam deuotus dictum D. Petri: *Exi à me Domine,quia peccator ſum,quia vilis ſum, quia viſionibus tuis indignus ſum; quas hic neque quæro,neq; accepto,ſed repello. Sit in alio,non in hoc ſæculo viſio tua tota merces mea Domine Deus,& ſufficit. Quid ad me de viſionibus tuis in hac vita? quid de ſuperiorum meorum monitionibus? mitte potius alium,quem miſſurus es: & me meus ſpiritus humili tegat obſcuroque loco.* Inſignem admodum de hac re confeſſariis aliisque iudicibus regulam præſcribit Gerſon,quomodo nimirũ omnes & ſingulas ipſis per alios cõmunicatas viſiones prudenti diſcretione diiudicare debeant. *Caue ergo,* inquit, *quiſquis eris auditor aut conſultor, vt non applaudas tali perſonæ,& non laudes eam,non mireris,quaſi ſanctam dignamque reuelationibus atque miraculis. Obſiſte potius,increpa dure, ſperne eã: cuius ſic exaltatum eſt cor,elati ſunt oculi,vt ambulet in magnis & mirabilib. ſuper ſe:* vt digna ſibi videatur, *quæ non humano more operetur ſalutem ſuam,per doctrinam ſcilicet ſcripturarum & ſanctorum,cum dictamine rationis naturalis: niſi conſilium habere præſumat, & putet,ne dum ab Angelis,ſed à Deo;nedum ſemel in neceſſitatibus,ſed pene iugiter,velut in quotidianis collocutionibus: talem admone,non ſublime ſapere,ſed ſapere ad ſobrietatem: quoniam veriſſime ait,qui dixit,* ſuperbia meretur ludi. *Et eo dignius quo inſtar Phariſæi latentem hærentemque oſſibus ſuperbiam, ſicut nec Phyſicus febrilem calorem,ſuperbus attendit. Quid enim facilius quam ſe viliſſimum peccatorem dicere; ſed veraciter ſimpliciterq; ita ſentire ex intimis,hoc diuini muneris eſt,non humani ſolius exercitii.* Hoc vltimum addidit, quia ſolent perſonæ,quibus per reuelationes dæmon illudit, fateri quidem ſe peccatores & indignos eſſe:ſed vel aperte increpationes huiuſmodi ægre ferre, & ſic detegitur interna ſuperbia,& cognoſcitur illuſio:vel ſaltem ex duobus vnum prętexunt.nam vel dicunt ſe idcirco alieno iudicio non credere, quia de ſuo certi ſint per reuelationem intimam & ſecretam: vel ſane non audere ſe viſionem reiicere, quia ſi fortaſſis viſio à Deo eſſet,hoc foret Spiritui ſancto reſiſtere,& ſemen gratię eius in crepundiis ſuis exſtinguere. Ficta hęc atq; emẽtita eſt humilitas,Deo odioſa,diabolo grata. Non audes forte reſpuere? cogita decipi te poſſe, & interea comperendina & conſule prudentiores te. D. Cyprianus & alii ſancti reuelationes magni fecerunt:ſed eas tantum, quas à Deo eſſe ſciebant. Olim quoq; viſiones diuinę frequentiores fuere,quia magis neceſſarię,hodie quo minus neceſſariæ,hoc infrequentiores ſunt,& ſuſpectiores habendę,vt non immerito debeant & à Magiſtratu Eccleſiaſtico diſcuti,& à priuatis vitari;qui prætextu vel fictarum (quod hypocriſis proprium) vel habitarum (quod eluſorium eſſe conſueuit) reuelationum,de aliis perſonis;in earum,vt plurimum mulierculärum,familiaritatem & ſolicitudinem ſeſe ingerunt;vt & auorum memoria Begardi & Lollardi, in Belgio,& noſtra illuminati faciebant in Hiſpania,& hodie etiam alii quidam factitant, ſuo periculo,aliena fraude.

PH. Ego cæteris paribus,plus fidei virorum, quam mulierum reuelationibus, tribuendum cenſuerim. Sexus enim mulierum longe eſt imbecillior, quam virorum,

rum, naturaleſq; vel dæmoniacas ſuggeſtiones vt plurimum habet pro diuinis: multa quoque ſibi ſomnia fingit, quæ vera credit, iuxta illud parœmicum, *Anus quæ vult ſomniat*, abundat paſſionibus admodum acribus & vehementibus, quare quod à paſſione natum, id à veritate profectum putat. Sunt etiam fœminę naturę humidioris & viſcoſioris; humidum vero facile commouetur, & varias figuras recipit, ægrius autem ac ſerius à motu ceſſat. ideo mulieres citius imaginantur, ſed viri minus pertinaciter imaginationes fouent: cumque illæ minus ratione polleant, minus etiam prudentiæ habeant; procliuius eſt dæmoni, eas ſimilitudine falſa & apparente decipere.

TH. Non tantum fœmineus ſexus procliuior eſt ad imaginarias eiuſmodi viſiones atq; apparitiones, quam viri, neq; ſeipſas etiam duntaxat fallunt, ſed & ſuis illecebris viros etiã eruditos tandem, ſi nimis illis creduli, in præceps trahere conſueuerunt. Teſtis eſt, ſui temporis doctiſſimus, Tertullianus; qui dum viſionibus muliercularum (vt illi, de animæ quantitate ac colore) confidit, immemor eorum, quæ doctiſſime & veriſſime contra has ipſas ſcripſerat, in abſurdiſſimos errores delapſus fuit. Sed ætas noſtra præbuit in Peruuia illuſtrius adhuc exemplum; quod P. Ioſephi à Coſta verbis adſcribam: Fuit in hoc Peruenſi regno vir magni pro illo tempore æſtimatus, doctus Theologus, ac Theologiæ profeſſor, idemque Catholicus, ac pius diu habitus, ac pene tunc huius orbis miraculum. Is familiaritate mulierculæ cuiuſpiam; quæ ſe edoceri ab Angelo magna quædam myſteria iactabat, quæq; extra ſe interdũ rapiebatur, aut rapi ſimulabat, velut altera olim Philumene aut Maximilla Montani; ita deuinctus eſt, vt illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſæpe conſuleret: in omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationib. plenam & Deo valde charam prædicaret, ſatis alioqui ſordidam & perexiguo ſenſu præditam, niſi ad inſtruenda mendacia. Igitur, ſiue à Diabolo corriperetur (quod facilius eſt credere) cum eiuſmodi ecſtaſin pateretur, ſiue callide eam fabulam ſimularet (quod nonnulli viri prudentes exiſtimarunt) ille Theologus, quod à muliercula magna & mira de ſe audiret, ac multo grandiora futura conciperet, libenter ei ſe diſcipulum addixit, cuius patrem ſpiritualem agebat. Quid multa? eo abductus eſt homo, vt miracula facere tẽtaret, & fieri ſibi perſuaderet: cum miraculi veſtigium, ne tenue quidem exſtaret. Ob hæc, & quod propoſitiones aliquot ab illa prophetiſſa accepiſſet, à ſenſu Catholicæ Eccleſiæ alienas, à ſanctiſſimæ inquiſitionis iudicibus, toto hoc regno ſtupente, comprehenſus eſt. Ibi per quinquennium fere auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus eſt homo omnium ſuperbiſſimus ac inſaniſſimus. Cum enim Angelum ſibi diuinitus datum, à quo omnia quæ vellet diſceret, ac deinde ſumma Dei ipſius familiaritate & immediato colloquio ſe potitum pertinaciſſime diſſereret; in eas nugas delatus eſt, quas, niſi ab homine prorſus mentis emotæ dici, nullo modo ſibi quiſquam perſuadeat. Erat vero ille tam integro ſenſu, quod ad cerebrum attinet, vt mihi integrior non ſit. Itaque & ſerio affirmabat, ſe & Regem futurum, & Pontificem ſummum ſede Apoſtolica ad hæc regna tranſlata; conceſſam quoque ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos & choros cœleſtes atque Apoſtolos omnes; quin etiam oblatam ſibi à Deo vnionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo non eſſe admiſſam. Datum quoque ſe redemptorem orbis quoad efficaciam, vt ipſe loquebatur, quod Chriſtus ſolum quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccle-

ſtiſticum abrogandum: leges vero alias ſe editurum faciles & apertas. Hæc atque alia tanta contentione affirmabat, vt nos teneret attonitos, quod homo talia ſentiens non inſaniret. Denique diu euolutis geſtis illius, & plus quam centum & decem propoſitionibus hæreticis, aut à ſana doctrina Eccleſiæ alienis condemnatis, iuſſi ſumus, vt habet de more ſacrum illud tribunal, cum homine diſputare, ſi forte ad mentem & fidem hominem reuocare poſſemus. Conuenimus autem cum ipſis iudicibus & Epiſcopo Quitenſi tres alii. Eo introductus homo ea libertate & facundia perditiſſimam ſuam cauſam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam ſtupeam, eo adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt, doctrinam ſuam non poſſe monſtrari, niſi diuina ſcriptura & miraculis, quod eſſet ſuperior omni humana ratione. Scripturæ autem teſtimoniis longe ſe apertius atque efficacius probaſſe, quam probauerit Paulus Ieſum Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam. Miracula autem ſe perpetraſſe plurima, eaque tanta, vt Chriſti reſurrectio non fuerit maius. Nam & ſe veriſſime eſſe mortuum & reſurrexiſſe, atque id euidentiſſime (aiebat ille) eſſe oſtenſum. Scripturas vero proferebat memoriter (cum nullum librum haberet, atque ipſo etiam Breuiario ſpoliatus eſſet) ex Prophetis, ex Apocalypſi, ex Pſalmis, ex aliis locis tot & tam longas, vt vel memoria eſſet admirationi. Eas vero ita ad ſua commenta adaptabat, ita allegorizabat; vt quiuis vel rideret vel fleret. Poſtremo ſi miraculis rem agere nobis placeret, ſe libenter ea ſtatim exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, vt vel nos inſanos putare videretur, vel ipſe inſanire. Nam & per reuelationem ſibi innotuiſſe iactabat Sereniſſimum Ioannem Auſtriç bello nauali à Turca eſſe ſuperatum, & regnum Hiſpaniæ à Philippo inuictiſſimo iam pene amiſſum, & concilium Romæ habitum, vt de Gregorio deponendo & alio ſubrogando ageretur. Quæ ideo nobis ſignificaret, vt, quoniam erant nobis certis nunciis nota, ſciremus ei non niſi diuinitus innotuiſſe. Et cum eſſent omnia adeo falſa, vt amplius eſſe non poſſent, ab illo tamen aſſerebantur vt notiſſima nobis. Denique cum nihil profeciſſemus per duos dies diſſerendo, & ad publicum ſpectaculum eſſet cum cæteris, vt in Hiſpania fieri ſolet, delatus, intuebatur ſemper in cœlum, ignem in inquiſitores & omnes graſſaturum cœlitus exſpectans, vt illi erat pollicitus Diabolus: atque ignis quidem nos nullus ex alto corripuit, illum vero & Regem & Pontificem, & redemptorem, & legislatorem flamma rapuit atque redegit in cineres. *Hactenus P. Ioſephus.* En fructus incautæ conuerſationis cum mulierculis præ textu confeſſionũ, & nimiæ facilitatis in credendis; primo, quæ ad laudem propriam, mox etiam, quç ad cæteros & publicum Eccleſiç ſtatum; denique ad fidei myſteria morumque doctrinam, ex ſuperbia occulta ſuique amore nata credulitas, ex hac hæreſis, & vaniſſima quædam diuinitatis affectatio, cum incredibili mentis cæcitate. Sic igitur viliſſima fœmella, virũ eruditione & ſapientia clarum decepit. Sic & Magdalena de la Cruz Cordubæ multis impoſuit, & in Belgio non multi elapſi ſunt anni, cũ, in vna vrbium Hannoniæ, religioſa quædam credita energumena, & adducta ad ſuperiorem eiuſdem ordinis, vt exorciſaretur: dum res in lõgum abit, & illa vocib. diuerſis ſucceſſiue loqui incipit; quarum vna tenuior ſe Deum Chriſtumq; Dominum noſtrũ fingebat, alia dęmonem craſſior imitabatur: hęc multa palam impia effutiebat: illa quædam ad pietatem (vt videbantur) pertinentia. Ita creditum, à quib. minime decuit, in illa modo Ieſum, modo diabolum loqui: ſic periculi plena & fallaciæ res eo progreſſa, vt muliercula ſolemni ritu, quaſi per eam Chriſto loquente, hoſtiam

hoſtiam incruentam, prolatis verbis canonis conſecrare auderet, & (proh dolor) pii, ſed vel indocti, vel incauti, conſecratas (exſecratas potius dicere deberem) ab hac ſacerdotiſſa, ſed non ſecũdum ordinem Melchiſedech; azymas panis eulogias acciperent, & tanquam verũ Domini corpus allatis & prælatis cereis, in altari collocarẽt, & venerarẽtur. Sed Domine libera nos à ſimilibus, homines ſumus, decipi poſſumus. Propter huiuſmodi ſimiliaque pericula Gerſon *hoc præcipue conſiderandum*, inquit, *qualiter cum ſuis confeſſoribus & inſtructoribus tales mulierculæ conuerſentur. Si collocutionibus intendunt continuis ſub obtentu nunc crebræ confeſſionis, nunc longæ narrationis viſionum ſuarum, nunc alterius cuiuslibet confabulationis: expertis (inquit) credite nominatim Auguſtino & Domino Bonauenturæ, vix eſt altera peſtis vel efficacior ad nocendũ, vel inſanabilior:* quæ monitio aureis digna literis eſt, quot enim hinc lapſus ſtellarũ de cœlo? quot qui ſpiritu cœperant, carne conſummantur?

EQ. Ridiculum eſt, quod virgini illi Gandenſi noſtris temporibus euenit. Hiſtoriam quantumuis ſatis notam referam. Miſella illa virgo diu vacarat orationi, & ſacramenta frequentarat: ſed vel non ſatis exercitatum nacta fuerat confeſſarium, vel ſi nacta ei ſua ſecreta ſpiritualia non pandebat, vel bene monenti nõ credebat, quicquid horum fuerit, paulatim variis reuelationibus eam diabolus ſuperbiæ ſpiritu inflauit, tandem perſuaſit, meritis reliquis parem eſſe Deiparę virgini: deeſſe fœcunditatem iunctam virginitati illibatæ: ſi pergat, id quoq; conſecuturam. O vafrum commentum, & muliebri ingenio accommodatum! iam illa ſe confeſſionis indignam non eſſe rebatur: itaque per annos aliquot eam intermittens, non abſtinebat tamen à ſacra ſynaxi. Quid multa? ſemel dum in templo verſatur, & communionem exſpectat, ardentiuſque beneficium illud reliquum poſtulat; audit, bono ſis animo, dilecta, exoraſſe te ſcito. Conceſſa tibi fœcunditatis cum caſtimonia prærogatiua, quam petis: de cœlo confide te grauidatam: domum reuerſa, ſentit vterum tumeſcere: iuſto poſt partus tempore aduenientẽ, piũ quendam & prudentem adit ciuem bene notum; narrat rem totam, petitque vt in domus eius penetralibus ſibi liceat parere; & ſtipulatur arcanum fore. Ille nec credulus dictis de reuelatione, nec tamen ſuſtinens virginem domo excludere; veritus, ne graſſari iam incipientibus Sectariis, materiam res vulgata præberet blaſphemis hæreticorum dicteriis atque lædoriis; eam ſuſcipit, & adhibita obſtetrice fida partum exſpectat. Miſera doloribus vehementer torquebatur: tandem, tandem magnam, pro prole humana, horridorum & villoſorum, fœdiſſimorumq; vermium copiam effudit vtero; quorũ tam dirus erat aſpectus, vt omnes exhorreſcerẽt; tam teter odor, vt fœtore ferme exanimarẽtur. Sic demum miſella ſe deluſam intellexit, & ſuperbiæ ſuæ fructum à ſuperborum Principe retuliſſe, quem oportebat.

TH. Sic nimirum ſolet cautus iſte veterator incautũ muliebre genus ſub ementita deuotionis ſpecie faſcinare. Verum enimuero quam plurima etiam paſſim extant exempla virorum, qui ſibi viſi fuerunt naſutiores, & tamen nihilominus à veteratore illo egregie ineſcati fuerunt. Ex multis vnum referam, quod recenſet Iacobus Vitriacus *lib. 1. vitæ B Mariæ Oigniacenſis, cap. 9* his verbis: *Quidam ex amicis eius* (ſubintellige beatæ Mariæ Oegnicianæ) *præcipuis à dæmonio meridiano perambulante in tenebris, aliquando tanto periculoſius quanto ſubtilius infeſtabatur. Callidus enim hoſtis transfigurans ſe in Angelum lucis, ſub ſpecie pietatis ei familiariter in ſomniis apparebat, nonnunquam eius quædam vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona cum*

ſraudulenter adhortans, vt primo tanquam antidoti cuiuſdam falſa ſpecie oblata, poſtea occultius venenum inſtillaret, & mellita lingua blanditer exerta, poſtmodum dentem infigeret, & ad extremum caudã ſuam quaſi cedrũ ſtringeret. Cum enim iam illi fides ceu veraci haberetur, tum inſtar ſophiſtæ & impoſtoris, veris quibuſdam proditor ille falſa permiſcebat, bonorum intermixtione falſis quandam vmbram inſidioſe prætexens. Tandem ſuis machinis eo perduxit fratrem illum, vt res eius peſſimum exitum fuerint habituræ, ſi non ancilla Chriſti, reuelante Spiritu ſancto, callidi veteratoris fraudes didiciſſet. Cum autem diceret homini, reuelationes illas non eſſe à Deo, ſed maligni dæmonis illuſiones eſſe, & ille è diuerſo, non ſancto, ſed ſuo ſpiritu obiiceret. Cum tot beneficia præſtiterit mihi ſpiritus ille, tot vera & futura prædixerit, nullo pacto mihi vult imponere: illa ad ſolita orationis arma confugiens, pedes Domini rigat lachrymis, cœlum precibus inſtanter pulſat, nec facit finem, donec impius ille impoſtor, cum multo gemitu & pudore ipſi nocte in cellula ſua oranti adſtaret: quem illa commentitio præditum ſplendore intuens: Quiſnam es tu, inquit, aut qui vocaris? ille ſuperbo, vt erat, vultu, illã toruis oculis viciſſim aſpiciẽs; Ego ſum, ait, quem tu maledicta precib. tuis compuliſti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. Somnium *autem ego vocor. Multis enim, præſertim religioſis, in ſomnis inſtar Luciferi appareo, mihique obediunt illi, & ex meis conſolationibus animis efferuntur, dignoſque ſe putant, qui diuinis & Angelicis fruantur colloquiis. Amicum illum meum, quem pro tua voluntate mihi abſtuliſti, iam eram à bono propoſito retracturus. Et id ſane rei euentus docuit: ſed oua aſpidum rupta ſunt, & maligni illius fraudulenta conſilia in lucem prolata.* Quibus verbis nobis ſimul & artes dæmonis, & modus, & finis, & remedium, quo in re dubia vtendum, proponuntur.

EQ. Hæc recentia ſunt, nec originem harum faſcinationum diabolicarum monſtrant aut explanant. Scire igitur velim, quomodo & quo aſtu ſeſe primitus Satan animis hominum inſinuauerit, cum ſit ſpiritus mendax & impurus, ſpurcitiemque in omnibus ſuis operibus præferat fœdiſſimam, proinde & cultus ab ipſo introducti, omni fœditatũ genere haud dubie fuerunt conſpurcatiſſimi, quæ quidem fœditas hominibus cordatioribus ſuſpecta merito fuerit.

PH. Talem ſeſe, qualis eſt, Satan, præſertim quando irretire homines vult, nullatenus ſeſe exhibet. Id quod non tam ab exemplis ſagarum conſtat, quas ab initio contractus cum ipſis ineundi ad preces & ardens ſtudium verbi Dei ſtrenue (vti videtur) cohortatur (de quo alio tempore atque occaſione prolixe, ſi lubet, agemus) ſed etiam ex eo apparet, quod ſuos cultores talibus aſtrinxit regulis, quæ omnibus fere numeris cum honeſtate conſenſerunt. Hinc illæ veterum Ethnicorum graues admonitiones, quæ etiam Chriſtianis merito eſſe commendatæ, atque in viridi vbique obſeruantia teneri debent. Sic enim Cicero libro 2. de legibus: *Ad diuos*, inquit, *caſte adeunto: pietatem adhibento: qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.* Item: *Impius ne audeto placare donis iram deorum.* Putabant namque Ethnici, licet cognitionem veritatis certam nullam haberent, Deum irritari impiorum precibus magis ad vindictam, quam ad opitulandum flecti. Vnde Bias Priemæus, quum vna naui cum quibuſdam ſceleratis & impiis veheretur, & ii, ob tempeſtatem ortam, Deorum opem implorarent; *Silete*, inquit, *ne vos hic illi nauigare ſentiant.* Eodem modo Ariſtippus, quum naui vectus oborta tempeſtate ſupra modum perturbaretur, quidam ex iis, qui ſimul nauigabant; *Numne*, inquit, *etiam tu metu perculſus, quemadmodum* [illegible]

At ille: *prorſus*, ait, *neque iniuria. Vobis enim de vita ſcelerosa infelicique labor eſt, & præſens periculum, mihi vero de felicitate atque beatitudine.* Plato quoque vetat dubitare, qua ſit mente futurus Deus, ſi ab impio inuocatur, vel placari donis ſtudetur, cum vir nemo bonus ab improbo donari velit. Ob eam cauſam quidam ex veteribus dicere ſolitus eſt; in rebus ſecundis & proſperis deos placandos eſſe, vt eos in rebus aduerſis confidentiori animo inuocare poſſimus. Huc reſpexiſſe Plinius videtur, *lib. 18. cap. 3.* vbi dicit: *Manibus honeſtis omnia latius proueniunt.* Vnde apparet, veteribus plane perſuaſum fuiſſe, Diis minime grata ſacrificia eſſe, quæ ab impuris manibus ſceleratorum offerebantur.

TH. Sunt hæ profecto ſalubres, & niſi ab Ethnicis prolatæ eſſent, ſanctæ admonitiones, omninoque congruunt cum admonitionibus illis, quæ non tam in ſacra Scriptura ab ipſo ſpiritu Sancto, quam etiam in ſanctorum Patrum aliorumque piorum virorum ſcriptis grauiſſime extant. Sic enim (vt iam ſpiritus Sancti hac de re admonitiones in S. Scriptura expreſſas, quippe omnibus Chriſtianis ſatis notas taceam) poſt alios docet Lactantius, Inſtit. diuin. lib. 5. cap. 19. *Si quis*, inquit, *ad ſacrificium non integra conſcientia venerit, audit quæ illi Deus comminetur; ille qui latebras cordis videt; qui peccatis ſemper infeſtus eſt; qui exigit iuſtitiam; qui fidem poſcit. Quis hic malæ menti aut malæ preci locus eſt? At illi infelices, nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quam malum ſit quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum: & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem lauerint, tanquam libidines intra pectus incluſas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent. Quanto ſatius eſt, mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus ſordidatur, & vno virtutis & fidei lauacro vniuerſa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac ſordidũ corpus gerat, ſatis purus eſt.* Hæc Lactant. Inſtituta autem hæc lotio olim fuit, (vt id obiter dicam) myſtica quadam ſignificatione. Nam in facie lauanda, emundati corporis ac ſynceræ cõſcientiæ puritas denotabatur. Vnde *lauare faciem*, Chryſoſtomus exponit, ſignificare, ab omni ſorde peccatorum & ſqualore delicti, faciem cordis noſtri, & ipſam conſcientiam mundam præferre, vt vere lætitiam cœleſtis gaudii & hilaritatem ſancti Spiritus in nobis habere poſſimus. Memorabilis quoque eſt Epiſtola Conſtantini Magni ad Saporem Perſarum regem, in qua inter alias pias monitiones, teſte Euſebio *lib. 4 cap. 19. de vita Conſtantini*, hæc verba leguntur: *Deus puram ſolummodo mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus flagitat, quibus ille & virtutis & pietatis actiones ponderat.* Quo etiam reſpexiſſe videtur Iuſtinianus Imperator *in Nouell. 152. collat. 9. tit. 16. cap. 5.* vbi caſtitatem & pietatem monachis vtriusque ſexus ſeuere præcipit. *Si enim illi*, inquit, *puris manibus, & nudis animabus pro republica ſupplicent Deo, manifeſtum, quod exercitus habebunt bene, & ciuitates bene diſponentur. Deo quoque placato & propitio exiſtente, quomodo non vniuerſa plena erunt totius pacis & deuotionis? Sed & terra nobis feret fructus, & mare quæ ſua ſunt, dabit, illorũ oratione propitiationem Dei ad omnem Rempublicam deducente.* Idipſum præterea D. Auguſtinus monuit *in Sermonib. Quadrageſimæ, cap. 4.* vbi ita ſcribit: *Oratio iuſti clauis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio, licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam, quam ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus.* Eaſdem pias cogitationes habuit etiam D. Bernhardus: *Credimus*, inquit, *angelos ſanctos aſtare orantibus, offerre Deo vota & preces hominum, ſi ſine deceptione leuari puras manus proſpexerint.* Memorabilis inſuper & notatu digna eſt hac de re ſimilitudo Ioannis Chryſoſtomi in tract. ſuper Matthæum: *Facies*, inquit, *animæ, eſt conſcientia. Sicut enim in*

conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra: ſic in oculis Dei ſpecioſa eſt conſcientia munda. Atque ad has preces & gemitus reſpexit idem Chryſoſtomus *in oratione de Auaritia,* vbi admonet eos, qui pauperibus iniuriam faciunt: *Habetis,* inquit, *vos potentiam, ſed habent illi omnium validiſsima arma, gemitus & lamentationes, & illud ipſum iniuriam pati, quæ auxilium de cœlo attrahunt. Hæc arma domos ſuffodiunt, fundamenta diruunt, vrbes euerterunt, vniuerſas nationes fluctibus obruerunt. Tantam gerit Deus eorum prouidentiam qui læduntur. Magna enim & valida arma ſunt, iniuriam patientium hominum gemitus.*

PH. Hic ſcil. eſt Satanæ aſtus, vt omnia ſua oracula, omnesq; cultus imitatione quadam exempli diuini inſtituat atque exerceat.

EQ. Digna ſcil. etiã eſt hęc temeritatis humanę pœna, qui, ſicut Apoſtolus loquitur, ex vanitate mentis ſuę cogitationem habent obtenebratam & abalienatam à Dei vita, propter ignorantiam, quæ eſt in eis, ex induratione cordium ipſorum. Qui, ſicut Propheta ait, ponunt cor ſuum ſicut adamantem, ne audiant verbum & legem Domini: Qui dicenti Domino Deo per doctores ſanos & orthodoxos: Audite me: Audite vocem tubæ meæ: Audite & videte, quid audiatis: Audite & intelligite: reſpondent contumaciter, Nolumus audire. Et præcipienti, Inſiſtite viis meis, quærite de viis antiquis, de ſemitis veritatis, quæ ſit bona, quæ recta, vt incedatis in ea: iterum reſpondent; Non ambulabimus. Quos tradit Deus tandem, ex conſequente iuſto iudicio, in mentem omnis iudicii expertem, & ruentem velut impetu ad facienda, quæ minime conueniunt, & permittit cupiditatibus cordium ſuorum, ac fœdis affectibus, vt poſteaquam dedoluerunt, dedant ſe proteruiæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem. Tales deſertos à Deo eo modo, quo Pſalmus docet 81. (Quia non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non voluit me, ideo dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibant in adinuentionibus ſuis.) Tales ergo Diabolus obſeſſos conuertit in latibula, organa, & cloacas ſuas. Hinc illa tot deorum ſeu potius diabolorum oracula, quæ dabantur ſciſcitantibus in certis & à diabolo obſeſſis locis, vel à dæmonibus ipſis voce, ſomniis, geſtu nutuve aliquo ſtatuarum, ſonitu tinnituve, aut aliis huiuſmodi, vel ab hominibus diabolico ſpiritu afflatis, qui tunc, cum de propoſita quæſtione reſponſa danda erant, cum vehementi impetu, & horribili ſonitu, ex ſpecubus eliſus, in vates irruebat, impletosq; & in furorem actos ita concutiebat, vt præ tremore palpitationeque artuum omnium, nec conſiſtere, nec ſeſe continere poſſent.

TH. Ita eſt, fuitque hæc via, eo videlicet quo dictum eſt modo, inaniter curioſos homines in omnigenorum errorum barathrum inducendi, diabolo accommodatiſſima. Fuit enim tota fere oraculorum diabolicorum inſtitutio inſtructioque ad illam præcipue ἐπιφανείας ſeu φανερώσεως, apparitionis ſeu manifeſtationis diuinæ ſpeciem, compoſita, qua Deus cum patribus alias alia occaſione & ex aliis locis, & alia ſpecie collocutus eſt, quarum vt patefactionum memoria conſeruaretur ac propagaretur, aras exædificatas eſſe ac dedicatas Deo in iiſdem locis, legimus. Vt autem aliquantũ euidentius conſtet, qua occaſione enata oracula Ethnica, auctore Diabolo, eoque gubernatore prodita & conſeruata fuerint, recenſione hiſtorica id planum faciam.

Noha, qui viderat vtrumque Mundum, ante & poſt diluuium, cum tribus filiis, & intelligebat ſancta ſapientia tantarum pœnarum cauſas, quibus viderat de-

letum vniuerſum genus humanum in Schola domeſtica, liberos nepoteſq; pie fideliterq; erudiit, de ortu Mundi, de lapſu primorum parentum, atque auerſione eorundem, à conditore ſuo, de peccatis generis humani; de horrenda ira Dei, aduerſus peccata, de pœnis, teſtibus iræ Dei, de veris cultibus Dei, de ſacrificiorum ritibus, diuina voce præceptis & commendatis.

Hi rurſus, etſi auulſi à parentibus, diſperſique in terræ partes diuerſas, tamen imitati parentum curam, & inſtitutionem ſedulam, etſi plus alii, alii minus, doctrinam & cultus diuinos conſeruare, pia ac religioſa celebratione, & vſurpatione aſſidua, ſtuduerunt. Condiderunt aras & templa publica, in quibus accolæ & qui eiuſdem erant tribus, conuenerunt ad celebrandum Deum, ad audiendam explicationem doctrinæ, & recitationem hiſtoriæ, de mundi origine, deque Eccleſiæ conſtitutione & propagatione, ad exercendam fidem & inuocationem in ſacrificiis: Cumque excellerent donis Spiritus ſancti & ſapientia diuina, ex hominum imbecillitate, & atrocibus ac multiplicibus Diaboli inſidiis ſtructis tenſiſque in omnes partes, proſpexerunt, quæ tenebræ irrepturæ, quę doctrinæ deprauationes peruaſuræ eſſent in Eccleſiam: Id vt caueretur, cœleſtes voces, literis monumentiſque procul dubio comprehenſas, in templis depoſuerunt, quo aſſeruatæ ibi, & cuſtoditæ certorum hominum diligentia, tranſmitterentur ad poſteros.

Sed cum natura hominum in ſuperſtitionem prona ſit, & nouarum religionũ auidiſſima, Diabolus, cui hoc vnicum, inde vſque ab initio, ſummo fuit ſtudio, vt aſpergeret & deformaret gloriam Dei, & doctrinam de Deo obſcuraret, non deſtitit ſtatim à diluuio, viuo adhuc Noha & filiis eius, impellere ingenia mala ad nouas & falſas opiniones ſerendas, clam ſuppeditatis & obiectis ſeminibus. Eas primum inſigni exquiſitæ religionis ſpecie veſtiuit, quo facilius ſtolidos animos his captos abduceret à Patrum doctrina: deinceps progreſſu temporis ſenſim auxit ſuperſtitiones, in aliis locis plus, in aliis minus, pro vt plus minusve ſequaces, atque idoneos, vel aduerſantes, adeptum ſe animaduertit: donec tandem cumulata caligine, extinctaque ac ſopita luce veræ doctrinæ, & euulſa prorſus ex animis omni memoria veri, & verbo, atque illuſtribus teſtimoniis patefacti Dei, ſua organa in plus, quam Cimmerias tenebras demerſit.

Oraculorũ diabolicorum prima occaſio.

Acceſſerunt &, quæ ſemper extinctam doctrinæ lucem comitantur, fœdæ & promiſcuæ commixtiones, migrationes, vaſtationes terrarum & gentium: Vel petulantia, vel quod locorum anguſtiis cogerentur dilatare terminos, aut nouas quærere ſedes, alię gentes aliis ſeſe miſcuerunt, ſimulque illud, quo ipſi iam imbuti erant, virus cęteris affricuerunt & inhalarunt, aut pepulerunt vicinas gentes, & templis dirutis, monumentis antiquis laceratis, deſtructis aris, aboleuerunt religionem traditam à maioribus, & nouam inſtituerunt. Et omni tempore ex Imperiorum & gentium mutationibus, religionum mutationes: ex commixtionibus earundem, ac confuſionibus, religionum tetræ confuſiones ortæ ſunt.

Doctrina abolita, alibi antiquarum hiſtoriarum ſomnia, alibi vmbræ ſacrificiorum & ceremoniarum, quæ fuerant in vſu ſanctis Patribus, remanſerunt: ſed fabulis ſunt inuoluta ab hominibus, primæ & veræ originis ignaris: alibi hæc quoque interierunt, & innouata ſunt omnia. Et quanquam alicubi monumenta etiam vetera conſeruata conſtat, vt in Ægypto, Phœnice, ex quibus repeti ac reſtitui doctrina potuiſſet: tamen quod in animis excæcatis à Diabolo impiæ

opiniones

opiniones atque idololatricæ dominarentur, non intellecta, ſed ad εἰδωλομανίαν, ſiue inſanum idolorum cultum, ſtabiliendam detorta, aut commenticiis fabulis deprauata & eluſa fuiſſe, in multis videre licet.

Hoc vbi perfeciſſet Diabolus, quod clam antea, & dolo ſeſe inſinuans ſtruxerat, id palam poſtea aggredi & vrgere cœpit. Manifeſtis conatibus abſtractos à Deo homines, & manifeſtis furoribus percitos, ad ſeſe rapuit, quoque voluit, perpulit. Loca quæ fuerant antea domicilia & ſedes doctrinæ cœleſtis, ſanctiſſimæ ſcholæ Patrũ, templa ſancta & habitacula Dei: ex illis conuerſis in latibula impietatis & mendaciorum, ſuas blaſphemias contumelioſas in Deum & hominum generi pernicioſas, eructauit atque euomuit.

Mihi dubium non eſt, in eo loco, in quo poſtea cultum fuit oraculum Iouis Hammonis, vel ipſius Cham, vel poſterorum eius, præcipuam Scholam: in loco oraculi Dodonæi, ſedem familiæ & Eccleſiæ Dodanim nepotis Nohæ ex filio Iauan, fuiſſe. Ad id ſentiendum, multis adducor coniecturis. Non enim appellatio Hammon alia eſt à Cham, quod nomen Hebræi aſpiratione paulo duriore efferunt. Nec Dodonæ nomen diuerſum eſt à Dodanim nepote Nohæ, qui, cum Iauan pater Ionicæ gentis in littorali Aſia conſediſſet, cum familia ſeparatus à patre, in editiora Epiri loca tranſiit. Conſtat etiam, antiquiſſimis temporibus, ſicut & Stephanus annotauit, Epirum Dodonam vocatam fuiſſe, & longe vetuſtior eſt Dodonæ appellatio, quam Epiri. Vnde irrepſit in Græciam vocabulum, ſi inde non eſt? certe Græcam non ſapit originem. Omnino igitur exiſtimo, hæc duo oracula, quæ in hiſtoriis prima & antiquiſſima celebrantur, fuiſſe initio ſanctas primorum parentum Scholas: Diabolum vero eadem primo occupata ſuo veneno conſpurcaſſe ac polluiſſe, tum quod in admiratione, ob priorum celebritatem, eſſe vidit, tum quod opinione antiquitatis facilius allectura imperitos, & fidem approbationemque meritura, præſenſit.

E Q. De Dodonæi oraculo, quod frequentatum fuit ad Dodonam ad ampliſſimam & vetuſtiſſimam vrbem Moloſſidis in Epiro, memorat Pauſanias *in Achaicis*, apud Acarnanes & Ætolos, & Epirotas, & earum regionum finitimos populos valde inclyta fama fuiſſe oraculum illud Dodonæi, quod è quercu columbæ reddebant reſponſa. Nam cum duæ eſſent columbæ, diuerſorum populorum legationes vel aliquo morbo, vel ſterilitate agrorum vel aliqua publica calamitate laborantium, ad capienda reſponſa, quæ remedia forent earum calamitatum, eo confluebant, atque audiebant illarum columbarum vocem. Atqui variis temporibus variis modis reſponſa dabãtur: nam primum loquebantur ipſæ quercus, deinde duæ mulieres ſacerdotes reſponſa dare cœperunt, quarum vna Periſtera, altera Triton vocabatur: atque cum Periſtera columbam ſignificet apud Græcos, hinc locus datus eſt fabulæ, quia duæ columbæ reſponſa redderent. Alii duas columbas reipſa locutas fuiſſe arbitrantur, quod etiam fortaſſe accidit, cum poteſtas eſſet tenebrarum, ac mali dæmones & hæc & his multo magis admirabilia agerent: vt depreſſa tenerent populorum ingenia, ne ad diuiniora tollerentur. Nam nemo fere eſt eorum qui viuunt, quin harum rerum miraculis, cum loquerẽtur ſtatuę & volucres, & auguria ventura prædicerent, & animalia multa ſignificarent, in eam religionem antiquorum fuiſſet irretitus.

T H. Figmentum hoc de geminis columbis enatum eſt ex hiſtoria de columbis à Nohe emiſſis ad explorandum defluxionem & diminutionem aquarum. Merito

rito ergo Domino Deo noſtro gratias agimus, quod per vnicum eius filium, Ieſum Chriſtum, vniuerſa fallacium oraculorum multitudo profligata eſt, omnesq; mali dæmones cum ſuis templis ita ſunt euerſi, vt nulla illorum iamdiu appareant veſtigia: conculcata ſunt altaria, exciſi luci, combuſti libri, quibus ſacrorum ritus continebantur, obliuioni datus eſt victimarum delectus, exploſi ſacerdotes & lenones earum fallaciarum. Neque vllus prope eſt, qui non verum, ſanctum ac ſincerum Dei cultum poſſit cognoſcere, niſi ſi quis pro religione ſimulata, flagitiorum licentiam ſibi dari cupiat. Nam ſi de vero ac legitimo Dei cultu ſolum ſit inter homines controuerſia, ac non potius de propriis ſingulorum commodis, vel intra triduum res iudicari poſſet, fieretque ſtatim vnus paſtor & vnum ouile; neq; quod ridiculum eſt, & miſericordia plane dignum, tot bella pro religionibus orirentur. Eſt enim verus Dei cultus in ratione & pietate, & integritate; non in armaturis, aut in equorum cataphractorum pectoribus, aut in bellicis tormentis collocandus; neque qui plus poteſt in bello, is magis eſt religioſus, aut vir bonus, ſed qui probabiliorem conſilii ſui rationem afferre poterit. Quis enim animo per enſes aut nitentes galeas perſuaſerit, qui cum diuinus ſit, nullam vim omnino patitur? Nullum eſt tormentum bellicum, neq; fortius, neq; maioris impetus ad animum impellendum, quam ſit ratio: qua ſola victus animus vel victricem ſequitur rationem vel ita pudore deterretur, vt oculos attollere aduerſus victricem ſine pudore minime poſſit. Sed hæc alterius ſunt negotii.

PH. Grata mente omnino hoc Dei beneficium agnoſcendum eſt. Habuiſſe tamen & adhuc habere Satanam admirandam plurimarum rerum præcognitionem, vel illud duntaxat argumento eſt, quod non tam ſuperioribus ſeculis quam hoc etiam æuo, nō minus quam ſuperiorum temporum erudito, homines dementare atque ad ſe callide pertrahere, euentu prædictionibus ipſius vt plurimum reſpondente, potuit; niſi enim euentus prædictionibus reſpondiſſent, vix ac ne vix quidem homines perſpicaces ſeduci ſeſe paſſi fuiſſent.

EQ. Veterator eſt, cumque ſpritus ſit vertiginis, etiam omnes eos, qui prædictiones atque oracula ipſius auide excipiunt, vertiginoſos reddit, ac ſubdole inèſcat. Si enim coram prudentioribus & doctioribus oracula prodit, tum exili ſono, ambigue vel perplexe plerunq; adeo reſpondet, vt vix intelligatur. Cauſa tam ambigue reſpondendi eſt, vt quomodocunq; euentus oraculo reſpondeat, vel laudem cōſequatur, ſi pro conſultoris voto; ſin contra, queat prætexere ignorantiam atque ſtuporem interrogantis, qui mentem reſponſi non intellexerit.

TH. Hæc nimirum via fallendi eſt accommodatiſſima. Sic enim fucus non tam facile deprehenditur, & dum veritatem dicere exiſtimatur, ſplendide interim mentitur, atque hac perplexitate nihil non perſuadet incautumque adeo hominum genus in præſentiſſimum vitæ ac fortunarum periculum ſciens ac lubens inducit.

EQ. Mille huiuſmodi illuſionum diabolicarum apud Scriptores exempla extant, è quibus illud eſt, quod de Agamemnone proditur. Cum enim is (Græcorū ad Troiam Dux) Achilli Briſeidem eripuiſſet; Thethisq; pro filio Achille apud Iouem intercederet, vt propter iniuſtum regem Græcos Troianis inferiores reddat, donec reipſa ſentiant, quantum damni ex iniuria Achilli illata perceperint; Iupiter ſomnum mittit ad Agamemnonem, eumque propere copias educere iubet, νῦν γὰρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν Τρώων, quod nunc eſſet capturus Ilium. Iouis *Reſponſa ambigua.*

 non

non eſt mentiri: Et tamen eo die vrbem non cepit. Præuidebat Agamemnonis errorem Iupiter, & propterea in homonymo luſit. Namque aduerbium νῦν Græcis non tantum præſens inſtans ſignificat, ſed latitudinem habet, & ad præteritum quod non multo ante præceſſit, & ad futurum, quod non longe abeſt, referri conſueuit. Iupiter igitur τὸ νῦν intellexit de decimo anno, in quo iam erant, quod ſcilicet non longe abeſſet Ilii excidium. At Agamemnon de præſenti die ſomniũ interpretans, Græcos eduxit in aciem, & magnam cladem paſſus eſt. *Iliad. β.*

Ducenta huius generis exempla recenſerem, niſi tempori parcerem. Aliquot tamen adhuc breuibus attingam.

Friderico II. quidam hariolus, qui ſpiritum familiarem ſibi iactabat adeſſe, prædixerat moriturum eum in agro Florentino. Ergo in extrema illa è Thuſcia in Apuliam profectione, omni ſtudio terram Florentinam vitabat. At cum febri grauiter decumberet in arce Apuliæ, ſex millibus paſſuum diſtante à Luceria (Florentinum vocant) reminiſcens & prædictionis harioli, & nominis Florentini, intellexit finem vitæ ſibi adeſſe. *Collenutius lib. 4 hiſt. Regni Neapolitani.*

Quidam ſcriptores aſſerunt, Ezelinum Romanum, & Albericum fratres, cruentos & immanes homines, matrem habuiſſe Adelheidam, ex nobili Thuſcorum ſanguine fœminam, alti ingenii conſiliique, & tam aſtrorum cœliq; ſtudio, quam Magicis artibus ſupra fidem venturi præſciam. Hæc cum ſæpe multa tam viro, quam natis, tum præcipue euidens vnum, circa diem ſuæ mortis, oraculi more, tribus verſiculis pronunciaſſe dicitur: In quibus & filiorum potentiam, & exitum, & mortis locum ita cecinit, vt ipſis euentibus nihil ex vaticinio demeretur. Quin etiam vt Albericum ſileam, cum Ezelinus ipſe monitus Caſſanum cauere, ignobilis vici neſcius, Caſſanum caſtrum in Paduanorum ac Hetruſcorum ſitum finibus fatale ratus, omni ſemper ſtudio vitaſſet, tandem poſt ſeptuageſimum ætatis annum, dum ſumma vi Mediolanum petit, ab omnibus ferme Longobardis, quibus trux & inſolens ſpiritus odioſum illum fecerat, circumuentus eſt. Iam pontem fluminis tranſiuerat, illic in extremis ſeſe caſibus videns, loci nomen ſciſcitatus: vbi Caſſanum audiuit, confuſionem nominum recognoſcens, adacto calcarib. equo, in oppoſitum ſeſe flumen iniecit: Heu fatum ineuitabile, heu materna præſagia, heu arcanum Caſſanum, horrendo murmure vociferans: Ac vix terræ redditus aduerſæ, ab innumerabili hoſtium exercitu, qui iam pontem, & vtramque ripam occupauerat, opprimitur. *Petrarcha.*

Machabæus Scotorum Rex, cum Magduffum timeret, ab Aruſpicibus monitus, fatidica mulier prædixit, non illum manu caſurum nati ex muliere, nec prius vincendum eſſe, quam nemus Birnen ad arcem Donuſinnam, procul inde diſtantem, translatum eſſet. Itaq; ſe & inuictum, & ab inſidiis tutum falſo credidit. Nam pridie quam vinceretur, exciſa ſylua Birnen, quilibet ramum ſecum tulit, atque ita arcem cinxerunt: Occiſus denique à Magduffo, qui non natus, ſed exciſus ex ventre matris fuerat *Cardanus de rerum varietate, lib. 16. cap. 93.*

Amilcari Carthaginenſium Duci contra Agathoclem Syracuſas obſidenti, Aruſpex inſpectis extis eum poſtridie Syracuſis cœnaturum affirmauit. Ille dum Syracuſis ſe potiturum ſperat, eruptione ciuium captus, eo die inuitus Syracuſis cœnauit, & diris vexatus tormentis interiit, *Diodor. lib. 20.*

Epaminondas Thebanus acceperat ex Delphici Apollinis Oraculo, Pelagus ſibi cauendum. Quare fuit illi præcipua cautio, ne aut triremibus, aut oneraria

vnquam

Digitized by Google

vnquam naui veheretur. At præmonuerat Dæmon, non mare, ſed ſaltum eum deuitandum ad Mantineam, cui Pelagus nomen, vbi occubuit. *Pauſanias in Arcadicis, & Suidas.*

Cambyſi Perſarum Regi Oraculum Latonæ ex vrbe Buti datum erat, eum in Ecbatanis vita exceſſurum. Intelligebat ille Ecbatana Medæ. At cum in Syria ageret, poſt interfectum Ægyptiorum Deum Apim, equum conſcenſurus, gladius vagina nudatus, in femore Regem vulnerauit. Metu & dolore territus, quod nomen vicina vrbs haberet, interrogauit. Vbi Ecbatana eſſe cognouit, errorem ſuum agnoſcens, deſperabundus obiit. *Herodotus lib. 3.*

Philippus Macedoniæ Rex, cum conſuluiſſet Delphicum Oraculum: Quid euitandum ſibi eſſet, quo ad iuſtam perueniret ſenectutem? Pythia Quadrigas vitare iuſſit. Quo audito, toto regno ſuo cum omnes quadrigas amoueri iuſſiſſet, locumq; in Bœotia, qui Quadriga vocatur, non adire vellet, demum à Pauſania, qui quadrigam in capulo gladii cælatam habebat, occiſus eſt. *Valer. Max. lib. 1. cap. 8. & Cic. de Fato. Plutarch. in Alexandro.* Alii dicunt, cum circuiret Thebaicam paludem, cui Currus nomen erat, trucidatum eſſe.

Æſchylus tragicus Athenienſis Oraculo acceperat, ex ictu deſuper ſibi pereundum eſſe. In Sicilia igitur exul, tecta vitabat, ne ruina illorum opprimeretur. Accidit vt ruri ſaxo inſideret, capite detecto. Quod cum ſublime volans aquila, Morphos dicta (cui teſtudines raptas frangere peculiare eſt) caluitii nitore eluſa, ſaxum eſſe putaret, teſtudinem marinam ei illiſit. Eo ictu Æſchylus periit. *Idem lib. 9. cap. 12.*

Daphidas Sophiſta, cum Delphicum Oraculum ironice conſuluiſſet, an equũ inuenire poſſet quo veheretur? Oraculum, poſſe equidem equum inuenire, reſpondit, ſed vt eo perturbatus periret. Mox igitur cum ad Attalum Regem veniſſet, quem grauiter olim offenderat, deprehenſus, & de ſaxo, cui Equi nomen erat, præcipitatus eſt. *Cicero de Fato, & Valerius Maximus libro 1. cap. de Miraculis.*

Cum Dionyſius ſuperior Syracuſiorum tyrannus Athenis in feſto Bacchanalium tragœdiam edidiſſet, & victor declaratus ſuffragiis fuiſſet, quidam ex cantoribus Chori, ſplendidum honorificumque munus ſe accepturum ratus, ſi primus hoc nuncium attuliſſet de victoria, nauigauit Corinthum. Ibi cum inueniſſet nauem, quæ in Siciliam itura eſſet, conſcenſa ea ſecundis ventis vſus eſt, cumque appuliſſet Syracuſas, con inuo retulit tyranno victoriam. Dionyſius nuncio muneribus affecto, magnam lætitiam ex ea re cepit, gratulatoriaque ſacrificia Diis offerens, compotationes & conuiuia magno cum apparatu celebrauit. Cum autem inuitaſſet amicos atque familiares ſuos, & inter pocula nimium vino indulſiſſet, in grauiſſimum morbum delapſus eſt, propter ingurgitati vini copiam. Cum vero reſponſum à Diis immortalibus accepiſſet, quod nunc moriturus eſſet, cum meliores ſuperaſſet. Ipſe in eum ſenſum accipiebat Oraculum, vt referret ad Carthaginenſes, eos ſe meliores fortioresq; eſſe arbitratus. Quamobrem ſæpe etiam habito cum iis cõflictu, ſi res ad victoriã ſpectare videretur, ſubterfugere ſolebat, & vltro vinci, ne fortioribus ſuperior fuiſſe videretur. Verum non potuit hac verſutia fati neceſſitatẽ infringere. Sed cum eſſet parum bonus poeta, viciſſe meliores poetas Athenienſium ſuffragiis iudicatus eſt. Itaq; conuenienter oraculi veritas pſtita eſt, vt cum meliores ſeſe viciſſet, ſtatim vitæ terminus ſequeretur. *Diodorus lib. 15.*

Digitized by Google

Crœſus conſulto Oraculo Delphico, nunquid diuturnum habiturus eſſet Imperium, à Pythia reſponſum accepit:

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς μήδοισι γένηται,
καὶ τότε Λυδὲ ποδαβρὲ πολυψηφῖδα παρ' ἕρμον
φεύγειν, μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Crœſus nunquam ſperans fore, vt apud Medos mulus pro viro regnaret, imperium æternum ſibi ipſi pollicebatur: non intelligens per mulum ſignificari Cyrum, quippe, qui ex duabus diuerſis gentibus ortus erat, generoſiore matre Mandane, quam patre Cambyſe. Nam illa quidem Meda erat, Aſtyagis Medorum regis filia. Hic autem Perſa, & Medis ſubiectus. *Herodotus lib. 1.*

Vrbem olim in Olympo celebrem Libethra nomine fuiſſe aiunt, qua mons in Macedoniam ſe immittit. Ab ea vrbe non longe Orphei monimentum abeſſe, Libethriis olim è Thracia à Liberi patris Oraculo reſponſum allatum, à ſue vrbem deletam iri, cum primum Orphei oſſa Sol aſpexiſſet. De hoc illos Oraculo ſolitos eſſe opertere ſe nihil putaſſe, quod nullam omnino feram vel tantam, vel tantis præditam viribus exiſtere poſſe crederent, quæ vrbem eiuſmodi poſſet excindere, cum ea non magis fiducia quadam, quam ſuo robore niteretur. Atqui vbi Diis viſum eſt, hæc acciderunt. Paſtor quidam meridie recubuit feſſus ad Orphei tumulum. Is cum forte ſomno ſe dediſſet, in ſomnis cœpit Orphei verſus magna & ſuaui voce decantare. Ea voce qui proximis locis vel paſcebant, vel forte arabant, commoti, intermiſſo opere, ad illam dormientis paſtoris cantilenam accurrerunt. Ibi cum ita, vt fit, alterum alter trudentes impellerent, dum propius quiſque ad paſtorem certant accedere, columnam euertunt. Ea ruente fracta eſt vrna: quo factum, vt Orphei oſſa Sol aſpiceret. Ea deinde, quæ inſecuta eſt, nocte, ingenti aquæ vi de cœlo effuſa, Sus amnis (vnus hic eſt de Olympi torrentibus) Libethriorum muros deiecit, ſacras & profanas ædes euertit, homines ipſos, & animalium cuncta, quæ intra mœnia fuerunt, extinxit. *Pauſanias in Bœoticis.*

Nero Cæſar portendi ſibi mutationem ſtatus à Mathematicis acceperat, qui in hoc concordes, in eo diſcordabant, quænam fortuna Imperio deiectum exciperet. His æger Delphicum Oraculum experiri ſtatuit. Reſponſum eſt, annum 73. caueret. Quod cum audiſſet, homini inconſiderato, & vix triceſimum ætatis ſupergreſſo, tanta ſecuritas inceſſerat, vt iam nil metuens, & proſperitatem & ætatem ſibi integram ſponderet, quaſi ante prænunciatum tempus ab Apolline mori non poſſet, eodemque vanitatis & inſolentiæ raptus eſt, vt precioſiſſimis quibuſdam de rebus maritima tempeſtate deperditis, affirmaret, eas ad ſe vel piſcium obſequio reuerſuras. Talibus intumuerat erroribus, cum ſubito ab omnibus deſtitutus, & ad turpiſſimam compulſus eſt mortem, vtique conſiliario dignus Apolline: quamuis mendacii parens, ne quid mentitus videretur, conſuetis ambagibus atque arte prouiderit, quod ipſe Nero ſuprema illa nocte, audito clamore militari, ſuum execrante, & Galbæ nomen celebrante, ſero licet, quiuerit intelligere, & ad infelicitatis ſuæ cumulum auctorem Oraculi veridicum opinari, Galba enim ſucceſſor tertium & ſeptuageſimum annum agebat. *Petrarcha ex Suetonio.*

Sed ſufficiant hæc per me in medium producta exempla. Vtrinq; enim, ego quidem loquendo, vos vero audiendo quo ad hoc defatigati ſumus.

PH. Exem-

De prædi-ctionibus.

PH. Exemplorum iſthæc allegatio mihi ſane non peperit audiendi faſtidium, ſed potius reſpondendi, atque exinde aliquid coniectandi deſiderium. Cum enim in ſingulis oraculorum diabolicorum à te inductis exemplis, euentus certo reſpõderint, proinde certa & non ambigua dæmonum oracula fuiſſe, conſtare videtur. Etſi enim ambigua fuerunt reſpectu hominum, qui pro ingeniorum perplexitate, ingeniorumque hebetudine deprauate plerunque atque ambigue de quibuslibet fere pronunciatis, quæ alicuius ſunt momenti, ſentiunt; non tamen ambiguæ fuerunt reſpectu dæmonum, quippe apud quos oraculorum veritas certo conſtitit.

EQ. Imo neq; apud ipſos dæmonas eorum, quæ futura ſunt, præcognitio certo conſtare poteſt, niſi quantum probabiliter & per cõiecturas aliquid aſſequuntur. Nec enim poteſt dæmon prædicere ea, quæ ſunt omnino libere futura, vt ſunt, I. Quæ dependent abſolute à voluntate Dei, cuiuſmodi ſunt ſupernaturalia myſteria, nec non gubernationes & mutationes Regnorum ac Rerumpublicarum, quia corda Principum ſunt in manu Dei, qui ſolus illa commutat, vt lubet. II. Ea, quæ dependent ex arbitrii humani libertate, vt, quid cras ſim facturus vel cogitaturus. III. Quæ ſunt omnino & proprie futura contingentia, quamdiu illa non habent cauſam certam & determinatam. Sed & cogitationes hominis ſpontaneas, illiusve affectiones liberas virtute ſua naturali, ſine alicuius manifeſtatione non poteſt cognoſcere, quia hoc Deo proprium. Quo argumento etiam ſancti Patres (Ambroſius & alii) probant Chriſti diuinitatem ex cogitationum ſecretarum cognitione. Gentiles quin etiam hoc faſſi ſunt, cogitationes haſce ſoli diuinæ naturæ perſpectas cæteros latere. *Xenoph. lib. 4. de dictis & fact. Socrat. Apollon. Tyan. in orat. ad Domitia.* Fatendum ſane eſt, Satanam ex vultus membrorumve aliorum motu aut mutatione internas animi affectiones quandoque deprehendere, quinetiam adeo vehementer phantaſmatibus immiſſis hominem ſæpenumero turbare, vt vix ad aliud aduertere, aut aliud cogitare queat, quam quod ab eo tum temporis ſuggeritur; neque tamen ob id omnibus numeris conſtans aut perfecta eſt hæc dæmonis ſcientia, ſed limitata & certis reſtricta terminis ab illo qui ſolus omniſcius eſt.

TH. Deo ſoli notitia arcani pectoris & cordis attribuitur, eamque ſibi ſoli etiam Deus reſeruauit. Proinde manet & manebit conſtans & immota ſententia, Deum ſolum cognoſcere & videre noſtras cogitationes, & animi concepta intima & extima.

—Latebras qui pectoris imas
Proſpicit, excutiens animos ſub vulpe latentes.

Poeta noſtri temporis inſignis ex Pſalmo 44. cecinit. Cæterum, quo pacto Deus ſolus non quidem corporeis membris intima cordis & cogitationes obſcuriores cognoſcat & perſpectas habeat, docet nos Tertullianus. Parenti, inquit, cunctarũ rerum & ingenito Deo, non ſunt manus & pedes, & digiti, & anima, veluti creato & compoſito animanti, vt Iudæorum magiſtri putant. Neque ineffabilis ille pater & Dominus vniuerſitatis huius venit in locum aliquem, neque deambulat, neque dormit, neq; ſurgit, ſed in regione ſua, quæcunq; tandem illa eſt, manet acutũ cernens, & acutum audiens; non oculis certe quidem nec auribus; verum virtute infinita ille inſpectat & omnia noſcit, neque noſtrum quiſquam illum latet, neq; mobilis eſt, neque loco vllo, atque adeo neque mundo vniuerſo comprehenſibilis, vt qui antea extitit, quam mundus eſt conditus.

Digitized by Google

PH. Multa audio dæmonibus derogari, at euentus tamen interim adeoque oraculorum diabolicorum atque præſagiorum adimpletio, miraculorumq; pariter ab ipſis editorum horror, au&orıtatem aliquam conciliare ipſis videtur. Atque vt primum de oraculis atque prædictionibus dicam; conſtat ſane ex hiſtoriarum monumentis, non omnino fuiſſe inanes illuſiones aut ludibria, ſed euentib. quandoque, imo vt plurimum comprobata. Exemplo ſint vnum atque alterum; & primum illud de Stephano Hagiochriſtophorita (qui ob impietatem Antichriſtophorita alias dictus fuit) hic poſtquam ex dæmonio per Sethum magum cognouiſſet, Andronico Comneno ab eo, cuius nomen haberet ſyllabam initialem (Is) exitium imminere, Iſaacium Angelum, quem Andronicus vt hominem mollem ſpernebat, comprehendere ſtatuit, ac primum in cuſtodiam dare, deinde Andronici tyranni arbitratu occidere. Igitur ad ædes Iſaacii veſperi ingreſſus, Iſaacium deſcendere ac ſe ſequi iuſſit. Illo vero cunctante, vim adhibuit. Iſaacius ſeſe defendens, Stephanum occidit, & ſtricto enſe templum ingreſſus, eam ſedem conſcendit, in qua homicidæ ſuum facinus exponentes, ab ingredientibus & egredientibus veniam petunt. Vrbana vero multitudo maximo numero ſtatim ad templum confluit. Eodem ſe confert Iſaacii patruus, Ducas Ioannes, eiusque filius Iſaacius. Ad hæc alii promiſcuam turbam, quæ in templum confluxerat, ac ſubinde accurrebat, rogabant vt ſecum maneret, & pro virili opem ferret, in ſummo periculo conſtitutis. Totam igitur noctem ſic exegit Iſaacius, vt non de Regno cogitaret, ſed exitium deprecaretur. Eſt autem diligenti ſupplicatione id conſecutus, vt quidam ex eo cœtu fores templi clauderēt, & illatis luminibus, exemplo ſuo multos impellerent, ne domum abirent. Vbi diluxit, omnes vrbis Conſtantinopolitanæ incolæ affuerunt, omnes Deum orarunt, vt Andronico pulſo, Iſaacius imperio poiretur. Andronicus, qui vrbe tum aberat, cognita Stephani cæde, nihil fecit aliud, niſi vt ciues breui ſcripto moneret, vt nouis rebus ſtudere deſinerēt. Cuius hoc fuit initium: Qui habet, habet, pœna ſublata eſt. Mane vero pluribus concurrentibus, Romanorum Imperator ſalutatus Iſaacius, cum quidam ex ædituis, Magni Conſtantini coronam, quæ ſupra myſticam menſam pendebat, ſcalis depromptam eius capiti impoſuiſſet, inauguratus eſt. Iam cum equi Imperatorii aureis ornati phaleris per traiectum Cioniorum aduehercntur, vnus ab equiſone vi auulſus, comprehenditur, & ad Iſaacium adducitur. Is eo conſcenſo, ex magno tēplo diſcedens, Andronico ſibi fuga conſulente, palatium ingreditur, ac Imperator ſalutatus confirmatur. *Nicetas.*

In Gothia meridionali ſpectantur duo tumuli, ingentibus ſaxis, cipporum loco, impoſita habentes duorum fratrum corpora, quibus ab aruſpice in prima adoleſcentia prædictū fuerat, fore vt mutuis vulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotiſſimas, maximeque contrarias orbis partes ſuſcepere. In extrema ſenecta demum in patriam reuerſi, cum quiſque fratrem iam pridem mortem obiiſſe ſperaret, non procul ab oppido Ionaco ſibi inuicem ignoti occurrerunt, & ſalute vltro citroque dicta & accepta ſub pinu proxima quieuerunt. Mox rixantibus eorum canibus, ipſi quoque ad iurgia primum, inde ad vulnera mutua proruperunt, animamque trahentes, & fratres ſe agnoſcentes, in mutuis complexibus expirarunt. Olaus libro primo de ritibus Septentrionalib. cap. trigeſimo ſeptimo.

Sigthunius Rex Suetiæ, dum ſacrificia Diis apud Vpſalam metropolim offerret,

Digitized by Google

ret, accepto per victimarios reſponſo, didicit ſibi ab auri metallo ſupremam perniciem & mortem fatali neceſſitate imminere, ideoque ſummopere ab eo cauendum eſſe: à ferro aut chalybe, cæteriſque metallis nunquã violari aut occidi poſſe. Quocirca cum ſe inuictum putaret, multa bellorum diſcrimina aggreſſus eſt. Huic erat filia Gro pulcherrima. Hanc Schioldus Danorum Rex filio ſuo Gramo coniugem poſtulauit. Sed iam pater ipſam nobiliſſimo pugili Sumbli Finnorum Regis fratri deſponderat. Itaque Gram putans ſe à Sigthunio contemptum, ferarum pellibus circum amictus, magno diſcrimine ad Regiam Sigthunii peruenit, tempus obſeruans, donec egredientem virginem in mutuum amorem alliceret, allectamque & ſponte volentem abduceret. Prius tamen Beſſus eius comes, per ſummam ingenii vim, virginis animum in amorem ſui regis induxit. Ergo nil reluctantem virginem in ſuam Daniam perductã magno amore dilexit, & Guthormum poſtea Daniæ regem, & filiam Sibdageri Noruegiani regis coniugem ex ea ſuſcepit. Sigthunius raptæ puellæ pater, iniuriam armis vindicaturus, bello Danos perſequitur. Gramus clauam more giganteo geſtans, quam auro infuſo ponderoſiorem effecerat, imminentem audacius capiti ſuo Sigthunium ſocerum occidit, non inutile documentum futuris Suconum regibus eo facto relinquens, quod plus aurum quam ferrum formidabile credant. *Ioannes Magnus lib. 2. c. 6.*

Amphionis tota domo ex peſtilẽtia deleta, ſucceſſit in Regno Thebano Laius. Is ſumpta vxore Iocaſta Creontis filia, cum diutius caruiſſet liberis, oraculo conſulto, an eſſet filios habiturus? reſponſum tulit; Non conducere ſibi prolem habere, quod qui ex eo prodiret filius, patrem occiſurus eſſet, aduerſaq; fortuna domum funeſtaturus. Laius ergo natum infantem, traiectis ferro pedib. exponi præcepit: vnde & Oedipus cognominatus eſt à tumore vulneris. Sumptum puerũ domeſtici cum non expoſuiſſent, cuidam ſeruili mulieri, nomine Polybiæ, tradidere. Cum iam vir factus eſſet, Deum de infante expoſito cõſulere ſtatuit Laius. Oedipus quoq; à quodam ſe fuiſſe expoſitum certior factus, & ipſe Pythiam, qui ſui parentes forẽt, oratum proficiſcebatur. Cum vero apud Phocidem inuicem obuiaſſent, Laiusq; illum de via cedere ſuperbius mandaſſet, Oedipus ira motus Laium occidit, inſcius patrem eſſe. *Diodorus l. 4 c. 6.*

Cyrus Rex Perſarum, ad Iſtrum contra Maſſagetas & Eſſedonas profectus, cõſuluit in Lesbo Orphei caput, oraculis clarum eo tempore, de belli euentu. Reſpõſum accepit: τὰ ἐμὰ ἕξεις, id eſt, ſimilem exitum, vt ego, habebis. Exitus oraculo fidem fecit. A Tomyri enim Regina Cyrus interfectus, & capite truncatus eſt, ſicuti à Thraciis Mænadibus Orpheus. *Philoſtratus teſtis.*

C. Iulio Cæſari futura cædes euidentibus prodigiis denunciata eſt. Paucos ante menſes quum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas, ſepulcra vetuſtiſſima diſiicerent: idq; eo ſtudioſius facerent, quod aliquãtum vaſculorũ operis antiqui ſcrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ ſepultus, inuenta eſt, conſcripta literis verbiſque Græcis hac ſententia: Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore vt Iulo prognatus, manu conſanguineorum necaretur, magniſq; mox Italia cladibus vindicaretur. Cuius rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris. *Suetonius.*

Sed deſino exempla recitare, quibus hiſtoriæ refertæ ſunt. Extant enim quam multa etiam paſſim de illuſtriũ familiarum atq; etiam regnorum fatalib. periodis

euentu

euentu comprobata oracula, admirandæ item prædictiones phyſicæ, quæ vim humani ingenii longiſſime excedunt.

TH. Nihil præponderat. Nouit Satanas periodos & mutationes regnorum ac rerumpublicarum, quæ fuerunt ab orbe condito maxime inſignes, atq; ex illa hiſtoriarum ac definiti plerunque temporis continuata ſerie, de futuris rerumpubl. ſtatibus coniecturam facit. Atque hæc intelligit melius & certius multo ac longe ante quam eueniant, aut quiſquam homo ex ſeſe ſine Spiritus ſancti monitu proſpiciat. Ita arguta ſolertia, duce experientia, ſucceſſiones in Principum familiis & priuatorum, certa circumſcriptas eſſe periodo deprehendit, qua decurſa & exacta deſinant. Parentum enim dignitates, potentia, opes, & quicquid eſt huiuſmodi, fere cum liberis intercidunt atque emoriuntur, aut ab his deuoluuntur & commigrant ad alios. Imo rariſſime parentum felicitas quintum blande complectitur ac fouet nepotem, atque intra hos terminos, quos parentes & trinepotes definiunt, tota fere vertitur & conſumitur parentum felicitas: intra hos terminos oboriũtur plerunque mutationes, quæ felicitatem à parentibus deriuatam vel euertunt omnem atque auferunt, vel attenuatam ac langueſactam inclinant; & vix vlli reperiuntur, qui in iiſdem permanſerint veſtigiis diutius, idque propter peccata noſtra & propter ſuperbiam ac petulantiam, quæ comitari res ſecundas conſueta, rapit homines extra conuenientis moderationis metas, & attrahit, imo accelerat vltionis diuinæ pœnas. Nota eſt enim iudicii diuini declaratio; Ego Deus viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, & benefaciens diligentibus me in multa millia. Ex talibus & oraculis diuina voce editis, & vſu obſeruatis periodis, multa diuinant dæmones. Inde depromptum oraculum Crœſo redditum de abnepote ſeu quinta progenie; & illud de liberorũ ſucceſſione, quod & Cypſelo Corinthiorum & Attalo Pergamenſium regi renunciatum legimus ex adytis ſpecus Delphici: *Ipſe & cognati, nulli ſed deinde nepotes.*

Idololatria nimirum, tyrannide, libidinibusq; Imperia initio laxari paulatim ac labefactari, tandem ſi illæ ingraueſcant cauſæ, vno impetu velut procella conuulſa diſiectaque ruere: contra pietate, iuſtitia, ſapientia, moderatione, conatu tuendæ publicæ pacis ac tranquillitatis, ceu nexibus firmiſſimis coagmentatam, ac munitam tutiſſimis præſidiis, conſiſtere Imperiorum maieſtatem ac perdurare, perpetua ſeries hiſtoriarum docet. Hæc ipſa, varietate exemplorum & euentuum infinita, ceu pingit imbecillem ac fragilem, & caſibus omnibus expoſitam conditionem omnium ordinum in genere humano, ſummorum & infimorum, motuumque animis ac conſiliorum, in horas ac momenta ſeſe variantium, inſtabilitatem, perpetuo à mediis ad extrema nutantem.

Nunquam diu intra mediocritatis terminos ſeſe res humanæ, priuatę & publicæ continent: nunquam medium diu curſum tenent ac perſequuntur. Sed à medio exorbitantes ſubito in alterutrum per præceps ruunt extremorum, ſuæ imbecillitatis impulſæ fato. Imperia à iuſtitia & moderatione in tyrannidẽ degenerant, aut luxu & libidinibus diffluentem ignauiam. Religiones à norma pietatis & fidei definita diuinitus, vel in ſuperſtitionem prolabũtur mutatæ, vel recidunt in profanitatem, Eſtque perexigui temporis felicitas, & pene momentanea, quam fulguris inſtar emicans atque euaneſcens adfert mediocritas: hac quibus frui contingit, his demum vera contingit beatitudo in hoc miſero & ærumnarum pleno vitæ curriculo. Ex talibus argumentis, haud ſcio an non plus ratiocinentur & coniiciant

iiciant dæmones de futuris & fatalibus caſibus Imperiorum, quam vllis aliis.

Cæterum quouſque ſe extendat perſpicacitas & potentia dæmonum, quãtumque proſpicere ac prænunciare poſſint, inquiramus. Primum, etſi fata Imperiorũ, Eccleſiæ, & ſingulorum hominum, quæ in arcano Patris, Filii, & Spiritus ſancti conſilio inenarrabili ſapiẽtia decernuntur, ignorant: ex Prophetiis tamen diuinitus patefactis per Prophetas, quantum noſſe ex illis arcanis deliberationibus datũ conceſſumque hominibus eſt, tantum & ipſi de regnorũ & mundi fatis intelligũt. Imo multo plus, quod aſtutia, ſapientia, acumine, longe ſuperant homines, & longius progrediuntur ratiocinando, atq; ex iſtis eliciunt alia non patefacta. Norunt ex oraculis Prophetarum, vbi & penes quos Imperia futura ſint, per quos viros, & quo ſucceſſu ea conſtituturus & adminiſtraturus ſit Deus: quorũ potentiam amplificaturus, quos deiecturus rurſum ac depreſſurus: ad quam gentem, ſi ruant aut collabantur, translaturus ſit, quo tempore, quibus modis: deniq;, quæ forma, quis ſtatus futurus ſit Regnorum, quãta periodus, qui hoſtes ea petituri ſint & infeſtaturi, aliaq; huiuſmodi. Inde & ſua depromunt vaticinia dæmones, & multa alia nõ ſingulatim expreſſa coniecturis argutiſſime colligũt. Præſciuit Diabolus ex Eſaiæ & Danielis vaticiniis (quorũ vterq; expreſſe adoleſcentem Alexandrum pingit) eũ ipſum Alexandrum victo Dario potiturum Aſia vniuerſa, & traducturũ Imperiũ à *Babyloniis* ad Græcos. Ideo ipſi conſulenti oraculum Delphicum, extorquentique reſponſum ab inuita vate, tandem Pythia in hæc verba prorumpens reſpõdit: Inuictus eris Alexander. Poſtea proficiſcenti cum exercitu in Perſas, prodigia plurima obiecit. In aditu Aſiæ Orphei ſtatua ſudauit. Deinde Alexandro ad extremũ cum Dario congrediente, aquila ex alto ſupra verticem eius ſeſe librare, & in aduerſos hoſtes traiicere viſa eſt. Sine dubio fuerunt hæc Diaboli ludibria, efficta ad obſeruationes prodigiorum & augurioru m, quæ tunc vigebant, ſtabiliendas. Darium contra ambiguis ſomniis in falſam victoriæ ſpẽ induxit. Sciuit ex Eſaiæ Prophetiis fore, vt Tyrus vaſtaretur à Macedonibus. Inquit enim Eſaias: Vlulate naues maris, quia vaſtata eſt domus, vnde venire cõſueuerant, de terra Cethim reuelatum eſt eis. Eſt autem terra Cethim ſine dubio Macedonia, ſicut & ab Homero Macedones κήτειοι vocantur. Inde cum fuſo fugatoq; Dario copias Alexander ad Tyrum admouiſſet, monuit quendam, qui diceret ciuibus, Apollinem vrbem deſerturum eſſe, vt, cum euentus congrueret, fidem augeret oraculorum, & tueretur atque amplificaret Idolorum auctoritatem.

Ex iiſdem Eſaiæ & Danielis vaticiniis prænouit fore, vt Aſſyriorum Monarchia aboleretur, & in poteſtatem redigeretur Medorum ac Perſarum, & quidem à Cyro, cuius nominatim Eſaias meminit. Inde coniectatus eſt, Crœſum etiam de regno Lydiæ periclitaturum eſſe. Quare & aliquanto ante *τὸν πέμπτον ἀπόγονον, abnepotem*, Hygis, quod in Cyri tempora incidere eum proſpiciebat, amiſſurum regnum Lydiæ, præmonuit conſultus ex ſede oraculi Delphici: & poſtea cum ad regnum perueniſſet Crœſus, vt fiducia opum ſuarum exultantem, ſuperbientem, & Perſicum regnum affectantem euerteret, *χρησμῷ κιβδήλῳ, oraculo captioſo*, quo victoriam in ſpeciem ipſi annuebat, ad bellum Cyro inferendum perpulit. Eo moto victus, captus, & regno exutus, vitam in Perſia finiit. Exemplis hiſtoriæ plenæ ſunt. Sed Amphiboliis plerunque & Ænigmatib. ſua inuoluunt reſponſa Dæmones: vel quia de euentibus dubitant, vt cum ſolis ducantur coniecturis & ſuſpicionibus, ſine cauſis euidentibus, & ſine oraculis cœleſtibus: vel vt odio generis hu-

mani,& nocendi ſtudio tegant atque occultent veritatē. Delectantur enim mendaciis & pernicie noſtra,lætanturque calamitatibus noſtris ἐπιχαιρεκακίᾳ, *maleuolentia* acerbiſſima. Ideo talibus ludunt ænigmatibus, inuolucris & perplexis atq; ancipitibus orationibus: vt vel ludificent miſeros homines, vel his circumuentos & ſuſpenſos,ceu freno regant,incitent,flectent,& contorqueant, quo velint, & aut in ſpem felicium ſucceſſuum illectos perimant,aut triſtium euentuum metu iniecto crucient:homicida enim ab initio,& in veritate nō perſtitit: quod veritas nō eſt in eo,quotieſcunq; mendacium loquitur,de ſuo loquitur.*Ioan.8.44.*Talem enim depingit eū Chriſtus,vt agnitū vero odio proſequamur & abominemur,fugiamus conſuetudinem & colloquia cōfœderatorum cum diabolo, vigilantes caueamus inſidias,repugnemus illecebris & occaſionibus obiectis,quæ prima fronte fere blandiūtur atq; allubeſcūt,nec ignauia ruamus,quo inuitat vel incitat diabolus,ac petamus auxilium ac defenſionem à Duce noſtro Ieſu Chriſto,qui venit, vt deſtruat opera Diaboli.

Porro non ex cœleſtibus ſolum oraculis fatales Imperiorum conuerſiones, ruinas & inſtaurationes colligunt:ſed cum ipſi ſint magna pars eorum,quę in Imperiis geruntur & fiunt,toti in hoc & intenti ſunt & incumbunt,vt moueant,turbent,miſceant,& collidant inter ſe Regna mundi, efficiant infinitas vaſtitates in genere humano, & diſſipent recte conſtitutos cœtus, confringant, proiiciant, & conculcent leges ōmnes ac diſciplinam.Multa machinantur,inſtruunt,& gubernant per organa ſua;bona & ſalutaria conſilia impediunt,&quaſi è manib.violenter excutiunt:contra callida,turbulenta,&exitioſa,cum ipſi ſuggerunt potentū animis inſtillata,tum vt rata ſint & approbentur,quocunque modo poſſunt,perficiunt: incitant animos ad ſtudium rerum nouandarum, inflammatos ambitione & dominandi cupiditate: idque teſtimonia & exempla ſacrarum literarum plurima oſtendunt. Concitat gentem Sabæorum & Chaldæorum, vt facultates Hiob vaſtent ac deprædentur,& ſeruos eius trucident. In 3.Regum Michææ Prophetæ viſio oſtenditur,in qua Satanam cernit ſtantem in conſpectu Domini, & dicentē: Egrediar & ero mendax in ore omnium Prophetarum Achab. Zach.3.Satan conſiſtit ad dextrā magni Sacerdotis,vt impediat,ne quid proſpere eueniat vbi Hieruſalem. Etiam Pſalmus fatales pœnas ab auctoribus Diabolis oriri conceſſione permiſſuq; Dei teſtatur,*Pſal 78.49.*cum inquit:Miſit in eos irā indignationis ſuæ, indignationem,& iram,& tribulationem,immiſſiones per Angelos malos. Et inſidiantur atrocius Imperiis,iiſque,qui ad rerumpublicarum gubernacula ſedent, quam priuatis: vel quia horum incolumitati priuatorum ſalutem incluſam eſſe norunt;vel quia occaſiones propoſitas ibi vident maiores, effundendi immane odium ſuum in genus humanum,& ſæuitiam explendi.

Cum itaque multa Imperiorum negotia moliantur, vrgeant,& exequātur Dæmones,ea præſertim,quæ mutationem aut interitum,clades ve inſignes & calamitates afferunt,vt hac occaſione plurimos,publicis & communibus malis inuolutos ſimul perdant: & Deus alias aliis de cauſis graſſari Diabolos ſinat, edere etiam de talibus vaticinia poſſunt. Sed quanquam permittit ſuo conſilio & noſtro merito,vt Dæmones tyrannidem exerceant in præcipuos ordines & ſtatus mundi:non tamen indulget aut conniuet eis ad omnia,nec infinitam, nullis ve determinatam aut aſtrictam limitibus licentiam concedit: ſed metas conſtituit, quouſque toleraturus ſit hanc tyrannidem. Interea cuſtodit, fouet, protegit,& ſuſtentat Imperia,

ria, ne concuſſa & labefactata motibus Diabolicis corruant. Et omni momento in ſtatione ſunt & excubiis, contra tam diros hoſtes, ſancti Angeli, tuentur Imperia, & vbi ad ruinam inclinare videntur, ſalutaribus conſiliis velut fulciunt, exitioſa conſilia interuertunt & peſſundant, tumultuantes Dæmones reprimunt & compeſcunt. *Angeli tuentur nos à Diabolis.*

Etſi ergo Dæmones de iis, quæ intendunt ipſi, tentant aut gubernant, poſſunt oracula interrogati reddere: tamen quia Deus mirabiliter, arcano & ignoto nobis conſilio alias moderatur, inhibet, ac reſtringit conatus & conſilia eorum, certis limitibus præfixis, alias laxat habenas, velut conniuens, non ſemper, quem euentũ ſortitura ſint proſpiciunt. Idcirco reſponſa, quæ reddunt, vel ænigmatibus implicant, vel ancipitibus amphibologiis diſcerpunt & obſcurant. Exempla præbent oracula, de quibus ſupra. Et vere Ironica ambiguitas huius oraculi verſib. ineſt:

Non prius hæc Meropum lis, & deſiſtet, Ionum,
Quam tripodem, quem Neptunus proiecit in æquor,
Aureum, ab vrbe, viri mittatis in illius ædes,
Qui nouit quæ ſunt, venturaq́, quæq́, fuerunt.

Tunc conſenſum futurum inquit in genere humano, & deſituras rixas atq; cõtentiones, cum conuenerimus in templo Dei, in Eccleſia cœleſti. Hoc cum ſignificet, ita implicat tamen, vt in ſe torquere videatur. Interdum cum norunt ſecuturos euentus: tamen quia mendaciis & irriſione ac deceptione noſtri delectantur, vel dubiis vocibus, aut picturis ancipitibus vexant homines, vel ironiis & σαρκασμοῖς, *iocis amarulentis*, calamitates venturas exprobrant.

His ita conſtitutis, vtcunq; intelligitur, quouſq; ſe Dæmonum vis, perſpicacia & poteſtas in prædictionibus extẽdat. Etſi enim maior eſt calliditas eorum, quam vllus hominum cogitationibus aſſequi ſuis & metiri poſſit, maior in ſtruendis inſidiis, & obſeruandis nocendi occaſionibus vigilantia, quam prouidere quiſquam aut cauere poſſit: tamen certo ſcimus, nec omnipotentes eſſe, nec infinitam eis licentiam ſtatuendi quiduis ſuo arbitrio in imbecilles permitti: ſed velut freno vinctos à Deo omnipotente coerceri, ne vltra determinatas metas prouehantur, aut ferantur extra metas. Et filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſcimus conſtitutum eſſe cuſtodem & defenſorem generis humani: cum ardentibus votis petamus, vt adſit nobis, propugnet, & protegat nos, & illuſtret ac regat corda noſtra luce Euangelii ſui, vt illis, quas Euangelium monſtrat, ſemitis inſiſtamus & inhæreamus, furioſas vero Diaboli præſtigias, & lubrica triuia declinemus atque euitemus.

PH. Quid vero ſentiendum de eo, quod haud raro Dæmones in facinoroſos grauiſſime animaduerterunt, nec omnimodo flagitiis hominũ conniuerunt, quin etiam grauibus inſtitutis cultus ſuos cohoneſtarunt; quod ſane argumẽto videtur eſſe, honeſtatis habitam fuiſſe non exiguam apud ipſos rationem?

TH. Sciunt Dæmones, & in quotidianis certaminibus cum ſanctis Angelis experiuntur, conſilia conatusq; ipſorum multis modis impediri, configi, & retroagi diuinitus; ideo moralia præcepta quandoq; recitant & approbant, vt in hominib. ſuperſtitione imbutis, & in falſam opinionem magnæ religionis adductis, conceptos furores amplificent & altius infigant, dũ contentanea religioni & bonis moribus requirere, contraria improbare, vlciſci & punire ſe oſtendunt.

Pauſaniæ Lacedæmonum Duci poſt interfectam, quam ciui Byzantio patri eri-

puerat virginem, aliquot cõtinuis noctibus εἴδωλον, *ſimulacrum*, aſſiſtere viſum eſt, quod inculcauit ei hunc verſum ſine intermiſſione repetitum:

Στεῖχε δίκης ἄσσον, τάχα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.
Pœna luenda tibi eſt, adſert iniuria cladem.

Piſiſtrato Athenienſium tyranno ante interitum dormienti, vir quidam tetra & grandi ſpecie, inter cætera hunc verſum velut inſuſurrauit in aurem:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.
Nemo iniuſtorum non ſoluet crimine pœnas.

Glauco Spartiatæ negaturo Mileſio cuidam depoſitum iureiurando, oraculum Delphicum reſpondit:

Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.
Qui bene iurârit, ſoboles felicior huius.

Grauis, pia, & vera eſt παραίνεσις, de ſupplicibus à Dodonæo oraculo Athenienſibus reddita:

Μήθ' ἱκέτας αἰδικεῖν, ἱκέται ἱεροί τε, καὶ ἁγνοί.
Parcere ſupplicibus, diûum quos iura tuentur.

Sed eo ſpectabat, vt augeret auctoritatem templorum, quæ Idolis dedicata erant, & impios cultus ac religionem ſacrorum ſtabiliret. Confugiebant enim ſupplices ad aras, hisque manu prehenſis, ſe ad pedes eorum, quibus fiebant ſupplices, proiiciebant. Vt igitur confirmaret in ſuperſtitioſis hominibus conceptam de præſentia numinum certorum ad aras illas perſuaſionem, & erga templa cultusq; reuerentiam: tum abripere inde ſupplices talibus oraculis prohibebat, tum vbi vi tẽplis extrahebantur, vel ab aris auellebãtur, miraculis editis, aut publicis pœnis immiſſis iram aduerſus eos, qui templorum Idololatricorum & ſupplicum religionẽ ſpernerent, declarabat.

Cum Lacedæmonii ſupplices, qui in templum Neptuni prope Tænarum ſeſe abdiderant, vi abductos trucidaſſent: Sparta terræmotu continuo & graui concuſſa eſt.

Pauſanias quoque Helicen Achaiæ vrbem maritimam quarto anno Olympiadis centeſimæ primæ, Aſteo Athenis Prætore, ideo terræmotu diſiectam & abſorptam refert, quod ſupplices contra ius & religionem ex templo Neptuni Heliconii exemptos, interfeciſſent.

Quid venuſtius & concinnius, aut illo Delphico Epiphonemate, quod Ariſtoteles recitat?

Κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ' ὑγιαίνειν.
Iuſtitia eſt pulcherrima res, ſanum optima corpus.

Aut ea, quæ de talionis pœna extat ſententia:

Οἷά τ' ἀνὴρ ἔρξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.
Qualia quis patrat, talis manet exitus ipſum.

Et huic ſimilis Meſſeniis ex Delphico ſpecu renunciata:

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται αἷσπερ ὑπῆρξεν.
Artibus his capiêre, alios queis ceperis ipſe.

Neceſſario enim & immutabili ordine, ex immota iuſtitiæ diuinæ regula, comitantur atrocia ſcelera atroces pœnæ: cumq; ceſſat Magiſtratus, neque in auctores animaduertit, Deus ipſe legem exequitur ſuam, & ſæpe totas gentes perdit, ob vnius impunitam licentiam, ſicut dicitur in Heſiodi verſu præclare:

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ:
Sæpe viri peccata luunt tota vnius vrbes:

& teſtantur hoc euerſiones Imperiorum & Rerum publicarum.

Hanc legem Deus ſæpe voce ſua repetitam, de certis peccatis expreſſit perſpicue, ſicut de cædibus dicitur; Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit: De confuſionibus libidinum: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur: De furtis; Væ qui ſpolias, quia ſpoliaberis: De periuriis; Non habebit Deus inſontem, quicunque vane vſurpauerit nomen Domini. Hanc ſtabilit horribilibus pœnis, quæ per genus humanum vagantur, propter ſcelera & violationem diſciplinæ, quam præſtari vult etiam ab impiis. Et ſeruat fere in executione legis ſuæ conſtitutam ſua voce normam rigidiſſime, vt puniat peccata per ea, per quæ quis deliquit: Sicut de pœnis dicitur: *Per quæ quis peccat, facta per illa luit.* Et de libidinum pœnis celebratur dictum: Peccata ſeminis puniri in ſemine.

Intellexerunt hunc iuſtitiæ diuinę rigorem ſapientes omni tempore. Inde natæ ſententiæ legum humanarum, iuſtitiæ diuinæ conformes:

εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.
Iuſta eſt pœna, luat ſi quis patrata ſceleſtus.

Intelligunt eundem exactius multo dæmones. Inde reſponſum Sybaritis datum, cum interfeciſſent citharœdum, qui in templum Iunonis confugerat, mota ſeditione:

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens,
Deſtillansq; recens, arcet te limine templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram,
Muſarum innocuum ſtrauiſti cæde miniſtrum.
Haud immortales hoc dii patientur inultum.
Si quis enim prudens, ſcelerata è mente profectum
Committat facinus, grauis hunc prope pœna ſequetur.
Non exorabit, neque ſi genus ab Ioue ſummo
Ducat: quin capite ipſe ſuo, pœnisq; nepotum
Hoc luat, & generi cumulatim damna ferantur.

Ex eadem regula Oraculorum monuit Lacedæmonios, vt cauerent τὸ λευκτρικὸν μήνιμα, *Leuctricam cladem.* Fore enim, vt ad locum illũ aliquando ingenti clade afficerentur. Paulo poſt, inſigni prælio victi, amiſerũt Imperium Græciæ ad Leuctra Bœotiæ à Thebanis, ducibus Pelopida & Epaminonda, non procul à ſepulchro filiarum Scedaſi, quas duo Spartani iuuenes hoſpitaliter excepti, patre abſente, per vim ſtupratas crudeliter interfecerant: vbi & pater, cum fruſtra vindictam magiſtratus Spartani aliquoties imploraſſet, ſe confoderat. Extat de hac ſtrage oraculum in Pauſania Theſſalis redditum, quo illa Lacedæmoniis expreſſe denunciatur.

Vt autem Lacedæmoniis cladem, ſic contra Athenienſibus ſucceſſus, & felicitatem poſt longas ærumnas promittit:

Belligeræ vrbs nunquam non fortunata Mineruæ,
Poſt mala, poſt & triſtia multa, grauesq; labores,
Tanquam aquila ætheria perpes ſub nube volabis.

Reſpondit his euentus. Lacedæmonii enim fracti clade Leuctrica nunquam receperunt vires, nec poſterioribus ſeculis ad hæc noſtra tempora vſque celebris

fuit vel locus Spartæ, vel incolarum virtus: & haud ſcio, an nomen locus retinuerit. Athenæ reſtitutæ floruerunt vſq; ad poſtremi Mahometis Imperium, ſub quo tandem euerſæ & pene deletæ ſunt.

Quale vero de tribus perſonis diuinitatis oraculum eſt, quod Thulidi Ægyptiorum regi à Serapide renunciatum perhibetur.

Oraculum de trib. perſonis diuinitatis.

Principio Deus eſt, hinc Verbum, & Flaminis aura,
Vnum numen idem tribus eſt, naturaq; conſors,
Cuius vis æterna: ſed hinc pede te ocyus aufer,
Mortalis, peragens incerti limitis æuum.

Et illa ad precandum & Deum inuocatione colendum exhortatio qualis?

ὦ θνητοὶ λίσσεσθε θεὸν, ϗ λῷον ἔσται, id eſt,
Mortales, orate Deum, hinc felicius æuum eſt.

Extat & Delphicarum Peliadum de æternitate Dei, ᾆσμα, *carmen*, ζεὺς ἦν, ζεὺς ἔστι, ζεὺς ἔσσεται, id eſt, *Iuppiter eſt, & erit, fuit idem Iuppiter ante.*

Cum hoc congruunt Orphei verſus:

Ζεὺς κεφαλὴ, ζεὺς μέσσα, διὸς δ᾽ ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς βασιλεὺς, ζεὺς ἀρχὴ πάντων, ἠδὲ τελευτή: id eſt,
Iuppiter eſt caput, ac medium: Ioue cuncta creata.
Iuppiter eſt rex, hoc pendent primordia, finis.

Oraculum de anima immortalitate.

De animæ immortalitate celebratur Apollinis Mileſii oraculum;

Donec corporeis animus connexibus hæret,
Cedit mortali, patiens humana, dolori.
Sed cum mortali compage ſolutus abibit,
Corpore confecto, tum totus in æthera fertur,
Incorruptus vbi maneat nunquamq; ſeneſcens.
Sic antiqua Dei fieri prudentia mandat.

Sed hæc pertinuerunt eo omnia, vt ipſi ā penitusq; infixam & inueteratam animis Ethnicorum de ficticiis numinibus, deque idololatricis cultibus, & ſuperſtitione opinionem aleret Diabolus, ac confirmaret, qua mirifice capi, ac duci experitur omnes homines, quod natura omnes eſſe Deum, & hunc velle religionibus ac virtute coli, & vltorem eſſe, ac vindicem ſcelerum ſtatuunt: etſi quis ſit, & qualis, & qua obedientia coli poſtulet, ſine verbo Dei non perſpiciunt.

Extant ſimilia innumera, quibus omnibus fere aliquid perplexitatis, obſcuritatis, inſidiarum, veneni, impietatis ſubeſt, etiamſi ſpecie optima videntur, & pietati congrua.

Audiuimus & Pythoniſſam quandam à Lazaro Bonamico Patauino Profeſſore, viro præſtantiſſimo, interrogatam, quem Vergilianorum verſuum cenſeret optimum: reſpondiſſe:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Ad hunc modum ludit ſæpe diabolus veritatis declaratione & confeſſione, tantum eo fine, vt alliciat ad ſe imperitos, & talibus vel parænefibus, quæ continent præcepta neceſſaria in vita, vel præmonitionibus ſecuturarum pœnarum, ſibi arctius obſtringat ac deuinciat.

PH. Quid vero de miraculis fatalibusque dæmonum idolis ac templis ſentiendum. Videtur enim Numinis non parum ineſſe, quippe fortuito miracula talia quæ tantopere apud auctores deprædicantur, contingere atque euenire non eſt

Digitized by Google

eſt exiſtimandum, ſunt enim pleraque eiuſmodi, vt præter naturæ ordinem fuerint inſigniter conſpicua.

EQ. Multa quidem apud auctores extant, quæ tamen diuinis miraculis, in quibus naturæ plerumque ordo peruertitur, minime exæquanda. Sed affer quęſo in medium exempla quædam, miraculorum eiuſmodi Satanicorum; ego itidem faciam, vnde facile, vti arbitror, illorum elucefcet vanitas.

PH. Miraculum eſt, quod in Vulcanali colle iuxta Agrigentum, viridia ligna, quæ aræ ſuperimponebantur, ſi preces iuſtæ erant, ſponte ignem concipiebant. Quod ſi iniquæ, nullum concipiendi ignis ſignum edebant. *Fulgoſus libro 1. cap. 6.*

Miraculum eſt quod de Romulo extat. Romulus Sabino bello, quod circa Capitolium Palatiumque geſtum eſt, cum turpem ſuorum fugam quodam prælio ſiſtere non poſſet, Statori Ioui ædem voto nuncupauit, ſi fugientibus ſuis metum ademiſſet, ſiſteretque Romanum aduerſus hoſtem, qui à tergo victor inſtabat. Vix bene preces effuderat, atque illico factus eſt voti compos: reſtituta enim acie, non tantum æquata eſt pugna, ſed ad Curtium vſque lacum Sabinus, qui victoria exultabat, eſt cum cæde & ſtrage repulſus. *Sabellicus lib. 2. cap. 5.* ex Plutarchi Romulo.

Quid Numa Pompilius (ſucceſſit is Romulo, ex Curibus Sabinis in Regnum accerſitus) quam efficax illius precatio, aut quam audax, quę è cœlo Iouem elicuit. Res (quod ſatis conſtat) non ſolum credita, ſed ab aliis etiam tentata. Tullus Hoſtilius, qui poſt illum Regno potitus eſt, quia parum ſcite id ſacrum obiiſſet, cum tota domo fulminis eſt igne concrematus. *Sabellicus lib 2. cap. 5.*

EQ. At maius longe eſt, quod in Tuccia virgine, & ipſa quidem Veſtali, extitit: dubium maior fœminæ in eo fiducia, an dæmonum obſequium. Iuſſa dicere cauſam, crimenque diluere, quod ab accuſatore intendebatur, Veſtam precata eſt, vt ſi caſte ſanctęque eius ſacris ad id tempus operam dediſſet, propoſitum teneret. Hoc tantum precata eſt, ſimulque ad ripam fluminis progreſſa, multis comitantibus, vt rei euentum cognoſcerent, cribrum fluuiali aqua plenum, ad Pontificum conſpectum (quorum ea cognitio erat) detulit. Adiiciunt huic miraculo, accuſatorem attente requiſitum, nuſquam apparuiſſe amplius. *Ibidem.*

Pari miraculo illuſtrata Claudia, eiuſdem ceremoniæ cultrix, cuius liberior vita cum calumniam incurriſſet, vt eam hominum animis opinionē magno aliquo teſtimonio eximeret, facinus adorta eſt, plus admirationis quam fidei ad poſteros habiturum: nauem qua Deorum mater vehebatur, Tiberino vado hęrentem, Veſtam prius ſuppliciter precata, cingulo alligat, mox eam remolita eſt, traxitque aduerſo flumine, quod pars Roman. ciuitatis poſt multos & varios conatus nequiuerat. *Ibidem.*

PH. Peſtis etiam abacta miraculo fuit. Athenienſes enim cum peſte aliquando laborarent, reſponſo accepto à Pythia, vrbem expiandam eſſe: Niciam Nicerati filium naui miſerunt, qui Epimenidem ex Creta aduocaret. Ille profectus Olymp. 27. luſtrauit vrbem hoc modo: Oues ſumpſit nigro & candido vellere, duxitque in Areopagum, atque inde quo vellent abire permiſit, comitibus mandans, vbicunque illæ accubuiſſent, ſingulas mactarent peculiari cuipiam Deo. Sic quieuit lues. Hinc factum, vt per Athenienſium pagos paſſim

Aræ ſine nomine inueniantur. Qui forte ignotus ille Deus eſt, cuius occaſione D. Paulus Athenienſibus Chriſtum prædicare cœpit. *Laertius.*

EQ. Herculem Alcmenæ filium tradunt Ioui porricientem in Olympia, cum muſcas abigere non poſſet, abactori muſcarum, ἀπομυίῳ Elei appellant, hoſtiam mactaſſe. Cumque perlitatum eſſet, omnes repente muſcas trans Alpheum euolaſſe. Inde ſeruatum ab Eleis, vt ad abigendas ex Olympia muſcas, idem ſacrum vſurparetur. *Pauſanias lib.5.*

Aurelianus Imperator aduerſus Marcomannos, cum Mediolanum vſque ad Placentiam veniſſet, mouens, ad Senatum ſcripſit, vt inſpectis Sibyllinis libris, quæ neceſſaria eſſent ſacra, ad impetrandam Deorum opem conficerent. Quæ cum Senatus egiſſet, ac diuino nutu magis quam humanis viribus atque conſiliis, Barbari vltra progredi grauibus oſtentis territi non auderent, Aureliano ad victoriam via patuit. Is autem ne parum grate cœlo demiſſam agnoſcere opem videretur, præter munera huius victoriæ gratia per vrbem Romam multis templis data, ſoli Capitolino Ioui quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit. *Fulgoſ. lib.1. cap.1.*

PH. Perſæ imperantes Aſiæ, cum omnia Græcorum loca ſacra expilaſſent, ſolum ſemideæ Rheæ templum quod in Caſtamo Chorroneſi extat, nec mœnib. nec cuſtodiis cinctum, intactum reliquere. Latrones inſuper ſingula rapientes, hoc ſolum haud quaquam muro cinctum, vt abſque periculo ſpoliari queat, inuiolatum ſinunt. Huius rei cauſam tradunt, Deæ communem in omnes beneficentiam. Nam & ægros per ſomnum curas morborum docet, & multis inſuper ſanitatem deſperantibus ſalutem præbet. Mulieres præterea parturientes à laboribus ac vitæ diſcrimine hæc liberat Dea. *Diodorus lib.5.*

EQ. Extra Crotonem olim Iunonis Laciniæ templum fuit, multa religione ſacrum. Lucus proceris abietibus ſeptus. Læta in medio paſcua, vbi omnis generis pecus Deæ ſacrum ſine cuſtode paſcebatur, gregibus ſub noctem ad ſtabula ſpōte remeantibus, nulli hominum ferarumve iniuriæ obnoxiis. Miraculum narratur ex ara, quæ ibi ſub dio fuit, nunquam cinerem ventorum impulſu diſſipatum. *Sabellicus lib.3. Ennead 5.*

PH. In Italia ad Poſidoniacorum petram ſcribunt miraculum tale accidiſſe: Erat Venator in regione, quæ dicitur Andragathia, ſolitus antea eorum quæ ceperat capita ac pedes Dianæ dicata, arboribus affigere. Cum aprum ingentem cepiſſet, contempta Dea, ait ſe caput ſolum dicaturum: arborique cuipiam ſuſpenſo, cum meridianum æſtum deuitans, ſub arbore quieuiſſet, in ſomnum incidit: tum ligaculo ſuo ſponte diſſoluto, caput decidens hominem peremit. *Diodorus lib. 4. cap.3.*

EQ. Oeneus Colydoniæ Rex in Oetolia in magna frumenti copia, cum cæteris Diis, ſola Diana neglecta, ſacrificaſſet, irata Dea, Calydonium aprum, ingenti magnitudine celebrem, ad vaſtandam late regionem propinquam immiſit. Ad hunc delendum Meleager ætate, viribusque integer, multis aſſumptis ſecum ſociis, aprum iaculatus, occiſæ beſtiæ præmium (id erat animantis pellis) omnium conſenſu tulit. Cum in venatione Atalantæ Schœnei affuiſſet filia, eius amore captus, pellem veluti præmium occiſæ feræ ei conceſſit. Quod factum qui vna venati fuerant Theſtii filii ægre ferentes, aduenam eis fœminam præferri, improbato Meleagri facto, Atalantæ per inſidias, cum in Arcadiam rediret, pellem abſtulere.

Digitized by Google

abſtulere. Meleager tum amore motus, tum incenſus ignominia, primum raptores, vt virtutis ab ſe datum mulieri præmium reſtituerunt, hortatus eſt: eius verbis contemptis, omnes (ii erant Altheæ fratres) necauit. Illa ſuorum cæde mœſta, Meleagrum execrata eſt, ab Diis immortalibus, qui eius votum exaudierunt, filio mortem imprecata. Scribunt quidam, in Meleagri ortu Parcas noctu in ſomnis Altheæ dixiſſe, tunc vitæ Meleagri filii finem fore, cum id lignum (is torris extinctus erat) combureretur. Orto puero, exiſtimans in eius ligni cuſtodia filii ſalutem contineri, diligenter cuſtoditum ſeruauit. Poſtmodum fratrum morte irritata, torre combuſto, cauſa interitus filii extitit. Cuius facti pœnitens, laqueo vitam finiuit. *Diodorus lib. 4. cap. 2.*

PH. Glaucus Siſyphi filius, qui apud Potniam regnauit, ſacra Veneris ſpernens, ab equabus ſuis, quibus ad currum vtebatur, dilaceratus eſt. *Seruius libro 3. Georg.*

EQ. Hercules Iolao nepoti templum magnificum erexit, & in eo ſacra multa inſtituit: Quod ſi à ſolitis deficerent ſacris incolæ, muteſcebant prorſus: rurſus vero ſi ex more perficerent, in priſtinam ſanitatem reſtituebantur. *Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 14.*

PH. Cyanippus Syracuſanus, quod Baccho ſacra facere neglexiſſet, irato Deo in tantam ebrietatem incurrit, vt occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanquam reluctantem, violarit. Ea vero anulum ſcortatori ſurripiens, nutrici commendauit, vt violatoris indicium eſſet. Poſtmodum vero, cum grauis peſtilentia vrbem inuaſiſſet, ob tam crudele perpetratum facinus, ex Pytheo delatum eſt Oraculum, vt impietatis auctor liberatoribus Diis immolaretur. Conſcia igitur rerum Cyane, tractum capillis patrem mactauit, vt Deos iratos placaret. *Doſitheus lib. 3. Rerum Sicularum, & Plutarch. cap. 39. Parall.*

EQ. Cabirorum Thebanorum (qui Cererem colebant) religiones qui violaſſent, inexpiabilis ſceleris pœnam effugere non potuiſſe, euentu compertum eſt. Nam quæ Thebis fierent ſacra, cum eſſent Naupacti profani homines auſi vſurpare, non multo poſt fraudem luerunt. Ex Perſis etiam de Xerxis copiis, qui duce Mardonio in Bœotia ſtatiua habuerunt, quæ pars in Cabirorum fanum introire non dubitauit, vel ingentis prædæ allecti cupiditate, vel potius ad numinis cõtemptum, inſania omnes correpti, partim ſe in mare abiecere, partim de præruptis rupibus præcipites dedere. Cum Alexander ſuperatis prælio Thebanis, vrbem & agrum igni ferroq; peruaſtaſſet, qui è Macedonibus intra fanum Cabirorum irruperunt, omnes aut fulminibus, aut è cœlo miſſis ignibus exanimati ſunt. Tanta fuit iam tum ab initio eius templi religio. *Pauſanias in Bœoticis.*

PH. Pentheus Rex Thebanorum cum Liberum patrem multis contumeliis vexaret, & alia inſolenter faceret, poſtremo etiam, vt fœminarum operta ſacra ſpecularetur, ad Cytheronem profectus, in arborem aſcendit, atque inde omnia conſpicatus. Quod cum Bacchæ animaduertiſſent, impetu facto viuentem eum lacerauerunt, ac membratim diſcerpſerunt. Corinthii redditum ſibi Oraculum narrant, vt eam arborem quærerent, & inuentæ diuinos honores haberent. Illius igitur Oraculi monitu arbore inuenta duo ſigna lignea Liberi patris in foro poſuere, inaurata, præter ora tamen, quæ minio oblita ſunt, Lyſium alterum Baccheum nominant. *Pauſanias in Corinthiacis.* Euripides in Bacchis Cadmi filias, ſororesque Semeles, quæ Dionyſium educauerant, Pentheum diſcerpſiſſe ſcribit

Digitized by Google

& commemorat, quas corporis partes ſingulæ abſtulerint. *Natalis Comes Mythol. lib.5.cap.13.*

EQ. Cum Potitii ſacrorum Herculis ritum, quem pro dono genti eorum ab ipſo aſſignatum, velut hereditarium obtinuerant, auctore Appio Claudio cenſore, ad humile ſeruorum miniſterium tranſtuliſſent, omnes, qui erant numero ſupra triginta puberes, intra annum extincti ſunt, nomenque Potitium in duodecim familias diuiſum, prope interiit. Appius vero luminibus captus eſt, *Valer. lib.1. cap.2. Liuius lib.2. Decad.3.*

PH. Carthaginenſium duces Annibal & Himilco Agrigentum obſidentes, militibus mandarant, vt ſepulchra eruerent, eaque ruina aggerem ad mœnia ducerent. Nec ſegnis ad imperium multitudo facile deduxere opus. Ibi inter eruendum ingens quædam religionis reuerentia, & Deorum pauor cepit exercitum. Nam Theronis ſepulchrum miræ molis artisque opus, fulminis ictu concuſſum tremuit. Quo portento procurato, nonnulli vates cum ad illud eruendum, properare multitudinem vidiſſent, obſiſtere prohibereque, ne id committeretur, conati ſunt: moxque repente peſtilentia inuaſit caſtra, quæ multos abſumpſit, nec paucam turbam in varias afflictiones, grauesque calamitates diſtortam traxit, in quibus Hannibal Dux interiit. Tum ex his qui in vigiliis pernoctabant, nonnulli vidiſſe ſe per noctem manes & ſimulachra vita defunctorum per vmbram vagantia. Himilco ab eruendis ſepulchris deſtitit, mox Diis ſupplicia peregit. Saturno infantem immolauit. Neptuno turbam ſacerdotum ſubmerſit. *Diodorus lib.13.*

EQ. Pegaſo imagines Dionyſii ex Eleutheris ciuitate Bœotiæ in Atticam Regionem portante, Athenienſes Deum neglexerunt, neque vt mos erat, cum pompa acceperunt. Quare Deus indignatus pudenda hominum morbo infeſtauit, qui erat illis grauiſſimus. Ab oraculo, quo pacto liberari poſſent, petentibus, reſponſum, vt cum honore & pompa Deum reciperent. Ex ea re tum priuatim tum publice lignea virilia thyrſis alligantes per eam ſolennitatem geſtabant. *Natalis Comes lib.5.cap.13.*

Iapygum Duces Deorum imagines diripiebant è templis, cum dicerent potentioribus eos cedere oportere. Eapropter de cœlo percuſſi ſunt telis & igni. Apparebant enim procul tela, quæ de cœlo mittebantur. Atque omnes eorum poſteri in hodiernum vſque diem, ad cutem detonſi, ſtolamque lugubrem geſtantes viuunt, omnibus qui vnquam fuerunt viris bonis rariores. *Athenæus lib.12.c.7.*

PH. Cum Æginetæ Epidauriorum inuaſiſſent, & ſimulachra Damiæ & Auxeſiæ Oleagina aſportaſſent, quarum cauſa quotannis Epidaurii ſacra Ericbtheo Athenas ferre cogebantur (ea namque lege olearum poteſtatem Epidauriis conceſſerant) Epidaurii pactum ſoluere renuebant. Athenienſes igitur ad ſtatuas repetendas triremem in Æginam miſerunt, vt ſimulachra tanquam è ſuis lignis facta aſportaret: Conati ſunt igitur circumdatis funibus ſtatuas in nauim vi pertrahere. Sed dum trahunt, ſtatuæ in genua procubuere, & ex eo tempore ſemper eo geſtu permanſerunt. Interea cum tonitru terræmotus extitit, & remiges in amentiam verſi, mutuis cecidere vulneribus, vno duntaxat cladis nuncio relicto, qui ad Phalerum ſe recepit. *Herodotus lib.5.*

EQ. Pub. Scipio Africanus minor, cum Carthaginem militibus diripiendam conceſſiſſet: Quidam Apollinis templum ingreſſus, eius ſimulachrum aurea veſte indutum,

indutum, ſpoliare tentauit. Qua re indignatus Apollo id egit, vt ſacrilegæ manus inter fragmenta veſtis & fimbrias à corpore abſciſſæ reperirentur. *Valerius Maxim. lib. 1. cap. 2.*

PH. Aulide conuenerant Græci, ad Troiam nauigaturi. Agamemnon longius ab exercitu progreſſus, conſpecta circa lucum Dianæ caprea, ignarus religionis, quæ in eo loco erat, eam iaculo transfigit. Non multo poſt ira Dianæ exercitum lues inuadit. Mulier quædam Deo plena, Dianam ob necem capreæ, qua maxime lætabatur, ſacrilegii pœnas ab exercitu expetere, nec leniri, priusquam auctor tanti ſceleris, filiam natu maximam victimam immolaſſet, aſſerit, &c. *Dictys lib. 1.*

EQ. Hominem quendam aiunt ſacram pecuniam, quam in fano Delphici Apollinis compilaſſet, abdidiſſe in ea Parnaſſi parte, quæ maxime eſſet ſylueſtrib. arboribus condenſa. Lupum vero in dormientem impetu facto, illum occidiſſe, ac deinde quotidie cum vlulatu ſolitum intra vrbem penetrare. Id cum non niſi diuinitus fieri exiſtimare Delphi cœpiſſent, feram ſecuti, aurum ſacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam, lupum ex ære dedicarunt Apollini. *Pauſanias lib. 10.*

PH. Philomelus, qui primus Phocenſium Delphicum fanum occupauit, à rebus ſacris, quarũ neceſſitas permiſit, manus continuit. Sed qui ei ſucceſſit Onomarchus, multum de pecunia in belli ſumptus furatus eſt. Tertius Phayllus, frater Onomarchi, non pauca munerum, quæ in templo fuerant conſecrata, ad pecuniã ſignandam conflauit, vt conducto militi ſtipendia exolueret. Dicatos ſiquidem à Cræſare Lydorum Rege lateres aureos centum viginti, quibus pondus erat talenta bina, acceptos pro conficiendis numis diſiecit, pariter & aureas trecenta ſexaginta phialas binis minis expenſas, leoniſque & fœminæ ſigna aurea, vt ea omnia auri talentis & triginta æſtimata fuerint, redactiſque omnibus quæ ex auro erant conflata, ad argenti rationem talenta quatuor millia perficerentur. E rebus autem argenteis, quæ tum à Crœſo, tum ab aliis fuerant conſecratæ, Duces omnes abſumpſerant, ad ſummam talentorum ſupra ſex millium: vt auri argentique totius ratione inita, talenta eſſent plus decem millibus. Sed hi omnes ſuæ impietatis & contemptus Deo graues pœnas dederunt. Philomelus enim contra Bœotos ſacrilegii vindices pugnans, multis affectis vulneribus, in locum quendam præruptum, & vnde non facile poſſet euadere, incluſus, ſupplicia, quæ nonnunquam in captos edi ſolent, timens, ſeſe illinc præcipitem dedit, & ad eum modum perſoluta Deo pœna debita, extinctus eſt. *Diodorus lib. 16.* Onomarchus, à Philippo Amyntæ filio acie fuſus, ad triremes Athenienſium litus legentes adnatans, in mari interfectus eſt. Phayllus longa tabe abſumptus. Qui vero poſt omnes eos quicquid in donariis reliquum erat corripuit, Phalæcus, in variis magnisq; periculis & timore vitam longam ſatis duxit, non quo ſors eius melior quã cæterorum ſceleris impii ſociorum eſſet, ſed vt longiori tempore cruciatus, multisque ex ſua miſeria notior factus, inſigniorem celebratamque magis calamitatem ſubiret. Variis agitatus erroribus, dum in Creta Cydoniam oppugnat, fulminis incendio periit.

EQ. Q. Fuluius Flaccus impune non tulit, quod in cenſura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ faciebat, tranſtulit. Negatur enim poſt hoc factum mente conſtitiſſe, quin etiam per

ſummam ægritudinem animi expirauit, cum ex duobus filiis in Illyrico militantibus, alterum deceſſiſſe, alterum grauiter audiſſet affectum. Cuius caſu motus Senatus, tegulas Locros reportandas curauit. *Valer. lib. 1 cap. 2. & Liuius lib. 42.*

PH. Perſæ, Xerxis ductu, vbi Delphos ſpoliandi animo templum celeberrimum peruenere, magna rerum miracula ſunt eorum oculis oblata. Nunquam mali dæmones, quorum haud dubie fuit domicilium illud, maiorum hominũ capturam ſibi oblatam videre, quam cum ea tempeſtate Xerxem & totum orbem, quem ille ſecum trahebat, nouæ licebat ſuperſtitioni addicere. Duo ſcopuli ex Parnaſſi vertice repente concuſſi, in ſubiectos hoſtes deuoluti, multos ſubeuntium obtriuere. Fulmina adhæc de cœlo cum fragore deiecta, & ſacra arma ſua ſponte è penetralibus mota, vociferatioque ex proximo Mineruæ prouidæ templo exaudita, ſubitam Barbaris conſternationem iniecit, vt præcipites ſe inde, quaſi furorore perciti, per decliuia montis eiecerint, in quos Delphii ſaxa & tela torquentes, ſtragem ediderunt inſignem. Hisque phantaſmatum ambagibus templum inuiolatum manſit. Trogus quatuor millia hominum Delphos veniſſe ait, quæ manus tota ſit fulminibus, fœdaque tempeſtate conſumpta, ac tum demum palam factum, quanto maior offenſa eſſet Deorum quam hominum, tanto præſentiorem pœnam grauioremque ſequi oportere. *Diodor. lib. 11.*

EQ. Theron Rex Hiſpaniæ citerioris, cum ad expugnandum Herculis templum, quod apud Gades eſt, ageretur furore, inſtructo exercitu nauium, Gaditani ex aduerſo venerunt, prouecti nauibus longis, commiſſoque prælio, adhuc æquo Marte conſiſtente pugna, ſubito in fugam verſæ regiæ ſunt naues, ſimulque improuiſo igne correptæ, conflagrauerunt. Pauciſſimi qui ſuperfuerant hoſtium capti, indicauerunt apparuiſſe ſibi leones, prioris Gaditanæ claſſis ſuperſtantes, ac ſubito ſuas naues immiſſis radiis, quales in Solis capite pinguntur, exuſtas. *Macrob. lib. 1. cap. 20.*

PH. Alexander, Philippi Macedonis filius, cum Miletum Ioniæ vrbem munitiſſimam oppugnaſſet, eius milites in Cereris templum ſpoliantes irruerunt. Sed Mileſia Ceres factum vlciſcens flammas obiecit, quæ ſpoliantium priuaret oculos. *Valer. lib. 1. cap. 2.*

EQ. Fanum Proſerpinæ apud Locros multa religione inſigne Pyrrhus Epirotarum Rex ex Sicilia reuerſus, cum Locris præterueheretur, hoſtiliter ſpoliauit, per deriſum inquiens: Intempeſtiua religio ſuperſtitio eſt, & opes cogere ſine labore prudentia. Poſtridie vero quam id ſacrilegium perpetrarat, claſſe fœda tempeſtate iactata, omnes naues, quæ ſacram pecuniam habebant, Italiæ ſunt littoribus impactæ. Qua clade territus, conquiſitam pecuniam in priſtinos Deæ theſauros reponi iuſſit. Nec illi poſtea quicquam proſpere euenit: Multis aduerſis caſibus iactatus, poſtremo Argos ingreſſus infeliciter periit. *Suidas & Liuius lib. 9. ſecundi belli Punici.*

PH. Himilco Carthaginenſium Dux, cum tota fere Sicilia in ſuam redacta poteſtatem, Syracuſas obſideret, templa ſpoliauit cætera, inprimis vero Cereris & Proſerpinę fanum. Dumque ſtationem cingere, muroq; obducere caſtra ſtudet, omnia ꝓpe proxima operi ſepulchra demolitus eſt ad murũ educendum, in quib. Gelonis & eius cõiugis Demaretę monumenta, miro opere olim extructa. Sed huius ſacrilegii, impietatisq; in Deos inſolentius commiſſa, breui poſt meritum ſupplicium pendit. Mox namque res ei in peius cedere, cuncta fieri deteriora cœpta,

cumque

Digitized by Google

cumque deinde Dionyſio paulatim audacia creſceret, crebriſque laceſſere excurſionibus, & eruptionibus leuib. conſerere manus aſſueſceret, ex omni ſemper cōgreſſu ſuperiores redibant. Excitabantur etiam crebro per ſtationem medio noctis ſilentio, vani tumultus inter milites, ſubitique terrores, quibus ad arma fruſtra, cauſa quæ id moueret incomperta, currebatur, miſcebanturque trepidationibus caſtra, perinde ac hoſtes vallo irrumpere cernerent. Peſtilentia in loco paluſtri feruentiſſima æſtate obſidentes inuaſit Apros, quæ ad 150. millia abſumpſit. Ea occaſione vſus Dionyſius, claſſem illorum incendit, & ad eam neceſſitatem redegit, vt 300. talentorum mercede ſibi & Carthaginenſibus tutū abitum, relictis & proditis ſociis, à Tyranno mercari cogeretur. In patriā reuerſus, expoſitam opprobrio omnium vitam egit, eoque infelicitatis proceſſit, vt in tenuiſſima tunica ſuā arguens impietatem, confeſſamque ſcelerum in Deos, pœnam numini exhibens, vrbis templa circuiret. Denique deſperans, mortem ſibi ipſe conſciuit, ingentem violatæ religionis formidinem ciuibus relinquens. *Diodorus lib. 14.*

EQ. Cum eſſet Delos totius olim Græciæ emporium, eaque ſola religione munita, contra omnes omnium iniurias incolas tueretur, exortus eſt Menophantes quidam Mithridatis copiarum dux, qui vel ſuapte inſolentia, vel Regis imperio impulſus in inſulam, tum murorum, tum armorum præſidio carentem, cum claſſe inuaſit: vbi omnibus cæſis, direptis, compilatis, atque etiam ſub corona venditis, ipſam tandem vrbem ſolo æquauit. In ea populatione Apollinis effigiem petulanter ſede ſua motam in mare abiecit: ea maris æſtu in Bœotorum in Laconiæ fines delata, loco nomen dedit Epidelium. Verum Dei iram neque Menophantes, neque Mithridates ipſe effugit. Non multo enim poſt Deli calamitatem, cum in altum proueheretur, qui eius manum effugerant, negotiatores hominem occiderunt. Mithridatem vero coegit Deus ipſe manus ſibi conſciſcere, cum amiſſo iā regno, à Romanis huc illuc pulſus, nuſpiam poſſet conſiſtere. Sunt qui illū dicant, ab vno de Barbaris mercenariis magni beneficii loco impetraſſe, vt ſe conficeret. *Pauſanias in Laconicos.*

PH. Cum Achæi ſupplices è templo Neptuni, quod erat in vrbe Helice, per vim abſtractos trucidaſſent, ingens terræ ac repentinus motus, non ipſa tantum mœnia & ædificiorum ſuperficiem ſubuertit, ſed vrbis etiam totius aream ita obruit, vt ne veſtigia quidem vlla poſteris agnoſcenda relinquerentur. Acceſſiſſe & alteram huiuſcemodi cladem memorant. Maris eluuione & hyeme anni Helicen totam circumquaq; incinctam, ipſumque Neptuni lucum ita inundatione ea obrutum, vt vix arborum ſumma extarent cacumina. Quo factum, vt repente cum terræ motione violētiſſima, tum vero effuſius maris æſtu ſtagnante, vrbs tota cum omni ciuium numero peſſum ierit. Olymp. 101. anno 4. *Pauſanias in Achaicis.* *In ſacrorū violatores vindicta.*

EQ. In Lycæo monte Arcadiæ area eſt Lycæi Iouis, quo hominibus non eſt acceſſus. Si quis loci religione contempta introierit, neceſſe omnino eſt intra annū eum è vita excedere. Mirum eſt etiam quod aiunt, tam homines quam beſtias, quę forte intra eius loci ambitum ſe immiſerint, nullas è corporibus ſuis vmbras reddere. Ac feras quidem venator illuc confugientes non conſequitur, ſed foris conſiſtens, nullam ſane vmbram ab eis mitti animaduertit. Ea certe anni parte, qua Cancer ſolem geſtat, Syenæ, quæ Æthiopiæ vrbs eſt, nullæ è corporibus vmbræ ſe oſtendunt, verum in Lycæo hoc nulla nō anni parte contingit. *Pauſan. in Arcadicis.*

PH. In Cerynea oppido Achaiæ Eumenidum fanum eſt, dedicatum ab Oreſte

tradunt. Huc ſi quis vel cæde, vel quouis inceſti aut impietatis genere pollutus intrarit ſpectandi cauſa, ſtatim eum mente capi diris terroribus exagitatũ credidere. Quare omnibus etiam alio contendentibus templi aditu interdictum. *Pauſanias in Achaicis.*

EQ. Cum Cereris nemus Eriſichthon quidam Theſſalus exſcidiſſet, illi Ceres perpetuam famem immiſit, fecitque ne vnquam poſſet cibo ſaturari. Hic filiã habebat Meſtram nomine, veneficiorum peritiſſimam, quam in varias animalium formas mutatam frequenter vendebat, quæ paulo poſt eff giens, rurſus ad patrem priore forma recepta redibat, itaque pro ſuis viribus paternæ fami opem ferebat. Poſtremo ad tãtam famem redactus eſt, vt ſua ipſe membra corroſerit. *Natalis Comes Mythol. lib. 5. c. 14.*

PH. Suidas memorat, Anagyraſium quendam genium fuiſſe, ſic à loco Atticæ Anagyro cognominatum, qui ſenem vicinum, quod lucum ſuum inc idiſſet, hunc ad modum vltus eſt. Senis concubinæ inſanum quendam amorem immiſit in illius filium, quæ cum adoleſcentis animum pellicere non poſſet, eum vltro apud patrem detulit, quod ſeſe de ſtupro non deſineret interpellare. Pater perſuaſus à muliere, filium è tecto præcipitem dedit ac interemit. Deinde facti pœnitens, ſemetipſum laqueo præfocauit. Poſtremo mulier ſeſe in puteum deiecit. Huius rei citat auctorem Hieronymum, in opere de Tragœdiarũ ſcriptoribus. Hinc prouerbiũ *Anagyrum commoues.* Eraſmus.

EQ. Scribit Pollux *Onomaſtici lib. 5.* apud Athenienſes ἀρκτεύεσθαι virgines dici, hoc eſt, Dianę, priuſquam tempus appetat nuptiarum, conſecrari, initiariue. Decreto namque ſancitum Athenienſium erat, ne qua viro puella traderetur, εἰ μὴ ἀρκτεύσει τῇ θεῷ, id eſt, niſi ſacra obiiſſet Dianæ. Quod menſe Ianuario fieri conſueuiſſe, indicat Libanius in oratione, quam de Dianæ laudibus dixit. Induebantur autem veſte, quam Crocotam nominant, nec decimo ætatis anno grandiores, nec quinto inferiores. Iis autem placari credebatur Diana, quæ cauſa eiuſmodi indignationem concepiſſe videatur. Ferunt quandoque vrſam feram in Attica ita cicurem factam, vt homines nihil auerſaretur omnino, ſed compaſceretur, multaque licentia huc illuc, nemine impedimentum inferente, peruagaretur. Contigit puellã quandã laſciuiuſcule cum bellua colludere, quę irritata, puellã facto impetu proſcidit. At fratres rem intuiti, ac commoti acrius, vrſam iaculis impetitam necarunt. Ex qua cauſa peſtilens morbus latius per regionem graſſari cœpit. Conſultis oraculis, reſpondit Deus, mali nõ defuturum finem, niſi virginũ nonnullas compellerent, τὰς τελευτηγάους ἄρκτου ἀρκτεύειν, id eſt, vrſæ peremptæ honori Dianæ necari. *Cælius lib 26 c. 19.*

PH. Sunt in Apollonia in Ionico ſinu ſacræ Solis oues, quæ interdiu ſecundum flumen paſcuntur, quod è monte Lacmone per Apolloniatum agrum fluit in mare, iuxta Oricum portum. Eas noctu ſtabulantes in antro non procul ab vrbe, cuſtodiunt delecti viri, diuitiis & genere inter populares ſuos ſplẽdidiſſimi, ſinguli annis ſinguli, quod ex oraculo quodã Apolloniatæ eas oues permagni faciant. Ibi Euenius quidã cum aliquando delectus ad cuſtodiendas oues obdormiſſet, ingreſſi antrum lupi, circiter ſexaginta oues iugularunt. Id Apolloniatæ vbi acceperunt, adductum in iudicium Euenium condemnauerunt, & quia vigiliam edormiſſet, viſu priuaretur: quem poſteaquam excæcauerunt, mox eis neq; pecora fœtificauere, neq; terra pro conſuetudine fructum ferre. Erant autem illis pecora

cora & in Dodona & in Delphis. Interrogati prophetæ cauſam mali præſentis, reſponderunt cauſam eſſe, quia cuſtodem ſacrarum ouium Euenium inique luminibus orbaſſent: Deos enim immiſiſſe lupos, nec prius ab illius vltione ceſſaturos, quam ei ſatisfeciſſent ex iis, quæ in eum perpetraſſent, prout ipſe ſibi ſuo arbitrio ſatisfactum putaret. His perfectis, Deos poſtea daturos tale donum, quod habentem pleriq; hominum putarent beatum. Hæc oracula Apolloniatæ ſilẽtio ſupprimentes, quibuſdam è ciuibus exequenda delegauerunt. Iſti hunc in modum putarunt exequenda. Euenium in ſtatione ſedentem adeunt, eiq; aſſidentes aliis de rebus verba faciunt, donec deueniunt ad miſerandam hominis calamitatem. Ita introducta eius rei mentione, percontantur, quam mulctam optaret, ſi eam vellent pendere Apolloniatæ. Hic qui oraculum non audiſſet, ſe optare dixit duo prædia ciuium, quorum matrimonia omnium Apollonitarũm putabat eſſe pulcherrima, & præterea domicilium, quod ſciebat in vrbe eſſe optimum. Aſſenſere ſtatim ciues, & oraculum quod acceperũt, narrarunt, eaq; prædia à dominis mercati, Euenio dedere: qui mox deinde à diis diuinationem obtinuit, vnde celebèrrimus euaſit. *Herodotus lib. 9.*

TH. Recentiora quam vetera atq; obſoleta malim audire exempla. Vnum ergo adducam, quia vos reformidare ea videmini. Anno 1532. vni è ruſticis, quos ſubditos ſibi habebat vir nobili prognatus genere, ex tyrãnica malitia iuſſit, vt equo ſuo curru iuncto, prægrandem quercum è nemore domum aueheret, grauem minatus pœnam, niſi mandata exequeretur. Ruſticus heri ſui mandatis ſatisfacere nequaquam ſibi poſſibile eſſe facile intelligens, non ſine ſuſpiriis & grauibus querelis nemus ingreditur. Accedit eum humana aſſumpta ſpecie diabolus, cauſam doloris ex eo quærit, cui rem omnem ordine recenſet ruſticus. Diabolus eum bono animo eſſe iubet, domumq; reuerti, ſe enim ad heri eius ędes quercum, citra morã vllam vecturum. Ruſtico vix domum reuerſo, Satan quercum prægrandem denſiſſimis ramis grauatam, ante ædes viri nobilis trãſuerſam proiicit, aditumque arboris & ramorum denſitate intercludit, cumque adamantinam duritiem quercus aſſumpſiſſet, nec vlla vi vel arte poſſet cõminui, neceſſe fuit nobili iſti, ex alia parte ædium parietem effringere, nouumq; ædibus ſuis, non ſine moleſtia, nec ſine ſumptu adaptare oſtium. *Fincelius lib. 2.*

EQ. Exempla huiuſmodi ſunt odioſa, atque ob id etiam cautius alleganda. Et quoniam hactenus exempla adduximus, in quibus exitus plerumq; fuit tragicus, & cum horrore coniunctus: Proinde nunc porro etiam ad exempla tranſeamus, in quibus ſeſe quaſi amicabilem & quaſi condolentẽ humanis calamitatib. (quamuis nuſpiam vere & ex animo) Satan præbuit, qualia ſunt, quod peſtem atq; omnis generis morbos quandoq; abegit, & ſi quæ ſunt alia, quæ hominum generi nõ aduerſantur: è quib. hoc quod ſequitur eſto: Cum tempore Hadriani VI. peſtilentia ita exarſiſſet, vt multa funera in compitis quotidie cum ſumma omnium conſternatione ac triſti mœrore viſerentur, appareretq; vaſtari vrbem haud multo dierũ ſpatio. Græculus quidam, nomine Demetrius Spartanus, ſedandæ peſtilentiæ fauente ei turba hominum, negotium ſuſcepit, nemine ſuperſtitionem vetare auſo. Nam ferum taurum, cui dimidium cornu diſſecauit, magico carmine dextrã in aurem prolato, repente ita manſuefactum reddidit, vt iniecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet perducens, peſtilentiæ placando numini ad amphitheatrũ immola ['ſtis aba ta.]

immolaret. Nec credulæ multitudinis ſpem ex toto fefellit, cum ab ea inanis ſacrificii proſpera litatione, miteſcere morbus cœpiſſet. *Iouius lib. 21. hiſtor.* De ea re, & obſeruatione & animaduerſione digna, ſic ſcribit Cognatus: Anno Chriſti 1522. grauiſſima peſtilentia Romam inuaſerat. Ibi tum Grçcus quidam promiſſa barba, aſpectu tetrico, ἀπεξίκακον ſe fore profeſſus eſt, ſi XXX. aurei nummi ſibi poſterisque in ſingulos menſes conſtituerentur. Romani conditionem acceptant. Is nigrũ taurum adduci, fontem in ſuburbio nouum reperire iubet. Nocte intempeſta ad radices Marii montis profectus, quo in loco & taurum paratum & fontem inuenerat, funem texere aggreſſus eſt, texendoque nunc alta voce, nunc ſubmiſſa neſcio quid Græce immurmurabat, ſonitũ vocis multis qui ſpectatum cõuenerant, audientibus. Poſthæc cõiecta in ceruicem tauri fune, ferunt illum repente manſuefactum ter circa fontem perduxiſſe. Deinde proſtratum nulla vi ter dextro pede calcaſſe, atque illi demum minime reluctanti cornua abſecuiſſe. Quibus peractis, taurum per ſeptem vrbis portas, & per ſeptem celebres vias à paſtoribus deduci iuſſit, poſtea dimitti, vt in campos & ad paſcua nota regrederetur. Aiunt, qui interfuerunt, qua ille hora attollens in cœlũ oculos, neſcio quid inſuſurrabat, viſa fuiſſe decidentia ſidera, & innumerabiles canum, luporum, atque id genus animalium imagines paſſim volitare, &c. His in hunc modum cõfectis, magus in vrbem reuerſus, egit cum Romanis Magiſtratibus, vt publico edicto caueretur, ne quis intra triduum quadrupedem beſtiam mactaret.

TH. Antiſtites tamen, qui tum vrbe aberant, Græcum impoſtorem comprehendi, & in carcerem duci iuſſerunt. Ægre populi minis dimiſſus, ſed æterno mulctatus exilio. Liberq; magicus, quo vtebatur, publice exuſtus eſt. *Gilbertus Cognatus lib. 8. narration.* Atq; id quidem recte, ac iuxta legum etiã Imperatoriarũ prçſcripta, quippe ſecundum quas eiuſmodi præſtigiatores magici primo fuſtibus cçſi ciuitate olim pellebantur, perſeuerantesq; aut in vincula coniiciebantur, aut in inſulam deportabantur, vel certe relegabantur, *l. ſi quis. ff. de pœnis.*

PH. De antiquis deorum gentilium ſiue dæmonum miraculis, nobis potiſſimũ ſermo eſt. Illum ergo ſermonem ex antiquis hiſtoriis omiſſis vt plurimum recentioribus continuabimus. Epidaurus Peloponneſi ciuitas, Æſculapii claritate nobilitata, quem varia morborum genera curaſſe ſcripſerunt veteres. Erat vero templum ægrotantium multitudine vſquequaque refertum, pendentibusque tabellis, in quibus ſanati languores erant inſcripti. Quemadmodum & in Coa fiebat inſula, pariter & Trica. Sita vrbs eſt in ipſo Saronici ſinus receſſu intimo. *Strabo libro 8.* Idem Strabo ſcribit, fanum Æſculapii inſigne fuiſſe Tetrapoli, quç ciuitas ab Ionibus & Caribus habitabatur. Erat id templum multitudine çgrotantium & variis morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis vbique tecti, in quibus ſcripti erant morbi & nomina eorum, qui ab illo Deo ſanati eſſent.

EQ. In Æſculapii templo apud Epidaurios, qui Deum precatũ venere, obdormiunt, & in ſomnis ſanitatis recuperandæ rationem diſcunt. Pilas inde ponunt in templo, nomina eorum, qui curati ſunt, continentes, & curationis modum. *Pauſanias in Corinthiacis.* Idem mos fuit apud Romanos, vſque ad Antoninorum tempora, id quod ex tabella marmorea Romæ in Æſculapii templo in inſula Tybernia inuenta, & vſque ad hanc diem apud Maphæos conſeruata, intelligere licet, in qua Græce hæc Latino ſermone reddita leguntur, vt teſtatur Hieron. Mercurialis Medicus

Medicus doctiſſimus libro primo de Gymnaſtica: *Hiſce diebus Caio cuidam cæco oraculũ reddidit, veniret ad ſacrũ altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad lauã, & poneret quinque digitos ſuper altare, & eleuaret manum, & poneret ſuper proprios oculos, & recte vidit populo præſente & gratulante, quod grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino. Sanguinem reuomẽti Iuliano deſperato ab omnibus hominibus, ex oraculo reſpondit Deus, veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet vna cũ melle per tres dies: & conualuit, & viuens publice gratias egit præſente populo. Valerio Apro militi cæco oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet ſanguinem ex gallo albo admiſcens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur ſupra oculos, & vidit, & venit, & gratias egit publice Deo. Lucio affecto lateris dolore, & deſperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vna cum vino cõmiſceret, & poneret ſupra latus, & conualuit, & publice gratias egit Deo: & populus congratulatus eſt illi.*

Idem fere de Vatirone Seſoſtris Ægyptiorum regis filio produnt hiſtoriæ. Is enim quum eodem quo pater ipſius, caſu afflictatus atque oculis captus eſſet, ad deorum auxilia confugere coactus fuit. At plurimo tempore variis peractis ſacris ad placanda numina, quum nulla ope adiuuaretur; decimo demum poſt anno reſponſum ei redditum fuit, vt placato Deo, qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inſpiceret, quæ nullum niſi proprium noſſet virum, ab vxore propria incipiens, cum multas expertus eſſet, nullam reperit incorruptam, præter hortulani cuiuſdam, quam viſu reſtituto vxorem cepit, reliquas omnes in villa quadam viuas combuſſit. Quem locum poſtea Ægyptii Sacram glebam vocitarunt. Deo autem Heliopolis gratias ſecundum oraculum acceptum reddens, duos erexit vnius lapidis obeliſcos, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum. *Diodorus libro 1. cap. 4.*

PH. Sed & impotentiam ad congreſſus venereos Satan amouiſſe legitur. Scribit enim Herodotus *lib. 2.* de Amaſi, Ægyptiorum rege: Vxorem (inquit) duxit Amaſis Ægyptiorũ rex, viri ſpectati filiam, nomine Ladicen, cum qua dum in thoro cubaret, concumbere non poterat, cum tamen aliis mulieribus vteretur. Id cũ diu fieret, ad eam Amaſis: Tu vero, inquit, vxor, veneficio me læſiſti, ideoq; nullo machinamento vales effugere, quominus inter omnes mulieres teterrima pereas morte. Ladice cum pernegando nihilo placatiorem redderet Amaſim, vouit intra ſe Veneri, ſi ea nocte ſecum coiret Amaſis, ſtatuam Cyrenas ſe illi miſſuram. Cõcepto ſtatim voto, coiit cum ea Amaſis, ac deinceps quoties adiret, cum ea coibat, ac poſtmodum eam vnice dilexit. Et Ladice votum Deę perſoluit facta ſtatua, Cyrenasque miſſa, quæ ad Herodoti vſque memoriam incolumis erat extra vrbẽ Cyrenenſem poſita *Herod. lib 2.*

TH. Reſtituit id, quod abſtulit. Virilitatem enim artibus diabolicis poſſe quaſi colligari vt exercere ſeſe non poſſit, mille exemplis conſtat. At natura impotentes, diabolum ad coitum potentes efficere poſſe, id vero nequaquam conceditur, hoc enim ſolius Dei opus eſt, atteſtãte id ipſo Spiritu ſancto. Sic morbos inferre re ipſa & præſtigiis poteſt, & iiſdem mederi, ſi tales ſint, vt ſubiecta ipſa, vel toto corpore, vel partibus læſis aut affectis, vita adhuc ſuperſtite conſtent, & fabrica cum partibus incorruptis ſit integra. Si vita deficiat, ſi partes organum componentes forma corruptę, ſi fabrica diremta ſit aut conuulſa, mederi non poteſt: interimere poteſt, vitam enectis reddere non poteſt: cœco nulli ex oculo fabrica & partibus ſuis corrupto viſum reſtituet. Nulli auditum ex aure deſtructa.

Digitized by Google

Cæterum, permittit nonnunquam Deus, quanquam occultis, iuſtis tamen de cauſis miranda fieri, etiam ab iis, qui ipſum minime colunt, quæ vel ipſi etiam fideles Deique veri cultores præſtare minime poſſunt. Id quod tamen, vt quis ex eo de fide Chriſtiana male ſentiat, & à recta ſemita aberret, mouere neminem debet. Huius rei exemplum extat in hiſtoria Adriani. Nam cum ei grauiter laboráti mulier quædam diceret, per quietem ſe à diis monitam, vt eum hortaretur, ne ſicut morbi tædio ſecum videbatur conſtituiſſe, ſe occideret, quoniam breui valetudinem recepturus eſſet. Mulier ipſa, quia Principis valetudo in tempore dictis non reſpondebat, ſe excæcauit. Denuo etiam monita, vt Adriani genua oſcularetur, & aqua quę in templo erat, oculos lauaret, iiſque monitis obſequens, viſum ſtatim recepit. Similiter quidam à natiuitate cœcus è Pannonia profectus, tacto Adriano, oculorum lumen aſſecutus eſt, & Adrianus priſtinæ ſanitati reſtitutus. De Veſpaſiano Tacitus & Suetonius minime incertæ fidei ſcriptores, ſcribunt; ſcilicet, quod dum Alexandriæ eſſet in Ægypto initio imperii bellique Vitelliani, quendam manu ceu ſidere debilitatum, pede ab Veſpaſiano tactum, priſtinæ valetudini reſtitutum eſſe; ſaliuaque eiuſdem cœcum lumen recuperaſſe; affirmantque ſe id ab iis, qui viderunt, audiuiſſe. Sed & memorabile eſt, quod de Pyrrho Epirotarum rege memoratur, quem ſolo pollicis dextri pedis pollice, ſplene laborantes curaſſe ſcribunt; & cum in funere eius corpus rogo cremaretur, combuſtis aliis partibus ſolum eum digitum incombuſtum remanſiſſe. Non mirum ergo eſt, etiam ipſum Satanam multa, quæ extra communem naturæ conditionem ſunt, efficere poſſe. Conſtat enim tam ſcripturæ quam experientiæ documentis, diabolum ſæpius turpiter atque inſolenter abuti creaturis, ſic, vt reipſa in eis aut per eas efficax ſit, vel per ſeſe, ſiue immediate ſiue mediate, vel faſcino & præſtigiis de creaturis perſuadendo, quod ipſe abſque his peragit ſeorſum, aut ſolis turbat ludibriis præſtigiarum ſine effectu. Interim tamen & hoc certiſſimum eſt, quod opera eſſentiæ & omnipotentiæ Dei propria diabolo ſunt impoſſibilia; quales ſunt mutationes, quibus conuertuntur in ſe naturæ rerum vna in aliam, aut per adauctam procreationem multiplicantur, ſupra aut præter conſuetum, aut corruptione deſtructa vel penitus extincta reſtituuntur.

EQ. Idem & ego ſtatuo. Omnia enim, quæ tantopere deprædicantur miracula diabolica, inſolenti illo creaturarum abuſu confecta eſſe cuiuis rem attentius conſideranti, liquido patet. Vt quod de æde Herculis rotunda Romæ in foro boario ſita ſcribunt, quod nec canes nec muſcæ in eam ingrediantur; itidemque de Achillis æde ante Boryſthenem, in quam nullam alitem ingredi, Alexander ab Alexand *libro ſecundo, cap. 14.* ſcriptis prodidit.

PHILOS. Sed & templa deorum illæſa manſiſſe, omnibus circum ædibus terræ motu aquarumve inundatione collapſis, hiſtoriarum monumentis conſtat. Iuſſus fuit olim Ariſtides Rhetor Smyrnæus, cum terræ motus inſtaret, ab Æſculapio ad auitam domum proficiſci, & in Atys collis vertice ſacra facere, araſque extruere. Quæ cum vix abſoluiſſet, obortus terræ motus, omnem quidem interiectam regionem ita concuſſit, vt nullum relinqueret diuerſorium, ad Atym tamen non proceſſit, nec vltra quicquam attigit. *Stobæus Serm. 5.*

At

At non in terræ motu ſolum, ſed & in aqua miranda perſpecta ſunt. Regnantibus enim Antarico Longobardorum rege, item Mauritio Auguſto in Pelagii Pontificatu; cum Atheſis, qui Veronam vrbem mediam ſecat, adeo excreuiſſet, vt ſuperato alueo eius aquæ iam vſque ad feneſtras fani, vbi Zeno colitur, aſcendiſſent, in ipſum tamen fanum neque à valuis, neque à feneſtris, etſi apertæ erant, eius humoris pars vlla ingreſſa eſt. Sed magis etiam illud mirum videtur, quod homines, qui forte in fano inuenti ſunt, vbi aquæ ſæuiebant, à porta ex eis biberunt & in vaſa ceperunt. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. de mirac.*

An mortuos ſuſcitare poſſit Satan.

EQVES. Sed quid de eo ſtatuendum, quod è morte quoſdam reuixiſſe memorant hiſtoriæ Ethnicorum. Affirmat enim Varro, quendam ad tumulum elatum, cum iam inhumandus eſſet, reuixiſſe; idemque Aquini etiam contigiſſe. Et Heraclides fœminam poſt ſeptimum qua deceſſerat, diem, ad vitam rediiſſe narrat. De duobus fratribus equitibus Romanis mirum eſt, quod narratur; ex quibus maior natu, nomine Corfidius, cum ab omnibus pro mortuo haberetur, & iam tabulæ teſtamenti recitarentur, quo alterum fratrem heredem inſtituebat, in medio funebris apparatus in pedes magna ſe lætitia erexit, dicens; ſe apud fratrem fuiſſe, qui filiam ei commendauerit & oſtenderit, vbi certam vim auri ſub terra conditam haberet, petieritque ab eo, vt ſepulturæ eius exequias ex funerali apparatu celebrare velit. Quo hæc dicente, magna eorum qui aderant admiratione allatum de morte fratris nuncium fuit, & aurum vbi dixerat inuentum.

Pari admiratione dignus eſt etiam Enarchi caſus. Nam à medicis pro mortuo habitus & relictus, non multo poſt ad vitam reuerſus, ſpiritus eos, qui eum vita abſtraxerant, grauiter ab ipſorum principe obiurgatos fuiſſe affirmauit, quod eum pro Nicanda coriario accepiſſent, qui eodem die & hora febri correptus, eo morbo deceſſit. *Plutarchus in libro de anima.* Sic Hermotini Clazomenii ſpiritus, vti videbatur, relicto corpore, ceu mortuo, per varia errabat loca, eaque poſtea referebat, quæ ab iis ſolis intelligi poterant, qui rebus ipſis interfuiſſent. Idem de Ariſteo ſcribunt Herodotus & Maximus Tyrius philoſophus.

THEOLOG. Interdum ſpiritus humani corporibus incluſi manent, quorum tamen palpitationes ac motus adeo occulti ſunt, vt viuantne, an non, eiuſmodi corpora, haud facile dignoſci poſſit. Inde à mortuis eos excitatos fuiſſe, inconſiderate ſcribunt hiſtorici, qui tamen vere mortui prius non fuerunt. Hiſtoriam de hac re admirandam ipſe Auguſtinus narrat de Curina (id erat homini nomen:) erat hic pagi cuiuſdam incola in Africa agri Hipponenſis, cumque in aduerſam valetudinem incidiſſet, nullique flatus ac ſpiritus in corpore ipſius ægro amplius ſentirentur, ab omnibus pro mortuo habitus fuit. Elapſis autem dieb. aliquot (nam ſepultura propter amicorum abſentiam, qui ad eam per nuncios acceerſebantur, differebatur) præter omnium expectationē ad ſeſe denuo rediit, & quaſi reuixit, iuſſitque ſubito inquiri de fabro quodam ferrario, qui eodem quo ipſe nomine (Curina) nuncupabatur; cumq; ea ipſa hora mortuū eum nunciaretur, affirmauit, ſe ad iudicem quendam ductum, qui vehementer ſpiritus illos obiurgauerat, à quibus ipſe ad iudicem deductus fuerat; erraſſe

enim ſpiritus illos in nomine (Curina) cumque fabrum ferrarium adducere iuſſi fuiſſent, per errorem ſe adduxerint, ob eamque cauſam ſe vitæ reſtitutum dictitabant. Huius generis & illud eſt, quod de Equite quodam Germano, Euerardo nomine, tempore Innocentii Tertii contigiſſe ſcribunt hiſtorici. Cum enim & is veluti mortuus immobilis iaceret, ac pro mortuo etiam haberetur, ad ſe reuerſus dixit: Spiritum ſuum à malignis ſpiritibus in vrbem Hieroſolymam perductum; deinde in Soladini caſtra (is enim eo tempore Ægypti regnum obtinebat) mox ab eo loco perlatum in Lombardiam, vbi in nemore quodam cum Germano quodam amico ſuo ſermones miſcuerit; poſtremo ad vrbem Romam perlatum, deſignata ipſius ſitus ac locorum ædificiorumque forma atque effigie principum virorum ipſius ciuitatis. Eſtque inprimis admiratione dignum, quod is, quo cum in nemore ſe locutum aiebat, colloquium inter ipſos habitum eo in loco temporeque, quo is dixerat, confirmabat. Hinc ergo liquido apparet, eos quos hiſtorici Ethnici reuixiſſe, per errorem perhibent, non vere mortuos tum temporis, ſed in exſtaſin duntaxat prolapſos fuiſſe, proindeque eos reuixiſſe minime dici poſſe.

EQ. Quomodo vero miracula diuina à diabolicis caute diſcernenda ſunt, & quænam vtrinque ſunt differentiæ? hoc enim cognito, declinari diabolica facilius poſſunt.

TH. Diligenter omnino diſcrimen attendendum eſt, eo quod diabolus omnibus temporibus opera Dei æmulatus eſt ex quibuſdam præſtigiis, quandoque etiam veris miraculis ſuos furores confirmauit. Differũt autem potiſſimum impoſſibilitate & finibus. Primum Prophetæ & Apoſtoli, vt Eccleſia omnium tempor ũ, habuerunt miracula peculiaria & propria longe ſupra dæmonum vires poſita, quę nullo modo imitari diabolus poteſt. Talia plurima ſacræ literæ celebrant. Primi parentes, primo & horrendo lapſu excuſſi gratia Dei, & in æternum ſua culpa pręcipitati interitum, reſtituuntur voce & promiſſione diuina, donanturque remiſſione peccati, iuſtitia noua & vita æterna, & conſtituitur Filius Dei λύτρον *redemptionis precium*, & Mediator apud Deum pro genere humano, defenſor vero & cuſtos Eccleſiæ aduerſus tyrannidem diaboli. Delabitur ignis cœlitus, & victimas ſanctorum correptas deuorat & exurit. In exordio mundi Enoch, deinde Helias, adhuc induti corporibus, viui rapiuntur ad Dei æternam & inuiſibilem conſuetudinem. Dum conſtruitur turris Babylonica, varietate linguarum diuerſarum turbantur & impediuntur operæ. Nohe ſeruatur & defenditur cum ſuis in primo illo & vniuerſali mundi κατακλυσμῷ, *diluuio*: cũ vniuerſum hominum & animãtium genus (illis quæ ipſe ſepararat & concluſerat in arcam exceptis) inundatione mergeretur, quod quidem multo ante ipſe prædixerat. Sara Abrahæ coniunx ſterilis & effœta, fit fœcunda, & parit filium Iſaac. Moſes multa ingentia edit miracula, quorum etſi quædam diabolus per incantatores & magos Ægyptios effingit ac repræſentat, ludibrio faſcini & præſtigiarum, omnia tamen præſtare nequit. Eſtque inter illa miracula hoc vel maximum, diabolo prorſus ἀμίμητον, *non imitabile*, quod Iſraelitis interclusis mari rubro diſcuſſæ ac dehiſcentes, & curſu repreſſo rupiũ inſtar conſiſtentes aquæ, trãſitum præbent, Deo per diuiſos vndarũ fluctus viã ſternente, ad ictum baculi. Ioſuæ dimicãti cõtra quinq; Reges, qui Gabaonitas oppugnabant, Sol & Luna, id eſt, omnium ſtellarum orbes, concitatiſſimo, quo circumaguntur,

guntur, motu inhibito & fixo diuinitus, ſubito conſiſtunt. Moſi, Heliæ, Salomoni immolantibus ignis cœlitus demiſſus victimas inflammat ac conſumit, & quidem largiſſima perfuſas & madefactas aqua. Nō poteſt hoc perficere diabolus, etſi ludibria quandoq; ſimilia oculis obiicit, vt cum Seleuco Pellæ rem ſacrā facienti, ligna aræ impoſita ſua ſponte ſe ad ſimulachrū Iouis conuerterunt, & ſine igne ſua ſponte exarſerunt: aut cum ex lignis extructis in ara Egnatiæ Nymphæ in Appulis; & non incenſis, repente flammæ exilierunt: aut cum in colle Vulcanio apud Siculos iuxta Petrenſium ſtagnum ſarmentorum faſces ex ſeſe ſua ſponte ignem conceperunt, & nullo carbone adhibito, nulloque flante halitu in incendium eruperunt: quæ tamen fabuloſa eſſe, aut faſcino excæcatis hominibus miſeris, à diabolo perfecta igne ſubdito reor.

Reſuſcitant mortuos Helias & Heliſæus; Helias Sareptanæ viduæ, Heliſæus Sunamitidis filium, & cadauere ſuo cadauer aliud, quod maius eſt. Domino benedicente, non deficit lecythus olei viduæ Sareptanæ, de quo famis tempore paſcebat Heliam: idem contingit interceſſione Heliſæi viduæ Prophetæ. Neutrum imitari diabolus poteſt, non reuocat extinctos in vitam, neque condit res nouas. Inſtauratio enim naturæ deſtructæ, & creatio, id eſt, effectio rei alicuius ex nihilo, ſolius Dei opera ſunt. Diabolus ditat furto, aliorum facultatibus translatis ad alios. Ionas præcipitatus in mare, & à Balæna abſorptus, ſeruatur in ventre piſcis totum triduum. Ezechiæ conualeſcenti regreditur Sol. Daniel Regi Perſico ſomnia, quæ expergefacto exciderant, monitu Spiritus ſancti recitat & interpretatur, quod Dei proprium eſt, qui cum ſolus ſit καρδιογνώστης, ſolus ſenſus & cogitationes animorum introſpicit ac pernoſcit. Idem quatuor futuras Monarchias, & in quarta venturum Dominum clare prædicit, ac pene ipſum articulum aduentus definit. Talia vaticinia, quæ totam mundi hiſtoriam, & Imperiorum ſeriem atque ideam complecterentur, nulla vnquam gens habuit, nec prævidere eam diabolus poteſt.

Non cient pluuias & reliqua Meteora, temperandis anni vicibus, & terrenis corporibus reficiendis neceſſaria, cauſæ cœleſtes, Heliæ & Heliſæi temporibus, Deo actiones earum ſuſpendente & inhibente, terraque deſtituta fotu & rigatione cœleſti ſterileſcit. Viri Iſraelitæ in ardentiſſimum concluſi caminum à rege Chaldæo non modo non vſtulantur, ſed ne quidem vim flammæ perſentiſcunt. *Solius hæc Dei* ſunt opera *ἀμίμητα, non imitabilia* diabolo, atque vt ſolus Deus auctor eſt & Dominus naturæ, ita ſolus ſiſtere curſus rapidiſſimos orbium cœleſtiū, & vires actionesque rebus creatis attributas cohibere, impedire, aut mutare poteſt. Chriſto moriente, toti terræ Solis lumen velut extinctum deficit atque euaneſcit. Eiiciunt ex obſeſſis dæmones repugnantes, vitæ reſtituunt mortuos, & ſimilia edunt miracula Chriſtus & Apoſtoli. Chriſtus ſeptem panibus quatuor millia, quinque panibus quinque hominum millia paſcit, & ſaturatis omnibus, reliquiis ſolis, quæ ſupererant, ex panibus ſeptem, ſportas ſeptem, ex quinque panibus duodecim ſportas implet. Idem aquam mutat in vinum, quod tantum naturæ omnipotentis opus eſt, cui ſoli creaturæ cedunt & obediunt. Nec vel tranſmutatio naturarum inter ſe, vel vnius in alteram conuerſio ſubita, ſolo iuſſu effecta, à creatione diſcrepat.

Sed ſuperant & hactenus commemorata miracula & omnium creaturarum captum, Natiuitas Filii Dei, & paſſio eius & reſurrectio. Naſcitur Ieſus Chri- *Miraculū ſummum.*

 ſtus

ſtus æternus *καὶ μονογενὴς*, & *vnigenitus* æterni Patris filius, & diuinæ atque æternæ naturæ ſuæ indiſſolubili fœdere copulat naturam humanam, in vtero puræ & impollutæ Virginis ſine virili ſemine. Idem quieſcente natura diuina, ſuſtinet cruciatus, quantos nulla hominum mens metiri vnquam aut capere poteſt, & moritur pro genere humano, ac deuicta morte reſurgens multa ſecum beatorum millia ſuis induta corporibus, & viuificata, velut in triumpho ad æternam Dei conſuetudinem traducit. Ad horum miraculorum conſpectum & cogitationem obſtupeſcunt ſancti Angeli, expaueſcunt & pene exanimantur dæmones. Hæc & ſimilia miracula Eccleſiæ prorſus *ἀδύνατα*, *impoſſibilia* ſunt *καὶ ἀμήχανα*, *non imitabilia*, Diabolo: non poteſt, vel ſi rumpatur, reddere vitam cadaueri, etſi præſtigiis quandoque inanes ſpecies, aut *εἴδωλα*, *ſimulachra ſpectra* viuis ſimilia, oculis offundit.

Audio Bononiæ fuiſſe citharistriam virginem, caram multis propter artem, quam vita functã Magus quidam alligato ad alas faſcino ad eum modum, Diabolo colludente, adornarat, vt cœtus hominum, congreſſus publicos & conuiuia frequentaret, caneret fidibus conſueto more, nec à viuis differre videretur, etſi palleret plus nimio. Incidit in hanc forte alius quiſpiam Magus & animaduerſa (Diaboli monitu) impoſtura, cadauer, inquit, eſt iſta, faſcinumque ſuſtulit. Eo amoto, ſtatim ipſa ad terram collapſa iacuit exanimis. Sic ſæpe alias ludit diabolus; nequit tamen ſemel extinctis halitus afflare vitales, & ſolutam carcere ac vinculis corporibus animam reddere.

Secundum diſcrimen ſumitur à finibus miraculorũ Finis miraculorum Diaboli, vt plurimum eſt, vel erroris furoriſve manifeſte impii, blaſphemi, & contumelioſi in Deum, aut ſceleris alicuius confirmatio præceptiove, aut approbatio, vt falſorum dogmatum, idololatriæ, ſuperſtitionis, abuſuum verbi & ſacramentorum, iniuſtarum cædium, furtorum, fœdarum libidinum & turpitudinis: quibus & præcipue delectantur dæmones, & quacunque poſſunt occaſione immergunt homines validiſſime: tum quod iuſto & caſto Deo maxime diſplicere omnem *ἀκαθαρσίαν*, id eſt, *impuritatem* norunt, tum vt opus generationis polluant ac defœdent, quod ad propagationem & conſeruationem generis humani conſtitutum vident.

Sic vaticinia Tireſiæ & Calchantis iubebant mactare humanas victimas, & ſtabiliebant præſentem *εἰδωλομανίαν*, id eſt, inſanum idolorum cultum, atque illam prodigioſam de fictitiorum & plurium deorum numero opinionem. Tireſias promittit Thebanis victoriam, ſed ea lege, vt Creontis filius mactatus fiat victima pro patria. Calchas diuinat de excidio Troiæ, & pollicetur ſucceſſus, ſed ſimul iubet Agamemnonis filiam immolari. Ionibus petentibus remedium ab oraculo Delphico aduerſus ſæuiſſimam luem, quæ horribiliter graſſabatur in tota vicinia, reſpondet Delphicus Dæmon, non deſituram luem, niſi litetur Dianæ Triclariæ Melanippus cum Comethone, quam in Dianæ templo ipſe ſtuprauerat, & niſi annuatim eodem tempore, pro Menalippo elegantiſſimus iuuenis, pro Comethone puella venuſtiſſima, ad aram Dianæ mactentur. Idem Meſſeniis in longo illo & diuturno bello, quod cum Lacedæmoniis geſſerunt, ſciſcitantibus de exitu, promittit victoriam, ſed ea conditione, ſi Virginem puram ex Æpytidarum familia Deo immolarent: ibi cum Ariſtodemus vnus ex præcipuis familiæ Æpytidarum, gratificaturus patriæ, filiam quam habebat vnicam, deſtinaſſet ſacrificio, alius

quiſpiam amore puellæ impulſus, quo miſeram ſeruaret, ex ſe grauidam eſſe, & idcirco litari Deo non poſſe fingit. Pater, eo audito, ingenti exardeſcens iracundia, mox interfectam filiam diſſecat. Paulo poſt noctu ſecundum quietem, fœda ſpeciæ ſauciatæ & conciſæ filiæ grauiter conſternatus, ad tumulum eius ſemetipſum iugulat.

Horreſco cogitans cum immania illa ſuperſtitionum portenta, tum teterrima flagitia & cædes abominandas, quæ à Diabolo excitatæ & confirmatæ adeo inualuerunt & peruagatæ ſunt per omnes gentes, vt etiam in populum Dei peruaſerint. Hanc enim, præterquam quod nefanda & multiplici idololatria, contumaciſſime abiectis oraculis & legibus cœleſtibus ſe polluit, etiam liberos cremaſſe idolo Moloch in valle Gehennon, plus quam beluina crudelitate, legimus. Talia non ab illa æterna mente, iuſta, caſta, miſericorde, conditrice rerum & conſeruatrice. De his inquit etiam Ierem. 7. 19. & 32. & alibi: ***Fecerunt quæ nunquam mandaui, de quibus locutus non ſum, quæ non venerunt in cor meum:*** ſed abſq; omni dubio ab auctoribus dæmonib. oriebantur, qui odio veri Dei, inde vſq; ab initio in conſcientias & corpora hominum, quauis occaſione crudeliſſime ſæuierunt.

At miracula Eccleſiæ, Prophetarum, Apoſtolorum, directa ſunt ad confirmationem veræ doctrinæ traditæ diuinitus, & verorum cultuum, conſentiuntq; cum verbo ante patefacto de vero cultu & Filio Dei. Semper enim Eccleſia propriis quibuſdam claruit miraculis, præ gentibus ceteris, quæ doctrinæ antea promulgatæ teſtimonia ſunt, quod ſit à Deo, & quidem eo exhibentur, vt per ea ſigna verus Deus velut oculis innoteſcat ac celebretur.

EQ. Sponte ergo ſibi malum corporis pariter atque animæ attraxit ſtulta antiquitas, quum nouis ſubinde nouorum deorum cultibus vel de proprio ſanguine impendere aliquid neceſſe fuit, adeoque malum malo, damnum damno accumularunt.

PH. Ita fere eſt. Alter namque (id quod in nupero colloquio à nobis dictum) alterius diuos ex vrbibus euocarunt, cultumque detulerunt ſpontaneum, cum annexis promiſſionibus, maiori reuerentia quam hactenus, à ſe præſtitum iri; hinc nimirum captata occaſione ſignis quibuſdam nutibusve per ſimulachra editis incautos turpiter Satan dementauit. Sic Veiis à Camillo expugnatis & direptis, quod in arce erat, Iunonis ſignum Romam deportare, vt vouerat, viſum eſt. Conuocatis ad id artificibus Camillus ſacra fecit, precatusq; deam, vt ſtudium amplecteretur Romanorum, volensq; & propitia diis Romam incolentib. commigraret; Signum ferunt ſubmiſſa & exili voce velle & annuere dixiſſe. Liuius tradit, inter precandum attrectaſſe Camillum Deam & inuitaſſe; inde velle & annuere ac ſequi libentem reſpondiſſe ex aſtantibus nonnullos. ***Plutarchus in Camillo.***

EQ. Habuerunt etiam olim peculiaria idola atq; ſimulachra, de quib. ſtulta credidit antiquitas, quamdiu in vrbe aliqua aſſeruarentur, vrbem illam eſſe expugnabilem. Huius generis fuerunt Palladium & dii Penates Troia aducti, apud Romanos, qui tanta veneratione vel potius ſuperſtitione idola iſta, quæ veluti fatale pignus Imperii eſſe opinabantur, colebant, vt nulli hominum, niſi Veſtalibus & Pontificibus adire fas eſſet. *Idola & ſimulachra fatalia.*

TH. Ea ſcil. eſt hominum ſuperſtitionib. imbutorum perſuaſio vt ſacra, à quib. procul arcentur, vehementius expetant, & occultam vim iis maiorem ineſſe opinentur. Natura enim vulgus ita eſt comparatum, vt plerunq; id optimum & ſalutiferum iudicet, quod non intelligit.

EQ. Tra

Digitized by Google

EQ. Traditum autem eſt, Deos illos fictitios Troia allatos, fuiſſe duos iuuenes veteris artis & operæ, paruis imagũculis ſedentes, & more militari pila tenentes. Tametſi Palladium ab Ænea adductum, nonnulli Apollinem & Neptunum ferant: alij Troianam Palladem Romæ & Lauinii & aliis in locis demonſtratam fuiſſe tradunt. Pierius *in hieroglyphicis lib. 42.* ex Apollodoro citat: Palladium fuiſſe ſcutum cœlo delapſum, Ilum enim regem, cum ex oraculi ſententia in tumulo Phrygiæ, Ates vel Noxe dicto, vrbem Ilium condidiſſet, & Iouem precatus eſſet, vt ſignum ſibi aliquod oſtēderet: poſtridie vbi illuxit, à Ioue demiſſum Palladium ante tabernaculum conſpexiſſe: idque fuiſſe magnitudine trium cubitum, ac pedibus ita compoſitis, vt ambulare videretur, dextraque elatam haſtam ac læua colum fuſumque geſſiſſe. Cedrenus, Græcus hiſtoriæ ſcriptor putat Palladium ligneam Mineruæ (quæ eadem Pallas dicitur) imaginem fuiſſe: *Aiunt* (inquit) *id nefandis quibuſdam dæmonum conſecrationibus arcanisq́; ritibus dedicatum, ea vi fuiſſe, vt vrbem in qua eſſet, inexpugnabilem conſeruaret. Id ſignum Tros Troianorum regi Ilium conditure Philoſophus quidam, & innominatarum præſtigiarum ſacerdos, Aſius nomine, dono attulit, in cuius gratiam Tros vniuerſam ſuam regionem hactenus Epirrhopon appellatam, ab ipſo Aſiam denominauit, &c.* Perſuaſum autem ita hominibus, vel eos ita faſcinatos eſſe, vt his futilibus rebus fidem adhiberent, patet ex Homero, Virgilio & aliis. Græci enim oraculis fidem habentes, inuictos Troianos eorumque vrbem eſſe, quamdiu Palladio cuſtodirentur, putabant. Ideoq; Vlyſſes magna cum aſtutia illud clam abſtulit, à quo ad Diomedem perueniſſe dicitur, quem poſtea illud Æneæ in Italiam venienti, admonitum neſcio quo oraculo, vt ſomniant, inuitum tradidiſſe ferunt. Ob hanc cauſam in tanta veneratione, vt dixi, fuit.

TH. Video non conuenire inter auctores de Palladio. Et ſane, non multum referret, ſi in hiſtoriis non tam frequens mentio de hac re fieret, qualia iſta idola fuerint, ſatiusque eſſet, ea vel nunquam extitiſſe. Porro eadem iſthæc ſuperſtitio vaniſſima in furtum tandem abiit. Tempore enim Neronis, cum maior pars vrbis conflagraret, incertum volente aut inuito Nerone, inter alia delubra deum, Veſtæ quoque cũ pœnatibus populi Romani exuſta ſunt, de qua re Cornel. Tacit. *lib. 15. Annal.* teſtis eſt locuples.

EQ. Ancilia quoque à Romanis religioſe obſeruabantur. Cum enim regnante Numa, morbis & contagionibus ciuitas infecta eſſet, eaque lues nullis ſacrificiis aut piaculis ſedari poſſet; ſcutum æneum è cœlo, in quo fata Romanorum ſita erant, in manus Numæ decidiſſe ferunt. In quo cum vrbis ſalutem ſitam crederent; ne inuentu facilis, & ob id furto expoſita eſſet, aliæ vndecim elaboratæ artis eadem forma, à Mamurio fabro, ne dignoſci poſſent, fieri curarunt, Martiq; conſecrarunt; quorum cuſtodes Salii vocabantur. Fuerunt autem Ancilia figura ouali, ductu quidem oblongiore, ſicut ex Antonini Pii nummo videre licet, quem depingit Pierius *in Hieroglyph. lib. 41.* Et Ouidius Ancile ita depingit:

Idque ancile vocat, quod ab omni parte reciſum eſt,
Quemq; notes oculis, angulus omnis abeſt.

TH. Similia ſimulachra & idola aurea impoſita pretioſiſſimis lapidib. quibus Diuinitas attribuebatur, habuerunt etiã Amorræi, quæ vocabantur ſanctæ Nymphæ. Et inuocatæ oſtendebant eis per ſingulas horas opera eorum, teſte Philone Iudæo *in libro Antiquit. Biblic.* vbi addit, quomodo Angelus Domini, cum neq; igne conſumi neque ferro frangi potuerit, in abyſſum maris eas ſubmerſerit.

PH. Quid

PH. Quid mirum, in puro ac puto Gentiliſmo, huiuſmodi diabolica extitiſſe ludibria, quum etiam poſterioribus, iam tum longe lateque propagato cultu Chriſtiano, temporibus, non diſſimiles fatales ſtatuæ paſſim, præſertim apud Græcos, celebres, & non abſque ſuperſtitione conſpicuæ fuerint; quarum quammultas à Latinis, occupata Conſtantinopoli, vel confractas vel ſublatas, teſtatur Nicetas *in Annal. prope fin.* Quin & eadem ſuperſtitione faſcinatum Manuelem Imperatorem idem Nicetas ſcribit. Pugnaturus namque cum Pannoniis, cum iam copiæ contraherentur, cum inaudiiſſet, duarum muliebrium æncarum ſtatuarum, quæ in Occidentali fornice fori Conſtantini ſitæ fuerunt, alteram quæ Hungariſſa dicatur, erectam ſtare, alteram nomine Romanam, vetuſtate collapſam eſſe. Quo intellecto, ſtatim illam deiecit, hanc repoſuit; ea ſtatuarum mutatione ſe fortunam etiam gentis vtriusq; mutaturum ratus, & rem Romanam erecturum, Hungaricam depreſſurum. Sed & Theophilus Imperator Græcus non caret repræhenſione, quod eiuſmodi ludibriis Ioannis Patriarchæ magicis indulſit. Etenim aliquando (ita refert ex Cedreno Zonaras *in Annal. tom. 3.*) quum infida atque ſæua quædam gens, trib. ductoribus vſa, Romanam ditionem infeſtaret, eaq; res Theophilum, vti par erat, ſollicitum teneret, Ioannes eum, dimiſſa animi ægritudine optime de rebus ſperare iuſſit, modo ipſius conſilio parere vellet. Conſilium autem tale erat: Inter æreas ſtatuas, quæ erant in Euripo Circi ſtatua quædam extare ferebatur triceps. Tres ergo malleos æreos fabricari iubebat Ioannes, eosque tradi viris manu validis, qui conſtituta noctis hora ſecum ad ſtatuam illam accederent, iisque cum ipſe mandaſſet, capita fortiter ferirent, dum ea veluti vno ictu atque impulſu in terram deiicerent. Gratum hoc conſilium Imperatori fuit. Ergo magna iam parte noctis exacta, cum viris iſtis Patriarcha, (qui ne agnoſceretur, profano habitu ſe induerat,) ad ſtatuam venit, magicoque carmine recitato, iisque robore, quod inerat ſtatuæ, adempto, viros omni vi percutere capita ſtatuæ iubet. Eorum duo validiſſimis ictibus duo capita ſtatuæ decuſſerunt: tertius remiſſius aliquanto feriens, inclinauit quidem, non tamen à corpore totum euellit caput. Eodem modo cum gentis eius ducibus actum fuit. Nam ſeditione coorta, atque ea in pugnam inteſtinam euadente, duo de ducibus ceciderunt: tertius vulnus accepit, ſed non lethale, nihilominus tamen rei gerendæ eo facto inutili, gens ea viribus ſuis deſtituta domum rediit. Idem Zonaras ibidem ab Alexandro fratre Leonis ita ſcribit: *Cum præſtigiatores percunctarentur, an diu victurus eſſet; audiuit ex eis, ſe fore longæuum, ſi apro æneo in theatro dentes & pudenda addidiſſet. Neque vlla in re alia recte iudicarunt, niſi quod hominem gulæ conuiuiisq; mancipatum, luxuq; continenter diffluentem ſui compararunt. Credidit homo, porcis amentior, illorum verbis, easque partes æneo operi addidit, &c.* Et paulo poſt in vita Imperatoris Romani Lacapeni ſcribit, ſtatuam in ſummo fornice Xerolophi verſus occaſum poſitam, Symeonis Ducis Bulgarorum figuram repræſentaſſe, & Imperatorem à nonnullis perſuaſum eſſe, ſi eius caput amputaretur, Symeonis interitum conſecuturum. Quo paulo poſt facto, eadem hora Symeonem ex dolore ſtomachi, vita defeciſſe. Eadem ſuperſtitione, quum futura cognoſcere cuperet, Euphroſina coniux Alexii Angli, Imperatoris, ænei apri Calcdonii roſtrum præſcidit, qui ſetis horrentibus & exertis dentibus leonem in Hippico inuadit, præterea aliarum quoque ſtatuarum partes aliquas mutilauit, nonnullis capita malleis contundebat, ſicut Nicetas *lib. 3. Annal.* memoriæ tradidit. Hunc aprum Caledonium poſtea Iſaacium Angelum Imperatorem

torem in magnum Palatium ex Hippico tranſtuliſſe,& ea ratione temerarii & apro non diſſimilis populi rabiem cohibere voluiſſe,idem ſcribit. Vbi quoq; Mineruæ ſimulachrum in foro Cōſtantini columnæ inſiſtens,prolixe deſcribit, quod à plebe ideo confractum fuit,quia exiſtimabat, id pro exercitibus occidentalibus, vt eos alliceret,conflatum fuiſſe.

EQ. Ex hoc genere ſuperſtitioſarum vel magicarum ſtatuarum ea etiam fuit, cuius meationem faciunt Annales Turcici,non ita pridem editi,hiſce verbis: *Cum Muchemetes capta Conſtantinopoli hinc inde per vrbem obequitaret,obſtupeſcens ob inuſitatas ædificiorum formas, & in Atmindanem perueniſſet,columnam ibi lapideam vidit, cui triplex impoſitus erat ſerpens aheneus,illumq; conſpicatus,quidnā hoc eſſet idoli,quaſiuit,ſimulq; in eum contorta magna vi claua ferrea, quam Pusdiganum Turcæ vocant,vni de tribus illis capitib.ſerpentinis labrum inferius comminuit. Quo facto,mox ſerpentes in vrbe magno conſpici cœpere numero Quapropter ei auctores fuere quidam,vt miſſum deinceps illum ſerpentem faceret, quando per id ſimulachrum effectum fuiſſet,vt ſerpens in vrbe nullus eſſet. Hinc ea columna in hodiernum diem adhuc durat. Et quanquam vnius ahenei ſerpētis inferiore labro deiecto,ſerpentes in vrbem venerunt,nocere tamen nemini poſſunt. Erat etiam erectus equus aheneus,cui ſtatua quadam equeſtris inſidebat. Vtrumq; Muchemetes demolitus eſt. Fertur autem hac ſtatua peſti præcluſus fuiſſe aditus,quo minus in vrbē penetraret, ac in ea graſſaretur, &c.* Ac ſane de ſtatua equeſtri ahenea deſtructa, qua peſti præcluſus fuerit in vrbē aditus,ſuperſtitioſis videri poſſet aliquam mereri fidem;quum ſingulis annis ea nunc fœde menſibus æſtiuis calidioribus graſſetur.

PH. Non minꝰ memorabile eſt, ꝙ Roderic. Toletan. *de reb. Hiſpan. lib. 3. c. 17.* de arca quadam fatali ſcribit,q̄ fuit aperta paulo ante à Roderico rege, ducto auaritia, quam Arabes & Saraceni ex Africa,inſtigante Comite Iuliano, in Hiſpaniam irruerent,& profligato Roderici exercitu,eoque occiſo,eam ſubiugarent: *Erat tunc temporis,*inquit, *Toleti palatium à multorū regum temporibus ſemper clauſum, & ſeris pluribus obſeratum. Hoc fecit Rodericus contra omnium voluntatem aperiri, vt ſciret quid interius haberetur. Sperabat enim theſauros ingentes reperire. Sed præter vnicam arcam nihil inuenit, qua aperta reperit pannum, in quo latinis literis erat ſcriptum; Quum contingeret, ſeras frangi, arcam atque palatium aperiri, & videri quæ inibi haberentur; fore vt gentes eius effigiei, quæ in eo panno erant depictæ, Hiſpanias inuaderent, & ſuo dominio ſubiugarent: quod rex videns, doluit aperuiſſe, & vt erat prius, fecit arcam & palatium claudi. Erant autem in panno depictæ facies, vt vultus diſpoſitio & habitus Arabū adhuc mōſtrat, qui ſua capita tegūt vittis, ſedentes in equis, habentes veſtes diuerſis colorib. variegatas, tenētes gladios & baliſtas, & vexilla in altum tenſa: qua pictura rex & proceres timuerunt.* Hucuſq; Rodericus.

TH. Eſt profecto ſemper ſui ſimilis Satan, proinde non cōtentus per oracula & mirificas atq; ambiguas reſponſiones, quæ per aduētum Chriſti deſtructa fuere, homines dementare, inſuper etiā aliis magicis & ſuperſtitioſis modis & artibus, cū ſit verſipellis & mille artiū artifex, excitatis nimirū fatalib. ſtatuis, figuris & picturis hominib. curioſis imponere conatus fuit. Cæterum quanq̄ non diffiteor, iis, qui iſtiuſmodi ſtatuis, p̄dictionib. tabulis, aliiſq; reb. ſuperſtitioſis fidē adhibent, nonnunq̄ aliquantiſper impune fuiſſe, non raro etiā proſpere ceſſiſſe: Interim tn̄ etiā conſtat, eos qui nimis facilē fidem fatalib. eiuſmodi rebus adhibuerunt, triſtem euentū ac pernicioſum exitū ſæpius ſenſiſſe, idq; fere innumeris hiſtoriarū monumētis demōſtrari abſq; difficultate poſſet. Memorabile aūt inprimis eſt exemplū, ꝙ Conſtātinopolitanis in obſidione & occupatione luctuoſiſſima poſtrema anno

Chriſti 1453 accidit. Non ſolum enim multis inanib. ſuperſtitionibus veterib. & nouis, quarum auxilio vim Turcici exercitus ꝓpellere ſperarant, eorum animi occupati fuerunt; ſed & oraculo vel vaticinio veteri nimiã fidem attribuerunt; ꝙ tale fuit: Fore aliquando, vt ab hoſte potentiſſimo occuparetur maior pars vrbis; verũ cum is perueniſſet in locũ celebrem, qui à Tauro æreo nomen habuit, cum tunc à ciuib. & incolis coadunatis repulſam paſſurum, & ex vrbe eiectum iri. Freti itaq; hoc vaticinio, cum Turcæ poſt frequentem oppugnationem pulſis ꝓpugnatorib. mœnia tranſcẽdiſſent, tunc maior pars ciuiũ in Taurum confluxit, reliquosq; attraxerunt, ſperantes hoſtem inde repulſuros, & patriam in fatali loco vrbis cõſeruandæ ſeruaturos. Verum aliter euenit, nam tanta conſternatio fuit ciuiũ, tantaq; impreſſio hoſtilis, vt potius ꝑ aduerſam portã verſus mare ad naues fuga ſibi ſalutẽ q̃rerent, q̃ fortiter Turcis reſiſterẽt. Imo hoc oraculo freti cuſtodes portã fugienti agmini occluſerunt, atque vt cogi non poſſent ad eam denuo reſerandam, claues extra muros proiecerunt, ita vt vanitas huius vaticinii, cum ipſorũ excidio & vrbis direptione mox apparuerit. Quocirca nõnulli ſunt in illa opinione, hoc vaticiniũ cauſam præbuiſſe, vt ciues & milites in defendendis patriæ mœnib. minus cõſtantes fuerint, ac potius ad fatalem illum & illis ſalutarem locum, vt ſibi perſuaſerant, intempeſtiue ſe recipientes, deſertis propugnaculis feſtinarint, hoſtiq; aditum in mœnia hac ratione maturius patefecerint.

EQ. Maſculum eſt ꝙ refert Arrianus de Nearcho Præfecto claſſis Alexandri Magni. Cum n. is ad Inſulam Noſalam Soli ſacram appuliſſet, illiq; indicatum fuiſſet, eam à nullo mortalium adiri: ſi autẽ quis eo deferretur, eum nõ amplius cerni; ideoq; omnes nautæ perſuaſi hac opinione illam adire nollent; ipſummet eo nauigaſſe ſcribit, & nautas cõpuliſſe vel inuitos nauem appellere, itaq; in Inſulã deſcendiſſe, & vanam atq; inanem fabulam comperiſſe quæ de Inſula ſpargebatur.

TH. Similem hiſtoriam ſane memorabilẽ refert Ruffin. *Eccleſiaſt. hiſt. l. 2. c. 23.* de Serapis ſimulachro, (quem alii Iouem fuiſſe putant, cuius capiti modius ſuperpoſitus fuit.) Simulachrũ, inquit Ruffin. Serapis Alexãdriæ ita erat vaſtũ, vt dextra vnũ parietẽ, alterũ læua ptingeret, ꝙ monſtrũ ex omnib. generib. metallorũ lignorumq; cõpoſitum ferebatur. Cũ igitur Chriſtiani parati eſſent ad ſubuertendũ erroris auctorẽ, diu obſtitit ꝑſuaſio q̃dam à gentilib. ſparſa; Quod ſi humana manus ſimulachrũ illud contigiſſet, terra dehiſcens ilico ſolueretur in chaos, cœlumq; repente rueret in ꝑceps. Verum vnus ex militib. fide q̃ armis magis munitus, correptam bipennẽ inſurgens omni riſu maxillæ veteratoris illidit. Clamor attollitur vtrorumq; populorũ, neq; tñ aut cœlũ ruit, aut terra deſcendit. Inde iterũ atq; iterũ repetens, patris ligni fumoſum genu cædit, quo deiecto, igni adhibito tam facile q̃ lignum aridum conflagrauit. Poſt hoc reuulſum ceruicib. & depreſſo modio trahitur caput, tunc pedes aliaq; membra cæſa ſecurib. & rapta funib. detrahuntur, ac per ſingula loca membratim in conſpectu cultricis Alexandriæ ſenex veternoſus exuritur. Ad vltimum truncus qui ſuperfuerat, in amphitheatro concrematur, vanæq; ſuperſtitionis & erroris antiqui Serapis hic finis fuit.

EQ. O vanas hominum mentes, ô pectora vana. Sed fuerunt iſthæc ignorãtiæ tẽpora, in quib. ſi & nos vixiſſemus, in eodẽ verſati fuiſſemus errore; quippe qui ne nunc quidẽ in tam manifeſta doctrinæ cœleſtis luce intra Chriſtianitatis metas omnino nos cõtinere poſſumus, quin ſubinde aliq̃d ſuperſtitioſum mentib. noſtris obrepat, dum ad veterum normam cultuum ſubinde reſpicimus, eiq; noſtros conformare ſedulo ſtudemus.

TH. Eſt hæc ingenii humani curioſitas, vt altum ſemper ſapere latagat, ſtultaque varietate delectetur. Hinc tot oraculorum & vtplurimum etiam ridiculorum myriades, hinc Enthuſiaſmi, noſtro etiam ſeculo pro amenti mentium humanarum ſuperbia, prout quisque huic vel illi ſectæ aut cultui addictus eſt; hinc viſiones nocturnæ, colloquia in ſomniis cum candidis dubium, an atris ſpiritibus; hinc apparitiones demortuorũ, inſuſurrationes, ſtigmata, & quæ non? quæ omnia aut pleraque maxime à communi humani generis morte in perniciem animarum ſuſcitantur.

De oraculis. *EQ.* Non mirum ergo eſt, cum tam obſequioſos habeat diabolus atque ad quiduis credendum faciles homines, turpiſſime pariter atque fœdiſſime ipſis illudere. Allegabo huius rei exemplum ridiculum illud quidem, ſed ob extremam hominum dementiam, qui vel excrementa diabolica venerari non ſunt veriti, maxime deplorandum. Scribit Cœlius, fuiſſe in patria ſua mulierculã humili loco, Iacobam nomine, ex cuius ventre immundi ſpiritus vocem, prætenuem quidem, ſed tamen vbi vellet dearticulatã & prorſus intelligibilem, audiuerit non ipſe tantum, ſed & innumeri alii non Rhodigii modo, ſed & tota fere Italia; quando futuri auida potentũ mens ſibi accerſitam ventriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inſpectare ac audire concupiuit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſciſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa ſæpe dabat mirifica. Si de futuris, ſemper mendaciſſimus. Sed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto, vel bombo verius retegebat. *Cælius lib. 8. cap. 10. Antiq. lectionum.*

PH. Hadrianus Turnebus Græcarum literarũ Profeſſor regius, perſimilem Eurycli Ariſtophanis, hominem aſtutum Petrum Brabantium ſe vidiſſe teſtabatur: qui quoties volebat, toties ex ima corporis parte labiis immotis loquebatur: & hac dæmonis impoſtura multis paſſim imponebat. Nam cum Lutetiæ virginem quandam formoſam, ſed patre orbatam deperiret, nec matrem ſuperſtitem inducere poſſet, vt eam ſibi deſponderet: tandem cum vltro citroq; hac de re colloquuntur, vocem editè corpore, qua demortuus mulierculę maritus de pœnarum grauitate conqueri videbatur, quas ob vxoris diffidentiam in purgatorio perpeteretur, quod ea filiam à Brabantio toties expetitam, optimo viro denegaret. Quibus illa queſtubus exterrita, virique miſerta, petitioni nebulonis aſſenſit: quem tamen non tam filiam, quam dotem ei à patre in teſtamento conſtitutam ambiiſſe, ſatis apparuit. Sex enim menſib. poſt, vbi puellæ bona decoxiſſet, vxore ſocruq; relicta Lugdunũ aufugit. Ibi mercatorem quendam ac trapezitã prædiuitem obiiſſe intellexerat. Qui cum haberetur iniuſtiſſimus, eo quod omnia per fas & nefas in vita corraſiſſet, filium Cornutum, eius vnicum heredem, in porticu pone cœmiterium obambulantem adit, & eo ſe miſſum innuit, vt quid opus facto eſſet, doceret. Cæterum dum ei de patris anima potius, ac fama, quã morte cogitandum eſſe dicit, vox inopinato inter loquendum patrem referens exauditur: quam cum Brabantius ex ventre daret, ſe tamen expaueſcere mirum in modum ſimulabat. Mouebatur autem hac voce filius, quem in ſtatum pater iniuſtitia ſua decidiſſet, & quantis purgatorii cruciatibus tum ſui, tum ipſius cauſa exagitaretur, eo quod iniquorum eum bonorum heredem reliquiſſet, quamque nullo modo liberari poſſet, niſi iuſta à nato expiatione facta, & debitis in eos eleemoſynis collatis, qui maxime

xime tum temporis egebant, eos autem eſſe Chriſtianos à Turcis captos. Proinde viro, qui cum loqueretur, crederet, hunc ad redimendos eos Conſtantinopolim à piis hominibus ablegatum, eiusque rei ergo diuinitus ad eum miſſum. Cornutus, homo minime malus, etſi his auditis dolum haud animaduerteret, quia tamen durum videbatur iſtud de pecunia verbum, ſe deliberaturum reſpondit, & Brabantium eo loci poſtridie redire iubet. Interea anxius de loco ſubdubitabat, in quo vocem exaudierat, quod vmbroſus eſſet ac opacus, & hominum inſidiis Echoque aptus. Quare poſtero die, eum in alium apertum, planum, nullisq; vepribus aut vmbris impeditum locum deducit: vbi nihilominus eadem inter loquendum repetebatur cantilena, hoc etiam addito, vt Brabantio ſtatim ſex Francorum millib. numeratis, tres in ſingulos dies Miſſas redimeret pro ſalute patris, alioquin nullam apud inferos fore redemptionem. Vnde filius conſcientia ac religione obſtrictus, licet ægre, totidem tamen Brabantii fidei commiſit, omni legitimo accepti ſolutique teſtimonio neglecto. Pater ignibus ac Vulcani ictibus liberatus, in poſterum quieuit, nec filium amplius interpellauit. Verum miſer Cornutus dimiſſo Brabantio, cum ſolito lætior eſſet, idque reliqui menſarii ſatis admirari non poſſent, mox vt ſciſcitantibus cauſam aperit, adeo ſtatim irriſus fuit à cunctis, vt præ mœrore poſt aliquot dies mortuus, & patrem ad inquirendam ex eo rei veritatem inſecutus fuerit. *VVierus lib. 2. c. 12. de præſtig. dæmonum.*

EQ. Tolerabilior, etſi ne ad pilum quidem auguſtior fuit diuinandi modus, quē Baſilacius vſurpauit, de quo ita Nicetas: Iſaacius Angelus (inquit) Imperator Græcorum, ad Radęſtum maritimam vrbem profectus, Baſilacium conuenit, inuſitatæ vitæ hominem, eamque opinionem apud omnes cōſecutum, quaſi futura præuideret atque prædiceret. Is verba confuſa, inter ſe diſſidentia & perplexa fundebat. Mulierum ad ſe venientium mammis exploratis, & talis contrectatis, obſcura promebat oracula, & ad plæraſq; quæſtiones nihil reſpondebat, & ſuas diuinationes diſcurſionibus & inſanis geſtibus peragebat. Aſtabant ei cognatæ aniculæ, quę conſultoribus explicabant, quid illi Baſilacii geſtus rerum futurarum deſignarent, & taciturnitatem vt ſapientem orationem interpretabantur. Imperatori ſalutanti nihil reſpondit, neque tacito nutu capitis gratias egit, ſed huc atq; illuc inſtar hominis furioſi ſaltans, accedentibus maledixit: Conſtantino Meſopotamitano inprimis, qui tum Iſaacio familiariſſimus erat. Tandem ſcipione quem manibus geſtabat imaginis Imperatoris, quæ in eius oratorię cellæ pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite auferre ſtudebat. Imperator eo vt deliro deſpecto receſſit. At non multo poſt à fratre Alexio & oculis & imperio priuatus eſt, & opinio de Baſilacio confirmata eſt, quæ anceps prius, & in pleriſque dubia fuerat. *Nicetas lib. 3.*

TH. Ridiculus etiam, etſi non ita fœdus, de futuris euentibus coniectandi mos eſt, quem Pilappii vſurpant. De quibus ita Olaus Magnus: Pilappii, inquit, extremam Scandinauiæ peninſulæ partem ad mare glaciale inhabitant. Hi nec agros colunt, nec vllum animal alunt præter Tarandum, quo vtuntur pro iumēto tempore hyemis, quando congelatæ aquæ conſtiterunt, & omnia obriguerunt frigoribus. Viuunt ex piſcatione & venatione, & coluerunt hactenus pro diis ligna & lapides. Ituri venatum aut piſcatum, aut aliquid aliud incepturi, præmiſſis quibuſdam adiurationibus, ſuos Deos, quos conſulunt, tentant loco mouere. Hi ſi facile ſequantur, annuunt inſtituto, & ſucceſſum promittunt: Si renitantur, ſucceſſus

negant: ſi omnino moueri ſe loco non patiantur, offenſos ſe oſtendunt. Tales ergo ſacrificio placandos exiſtimant, quod in hunc modum inſtituunt. Tympanum habent æneum, in quo depicta ſunt ea quadrupedum, auium & piſcium genera, quæ ipſis non eſt difficile conſequi. Habent & ranam æneam, ferreæ perticæ annexam, quam in medium tympani ad perpendiculum defigunt. Poſtea adiurationibus editis, pulſant tympanum, ad cuius ſonitum deſilit rana in depictorum animalium aliquod. Illud animal cuius effigiem petiit rana, mactant diis. Caput ſuſpendunt ab arbore, quam ſacram habent. Reliqua coquunt, & amicis adhibitis conſumunt, ſeque illo omnes perfundunt iure, cum quo hoſtia decocta eſt. Talibus peractis ſacris, ſuccedere quæ moliuntur & parant, experimento ſeſe didiciſſe aiunt. *Olaus.*

Oracula antiquorũ. *PH.* Initium fecimus differendi de diis atq; oraculis antiquorum, in illis igitur terminis maneamus, ne quaſi εἰς ἄλλο γένος μεταβάλλειν videamur, recentiora enim notiora ſunt, proindeque in iis euoluendis inſudare, adeoque actum quaſi agere ſuperuacaneum eſt. Sed neq; de recentioribus ſolidum ferri poteſt iudicium, niſi de veteribus eorumq; origine ac modis conſtet. Celebrantur autem inprimis apud antiquos oracula: Pythium, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Mileſia, Sabæum in Phocide, &c. quorum quidem notitia, etſi ad fidei Chriſtianæ cognitionem non admodum conferat, vtilis tamen eſt ad euitandum ea, quæ fidei Chriſtianæ aduerſantur, cuius generis ſunt ea, quæ ſuperſtitionem introducunt, Chriſtianamque puritatem alienorum cultuum accumulatione obfuſcant atque conſpurcant.

EQ. Antiquiſſimum fere eſt Hammonis idolum, pelle amictum hircina & hircino capite. Huius ſacerdotes reſpõſa petituri, idolum aurato nauigio impoſitum circumuectabant, accinebantq; carmen patrium. His delinitum ritibus, nõ voce, ſed ſolo nutu, ſignisq; ſubobſcuris, quæ vellet, proferebat: ſigna antiſtites iis, qui conſultum acceſſerant, referebant ac declarabant diaboli monitu & indicio. His principiis ac veluti arcibus dominii ſui conſtitutis ac ſtabilitis, diabolus cumulauit poſtea oracula, alibi aliis per interualla patefactis. Hinc illa quæ allegaſti oracula, ſuppullularunt. Cum enim prima illa in ſuperſtitiones proni homines auidiſſime arriperent, admirarentur, atq; amplectere͂tur, noua quæuis motu leuiſſimo, & ſtolida garrulitate effutirent, proclamarent atq; extollerent, atq; exinde maiore ſub inde numero paſſim ſciſcitatum vndiq; noui ſciſcitatores cõfluerent. Ibi tum diabolus hac captata occaſione, ſuo inſtituto aptiſſima, tanquam non ſufficeret expediendis omnibus vnus locus, noua oracula inſtituit, quæ adornabat alibi, inde renunciabat, locisq; demonſtratis & additis mandatis, vt illa percontarentur, declarataq; reſponſorum veritate, euentu ſemel atq; iterum perficiebat, vt mox inclareſcerent & conſulerentur, atq; amplificarentur donariis & opibus. Deinde, ne quid pateretur de ſuo vſpiam dominio decedere, mox ſi qua bellis diruta, vaſtata, & expoliata eſſent, aut vetuſtate neglecta iacerent, inſtaurari atq; in integrum reſtitui, donisq; exornari præcipiebat. Cæterum celebrabatur prę cæteris cultu, religione, fama, opibus & donariis Pythium Delphis, quod oppidũ totius orbis vmbilicum tenuiſſe, falſo creditum fuit. *Pythii oraculi origo.* Diodorus originem eius exponit. Cum (inquit) in eo loco, vbi templum poſtea extructũ eſt, terra pateret profunda voragine, & circum paſcerent capræ, factum, vt vna ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, & quotieſcunq; introſpexiſſet, toties reuerſa miris & inuſitatis geſtiret ſaltibus,

Digitized by Google

altibus, vocemq; ſonaret inſuetā, quæ paſtor miratus, cum accederet & ipſe hiatū ſpectaturus, mox eodē impetu hauſto conceptoq;, ſimili modo exilire, & vaticinia fundere incipit. Fama increbreſcit & peruulgatur. Fit concurſus ingens ad hiatū, & quotquot demittunt ſeſe, ſtatim vatidico halitu affl..ti, furibundis ſimiles euadunt. Tandem quod ex furore multi per præceps in hiatum deſilirent ac perirent, interdicto cautum fuit, ne quis amplius inſcēderet: Voragini templum impoſitū, & miniſterium excipiendi ab inſiliente dæmone, referendíque reſponſa, fœminæ virgini commendatum fuit. Aliquando poſt, quod Iſocrates quidam Theſſalus Pythiam raptam violaſſet, his quoq; id ademptum, & vetulæ, quę quinquageſimū exceſſiſſet annum, iniunctum fertur.

Parnaſſus oraculis celebris.

TH. Stephanus auctor eſt, primam oraculi ſedem in vicino monte Parnaſſo extitiſſe. Moueor appellatione veteri Parnaſſi, vt exiſtimem, primis à diluuio temporibus, ſub poſteris Noha, hanc ſpecum, terra, diaboli opera, dehiſcēte, ſeſe aperuiſſe, & mox coli celebrariq; cœpiſſe eodem auctore vatidicum virus inſpirante iis, quos delegerat miniſtros. Etſi enim Pauſanias Parnaſſum quendā Cleodorę Nymphę filium, auguriorum inuentorem, monti nomen indidiſſe, ex Græcorū fabulis refert; tamen appellatio ipſa nihil Græcum redolet: ſed videtur facta ex Hebræo *Nahas*, quæ vox augurium ſignificat & diuinationem, vel *Har*, ſed præpoſita in cōpoſitione litera P, vel potius *Parai*, quarum vocum prior mōtem ſignificat, poſterior hiatum, vt idē ſonet Parnaſſus, quod vel mons, vel rectius hiatus diuinationū.

Templum Delphicū.

EQ. Antiquum fuiſſe, & pluribus quam centum annis ante Troiana tempora claruiſſe conſtat ex hiſtoriis, ſedemq; habuit ad radices Parnaſſi, vbi templum cōdiderant incolæ, ſupra ſpecum oppido muroq; cinctum, & templū ipſum, ob natiuam præcipitiem, munierant aditu adeo difficili & anguſto, vt, obiecta lapidum mole, acceſſum omnem vndiq; præcluſerint, exigua ſemita relicta, qua conſulturi oraculum abſq; comitatu incederent. In medio templi exigua planicies erat, & in ea hiatus, ex quo ſpiritus acer & vehemens terribili ſonitu excuſſus, vatem tripodi inſiſtentem, & afflatus expectantem corripiebat, agitatamq; & concuſſam in furorem vertebat ſtatis diebus, quibus fari licebat.

Religionem in conſulendo Pythio oraculo eam ſeruari oportebat, vt qui interrogaret, breui oratione, quæ requireret, Pythię ſignificaret, & Græco ſermone reſponſum expoſceret, mactata ſimul & ſolemni ritu conſecrata victima. Pythia vero, quam mulierē eſſe oportebat, nō promeret quicquā, niſi totam prius victimā cōtremiſcere ac velut micare cerneret. His legitime peractis, dęmon ex obſeſſa Pythia (ἐκ τῶν ἀτμῶν enim ἔνθεος γίνεσθαι, *ex halitu enim numine Dei afflata* credebatur) concepta & fere metris Gręcis ſcite admodū atq; argute, ſed ambigue nimis ac captioſe illigata reſponſa pronunciabat: cumq; in ſuā ſeſe recepiſſet atq; abdidiſſet ſpecū Pythia, ceu exonerata ſpiritu, & ad ſeſe reuerſa conſiſtebat ac conquieſcebat.

Fuit autem omnium templorum Ethnicorum locupletiſſimum, ſtatuis ex ſolido auro argentoq; conflatis immenſi ponderis, & aliis innumeris ac precioſiſſimis donariis refertum. Hippocratem etiam ſceleton ęneum, exquiſitiſſime ad figuram humani ſceleti fabrefactum, eo collocaſſe, Pauſanias auctor eſt, ea fortaſſe ſpe, vt religione templi defenſum conſeruaretur ad poſteros. Quinquies deſtructū exuſtumq;, pluries direptū, à latrone quodā Eubœenſi Phlegyarū gēte, Pyrrho Achillis filio exercitu Xerxis, Gallicis copiis, Phocēſiū ducibus, Nerone, qui inde quingentas æneas imagines aſportaſſe fertur, mactatis ad oſtiū voraginis ſubterraneæ,

vbi

vbi latebat diabolus, hominibus & cadaueribus horum in ſpecum deiectis. Sed communibus ſemper ſumptibus reſtitutum ac locupletatum legimus, vſq; ad extremam euerſionem, à qua non eſt renouatum amplius. Non deſtitit enim diabolus ſui imperii ius vrgere ac defendere. Sæpe atrocibus exemplis editis in eos, qui templo vim attuliſſent, teſtatus eſt, hanc ſibi ſedem curę eſſe. Crudeliſſimis ſuppliciis Phocenſium duces, qui in bello ſacro templi opes exhauſerant, affecit & ſuſtulit, & plura recitat in Phocicis Pauſanias.

TH. Imperante Conſtantino, Chriſtiani freti pii Principis defenſione & conſenſu, expoliatum templum non demoliti ſunt, ſed tantum deuaſtarunt. Valuis enim ianuarum auulſis, deſtructis aris, & parietibus fœde deformatis, tripodes aureos & argenteos Byzantiũm tranſtulerunt cum vniuerſis templi opibus, quæ inde vſque à Neronis ætate congeſtæ, denuo interea creuerant in immenſum. Ab hac direptione, cum poſtremo inſtauratum eſſet, tandem ſub Iuliano, eo ipſo tempore, quo is ſciſcitatum miſerat eo, de euentu belli Parthici, quod meditabatur, fulmine cœlitus incenſum totum conflagrauit. Periit incendio ſimul inaurata ſtatua Apollinis, & ſubterraneum latentis dæmonis domicilium collapſi templi ruinis obrutum atque obſtructum, oraculi locus eſſe deſiit. Circa idem tempus Iudęi, qui Iuliani permiſſu conuenerant ad inſtaurationem templi atque vrbis Hieroſolymæ & ruinis ac ruderibus repurgatis, iam fundamenta repararāt, terræ hiatu abſorpti interierunt: Ædificia vero flammis, quas hiatus ſimul euomuerat, cremata, non præbituram hanc terram amplius habitationem pertinaci ac maledictæ genti, teſtata ſunt. Ita eodem tempore admirandis prodigiis, Deus, tum vltimos Iudaicæ gentis, in reſtituendis cum politia cultibus Iudaicis, conatus repreſſit, tum reliquias ludibriorum diabolicorũ, diſturbatis & funditus extirpatis latibulis nequitiæ, ſcelerum ac blaſphemiæ, penitus extinxit. Verum enimuero, quia diabolus hoſtis Dei & Eccleſiæ quaſi iuratus, non acquieſcit, ſed ſubinde alias atq; alias oppugnandæ gloriæ Dei vias aggreditur, nouęque impietatis ſtruit fundamenta, nec eorum quicquam, quibus labefactare aut inquinare inter homines gloriam Dei ſe poſſe putat, intẽtatum relinquit, præſertim vbi accommodata illi rei organa adipiſcitur. Quare precemur Deum, vt cõtra tales nos furias defendat ſancto ſuo Spiritu, nec ſinat nos in tantam ſuperſtitionum prolabi veſaniam.

PH. Pythii nomen ſortitum hoc oraculum, non ab interfecto Pythone, ſed *ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, à ſciſcitando*, liquet: Ab oraculo vero oppidum, cui Delphorum nomen erat alioquin *πύθεν*: & Apollo, quem hominis ſpecie ex ſolido auro conflatum, in templo venerabantur, ac præſidere loco fingebant, Pythii nomẽ acquiſiuit: Mulierem, quæ cum halitu dęmonem excipiebat, atque ipſo incitante, & pręformata reſponſa ſuggerente vaticinabatur, Pythiam ob eandem cauſam, & *πρόμαντιν, antiſtitem vaticinantium* vocabant.

PH. Etymologiam nominis non admodum moror, quanquam etiam ſuũ habet vſum eumque neceſſarium, verum quia etymologicis iſtiuſmodi indagationibus facile extra ſcopum deducimur, intra metas maneamus. Cætera igitur oracula nunc porro perſtringam. Inſigne fuit poſt Pythium Dindymæi Apollinis oraculum, quod alioqui Gręci Branchidarum oraculum vocarunt, à Branchio Theſſalo, qui vaticinandi excelluit peritia, cultumque hunc Apollini deſtinauit inſtitutum. Non ceſſit hoc opibus Pythio. Templum ipſum, mole & magnificentia operis admirandũ, à Mileto metropoli Ioniæ, octodecim; ab Ionico littore, viginti ſtadiis

Dindymæi Apollinis oraculum.

Digitized by Google

ſtadiis abfuit. Cumque Xerxes expilatum id, incendio ruiniſque deformaſſet, Mileſii aliquanto poſt impenſis maximis renouarunt, auxeruntque ædificii ſplendorem & amplitudinem in tantum, vt trabes mille faſtigio extruendo non ſuffecerint.

Edidit oracula diabolus & Antiochiæ ad idolum quoddam Iouis, cognomento φιλίν, & in Apamea Syriæ, ad ſtatuam Iouis, cognomento Beli. Illudque Antiochenum idolum, motu geſtuque capitis & oculorum, ac totius vultus, vel arridente hilaritate, vel corrugata ac refugiente toruitate, cum annuere requiſitis, cum petita abnuere, ſolitum ſcribunt: Huius idoli edicto, & propter idoli auctoritatẽ, Imperatorum mandato, Chriſtianos extorres actos, totaque ſummotos vicinia, diu oberraſſe in Aſia, priuſquam recuperatis ſedibus, ſeſe rurſus cõfirmarent, Euſebius auctor eſt. *Antiochenum oraculum.*

A Iouis Beli ſtatua, petita reſponſa impetrauit L. Septimius Seuerus Imperator & de Imperio, cum priuatus adhuc eſſet, & de conditione ac ſtatu liberorum poſt mortem ipſius, cum ad Imperium iam perueniſſet. *Iouis Beli ſtatua.*

Ad Paliccn, Siciliæ vrbem, templum fuit vetuſtiſſimum, in quo crateres non arte, ſed natura facti fuiſſe ſcribũtur, de quibus ſtatis temporibus, vel ſcintillantes flãmæ colore odoreq; ſulphuris exilierunt, vel aqua erupit, quę inſolitum ferbuit, nunquam effluxit tamen, neque exundauit. Ad eos crateres, periuria explorare viſitatum fuit incolis & peregrinis, tam certa fide, vt, cum alia accidere paradoxa, decreto & procuratione numinis, tum præſentes pœnas in periuros irruere non dubitaretur, aliis viſum amittentibus, vitam aliis, aliis progrediendi facultatẽ cum tormentorum aut cruciatuum horribili ſpecie & ſenſu. *Crateres in Sicilia, ad quos periuria explorabantur.*

Fuit & oraculum Latonæ inclytum in vrbe Buti, quæ Ægypti ciuitas eſt, ſita contra Nili oſtium, quod Sebenniticum vocatur. Sedes oraculi in media vrbe extructa, porticum habuit decem paſſus altam. Id oraculum Mycerino Ægyptiorum regi, qui templa idolorum, quæ anteceſſores Cheops & Chephrenes clauſerant, abrogatis ac prohibitis ſacrificiis, recluſit, cultu idololatrico renouato: Ei, inquam de vita percontanti, ſubiecit, quod ſeptimo anno vitam cum morte commutaturus eſſet: cumque hic indignabundus de oraculo περὶ βραχυβιότητος, *de vitæ breuitate*, expoſtularet, quereretur que, ſibi de templis optime merito vitam decurtari, cum maioribus contumelioſis in templa & religionem prorogatam multos annos ſciat: iterum reſpondit oraculum, ideo plecti ipſum, quod quæ deberet, non faceret. Oportere enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi, in id tempus cum inciderit, neque exequatur, quod diuina exigant decreta, æquum eſſe, vt cedat alteri mature. *Oraculum Sebenniticum.*

Præter hoc oraculum, quod celeberrimum fuit, claruerunt in Ægypto Herculis, Apollinis, Mineruæ, Dianæ, Martis & Iouis oracula, alia alibi. *Ægypti oracula.*

Deliæ ſortes, ob perſpicuitatem & certitudinem, in admirationem venerunt, quod ſine ambiguo ſenſu, ſineque obſcuritate, quæſita declarare perſuaſum erat, cum oracula pleraque ἀσαφῆ καὶ ἀμφίβολα, obſcura & ambigua eſſe, experientia coargueret. *Deliæ ſortes.*

Deli appellatio ex ſortium perſpicuitate tracta, & inſulæ accõmodata videtur. Eas Apollo diſtribuere & gubernare credebatur. Templum Apollinis mari imminebat ea parte, qua proximus in Eubœam traiectus erat, & à Tanagra, quæ ve-

tus Eubœæ ciuitas fuiſſe traditur, quinque millibus paſſuum diſtitit. Natum ibi atque educatum Apollinem fabulantur. Aræ eius nullum animal inferre fas erat. Id Delii cum ſenſiſſent, morbis & peſtilentibus contagiis commonefacti decreto ſanxerunt, ne cadauera ibi vlla cremarentur aut ſepelirentur, neve canes alerentur, quo ab omni cæde & à pollutione atque inquinamentis omnibus inſula foret immunis. Athenienſes etiam oraculo iuſſi expiare Delum, hoc genere expiationis vſi ſunt. Cadauera enim ſepulchris condita eruerunt atque aſportarunt, edixeruntque, ne quis in Delo vel moreretur vel naſceretur. Sed lethalibus correpti morbis, aut partui vicini, in propinquam inſulam Rhenam tranſueherentur. Hac prohibitione ſatis feciſſe ſeſe oraculo, & ne in poſterũ pollueretur, præcauiſſe exiſtimarunt.

TH. Mandauit talia diabolus, vt vexaret miſeros homines, & oneribus quibuſcunque in officio conceptaque erga ipſum obſeruantia retineret.

Amphiarai oraculum.

EQ. Inſigne fuit vetuſtate & religione Amphiarai vatis oraculum in Attica, cultum eo in loco, quo humatus is fuit. Ibi dormientibus, ſomnii ſpecie, raro expreſſa, plerumque figurata vel ambigua, euentuum ſignificata exhibebantur. Paulo ante conflictum Græcorum cum Perſis ad Plateas, Mardonium in hoc delubrum Amphiarai ſeruum miſiſſe, vt exploraret ſomnio euẽtum pugnę, quam moliebatur, in hiſtoriis eſt. Et noctu dormienti, ſecundum quietem viſus eſt aſtare ſacrorum Antiſtes, ac dicere; abeſſe iam oraculi præſidem, ſe ſuadere, vt è veſtigio egrediatur templo, non licere peregrino & barbaro impune in hoc cubare loco, mox cunctantem ſeſe manibus protrudere, renuentem & tergiuerſantem lapide ferire, vt collaberetur ad terram. Hoc ſomnio fatum Mardonii pinxit diabolus, qui paulo poſt in acie lapide lethaliter ictus, concidit.

Delubrum Amphiarai ab Oropiis, qui diuinos ei honores ob vaticinandi peritiam decreuerunt, ex candido marmore artificioſe conſtructum fuit, quod qui adibant ſomnia capturi, corpore prius luſtrato, & diis, quorum nomina in aram inciſa erant, ariete de more mactato, pellem humi expandebant, cui incumbentes quæcunque ſomniaſſent, illa oraculi loco habebant. Somniabant autem ea plerũque quæ à diabolo obiiciebantur, alias alia ſpecie.

Serapidis templum.

Vatidica quoque ſomnia ad Canopum, in templo Serapidis, dormientibus apparuiſſe, creditum eſt. Itemq; in fano Paſitheæ & Æſculapii in Pergamo, in Narbata apud Hyrcanos, ad aram Ardali apud Trœzenios, in qua Muſis & ſomno ſacrificia offerebantur. Aliquid ſomniaturos ibi, à cibo diem integrum, à vino totum triduum abſtinere oportebat.

Trallib. vero in antro Charonio, apud Ægyptios in Iſidis & in Melopide ſemideæ templo ægrotos ſomniaſſe remedia ſalutaria, de perſuaſione vulgi, exiſtimatum fuit.

Trophonii oracula duo.

Trophonii duo fuerunt oracula. Vnum Thebis in Bœotia, quod cum conſuluiſſent Thebani aduerſus Lacedæmones dimicaturi ad Leuctra, interea dum rẽ diuinam faciunt, ſeque ad ſciſcitandum ſolemni ritu præparant, gallos continuo cantu ἐπινίκιον, carmen triumphale decantaſſe ipſis, annotatum eſt. Alterum in Lebadia Bœotiæ claruit, vocatumque Iouis Trophonii oraculum. Fuit id in hiatu ſubterraneo, tetro, & horrido, ad quem vno & anguſto receſſu ſcalis deſcenſus patebat. Eo conſulturos, magna cum difficultate, nudos, aut veſte alba purpureave

amictos

amictos deſcendere oportebat, placentiſque Lemures demulcere ac placare, vt tuto & citra offenſam dæmonum, ſubire ſpecum ac reuerti liceret. Aliquot diebus ante ingreſſum, illi corpore calida abluto inunctoque ſacrificia peragebant, quæ Trophonio ipſi, liberiſque & Saturno, Apollini, Ioui cognomento Regi, Cereri. quam nutricem fuiſſe Trophonii affirmabant, ſolemnia erant: deinde ad fontem λήθην, *lethem*, dictum ducebantur, vt, aqua inde hauſta præteritorum omnium obliuiſcerentur. Ritus fere hi obſeruabantur. Deſcenſurus in antrum Trophonii, primum in veſtibulo continuos aliquot dies commorabatur, quod bono Genio, bonæque Fortunæ ſacrum erat. Ibi dum verſabatur, cum aliis in rebus caſte ſe modeſteque gerebat, tum quotidie lauacris calidis ex Hercinna fluuio expurgabatur, & rem ſacram faciebat iis, quæ ante commemoraui, numinibus. Ad ſingulas victimas præſto erat vates, & ſacrificii viſcera conſiderabat. Ex his perluſtratis diligenter, deſcenſurum, quo eum vultu, quo animo, placidone beneuoloque, an vero irato atque infeſto, eſſet excepturus Trophonius præmonebat. Ea ipſa autem die, qua vorago ſubeunda erat, ad ingreſſum ſpecus arietem, Agamede inuocato, immolabat, cuius viſcera vates rurſus ſcrutabatur. Si enim horum ſignifica a prioribus diſcrepaſſent, quæ anteceſſerant omnia irrita reddebant: Si congruiſſent, ſpe bona pergere ipſum iubebant. Priuſquam irreperet in antrum, denuo noctu ad fluuium Hercinnam deducebatur, vbi duo eum pueri ciuium filii, annos nati circiter tredecim, lauabant, & oleo oblinebant. Vocabãt pueros illos ἑρμᾶς, i. Mercurios. A fluuio ſacerdotes non recta ad oraculi ſedem, ſed prius ad duos fontes, qui proxime coniuncti erant, ducebant, vt ex altero aquam hauriret, quæ memoriam omnium, quæ cogitarat & norat antea, aboleret, ceu litura inducta. Eam poſtquam biberat, ſimulacrum proferebatur à Dædalo fabrefactum, cuius inſpiciendi nulli fiebat copia, niſi Trophonium adituro, iubebaturque, vt emiſſis id precibus veneraretur. Has vbi deblateraſſet, ad oraculi ſedem tendebat, tunica indutus linea, & vittis circa tunicam vinctus, atque eius loci ſubligatus crepida.

Antri Trophonii deſcriptio.

Oraculum ſitum erat ſupra nemus ad montem, fundamentum in circuitu ſtratum erat lapidibus candidis, ambitus fundamenti, inſtar minimę areæ, pene altitudinem duorum cubitorum æquabat: huic duo inſiſtebant ὀβελοί, *columnæ*, ænei, & quibus hi connectebantur, vincula, per quæ fabricatæ patebant ianuę. Verſus ambitum prominebat hiatus non natura factus, neq; ortus caſu, ſed magno artificio accuratiſſime ſtructus: huius ædificii figura furnum repræſentabat latitudine quatuor, longitudine cubitorũ fere octo, per totũ cum ſcalæ anguſtæ & teretes extenſæ pertingebãt in pauimentum inferius, quibus deſcendebat. A pauimẽto, alia cauerna duorũ dodrantũ latitudine, altitudine dod ãtali ducebat in adytum imum. Cum ergo ad pauimentũ deueniſſet, melleas placẽtas manu præferens, pedes primo cauernæ inferebat, reliquo ſubſequebatur corpore, moxq; vbi pedes immiſiſſet, velut vndoſo & impetuoſo abſorptus vortice, ex cõſpectu aſtantiũ abripiebatur. In adyto de futuris edocebatur, quæ vel oculis conſpicabatur vel exaudiebat, voce recitata; perceptis iis, quæ deſiderabat, ceu flatu excuſſus prorũpebat ſubito, & cum impetu, ex iiſdẽ anguſtiis, per quas detractus fuerat, ſed pedib. primo exertis. Egreſſum ſacerdotes excipiebant illico, inq; ſolium memoriæ dicatũ collocabant, & aquã ex altero fonte hauſtam propinabant, qua rerũ cognitarum in adyto memoria cõfirmabatur. Interea eũ, q̃ viderit, quæve audierit, percontabãtur. Vbi exploraſſent omnia, miniſtris eum cõmendabãt, quib. tales curare mandatũ erat:

hi rurſus in ædem bonæ fortunæ transferebant attonitum adhuc, ſtupentemque, neque ſemetipſum agnoſcentem, neque quenquam circumſtantium. Occiſum ibi neminem aiunt, præter vnum ex ſatellitibus Demetrii, qui, nullis circa templum ſacris factis, nec eo animo, vt aliquid ſciſcitaretur, deſcenderat, ſed ſpe rapiendæ prædæ, & cadauer hoc, alio in loco, non per oſtium ſacrum, eiectum fuiſſe.

Origo Trophonii oraculi. Præſes Delphici oraculi hoc primum patefecit. Cum enim Bœotii toto biennio pluuiis caruiſſent, poſcerentque à Delphico numine rigationem terræ, Pythias, inſtinctu Dæmonis, monuit, ad eam rem perficiendam, opus fore conſilio & opera Trophonii in Lebadia. Profecti hi quæſitum Trophonium, cum locum neſcirent, Saon, vnus ex Acrephnii oppidi Legatis, natu maximus, & gnarus oſtentorum, apum examine viſo, lætatus, hi, inquit, nobis duces & monſtratores obiiciuntur diuinitus, atque è veſtigio inſecutus, qua procidit examen, antrum Trophonii, terra ſubruta, inuenit, ſalutatoque dæmone, ritus legesque conſulendi, & ſacrorũ morem, rationemq; ædificii ex ipſo didicit, deque præſcripto eius oraculum inſtaurauit. Reuerſos à Trophonio, animo mœrente, ſtupenteque, vultu triſti, ſine riſu, ſineque omni lętitia, velut amentes vitam finiiſſe tradunt. Statua Trophonii non in ſacello aut voragine oraculi, ſed eminente tumulo, ferreis obeliſcis ſepta munitaque conſiſtebat ac colebatur, non procul ab oraculi ſede.

Oraculum Pharenſe. Pharis Achaicis in medio foro ſimulacrum Mercurii lapideum, barbatum, neſcio qua abducti perſuaſione, incolæ collocarant, id oracula reddere interrogantibus credebant. Conſulturi accedebant veſperi, & thure ſuffito ſupra lapideam aram, quæ ante ſimulacrum exquiſite fabrefacta erat, oleoque impletis & accenſis lucernis, & patrio numiſmate, cui nomen erat χαλκοῦς, depoſito in dextram ſimulacri id, quod requirebant, admurmuratis precibus, in aurem ſtatuæ inſulurrabant, moxque auribus ſuis vtriſque obturatis, à foro domum properabant, cuius egreſſi limites, quamcunq; vocem, ſubito recluſis auribus, primo excepiſſent, tanquam à ſimulacro emiſſam, reſponſi loco amplectebantur.

Oraculum Thracii. Thraces oraculum, Libero patri ſacrum conſuluerunt: Reſponſa protulerunt antiſtites Bacchi vino ingurgitati, quo cum haurire & combibere vatidicam vim putabantur, & Beſſi vocabantur: ſciſcitabatur autem mulier. Templum ipſum in arduis eminebat montibus.

Martis oraculũ in Aſia. Apud Teucros & Myſos, Thraces, qui Aſiam incolebant in honore fuit atque admiratione oraculum quoddam Marti dicatum: ex eo diſcebant, ſi quid deſiderarent.

Recenſentur inter oracula & ſuperſtitioſæ obſeruationes Ægyptiorum ex Api boue, & vaticinia furioſorum ſacerdotum Apollinis in Colophone, & Apollinis Clarii, qui vaticinabantur, cum ex quadã eius loci lacuna aqua affatim pota, vatidicis intumuiſſent ſpiritibus: Talis enim aquæ ineſſe opinio erat. *Apis Ægyptiorum.* Apis Ægyptiorum, qui & Serapis dicebatur, bos erat corpore niger, candida fronte, in tergo alba nota inſignis, duplicibus pilis, in cauda & lingua Cantharo notatus, quẽ certos vitę annos excedere non licebat: hunc, vbi conſenuiſſet, in lacũ demergebãt ac ſuffocabant, & iuſticio indicto, ruptis veſtibus, tonſo capillitio, tuſo pectore pugnis, fœde laceratis corporibus, ingentiq; planctu edito lugebant: Cũ aliũ inueniſſent,

geſtiebant

geſtiebant rurſum & gratulabantur. De ſecuturis euentibus indicia præbere iudicabatur, vbi pabulum manu ei porrigebatur: Hoc enim, ſi arripuiſſet auide, proſpera condicere: ſi præteriiſſet aut faſtidiiſſet, funeſtum omne prænunciare cenſebatur.

Serapidis cultus præcipuus fuit apud Ægyptios, qua appellatione, etſi Oſirin cultum atque exornatum aliqui ſcribunt, primos parentes tamen Deo hanc tribuiſſe, exiſtimo, quod ſit æterna lux, & æterna ſapientia. *Serapidis cultus.*

TH. Superſtitioſa poſteritas, amiſſo vero Deo, nomen retinuit, & cultus Deo deſtinatos ac debitos, fictitio idolo hoc titulo præſtitit, noua ſubinde ſuperſtitione cumulatos.

EQ. Fana huic Ægyptus dedicauit plurima, quorum vetuſtiſſima fuerunt Memphitica, celeberrima Alexandrina. Ægyptios imitati Græci, eidem Serapidi non pauca fana conſecrarunt, aſſumptis ſacrificiorum ritibus & religionis, qua coleretur, legibus, ab Ægyptia gente. Nam & Athenienſes, & Spartani, & Meſſenii, & Bœotii, ac plures alii hos ſecuti, Serapidi peculiares cultus exhibuerunt, Ægyptiorum exemplo. A Serapide profectum fertur oraculum, de tribus perſonis diuinitatis.

PH. Id à Sacerdotibus Ægyptiis, ex veteri patrum doctrina, concinnatum reor. Non enim dubium eſt, veterum monumenta plurima, diu in Ægypto cura & cuſtodia ſacerdotum conſeruata eſſe: etſi doctrinæ verus intellectus perierit paulatim, deprauatus aut petulantium, aut ſuperſtitioſorum ingeniorum commentis, quæ ſimpliciter dicta aut in ænigmata & allegorias transformarunt, aut picturis inuoluerunt, aut dubiis & ancipitibus interpretationibus in dubium adduxerunt.

TH. Extat apud ſcriptores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, deſcriptio & templi Serapidis, & idoli portentoſæ magnitudinis, & præſtigiarum mirificarum, quibus templi Antiſtites, imitati Diaboli artificia, impoſuerunt miſeris hominibus. Templum ſtetit ad Theodoſii ſeculum vſque, quo id Theophilus Alexandrinus Epiſcopus deleuit funditus ſtatua idoli lignea diſſecta ac cremata. Parietes triplicibus diuerſæ materiæ laminis aureis, argenteis, & æneis obductos, ac velut incruſtatos fuiſſe, auctores prodiderunt, iiſq; ad eum modum coaptatis inter ſeſe connexiſque, vt, amotis anterioribus, ſupereſſent & conſpicerentur poſteriores, opere pæne ſtupendo.

EQ. Ne diem totum in recenſendis oraculorum diabolicorum vanitatibus inſumam, quippe quæ infinita olim fuerunt, vobis nunc etiam de his diſſerendi locum relinquam, ne ſuffurari vobis data opera de hoc negotio diſcurſus veſtros doctiſſimos velle videar; contentus, præcipua Diaboli allegaſſe domicilia, è quibus ſuas, quas in maximam partem orbis terrarum diſſeminauerat, proclamauit & ſtabiliuit blaſphemias. Porro etſi quando primum manifeſto diabolus oracula reddere ſciſcitantibus cœperit, ſciri non poteſt: dubium tamen non eſt, commentitias huiuſmodi idolorum indicationes mox à diluuio, viuente adhuc Noha in Eccleſiam Dei irrupiſſe, quas in ſua poſteritate, non ſine magno dolore miſer ſenex aſpexit & tulit, cum prohibere non poſſet, eaque occaſione patefactas tum quoque oraculorum ſedes valde conſentaneum eſt.

PH. Plutarchus varie de eorum origine diſputat: non enim originem eorum

refert ad deos aut dæmones bonos, aut heroes. Non enim diuina aliqua vi terram incitatam vatidicos anhelitus edidiſſe vult, quam nulla vnquam confeciſſet vetuſtas, ſed prorſus naturali: Ortos vero inde afflatus mentes ita mouiſſe, vt eas prouidas rerum futurarum effecerint, vt non modo præuiderint eas multo ante, ſed etiam numero verſuque pronunciarint. Multaque adeo de Oraculorum origine, duratione, periodis, abolitione & defectu mirifice diſputat; tandemque concludit non alia de cauſa conſuluiſſe oracula, quam quod vetuſtate vis terræ omnis exoleuerit, quæ vatum animos diuino afflatu concitarit, vt quoſdam exaruiſſe amnes, aut alueos mutaſſe cernimus, curſu contorto alio. Quanquam autem hæc ab homine Philoſopho pulchre cogitata ſunt: tamen ratione carent & fundamento, atque ipſa rei veritate redarguuntur. Non enim conſentaneum eſt à prorſus bruta, rationiſque & ſenſus omnis experte, & nata ex elementis natura, cui ne minimus quidem ineſt ſenſus, vel præſentium, vel futurorũ, quæque regitur & ſuſtentatur ea vi ſola, quæ indita ei primitus ab opifice Deo, ſuo ordine tenoreque procedit, ab ea, inquam, conſentaneum non eſt, cieri *ἀναθυμιάσεις*, *expirationes* effectrices notitiarum, argutiſſime & ſapientiſſime ad veritatis ſpeciem conficta rum & monitrices de futuris & ignotiſſimis rebus, atque adeo illis, quarum præſcientia expetitur & deſideratur (quæ quidem Plutarchi erronea fuit ſententia.) Solius hæc ſunt naturæ intelligentis, atque eiuſmodi quidem, quæ ex oculis hominum abdita, naturam rerum penitus intelligit, & intimos animorum receſſus vel perſpicit, vel ex geſtibus externis coniectat, quæq; maximam partem eorum, quæ denunciat, cum præuidet multo ante, tum gerit aut gubernat.

Oportuit igitur affuiſſe naturam ſpiritualem, *ἀόρατον*, viſui non expoſitam, intelligentem, aſtutiſſimam, conſciam præcipuorum negotiorum & rerum, quæ in toto terrarum orbe præcipue tractabantur, futurorumq; præſagam ac præſciam, cum à diuerſiſſimis, & ex diſiunctiſſimis terræ partibus reſponſa poſcerentur, de variis & maximi momenti rebus, & de ſingulis fere aliquid, vel diſerte atque explicate, vel inuolute, vel ambigue pronunciaretur. Talis vero vel diuina fuit, vel dæmoniaca: Sed dæmoniacam fuiſſe, tum promulgata oracula oſtendunt, tum ſacræ probant literæ.

TH. Certa eſt & immota ſententia, quod vnus ſit Deus, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: & Ieſus Chriſtus, Filius *λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος τοῦ πατρὸς ἀϊδίου*, *ſermo & imago æterna patris æterni*; & Spiritus ſanctus ab vtroq; procedens: quod is ſolus ſit verax, & oderit mendacium immutabiliter, ac deteſletur & condemnet peccatum omne: Sicut Pſalmus inquit: *Non Deus volens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus: Non permanebunt iniuſti ante oculos tuos, odiſti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes, qui loquuntur mendacium.* Et de Diabolo dicitur, quod ſit homicida, & mendax, & pater mendacii, quodq; mendacia loquatur ex propriis. Non fuit ergo ab vlla corporea natura origo oraculorũ, neq; ob vllius corporeæ vel naturæ, vel virtutis defectum extincta ſunt: ſed latuit in ſpecubus illis diabolus, & cum euocaretur, in ſuos, quos huic miniſterio depopoſcerat, & deſtinarat miniſtros, halitibus circumdatus inuolauit, horumque alios aliis exagitauit modis, quibuſdam furentium, nonnullis ebriorum, aliis trementium, aut ridicule geſticulantium motibus afflictis: Nonnullis totum corpus, ceu articulis tormento laxatis diuulſiſq; eneruauit, aut trepidantium aut palpitantium muſculorum ſpeciem induxit, aut linguas imbuit, ne proloqui poſſent. Tandem vero nato Chriſto, æterni Dei filio, conti-

conticuerunt dæmones, deſertisque nequitiæ ſuæ latebris ceſſerunt, non ſponte, ſed coacti horribili metu omnipotentiæ Chriſti, & æternæ condemnationis ſui, quam inſtare iam atque imminere cernebant. Et vere *in ſtultitiam euaſit mundana ſapientia, nugæ ſunt ac riſus carminum, & magorum præſtigia, vinculum omne malitiæ euanuit, caligo ignorantiæ diſcuſſa eſt, & poteſtas tyrannica ſublata, Deo in hominis forma apparente, & homine in Dei efficacia.* Norant enim, eo miſſum Chriſtum, vt deſtruat opera diaboli, & generi humano in integrum reſtituto, opituletur contra tam ſæuam rabiem, ex Zachariæ prophetiis multo ante diuina voce traditis. Inquit enim Zacharias: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & ſpiritum immundum, & Pſeudoprophetam auferam de terra.* Contremiſcunt & pene deficiunt dæmones in obſeſſo, qui Chriſto occurrit, exclamantque, Fili Dei, cur veniſti nos cruciare ante tempus? Extat, inter Sibyllinos verſus, vaticinium ſimile, de abolitione oraculorum: quod, etſi ex euentu contextum, inſertumque mutilo carmini videtur, alludit tamen ad Zachariæ prophetiam, *ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος, Roma vrbs vicus erit, nec Delum moueris ipſam.* Et Inſulæ Deli deuaſtationem Delphicus Dæmon non obſcure innuit, eo verſu, qui extat apud Herodotum:

Κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν:
Et Delon, quamuis ſit adhuc immota, mouebo,

Idem Auguſto Cæſari interroganti Pythiam de ſucceſſore, qui poſt ipſum futurus eſſet orbis terrarum Monarcha, reſpondit:

Me puer Ebræus iubet hinc, rex ille deorum,
Tartareas remeare domos, hac ade relicta.
Poſt ergo ora tenens, altaria noſtra relinquas.

Extorſit tales voces vel inuitis conſpectus pœnarum & cruciatuum, quos ſeſe paulo poſt profligatos vinctosque à Filio Dei, ſubituros, & in omnem æternitatem perpeſſuros præſentiebant. Angebantur & de regni ſui interitu, vimque miniſterii Euangelici reformidabant: hoc enim potentiam Dei eſſe ad ſalutem omni credenti ex genere humano, non ignorabant, & eodem tum detegi technas ſuas atque impoſturas, quas impune ſucceſſu optatiſſimo, longo tempore exercuerant, tum proſterni euertique funditus, quæ callide ſtructa firmarant accuratiſſime, tum frænos ſibi ac vincula iniici, excutique ſeſe dominio antiquiſſimo inter Ethnicos, videbant.

Sed enim, quia ex poſſeſſis tanto tempore ſedibus ægre ſe eiici patitur diabolus, proinde vigilandum nobis eſt ſedulo ac ſerio, vt vitare retia & laqueos, quos immenſa calliditate vndequaque nobis obtendit, caute poſſimus. Cumque intelligamus, quibus occaſionibus primo irrepſerit in animos hominum, & ſuos furores prompſerit atque inuexerit, nimirum eleuata auctoritate verbi Dei, aut ſophiſmatum præſtigiis eluſa; commonefacti exemplis maiori diligentia incumbamus ſtudio veritatis diuinæ, nec præbeamus anſam hoſtibus Diabolis nos inuadendi, ſeduloque nobis obuerſetur primum Decalogi præceptum quo prohibetur ſeueriſſime ſub atrociſſimarum pœnarum comminatione: Non habebis Deos alienos coram me. Non enim vult nos Deus ſocietatem inire cum diabolis, aut ſciſcitari quicquam, vel poſcere ab ipſis: ſed vult nos ardenter odiſſe eos, auerſarique atque abominari conſuetudinem omnium confœderatorum diabolis. Vultq;

Deus

Deus non tantum, ne faciamus corpora noſtra ſponte mancipia & domicilia diaboli, ſed etiam ne occaſiones illi præbeamus nos adoriundi, aut tentandi aditus negligentia vel quacunque re alia, neve vlla nobis intercedat ſocietas cum addictis diabolo. Cum vero hoc præſtare nobis ſit difficile, in tanta naturæ imbecillitate, tantaque hoſtis aſtutiſſimi & verſutiſſimi aſtutia, petamus auxilium à Deo Optim. Maxim. eiuſque ope nos ita muniamus & obſepiamus, aditu omni velut vallo vndiquaque præcluſo, ne perfringere hæc ſepta facile & expugnare nos poſſit. Sed neque impatientia quæramus auxilia prohibita, nec curioſitate aut petulãtia ſcrutemur vel ea, quæ ſcire nos aut non refert, aut non licet, aut non expedit; vel ex iis à quibus inquiri aliquid Deus ſeuere vetuit.

PH. Fœdos illos ac ſpurcos, de quibus paulo ante à nobis dictum eſt, ventriloquos, & ego extreme abominor, mecumque omnes cordati, num vero propter abuſum iſtum vniuerſum diuinantium genus abominandum, cum præſertim quammultis nihil inſit obſcœnitatis?

TH. Veram illam ac Propheticam diuinitatem quæ fit per inſpirationem Spiritus ſancti, abſit vt abominer. Illam vero, quæ in contumeliam veri Dei & perniciem generis humani, vel palam, vel tecte atque inſidioſe, impulſuq; diaboli, promitur ab illis ipſius internunciis, interpretibus & adminiſtris, quos vel totos obſeſſos manifeſte regit ac ducit, vel raptos extra ſeſe phantaſiis erroneis & commenticiis prorſus implicat, vel quibus aſcititia aliqua ſeſe ſpecie exhibens, prætextu religionis, aut alioquin ſuum inſibilat atque inhalat virus. Semperque, quantacunque ſit velata religionis ſpecie, occulit ſubtus latens atro felle tinctum venenum, quo vel gloria Dei petitur, vel hominum ſalus, vel vtrumque. Illam inquam extreme abominor. Et quid de tota θεομαντείᾳ ſeu vaticinatione hac ſentiendũ, quid horum prædictionibus, reſponſis aut narrationibus tribuendum ſit, ipſa vox diuina decernit. Leuit. 20. dicitur: *Quod ſi quis in eis aut ventriloquus aut magus fuerit, ſiue vir ſiue mulier ſit, capite plectitur, lapidatur, pœnas dato* Et ibidem: *Ventriloquis non auſcultabitis.* Et *Deut. 18.* atrociſſimis verbis abominari dicitur Deus & odiſſe eos, qui ſua corpora domiciliorum inſtar diabolis accommodant, dedicantve, aut inſidentes aliis dæmones ſciſcitantur *ventriloquos* (vel vt Hebræus textus habet, Pythonem) *conſulens, res abominanda eſt Domino Deo tuo.* Vtroſque damnat vox diuina, cum hos qui volentes dedunt & mancipant ſeſe diabolo, receptiſque intra ſeſe immundis ſpiritibus, ſponte aut negligentia admiſſis, fiunt hoſtes Dei & præcones blaſphemiarum, quas in verum Deum illi concinnant & euomunt, quo nihil poteſt cogitari horribilius: tum illos qui tales diaboli miniſtros conſulunt, ſiue futurorum præſcientiam indicationemve occultorum expetant, ſiue opem flagitent atque auxilium.

PH. Ventriloquos audio in ſacris literis damnari, eoſdem & ego damno, quid vero id ad haruſpices ſiue ariolos, apud quos nihil fere obſcœni extat? proindeq; diuina illa abominatio iam allegata ad ipſos minus redundare videtur. Quod aũt nihil fere obſcœnitatis genuina illa ac vera haruſpicina Ethnicorũ in ſe contineat, ex ſingulis eius ſpeciebus, quarum præcipuas ordine recenſebo, manifeſtum erit.

Ac primo quidem, Haruſpicina ſiue Ariolatio, latiſſima ſignificatione omnem complectitur diuinationem. Sed ſtricte Arioli ſunt & dicuntur, eo quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, iiſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt, *Iſid. lib. 8. Etymol. cap. 9.* Media tamen ſiue modica

Digitized by Google

modica latitudine. Haruſpicina vſurpatur pro tota ἱεροσκοπία veterum, ſiue diſciplina diuinandi in ſacrificiis Gentilium ſolita ſeruari. Eratq; Haruſpicum prima diuinatio ex viuæ adhuc victimæ obſeruatione, dum producebatur, dum ad aram ſiſtebatur, dum attrectabatur, dum vinum ei infundebatur.

Secunda vero fuit *extiſpicina*, qua motum & ſingula mactatæ hoſtiæ membra rimabantur, iecur maxime, vnde Græcis dicta ἡπατοσκοπία.

Tertia eſt πυροσκοπία & πυρομάντεια, in hac aliquando pix trita in ignem ſpargebatur, aliquando tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characterib. ſignabantur, & ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum; ſi lambens & diuiſa comparebat, infelicem, ſi tricuſpis aſſurgebat, glorioſum euentum; ſi varie diſperſa, in ægro mortem, in ſano morbum; ſi crepitans, infortunium; ſi ſubito extincta, ingens periculum ominabantur: aliquando hoſtiam in ignem coniiciebant, & duntaxat conſiderabatur flamma ignis victimarii, vtrum in vnam coiret pyramidem, quod proſperum, an vero diuideretur, quod aduerſum: quis ignis color, ſplendor, aſcenſus, ſtrepitus, an cito victimam comprehenderet, an extingueretur, & ſimilia.

Vtuntur hac hodie Lituani: nam ægris ſi vmbra corpore igni oppoſito, aduerſa cadat, certam ſpem recuperandæ valetudinis concipiunt: ſin auerſa ceciderit, conclamant, & pro depoſito ægrum habent, *Ananias lib. 3. de nat. dæmon.* Nec à vitio immunes ſunt Germani, qui in ſucceņſione pirarum, quas in honorem B. Ioan. accendunt, veteri idololatria Chaldæorum & Ægyptiorum in hunc morem commutato, ad crepitum, fumum, flammæ modum & ſimilia attendunt: item definitis vicibus ſe circumire vel tranſilire debere putant; ſunt enim iſta, vt recte cenſuit Wimpina, *l. de diuinat. c. 2.* reliquiæ veteris paganicę luſtrationis & traductionis per ignem, quam ex ſacris literis Patres confutarunt. Glycas ex Theodoreto hoc docuit, ne multos congeram, *p. 2. annal fol. 269. Quinetiam* (ait) *liberos ſuos per ignem traiecit. Quid autem iſtud verbum ſibi, quæſo, vult? Ioſephus tradit Achazum quendam ſuorum filiorum Baalis ſolido ſacrificio concremaſſe. Verum Theodoretus aliter ſentit: arbitror, inquit, hiſce verbis ſignificari ſpeciem quandam erroris, qui ad noſtra vſque tempora, durauit. Videmus enim ſemel in anno rogos accendi, quib. iniiciantur pueri quidā & viri. Quin etiā infantes ab ipſis matribus per flammam tranſportantur, quæ res videtur eſſe quaſi quædam auerruncatio & luſtratio.* Sic Glycas.

Quarta eſt nubila καπνομάντεια, fumi obſeruatrix, eaque duplex: nam vel grana ſeſami vel papaueris nigri in ardentes prunas iaciebant, & inde ſurgentem fumum notabant: vel ſine huiuſmodi granis, ſolum obſeruabant ſacrificii fumum, & interdum fumum rogi. Huc pertinet illud Naſonis, *in Ibin*, de rogo Polynicis & Etheoclis:

Et noua fraterno veniet concordia fumo,
Quem vetus accenſa ſeparat ira pyra.

De fumo illud Papinii eſt lib. 10. Thebaid. vbi poſtquam pyromantiam Tireſię deſcripſerat, addit eum ore fumum fatidicum hauſiſſe.

Ille coronatos iamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.

Vapor enim iſte fumus eſt: nam quis credat flammam hauſiſſe Tireſiam, & ſuperuixiſſe? Vſos etiam Capnomantia Iudæos & conſideraſſe an fumus, qui ex vi-

ctimarum ſacrificio aſcendebat, rectus aſcenderet, an in obliquum vergeret, docet Theophylactus *in Oſee cap. 4.*

Quinta eſt proprie dicta λιβανομάντεια, quam proponit Dio Caſſius *lib. 41. hiſt. Auguſt.* agens de Nymphæo prope Apolloniam, ibi & oraculũ (inquit) editur: idq; hoc modo: Thure accepto, precibusq; eius rei ergo, q̃ volunt, factis ipſum thus vt ſecum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt: tum ſi ratum ſit futurũ votum, ab igni thus è veſtigio corripitur: ac ſi thus extra ignem forte deciderit, accurrens ignis id abripit & conſumit: ſin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & ſi in ipſam flammam coniiciatur, recedit ab ea, atque effugit; ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiisque exceptis: de his enim non licet cuiquam oraculum illud conſulere.

Sexta eſt πυρομάντεια ſiue σποδομάντεια, qua diuinabant olim ex cineribus ſacrificiorum. Hodie viget quoddam ſuperſtitionis huius veſtigium, cum res de qua diuinandum, digito bacillove cineri inſcribitur, & cinis aeri puro permittitur, & attenditur ad literas quæ in cinere agitato apparent. Item cum iubent aliquem tres perſonas cogitare quibuſcum matrimonium optet, vel ſperet contrahere: tum tres ducunt ſulcos in cinere, ille autem iubetur ſingulis perſonis ſuum ſulcum deligere; tum auerſus ſtare, ne ſulcos videat, quos interea alter tamdiu forcipe oſtendit, donec eorum vnus ab illo ter deligatur; & quam ille ſulcus deſtinabat, ea ſpondetur ipſi vxor futura: poſſet hoc vltimum ad ſortem diuinatoriam reduci.

Septima eſt ἀμνιομάντεια, eſtque nouitia ex ſchola obſtetricia nata ſuperſtitio. Fœtus maternus in vtero materno tribus membranis inuoluitur: quarum prima dicitur χορίον ſeu ſecundinæ: alia vero à farciminis forma ἀλλαντοειδής, tertia à mollicie ἄμνιον. Hæ duæ poſteriores aliquando cum fœtu ſic erumpunt, vt facies ac caput infantis, quaſi galeatum appareat: Cauſidici Romani multa pecunia inuolucrum iſtud emebant, ſe illo ad cauſæ victoriam iuuari multum arbitrantes. Ex huius tegminis colore rubicundo vel liuido fortunam infantis, aniculæ ariolantur. Hæc ἀμνιομάντεια, de cuius vanitate legendus Leuinus Lemnius Ziricæus, *lib. 2. de occult. nat. mirac. cap. 8.* Sed & Iouius, ne quid ſuperſtitionis omitteret; nimis huiuſmodi vanitatibus pro Epiſcopo deditus; in Ferdinandi Dauali natiuitate (*lib. 1. Piſcarii*) huiuſmodi pelle inuolutum ex vtero prodiiſſe conſiderauit.

Octaua eſt æque ridicula diuinatio Iudæorum per *Ieduim*, cuius Rabbini mentionem à Moſe factam comminiſcuntur: nempe volunt fuiſſe animal quoddam nomine *Iedua* humana forma; cuius ex vmbilico medio funiculus propendebat, quo inſtar cucurbitæ humo adhæreſcebat, & quantum funiculi longitudo patiebatur, circumcirca omnem terræ fructum depaſcebatur: capi à venatoribus non poſſe niſi ſagitta funis præſcindatur: tunc ſtatim expirare: per eius oſſa, certo ritu in ore geſtata, vaticinandi donum nactos homines, indeque ariolos dictos *Iddegonim*, tales iſti recutiti fabulas nobis obtrudunt, digni qui & terræ cum ſuo *Iedua* affigantur, & cum eo conuiuentur.

Nona occurrit ῥαβδομάντεια, quæ multiplex fuit, de qua ſic Cœlius Rhodiginus *cap. 29.* ſcribit; Virgas in rebus diuinis eximii cuiuſdam vſus fuiſſe veteribus, ex

bus, ex pleriſque coniectare licet. Nam, qui Perſicos ritus diligentius animaduerſos literis mandarunt; illorum magos, qui ſacrificiis præficiuntur, carnes ſuper myrtho & lauro poſitas tradunt ſubtilibus virgis adurere, mox oleum lacte melleque commixtum conſpergere, ac comprecari, faſciculos ex myrica pertenues manu tenẽtes. In Pyrethiorum meditullio ſurrecta ſtabat ara, vbi inextinctus ſeruaretur ignis, fierentque itidem comprecationes non ſine myricinis virgis. Sicut in Scythia quoque, vbi vaticini traduntur plures, ſalignis virgis diuinatio concipitur, quas diſſoluunt ac ſeparatim ſingulis humi conſtratis vaticinantur, interim virgas comprehendentes componenteſque, Narees vero, quos eſſe Androgynos putat Herodotus, tiliam ſcindentes trifariam, digitoſque implicando ac reſoluendo præcinunt futura: *& poſtea*; Etenim in pleriſque locis, virga (vt diximus) præſagiunt, quod *in primo compoſitionis tertia* Dion quoque confirmat.

Sed illud mihi nota, ῥαβδομάντειαν non pertinere ad vnum dumtaxat caput: quædam enim explicitam continebat innocationem, nempe, quæ conceptis verbis efficiebat, vt virgula recta, ſponte ſua, in circulum coiret iunctis extremitatibus. Alia vero ad ſortes pertinet; quando regnum, vel quid aliud, virgis datis, cui obtingeret, experiebantur. Sic Aaroni prærogatiua Sacerdotii, virgula contigit florente, ſic & Beatam Virginem nonnulli, ex apocryphis, tradunt Ioſepho ſponſam datam: quo adhuc tempore Diuinatoria ſors permiſſa. Aliquando ad ariolationem (quam auſpicium vocauit Tacitus) referenda: Aliquando ad omina, vt illa, de qua ſic Crantzius *lib. 4. Metropol. cap. 19. & 29.* Memorant annales Henrici III. Imperat. fabulam de Hildebrando puero, quod cum filius eſſet fabri lignarii, ex ſarmentis ordine compoſitis, inſcius ipſe, has literas conſeruerit: quibus aſtans homo literatus legerit ex ea compoſitione ſcindularum: *Dominaber à mari ad mare.* Vnde coniectans diuinum aliquid in puero, ſuaſerit parenti, vt eum literis traderet. Traditus profecit, & in cancellariam Regis peruenit, & Scriniarius euaſit. Somnio admonitus Imper. de eodem, quod cornua videretur habere, quibus filiũ ſuum contereret, hominẽ in vincula coniecit: ſed ab Imperatrice vinculis exutus, Cluniacenſe Monaſterium petiit. Indeque profecit primum in Subdiaconum, deinde in Cardinalem, nouiſſime in Gregorium VII. Hæc ex Annalibus illis Crantzius, quæ neſcio cur fabulam vocet.

Decima eſt λαμπαδομάντεια, quando nonnulli candelam in D. Antonii honorem accendunt, ſicque ſe res perditas confidunt inuenturos.

Vndecima vocetur παρθενομάντεια; nempe duplex diuinatio, qua virginitatem puellæ explorabant. 1. per funiculum, quæ res etiam hodie in vſu prauo: & videtur olim eo reſpexiſſe Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis;

> *Non illam nutrix, orienti luce reuiſens,*
> *Heſterno poterit filum circumdare collo.*

2. quod auctore Guilh. Pariſienſe, ſolitum in Britannia redactum in pollinem tenuem Achatem in potu præberi, quem qui quæve ſumpſit, niſi virgo ſit, ſtatim cogatur euomere. Referuntur & alia quæ idem per vrinam indicium faciunt. Et referuntur vt arcana naturæ, vereor ne prorſus ſint magica.

Hæc atque his ſimilia etiamſi ſuperſtitioſa quadantenus ſint, cum tamen nihil ſapiant ſpurcum aut obſcœnum, culpanda licet ſint, ferenda tamen ac toleranda videntur, eo quod mala intentione à ſimplicioribus non ſuſcipiuntur.

TH. Egregie ſane. Quæ mala intentione non ſuſcipiuntur, omnia illa promiſcue toleranda? ſcilicet. Hac ratione nulli veterum cultus idololatrici fuerunt abrogandi, quia nimirum bona intentione fuerunt introducti? Abſit vt hanc approbemus Maximam. Cæterum, vt antea quoq; dixi, non omne diuinationũ ſeu prædictionum genus promiſcue reiicio aut cõdemno. Imo ſcelus eſſet & impietas contumelioſa in Deum, velle ob eas præſtigias, quas aſperſit operi diuino Diabolus, aut derogare fidem propheticis teſtimoniis, aut negare, quæ in natura cauſas habent manifeſtas, & ita condita ſunt, vt vel præſagiant futura, eaque præſenſione homines de iisdem commonefaciãt, vel ſigna rerum ignotarum & futurarum ordine ac lege naturæ ſuæ æſtimanda & iudicanda hominibus exhibeant. Sed prudenter & pie ſecernantur diuina & ordinata à ſuperſtitioſis, auctore & patre Diabolo natis. Illa retineamus atque excolamus. Hæc vero Dæmonum impia, ſuperſtitioſa, & ἀναιτιολόγητα, id eſt, quæ cauſis non conſtant, vaticinia, toto pectore auerſemur, fugiamus & execremur. Hæc enim quantacunque ſint velata religionis ſpecie, ſemper tamen latens venenum fouent. Proinde Deo gratias agamus, quod communicata verbi ſui luce, nobis oſtenderit, quis ſit verus Deus, vbi quærendus ſit, quomodo coli velit, quæ requirat & approbet, quæ abominetur & ſeueriſſime puniat. Econtrario in vniuerſum damnemus omnia vaticinia Diabolica, ſiue ab ipſo prolata Diabolo quouis modo, ſiue à ſuperſtitioſis ſint conficta hominibus. Damnemus & eos ex verbo Dei ſupra à me allegato (quo non ventriloqui duntaxat, ſed omnes in vniuerſum arioli, ſicut contextus aperte innuit, damnantur,) qui talibus vaticiniis vel vtuntur, vel fidem adhibent; ſequamurque regulam, vereque Chriſtianorum Maximam: *Non habebis Deos alienos coram me.*

EQ. Non dubium eſt, omnes ariolationes proprie ita dictas, quæ nimirum ſuſcipiuntur funeſtorum ſacrificiorum oblatione, precumque nefariarum circa aras idolorum emiſſione, verbo Dei prohiberi & damnari. Quod vero ad diuinationes, ſeu, generice loquendo, ariolationes attinet, quæ in natura habent cauſas manifeſtas, & ita conditæ ſunt, vt vel præſagiant futura, vel ſigna rerum ignotarum & futurarum iudicanda hominibus exhibeant, eas approbandas ex aſſertione veſtra intelligo. Ex hac itaque veſtra ſententia colligo, præſagia atque auguria quę ab auibus captantur, quippe quę certis in natura conſtant rationibus, voce diuina non prohiberi?

De præſagiis auium & auguriis.

TH. Diſtinguendi ſunt probe termini loquendi. Diſtinguo igitur inter præſagia auium, & inter ipſa auguria. Niſi enim diſcrimen hoc obſeruetur, delicatis ingeniis non exiguas offundit tenebras. Etenim auguria reuera præſtigiæ ſunt. At præſagiorum rationem cauſamq; afferri certiſſimam, aperte profiteor. Quæ enim præſagiunt aues, licet nullo penitus rationis diſcurſu cognoſcant, ſagaciſſimo tamen naturæ inſtinctu, aeris ſæpius permutationem, quæ eas vellicat, noxamque infert, percipiunt. Huius perceptionis cauſam, quamuis etiam alii ad cœlum eiusque ſtatum tantummodo referant: id tamen ad particularem earum naturam potius reduci debere arbitror. Nam quemadmodum etiam multi noſtrorum ex

alteratis

alteratis ſuis corporibus, lunæ, ſolisque cōiunctionē adfuturasq; tempeſtates cōiiciunt, ſic & illę, cum ex ambientis aeris vapore afficiuntur, temporis mutationes denunciant: non tamen præſagiendi omnes eadem ſigna habent. In aliis enim obſeruatur vox, in aliis volatus: ſunt, quæ locum mutent, quæ nouos geſtus exerceāt, aliæ pennas ſuas expurgant, aliæ ſeſe in aquis abluunt: rurſus cœli ſtatum nonnullæ, aliæ morbos, peſtem, & iram quandoque diuinam; aliæ agrorum ſterilitatem portendunt. Sed manifeſtiora omnia euadent, ſi ad ſingula accedamus. Pluuiam inprimis annunciabunt aues, quæ lacus fluuiosque incolunt, ſi, vt obſeruauit Virgilius:

Certatim largos humeris infundere rores,
Et caput obiectare fretis & currere in vndis,
Ac ſtudio in caſſum cernes geſtire lauandi.

Nam cum in aqua victitent, illius aduentu iamiā adfuturo exultant atq; geſtiunt. Vel hæc etiam in aquatilibus hiſce auibus cauſa aſſignari poſſit, calida ſcilicet quædam intemperies ab vaporoſa illa exhalatione in earum corporibus inducta: tunc enim calidiori aura æſtuantes impendentis pluuiæ refrigerium ſummopere exoptant. Quæ in arboribus vitā degere conſueuerunt, ſi ad eas ocyus, quam ſolēt, recurrunt, procellarum ventorumq; iam iam imminentium haud incerti teſtes ab agricolis habentur. Tales enim aues cum ſiccitatis potius quam humiditatis ſunt amantes, è nubibus breui adfuturam aquam ſubterfugiunt. Quæ vero rarius vel nunquam aquas frequentare ſolent, ſi ad earum margines & riuos plumas obſeruet vellicare agricola, ſub tecta meſſem ſuam, ne à pluuiis, quas ab auibus ſumpto argumento adfuturas extemplo agnoſcit, corrumpatur, defert. Tum enim aeris humidioris exhalatio grauedinem auibus adfert, quapropter vt ab ea noxa ſe liberent, pennas ſuas vellicādo id onus excutere adnituntur. Rurſus ſi eędem atq; etiā marinę relictis ſedibus in ſiccum exeant, maximæ tempeſtatis nunciæ habentur.

Quæ terreſtria loca habitant, ſi cum ſilentio ad humidiora proficiſcantur, ſerenitatem portendunt, quemadmodum etiam procelloſo tempore, ſi alię alias inuolent, atque vltro citroque inter ſe contendant. Prętere a ſi terreſtres vel ſaltem, quę in aquis habitare nō ſolēt, abluere ſeſe obſeruaueris, de procellis vēturis metuendū Ariſtoteles docet ac Ælianus. Auium, quæ inſularū incolæ eſſe conſueuere, ingens conuentus, ac præter morem in æſtate congregatio, aquam portendit. Siq; in magno numero in regione, quam habitare non ſolent, appareāt, damnaque inferāt, iram Dei in eam gentem atteſtari videntur. Vnde Ieremias propheta verba Domini de punitione pronuncians ait: *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus, gladium ad occiſionem, canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & beſtias terræ ad deuorandū & deuaſtandum.* Porro ſi alites relictis inſulis, campis atque ſyluis ad ciuitates oppidaque atque alia loca habitata ſeſe transferant, agrorum ſterilitatem ſignificant, vti & morbi aeriſque contagium, ſi vel mortuæ in terram decidant, vel ſi nidos proprios relinquant. Aquila ſi in orientem contenderit, ventorū nuncia creditur. Si accipiter, inquit Theophraſtus, in arbore conſidens, & intus inuolans pediculos quærat, haud procul abeſſe pluuias demonſtrabit. Noctua ſi ante ſolis occaſum, & citius quam ſolēt, garrula nimis, cauis ſuis exeat, pluuias portendit: tunc etenim tēpus præuertit, ne à pluuia, cuius breui adfuturæ nuncia eſt & inimica, pabulum ſibi parare impediatur. Si vero dum pluit, nimia quoq; loquacitate moleſta eſt, tranquilliorem ſerenioremque cœli ſtatum prædicit. Si corui ac graculi magna copia

Digitized by Google

ac gregatim volantes, Accipitrina voce vtãtur, procellas iamiam imminere pollicentur. Auſtrina vero atq; humida aeris intemperies, mutationem vocis adferre potuit. Nam cum aerem & per eum arteriã & pulmones cæteraq; formandæ vocis inſtrumenta humiditas nimia impleat, diuerſam ab conſuetudine ſua vocem proculdubio efformant, quod vero turmatim coeant ac congregentur, quædam ſympathia ac mutuus amor id poteſt efficere. Corui quoq; ſi arborum ramis inſidentes, alas præter morem multoties concutiant, pluuiam ex veterum obſeruatione indicare creduntur, tunc enim motu illo (qui ab Academicis cenſetur calefacere) corporis ſui noxam, quæ ab humida illa cœli aura inducta eſt, natura duce ſtudent eluere. De ſignis pluuiæ futuræ, quæ de coruo obſeruantur, eadem fere canit Virgilius:

E paſtu in ſyluas ſecedens agmine magno
Coruorum increpuit denſis exercitus alis.

Sicca enim & retorrida eorum complexio cauſam præbet, vt aduenienteiam humore, præſenti aduerſum illam remedio, hæ aues exultent quaſi & geſtiant. Rurſus raucam edentes vocem, atq; vt Plinii verbis vtar, cũ ſingultu quodam diu multumque latrantes, aquas vel pro illis ventos ſignificãt. Cornix vbi nimia garrulitate faſtidium parit, ſeque vndis ſubmergere ſubinde nititur, pluuiæ prænuncia eſt. De hoc ſic apud Virgilium:

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Præterea ſi frequenti numero prope aquas cornicatur, eaſdem portendit. Ratio eſt, quod aduentitia corporis eius moleſtia, quam vaporoſus ille aer induxit, ad expellendum eam inuitat, inde ad aquas ſeſe recipit, vt earum frigiditate calorem illum ſuperfluum obtundat. Si denique ſub veſpertinum crepuſculum nimis querulam ſe audiri ſinat, tum ſerius imminere pluuiam pollicetur: quia eam deteſtari creditur. Graculi ſub domorum tecta ſolitarie degentes, & alas præter morẽ motitantes vellicantesq; & explumantes, pluuias in propinquo eſſe annunciant, quẽadmodum etiam ſi ſerius quam ſolent, à paſtu domum redeant. Huius rei ratio eſt, quod præcognitis naturæ ductu cœli iniuriis, vt proſequentibus etiam diebus de pabulo ſibi præuideant, ſoliciti ſunt. Si vero ſummo mane loquaciores vocaliores que ſint quam ſolent, tempeſtatũ haud dubia teſtimonia ſecum ferũt. Picus Martius, qui & pluuiæ auis nuncupatur, ſi altiori voce & plus ſolito ſtrideat, tunc certus eris de adfuturis aquis. Gallus gallinaceus, quem ad excitandos ad opera mortales, rumpendumque illis ſomnum natura genuit, nouit ſidera, & ternas diſtinguit horas cantu, cum ſole it cubitum, ſolis ortum percipit, diem nunciat venientem cantu & alarum applauſu. Hic ſi primis noctis horis, ſtatimque vbi occubuit ſol, inſolita ac rauca voce cucuriat, alasque quatiat, imbrium procellarumque teſtis habetur. Nam exhalatio illa humida atque auſtrina aeris conſtitutio, voci deſtinata membra, vt ſenſim replet, ita multa pituita infarcit, raucitatemque parit: à cuius pondere atque moleſtia cum liberare ſi ſeſe ſtudeat, ad vocis ac motus opem cõfugit: vel quod larynx ab humidiori aere dilatatus grauiorem vocem efformat, eamque raucam & clangoſam. Pulli gallinacei & cæteræ fere alites omnes, ſi roſtro peduncu los ſuos plumatim vellicent, ſeq; præter ſolitum ſaburrent (ꝙ de Echinis quoque teſtatus eſt Plinius) pluuiã adfore denotant. Pruriunt enim ob efferuefactos intus humores, & ab ambiente expiari prohibitos, quam noxam vellicatu eo, vel

vel tollere penitus, vel mitigare ſaltem adnituntur. Gallinę ac galli, ſi, vbi mox oborta eſt pluuia, domum ſub loca ab aquis tuta magno curſu ex agris contendant, & ſi mane ad paſtum tardius quam ſolent, & quaſi coacti exeant, procellarũ magnarumque tempeſtatum futurarũ, aut præſentium, quæ nondum ceſſaturæ ſint, teſtimonia adferunt. Gallinaceos quoque, teſtatur Ælianus, cæteraſque domeſticas aues, ſi alarum vociſque nimio ſtrepitu ac cucuritu obmurmurent, tempeſtatẽ minari. Columbi, ſi domicilia ſua ſerius quam ſolent, repetant, vel ſi à paſtu ſolitum redeundi tempus præueniant, pluuias metuunt, atque ideo tantum ſibi cibi quærunt, vt pro craſtina die etiam ſufficiat. Pauones per nocturna ſilentia vocẽ clangoſam ſubinde ingeminantes, pluuiam iamiam imminẽtem ſignificare tradit Antonius Mizaldus *in Ephem. textu l. c. 43.* cauſamque hanc adfert, quod nempe vocis illius obſtreperæ congeminatio, vegetũ & acutum intus cum calore vocalem ſpiritum per arteriam vaporoſo aere imbutam, erumpere teſtetur. Atque hinc fit, vt auis admodum ſit clamoſa, idque nocturno potiſſimum tempore, quare Eupolis apud Athenæum *lib. 19. cap. 19.* Nunquam, inquit, nutriam per Proſerpinam, pauonem ſimilem, qui dormientes excitat.

EQ. Cardanus ita vociferari exiſtimat, ob conſpectam crurium deformitatem.

TH. Plebeium plane id eſt, & anicularũ fabellas ſapit. Quoties namq; pauo, vt inquit Scaliger *exerc. 238.* ſibi crura obtuetur, quare non ſemper, ſed aliquando luget inuiſum à natura decus? Quoties euenit ei, vt paſcatur, nec crura cõſpiciat ſua? vbi figat veſtigium, neſcit, niſi oculis captet locum in quo ponat pedem. At ei ſpectaculo cum ſit à primis conſuetus annis, quid noui patitur in veteri memoria! Quid vero eius pedes obſcœnitatis habeãt, haud equidem ſcio. Hæc ille. Et reuera pedes pauonum turpitudinis nihil præ ſe ferunt, attamen decori caudæ cõparati, longe deformiſſimi exiſtunt; ſed horum deformitatem plorare, luctumq; alto illo clamore teſtari, vt Cardanus voluit, haud quaquam mihi vnquam perſuaſerim, quamuis alii etiam nõnulli, cum noctu magis quam interdiu vociferari eos viderent, conſimili ſtoliditati eorum aſcribant, nimirum ideo clamare putantes, quod in tenebris cõſtituti, pulchritudinẽ ſe ſuam perdidiſſe exiſtiment. Vt vero ad præſagia reuertar, pluuiam itidem indicant, cum altius ſolito aſcendunt. Si extra ſolitũ tempus cantent, mortem alicuius ea in domo, vbi cantauerint, portendere Paracelſus ſcribit, quoniam ſicut Vulturi, inquit, à natura inſitum eſt, cadaueris trans mare odorem percipere, & ad id aduolare; eodemmet modo pauones futurum cadauer odorantur. Hoc tamẽ aliis perſuadeat, ego ſaltẽ eius rei penes ipſum fidẽ eſſe volo. Sunt qui præſagiendi peritiã talem etiã pauonib. tribuant, vt non agnoſcant tantũ venenoſi medicamẽti apparatũ, verũ ad locũ ẽt vbi eiuſcemodi inſidię machinantur, pcurrant, clamitẽt, alaſq; quatiãt, & medicamẽta è vaſis diſpergãt, imo ꝙ amplius eſt, ſi defoſſa ſint, terra eruãt, atq; eo modo imminẽtes inſidias manifeſtent. Paſſerculi crepuſculo matutino pipientes, tempeſtatũ ſigna in aere impreſſa ſignificãt. Grues ſi è mari ad mediterranea loca cõtendant, vehementes pluuias, ſi Philoſopho habẽda eſt fides, minãtur: contra ſi inter volandum non clamitent, ſerenitatem promittunt. Si volantes à recto flecterent curſu, & retrocederẽt, infandam nautis tempeſtatẽ, & mare procelloſum, mox turbines & fluctus prænunciãt, idq; Virgilii teſtimonio comprobatur:

——Nunquam imprudentibus imber
Obfuit. aut illum ſurgentem vallibus imis
Aereæ fugere grues. & alio loco:

——Qualis ſub nubibus atris
Strimoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntq; notos clamore ſecundo.

Horum enim notorum calorem fugiunt, cum reuertuntur in Thraciam. Eædē ſi voce vtentes inconcinna & male explicata, & non ſeruato ordine in volatu ſuo per aera ferantur, ſique tandem valles deſerant, & humilem volatum, & oblique inſtituant, atq; eundem vnde venere locum repetant, pluuiarū & hybernæ conſtitutionis nunciæ habentur. Demiſſe autem volitant, vt nubem, quæ in altiori aeris parte tunc exiſtit, fugiant: primum locum repetunt, ne pluuia ac tempeſtas iter earum impediat. Hirundo aquas & paludes frequenter petens, & ventre illas & alis contingens, adfuturas iam pluuias prænunciat. Eadē ſi nullo fixa loco, modo hac, modo illac volitans parietibus ſubinde hæreat: vel demiſſum adeo exerceat volatū vt terram tangere videatur, & puluerem excitare, pluuiarum item ſignum adfert. Dixerit quiſpiam, quod ipſa futuram tempeſtatem pręcognoſcēs, dum ſerenū adhuc cœlum eſt, de muſcis, formicis, atq; id genus animalibus humi & in muris victitātibus ſibi pulliſq; ſuis proſpicere cupiat: vel quod ſurſum elatos vapores perhorreſcēs (eſt n. auis mollicula) humi degat, vel quod per eam auram, ęſtuāte aere excalefacta, in terra, lociſq; vmbroſis, refrigerium quærat. Regulus auis omnium quotquot hactenus obſeruaui, auicularū minima, ſi motū cantumq; exerceat inſolitum, eadem per omnia promittit. Retorridam enim atque exuſtam ſentiens temperiem, humidiori lætatur aura; aduentantemque pluuiam exoſculatur. Rubecula auis tecta locaque ab hominibus habitata, motu inſolito petens, tempeſtati mox vēturæ ſe ſubducere innuit. Pichrochola auis aquam ſuæ naturæ congruā ac peropportunam voce ſua annunciat, & veniētem maximo applauſu ſalutat. Anſeres magno cum clangore ad aquas accelerantes, ſeſeq; placide iis immergentes, adhęc inſolito garritu tumultuātes, pluuias (modo recentem aquā frequentare libere antea potuerint) præſagire annotarunt antiqui & quotidiana docet experientia: ad bilem, quam præ omnibus animalibus magis æruginoſam egerunt, noua humiditate temperandam, aquas proxime adfuturas, magna voce atque applauſu inter ſe congratulantur. Anates ſi tempore ſereno gregatim ſociētur, & nullo ſeruato ordine volitent; adhæc ſi frequentius quam ſolent, & turbulentius vociferētur (niſi aliquos ex ſuis ſe amiſiſſe ea voce teſtentur) ſub tecta reducenda ſunt, quęcunque ab inſtantibus procellis corrumpi poſſunt, quarum aduentu illi naturali inſtinctu periti, nullum cum in motu, tum in voce ac volatu ordinem ſeruāt, quibus tāquam peropportuno remedio moleſtiam quam à vaporoſo aere acquiſiuerunt, expellere conantur. Eædem aues & mergi, ſi alias nimium laſciuiant, ventum portendunt, & vt inquit Poeta:

Cum medio celeres reuolant ex æquore Mergi,
Clamoremq; ferunt ad littora, cumq; marinæ
In ſicco ludunt Fulicæ.

Haud enim ignorant aues illæ nubem eam obſcuram, quæ à vaporibus ex aquis ſurſum elatis dependet, aquam denuo minari: cuius impetum veritæ alio migrāt: vel quod tunc pabulum iis ſuum (piſcibus enim victitant) ob talem auram in mediis aquis deficiat. Ardea aquas ſtagnantes ſibi familiares vociferabunda deſerens, longeque inde ad medios agros plorabunda ſubſiſtens, aut ſupra altam nubem ſe efferens, pluuias & tempeſtates præſagire traditur. De quo Virgilius ita:

Notaſq;

—Notasq́ paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.

Propter enim vaporoſi aeris iniuriam ad loca à pluuiis ventisque tutiora profugit, corporis ſui imbecillitatis conſcia: vel adde, quod tum ob cutis raritatem noxa contracta virium robore quodammodo deſtituatur. Hinc illæ querelæ, & ad refocillandum calorem altus volatus, &c.

Atque vt ſummatim dicam; conditæ ſunt aues ad vſum hominis; alæ auibus additæ ſunt ad volandum, vt harum velut remigio ex vno ſe loco transferant in aliũ; quod inſuper naturæ vi tempeſtates ſerenitatemve præſagiunt, commune id habent cum ceteris quibuſdam animantibus. Quod autem volatu dextro ſiniſtrove, dextra aut ſiniſtra nobis portendant, id vero quum omni careat ratione, admittere atque approbare Chriſtiana vetat religio.

PH. In auibus nihil præter volatum, atque alia quædam leuidenſia præſagia obſeruari, id vero pernego, præterquam enim, quod cum in anatome, tum in generatione auium, cuius quidem cognitio apud pleroſque in profundo ignorantię cœno ſubmerſa eſt, quamplurima obſeruantur, quæ etiam ipſe Ariſtoteles, quamuis non omnia & ſingula exacte, ſedula indagatione inueſtigauit; porro etiam cognitio iſthæc auium omnibus fere ſcientiis atq; artibus vtilitatem prębet vberrimam.

Atque vt à Grammatica initium ſumam, quanquam Phœnicibus eam multi aſcribant, conſtat tamen literarum aliquot inuentioni ipſas aues opitulatas fuiſſe, proindeque ipſam Grammaticam ex auibus non parum haurire emolumenti. Exploratum enim eſt, Troiani belli tempore Palamedem ex gruum volatu ſibi literas finxiſſe, easque prioribus Phœnicum addidiſſe. Cum enim volãtes vidit grues, literas Græcas γ, υ, & λ, ex volatu illo efformauit, quod recte his verbis annuit Martialis *in Xeniis:* *Grammatica.*

Turbabis verſus & litera tota volabit,
Vnam perdideris ſi Palamedis auem.

Ad quod recte etiam alludit Lucianus, dum ait lib. 5. de bello Pharſalico:

Effugiunt varias caſu monſtrante figuras.
Mox vbi percuſſit tenſas notus altior alas,
Confuſos temere immixtæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit diſperſis litera pennis.

Hinc & D. Hieronymus *Epiſt. 4. ad Ruſt. Monach.* Grues, inquit, vnam ſequuntur ordine literato.

Quid hic deſumptas ex auibus ſimilitudines, quibus Oratorum ſcripta plena ſunt? Quid parabolas: quid apologos commemorem; quibus orationes ſuas, tanquam ſale condiunt, & quaſi gemmis quibuſdam exornant. *Rhetorica.*

Sed nonne & Poetarum optimi atq; antiquiſſimi ab auib. etiam plurima & per quam accommodata exempla expromunt? nullus enim habitus humanæ voluntatis eſt, quem non ab auium actionibus affectibusque exprimi videamus. Quinimo ad ſedandos animi noſtri effrenes motus, plurima virtutum ac officiorum ſpecimina, quæ neſcio qua peculiari latenteque vi ac energia, & veluti tacita quadam exprobratione calcar nobis ad virtutes capeſſendas addunt, ab auibus, ſi ab vllis aliis rebus depromuntur. *Poeſis.*

Ethica quoque philoſophia hinc ſua habet emolumenta, de quibus adducta *Ethica.*

hæc exempla fidem faciant: Ac gruum inprimis inſignis illa in ſemetipſis conſeruandis prudentia, quem non reddat prudentiorem? has ferunt imbecillitatis ſuæ conſcias, atque ideo non mediocriter pertimeſcentes, ne in pernitiem aliquid redundet, metamque deſtinatam præuaricent, lapillos portare, vt ex eorum caſu, ſuper terram ne an ſupra mare volitent, percipiant, vlteriusque progrediendum, an conſidendum, cognoſcant. Sed quid de anſeris verecundia dicam, quem conſtat modo & modeſtia vitæ ſuæ curſum metiri? Quid de luſcinia? quæ pullis ſuis ſimulatque in hanc lucem factus eſt aditus, canendi viam aperit, ac eos magna diligentia inſtruit. Quem, quæſo, non incitet admirabilis illa Reguli, etſi omnium minimæ auiculæ, magnanimitas? ille enim, quamuis corporis exiguitate contemptibilis videatur, tamen ex tenui corpuſculo formoſum animum quandoque exire, quaſi non ignarus (poteſt enim virtus ſub qualibet cute latere, ac poſſeſſorem ſuum adornare) non aquilæ auiū omnium fortiſſimæ magnitudinem, ferociamq; perhorreſcit, ſed de imperio cum ea decertare audet.

Oeconomia. Qui fortunæ bonis, facultatibusq; cumulandis inhiant, Picæ inprimis ſedulam in victui neceſſariis cogendis operam ac curam ſecum expendant. Illa enim, ne brumali tempore pereat inedia, glandium, quibus tunc victitet, aceruos non aliter ac formicæ fruges terra recondit. Quid de cuculo dicam? quem afferunt tanta glandium affluentia, cauitatem, in qua hyeme latet, replere, vt multa elapſo frigore, atque adueniente vere, adhuc ſuperſint ad propulſandam famem. Quis igitur eſt, qui, niſi rationis impos, harum ac aliarum, quas breuitatis cauſa taceo, exēplo ad res neceſſarias proſpiciendas non incendatur?

Reſpubl. Quantum vero hæc cognitio iis, qui rempublicam adminiſtrandam ſuſcipiunt, conducat, compertum habebunt omnes, ſi gruum inter alias aues in hoc genere ſedulos labores agnoſcant. Hæ enim cum gregatim volant, exacta indagine perpendunt, ac communibus quaſi ſuffragiis conſentiunt, quomodo non ſolum aduerſis rebus perfugium atque ſolatium inuenire, verum etiam ſecundas maioribus ornamentis illuſtrare poſſint, ac inde, quod diuerſæ ſententiæ, denuo mutuo neceſſitudinis vinculo alligentur (deducto inde verbo) congruere dicuntur.

Agricultura. Nonne Agricola, qui operis præſtantia & nobilitate cæteris omnibus, mechanicas artes exercentibus præfertur, auium acceſſu & receſſu imminentes imbres aliasque tempeſtatum iniurias exploratum habet, ac ideo terræ exercendæ magis animo incumbit, id ſane & Heſiodus *lib. 2. de die & opera* teſtatur, vbi Latine verba ſic ſonant:

Conſidera vero, cum vocem gruis audieris
Alte ex nubibus quotannis clangentis,
Quæ & arationis ſignum affert & hyemis
Tempus indicat pluuiæ.

Nonne auium excrementis lætæ fiunt ſegetes? nonne cicurando ſylueſtres, paſcendo cuſtodiendoque cicures, alendo fœcundas cum ex ouis, fructu dulciſſimo atque vberrimo, tum ex fœtura gregem ſupplente maximum ſibi comparat prouentum? Sed quorſum hæc refero, cur non potius exprimo aues

Digitized by Google

ues ſationis ac inſitionis modum aperuiſſe. Tradit id ſane Plinius *libro decimo ſeptimo, cap. decimo quarto. Semine quoque*, inquiens, *inſerere natura docuit, raptim ſame auium deuorato ſolidoque ac alui tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine, abiecto in mollibus arborum lecticis & ſetis, ſæpe translato in aliquas corticum rimas: vnde vidimus Platanum in Lauro, Laurum in Ceraſo, & baccas ſimul diſcolores. Tradunt & Monedulam condentem ſemina in theſauros cauernarum, eiuſdem rei præbere cauſas: hinc nata inoculatio ſutoria ſimili fiſtula aperiendi in arbore oculum core ce exciſo, ſemenque includendi eadem fiſtula ſublatum ex alia.* Hactenus ille. Sic cornices ſæpe ſerunt iuglandes, quas nos ita ſatas comedimus. Non minori quoque emolumento Seleucides aues Caſſii montis incolis à Ioue impetratas vt locuſtas agrorum ſuorum fruges deuaſtantes, occiderent, idem aſſerit.

Inoculationis origo.

Cornices iuglandes ſerunt.

Qui vero formas rerum ductis lineis repræſentant, pictores dicti, maximum artis ſuæ decorem, opesque conciliant ex imaginibus auium, in quibus cum diuerſa figura effingendis, tum variis ac diuerſis colorum generibus diſtinguendis, qui iucundiſſimam oculis omnium venuſtatem pariunt, tantum luxuriata fuit natura, quantum in nullo alio animalium genere. Hinc ea promanauit conſuetudo, quod magnates, virique nobiles ac diuites, cum inter cætera animalia aues non infimum nobilitatis locum obtinere cognoſcerent, partim huius, partim illius auis effigie in ſignia ſua condecorarint: quemadmodum Semiramidem columbæ, Romanos aquilæ (quam & noſtri adhuc Imperatores ſibi ſeruant) alios corui, alios gryphi, alios vulturis, alios anſeris, alios denique aliorum nobilium auium iconibus in inſignibus ſuis delectatos eſſe accepimus.

Ars pictoria.

Plumatilis ars, quam Indi, Floridæ regionis incolæ ſumma induſtria exercent, quantum ab alitum genere vtilitatis reportet, vel ex hoc conſtare arbitror, quod non ſolum exemplaria, ſed & inſtrumenta ac materiam ex eo petere cogatur. De cuius artis præſtantia etſi huius loci non eſt, vt agam, vnam tamen, eamque eximiam huius generis tabulam ſilentio inuoluere non poſſum, quam in illuſtriſſimi Cardinalis Paleoti, incomparabili doctrina & probitate viri, Muſeo appenſam vidi, in hac D. Hieronymi Chriſtum ſaluatorem noſtrum cruci affixum genu flexo adorantis imago, ex verſicoloribus auium Indicarum pennis ad viuum ita expreſſa eſt, vt non plumis contexta, ſed penicillo ducta videatur. Hac ex Hiſpaniis ſecum allata, illuſtriſſimus Cardinalis de Burgos illuſtriſſimo Cardinali Paleoto gratificatus eſt. Antonius Gigas, morum probitate & eruditione præſtans vir, inter plurima, quæ habet rariſſima, capitium quoque aſſeruat ſcite admodum atque affabre contextum ex auium pennis.

Ars plumatilis.

Scripturis quoque ab auibus compluribus, potiſſimum autem ab oloribus atq; anſeribus neceſſaria ſuppeditari inſtrumenta, quis eſt, qui ignoret? illud tamen haud ita vulgatum adiicio, pennarum ſeu calamorum coruini generis auium, in iconibus, in tabulis ex pyro factis multo quam cum aliarum calamis fieri ſolet, ſubtilius delineandis, vt poſtmodum ſculpturo ſeruiant, maximum vſum eſſe.

Scriptores.

Illud etiam minime tacendum cenſeo, ex auium plumis, potiſſimum vero an-

Ars quieti deſtinata.

ſerum,onocrotalorum,cygnorum, anatum,& gallinarum, humano generi quietem conciliari;laſſitudinemque vel ex longo ac difficili itinere, vel ex alio quouis diutino labore leniri,ac penitus ſubleuari. Hiſce enim lectos & culcitras, aliaque id genus quieti deſtinata inſtrumenta; quæ πληρωτὰ καὶ πίλοτα προσκεφάλαια Græcis dicuntur,impleri videmus: neque nobis tantum id vſitatum eſt, ſed antiquiſſimis quoque Romanis; vt ex hiſce Ciceronis verbis *lib.3. Tuſcul. quæſt.* colligere eſt: *Eripiamus huic ægritudinem,quomodo eum collocemus in culcitra plumea, pſaltriam adducamus.* Quandam etiam auium pennis matronæ nobiles in Italia, ac potiſſimum ex Struthionum plumis flabella ſibi parant,quibus æſtiuis temporibus calidiorem aerem temperent. Nonne & Muſas olim eiſdem ab antiquis decoratas veriſimile eſt,cum non alias reperias pretioſiores. Ego ſane, qui earum ſtatuas ita exornatas Romæ in ædibus Petri de Radicibus, obſeruaui: ita eſſe non dubito; idque ideo factum fuiſſe exiſtimo,quod illæ cantus ſui dulcedine ac lenociniis,nec non poetarum carminibus,quibus materiam ſubminiſtrare credebantur, eos,de quorum laudibus & encomiis ſcribunt,quaſi volare faciant.

Architectura. Sed quid? nonne caſas quoque,magnaſque domos fabricare,omnemque Architecturam ab auibus edocti videmur? Quis enim,bone Deus,eſt,etſi in hac arte peritiſſimus, qui ſe ab hirundinis auiculæ tam exiguæ,ſolertia ac labore in nidi ſui conſtructione,ſuperari non fateatur. Illa enim ſibi nidum, quo quieti conſulat, quo ſobolem ſuam nutriat, totum luto conſtruit; ſtramine roborat, lutique inopia,multa ſe madefacit aqua, penniſque puluerem ſpargens, lutum ſibi parat, & pro ſtramine mollibus vtitur plumis flocciſque, atque hac tam inſigni ſagacitate defectum ſupplet. Quare recte Ariſtophanes ὄρνιθας τέκτονας, id eſt, aues fabros vocabat; & Epigrammatarius, πηλοχύτεις θαλάμους, hirundinis nidos; & πηλοδομεῖν, ex cœno fabricare dicebat.

Ars militaris. Quinetiam quantum ad militarem diſciplinam ſpectat, nonne grues in orbem conglobatæ,omneſque ſibi aduerſantibus aquilis roſtra obuertentes, ita vt impune laceſſiri nequeant,aciei inſtruendæ modum quendam aperuiſſe videntur. Buteo ad primum ac etiam ſecundum quo petitur,telum, immotus atque vix tertio cedens, fugaci militi timiditatem aperte exprobrat. Nonne etiam grues caput ſibi regemque conſtituendo,ducis in bello ſummam demonſtrant neceſſitatem? imo vero tota fere militaris ars ab eis accepta videri debet,ſi modo vera ſint, quæ de eis legimus: aliæ enim in excubiis nocte locatæ ſunt; aliæ cæteris dormientibus circumeunt & explorant: ne qua ex parte inſidiæ tententur: vbi vigiliarum tempus fuerit impletum, perfunctæ munere in ſomnum ſe præmiſſo clamore componunt,vt excitent dormientes, quibus vicem muneris traditturæ ſint: at illæ volentes ſuſcipiunt ſortem, vicemque exequuntur: & quam acceperunt gratiam,pari cura & officio compenſant. Hinc etiam antiquiſſimum illum apud Romanos vſum profluxiſſe reor, quod coronis plumeis, vt Polybius *lib. ſexto de milit. Roman.* refert,è Struthionum,vt puto,pennis contextis, capita ſua adornare conſueuerint: quemadmodum & noſtri adhuc milites, cum hoſtibus manus conſerturi,pileos caſſideſque eiſdem cohoneſtant.

Tuba ex tibiis gruũ. Tibiarum bellicarum inuentionem ex gruum tibiis,ad ſonum edendũ aptiſſimis,promanaſſe conſtat. Æthiopes etiam in clypeorum locum pelles Gruum ſubrogaſſe

rogaſſe Herodotus ſcripſit, ita vt ex horum obſeruatione clypeos hiſce diebus natos eſſe videamus.

Aues tabellariorũ munere functæ. *Lib.1. c.17.* *Lib.1.64.*

Accepimus quoque Aues tabellariorum vice nonnunquam eſſe functas, vt de Marrhe Ægypti rege narrat Alexander ab Alexandro, qui cornicem habuit, cui literas perferendas traderet. Columbam hoc quoq; officio functam narrat Egnatius. Galli enim ac Veneti Ptolomaidem in ora Syriæ obſidentes tabellariam columbam literas circumferentem à Sultano ſuis ciuibus diutina obſidione defatigatis adepti ſunt, quibus ſignificabatur, Regem breui cum maxima claſſe hoſtium vires facile extirpaturum: quo explorato pro interceptis fictitias literas affigunt, quibus Regis nomine monebantur obſeſſi, vt ſe dederent, hoſtibus parerent, rebusq; ſuis conſulerent: ſe aliis negotiis diſtrictũ minime illis opitulari poſſe: pertulit ita ſuis columba fictitias literas, quibus perlectis, ſine mora earum mandatis obſequentes, repente vrbem dediderunt. Tale quippiam I. Lipſius refert factitatũ eſſe apud Batauos, columbis literarum adminiſtris & ad eos delatis ſeſe è maximis vitæ periculis ereptos. Atque eodem in loco alia ſimilia exempla de columbis recenſet. *Lib.2. ſatur.c.6.*

Ars nauigatoria. *Lib. 6.*

Quinetiam maximum aues naucleris auxilium præbent (teſte Plinio) curſum nauium dirigentes. Miluus gubernandæ nauis modum edocuiſſe videtur, flexu caudæ iter ſuum per aera dirigens, nautæ præmonſtrans in aere, quid in aqua fieri oporteat. At in Taprobana Inſula quod nulla ſit ſyderum obſeruatio, neque Septentrio cernatur, alites nauibus imponunt, quarum volatum ſequuntur nautę cum datur occaſio, & ſimul terram petunt.

Ars culinaria.

Coquinam popinamque omnem frigere ac ieiunam eſſe ſine Auium ſupellectile norunt, quotquot in Apicii ſchola edocti ſunt. Neque enim ad neceſſitatem ſolum & ſanitatem alendi corporis, verum etiam ad ſuauitatem oblectandi guſtus (cum in nullo cibi genere maiorem palato adlubeſcentium ſaporum varietatem ſit reperire quam in hoc ipſo qui ab auibus petitur) tanquam quodam cupediarum penu vberrimo homini abunde ex auium genere proſpectum voluit benigna parens rerum natura, ita vt nec opipara, nec dapſilis conuiuatoris habeatur menſa; Sed à lautioribus potius faſtidiatur conuiuis; quæ non variis ex volucrum materia ferculis inſtructa ſit. Hinc omnibus hominibus tum maxime epulonibus, ac ventribus, quorum nulla præter aqualiculi, & cuticulæ curandæ cura mentem ſollicitat, ſcilicet, vt edant, natos ſe credentibus, tantis votis expetuntur in epulas Gallinacea familia, Columbæ, Palumbi, Pauones, Anates, Anſeres, Perdices, Coturnices, Turtures, Turdi, Attagines, Phaſiani, Ficedulæ, Cenchrides ſiue Millariæ, quas Hortulanos Bononię dicũt, Sturni, Merulę, & huiuſcemodi aliæ plurimę. Aucupes quoque Accipitrum, Falconum, Bubonum, ſimiliumque auium miniſterio non minori voluptate quam fructu, auibus tam vagis quam gregalibus capiendis inhiant.

Ludi. *Coturnicũ ludus.*

Hoc quoque inter cæteras haſce vtilitates ſilentio inuoluere non poſſum: quod auium quoque vſus in ludis apud antiquos fuit: vt ex Suida hiſce verbis eſt colligere: ὀρτυγόκοπος, *ludus quidam eſt, in quo Coturnices in orbem collocant, quorum capita feriunt, & qui in gyro coturnicem proſtrauerit, ordine reliquas capit*, qui vero aberrat, tradit alteri conturnices verberandas, idque per vices faciunt.

Phyſica.

Phyſico abſtruſa ac recondita naturæ arcana perſcrutari cupienti diuina quædam

dam ſpeculatio in auium omnium ac operationum earum examine, præter vtilitatem, ſummam quoque parit gratiā ac voluptatem. Hinc enim Symbola, Emblemata, Prouerbia, Hieroglyphica, ſimiliaque alia ſuam originem agnoſcunt.

Medicina. Medicis quoq; ex harum cognitione non mediocris vtilitas acceſſura eſt, cum quia in victu tam ſanis quam ægris præſcribendo hinc ſalubrium & inſalubrium auium diſcrimina ſcitu neceſſaria hauriunt: tum quod ab auibus integris & earum partibus medicamina ſæpius depromunt. Efficax enim Ciconiæ vſus eſt in Apoplexia & Paralyſi: Alaudæ in morbo colico: Picæ loquacis in cordis palpitatione: Icteri ſeu galbulæ in ictero; paſſeris troglodytis in calculo, & vrinę difficultate. Pelles cygnorum, onocrotalorum, vulturum & aquilarum ventriculo appoſitæ, concoctionem promouent. Pinguedines multarum auium: Fel atq; ipſa etiam excrementa in medicinæ vſum cedunt. Quid? nonne Medici ipſi multarū quoq; plantarum inuentionem auibus acceptā referre debent? quę à natura eruditæ eas nobis ceu digito cōmonſtrarunt, earundē in ſeipſis prodito effectu. Pauca ne ſim lōgior, exempla fidem facient: Morbum n. ingruentem Hieracio herba Accipiter ppulſat: Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtrauere; vexatis pullorū oculis illa medētes: origano ſibi medetur ciconia: Ætite lapide aquila; circus cichorio; quo faſcinationi reſiſtat; Miluus Rhamno; Vpupæ Adianto; Turdi Myrti ramo; Pauo radice Lini; Ardea cancro; Palumbes, Graculi, Merulę, Perdices lauri ramo annuū faſtidium purgant: Columbæ, Turtures & Gallinacei herba, quæ vocatur Helxine; Anates, Anſeres cæteræq; aquaticæ herba ſiderite, Grues & ſimiles iunco paluſtri: Coruus occiſo Chameleonte, qui etiam victori nocet, Lauro infectum virus extinguit. Adhæc valetudinis conſeruandæ ſtudium iis maximū ineſſe videmus: cū regiones ac ſedes pro tempeſtatum varietate nunc caloris nunc frigoris aliarumq; aeris iniuriarum, mutare ſoleant, vt in ciconiis, gruibus, coturnicib. cæteriſq; huiuſmodi licet obſeruare. *Auium tēperantia in cibis.* Præterea non magis q̄ natura fert, ſe cibo replent; motus & quietis modum ſeruant, ſorte deniq; ſua contentæ viuunt: adeo, vt nulla fere medicinæ pars ſit, quæ non ab auib. aliquod emolumentum reportet: quod huc vſque oſtenſum paſſim eſt ab auctorib. Therapeuticam artem ibis auis, roſtro Nili aqua pleno ſatura aluū proluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt, clyſteris inuentione auxit. Qui tēpora anni diſtinguere nō norit, ab auib. quibuſdā id facile *Aſtronom.* edocebitur. Nam hirundinis, conturnicis, ciconiæq; aduentus redeuntem annū demonſtrat, coturnix eiiciens triſtitiam hyemis, reuocans lætitiā veris introducit, recedens frigus inſtare denunciat, ita hirundinis aduentus æquinoctium vernale, receſſus autumnale ſignificat: Luſcinia cum ſolſtitio ęſtiuo colorem & vocem mutat, vnde Baptiſta Mantuanus de auium ingenio loquens, ſic canit:

Aſtra etiam, pluuiasque docent & certa dierum
Tempora & annorum ſic ver cognoſcit Hirundo,
Alciones hiemem, ventos & fulmina cudunt,
Et tempeſtiuos campis ſitientibus imbres.

Muſica. Muſicis opus hoc quoq; non erit inutile, cum pateat à quibuſdam auibus viam quandam patefactam, qua ad vocis harmoniā amplectendam dirigamur, vt recte meminit Plin. *lib. 10. c. 29* Luſciniis, inquit, *diebus & noctibus quindecim garrulus ſine intermiſſu cantus denſante ſe frondium germine, non in nouiſſimum, digna miratu aue.* Primum tanta vox tam paruo in corpuſculo tam pertinax ſpiritus dein in vna perfecta muſicæ ſententia modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum

longum, nunc variatur inflexo,nunc diſtinguitur exciſo, copulatur intorto, promitur, reuocato,infuſcatur ex inopinato; interdũ & ſecum ipſe murmurat plenus, grauis,acutus,creber,extenſus,vbi viſum eſt vibrans,ſummus,medius,imus. Quãta in Acanthidis? quanta in oloris voce præſtantia? Quis obſecro auium garritum muſicum concentum in ſe habere nõ dicat? nonne earum cantus in prouerbium abiit? Poetas n.Theocritus Μουσῶν ὄρνιθας vocare conſueuit, ꝙ Luſciniarum in morem aſſidue canant ſua poemata. Clitarchus referente Æliano, *lib.7.c.22.* auctor eſt in India volucrem amatorio affectu flagrantem nomine Horionem (ſi recte memini) naſci magnitudine parem Ardeæ, rubris ſimiliter cruribus, oculis cœruleis, ſic à Muſis inſtructũ, vt naturæ munere tã ſuauiter canat, vt ipſas referat Sirenes, & dulcedine ad ſuauiſſimos hominũ cãtus, qualis eſt in primis Hymenæi nuptialis, accedat. Quantũ ad Theologiã ſpectat, & illa certe maximã hinc perceptura eſt vtilitatẽ,quandoquidẽ cum in nouo, tum in veteri teſtamento plurimarum Auiũ fit mẽtio,multæq; ab iis ſimilitudines capiuntur,earumq; aliæ mũdæ,aliæ immundæ cenſentur,quarũ omnium rationẽ ac cauſas percipere non poſſunt, qui auium naturã perſpectã non habent. Quinetiã conſtat,aues quaſdã inſignia nobis ꝓbitatis,pietatiſq; exẽpla ꝓbere. Quis n.ita Cupidinis,Veneriſq; retib. irretitus eſt,quẽ nõ inſigne illud in Porphyrione adulterii odiũ reuocet ad pudicitiã? Quæ obſecro fœmina tã impudica eſt,ꝙ viſa Turturis caſtitate,vitã eam nefariã ac belluinã non ꝓſus deteſtetur? Auis ea non niſi vni iungitur marito,coniugiũ nunq̃ deſerit,imo ne morte quidẽ à ſe dirẽpti mariti,quoad viuit,quẽ ſolitario gemitu teſtatur, torũ violat. Quis erga parẽtes adeo durus & immanis eſt,qui ciconiæ aut Meropis,Pelicaniue pietate erga parentes cõſpecta,impietatẽ cum pietate cõmutare non cogitet? Quem non moueat hirundinis,accipitriſq; in ſui generis auib. ſepeliendis amor? Quis adeo in ſuos inhumanus illiberaliſq; eſt, quẽ Oſſifragæ benignitas in pullos Aquilę non faciat paulo humaniorẽ? Erubeſcant ſane illi,qui parentib. ſuis pietatis beneficiũ negãt,& ad cornicis exemplar ſeſe cõferant,ꝙ pullos ſuos in iuuentute omni ſedulitate paſcit,eiuſdẽ officii in ſenectute ab iis talionẽ receptura. Narrat Albert. Magnus, Aucupes quoſdã in ſuperiori Germaniæ parte caſu in cauum cæcumq; arbori inſidentẽ Falconem incidiſſe,admiratoſq; qui ſibi victũ pararet,atq; ideo dum in ſylua ſe abſcondunt, duos conſpexiſſe Falcones alios, qui ſuam illi prędã inſigni profecto pietatis exemplo partiebantur. Non minor etiam affectus quarundã auiũ eſt erga homines: à quib. diſcant auari illi & Μισάνθρωποι, illiberaleſq;, qui omnem humanitatẽ erga proximos exuerunt: & noſcant beneficia etiã in alienos collocare. Tale eſt,quamuis fabuloſum mihi videatur, ꝙ narrat Diodorus Siculus de Semiramide à matre ſua in loca ſaxoſa & deſerta, in quibus aues erant plurimæ,expoſita: Tradunt,inquit,rem mirandã; aues infantẽ alis confouentes nutriſſe, coagulato lacte ex ꝓximis paſtorũ mapalib. rapto; Acto anno cũ firmiori egeret alimento,aues caſeũ eodẽ ex loco raptũ ori infantis admouiſſe. Qua re à paſtorib. ex corroſione caſei animaduerſa infãtẽ ſpecioſã forma cõpertã ferũt,nutritamq; apud ſe,dono poſtea datã præſidi paſtorũ regio, nomine Simmæ. Hic liberis carens,vt filiã magna cura nutritã, Semiramidẽ ab auib. (eo n. nomine lingua Syra vocãtur) appellauit,quas poſtmodũ Syri oẽs vt deas honorarunt. Romani quoq;, Plutarcho teſte, Picum Martiũ diuino ſolent afficere honore, ꝙ Romulus & Remus à Lupa,& ab ea aue enutriti fingerentur. Adhæc ſempiternum illud materni erga liberos affectus vinculum, ſi ab vllis animantib. ab auium genere in primis,ſuam agnoſcit originem. Cuius

Theologia.

Tract.2.li. 8. de anim. c.6.

Lib.3.c.2.

In Quæſt. Rom.

Cuius rei mirum equidem exemplar hominibus præbet hirundo, vt interim alias prętercam: illa enim in prole enutrienda, inſigni atque incomparabili æquitate tam mas quam fœmina, vt ſæpius in Tuſculano meo obſeruaui, laborans, impertit ſingulis pullis cibum, obſeruat conſuetudinem quandam, ne qui acceperit, bis accipiat; excrementa pullorum communi opera vterq; eiicit, ne eorum putor proli noceat: quam vbi adoleuerit, circumagi foraſque ea egerere docent. De eadem aue idem fere canit Baptiſta Mantuanus, *lib. 6. Alphonſ.*

——Dum parua domus dum infirma propago,
Dum nati implumes tepido fert pabula nido
Semper & extenſis docet ire per aera pennis.
Hæc eſt cura tenax ſtudiumq; immobile matris.

Non minori quoque induſtria, atque amore rapaces aues filios ſuos inſtruunt ad venationem, donec ad perfectum robur peruenerint: quod tempus per menſem vnum durat: poſtquam vero è nido euolare cœperint, aues viuas capiunt, & coram pullis dimittunt, eisque occidendas tradunt, atque ita tandem ad venatum eos aſſuefaciunt. Ex quibus omnibus facile conſtare arbitror, quantum vtilitatis ex hac de natura auium, cognitione quiuis reportare poſſit. Nulla enim ſciētia eſt, atque ars, quæ non ab auibus, etſi rationis omnis expertibus, vel ſua hauſerit rudimenta, vel ſaltem aliqua acceperit emolumenta.

TH. Facile odorari poſſum, quo hæc tam prolixa auium commendatio tendat. Aliud enim ex alio deducturi, aues primo, deinde ex his deſumpta auguria atque auſpicia commendare atque elicere ſtudetis. Eſto ſane, efferatis quoad lubet, nondum ſatis laudata (quod vobis videtur) auguria, ego interim ero auditor; atq; vbi loquendi vos ceperit faſtidium, addam ego corollarium.

De auguriis. *PH.* Ita certe eſt: non eo tamen fine quod approbemus auguria, ſed vt quis fuerit apud veteres augurandi modus differendo penitius indagemus atque intelligamus. Principio autem etymologia nominis obiter attendenda eſt, quam quidem Iohannes Gioppius ex Germanorum ſuperiorum lingua depromit, quorum vernacula lingua oculus 𝔄𝔲𝔤 dicitur. Vult ergo *Augur* eſſe vocem compoſitam ex *Aug* & *ur*; & hac excellentiam perfectionis, illa acumen videndi notari. Acute quidem iſta atque ingenioſe à Gioppio dicuntur, non tamen mihi probantur. Nam reuera *augurium* ab *auium garritu*, vt ait Feſtus; vti *Auſpicium* ab *auibus ſpeciendis*, vt vult Varro, nomen traxit; & Augur paſſim pro auſpice apud auctores ſumitur.

EQ. Proteſtor & ego, me hoc de Auguriis & Auſpiciis diſcurſu minime veterum de iiſdem ſuperſtitioſas opiniones approbare, ſed condolere potius vanis ipſorum erroribus, quod cum alioquin fuerint vt plurimum grauioris atque cordatioris ingenii, huiuſmodi tamen næniis tam leuiter ſe quaſi naſo trahi & circumduci ſuſtinuerint, præſertim cum Auguria iſthæc tam leuibus conſtent principiis ac fundamentis. Nimirum, cum aues naturali quodam inſtinctu ſenſilium impreſſiones facile percipiant, atque exinde externas affectiones præſagiant; ſuperſtitioſa antiquitas eo deuenit ſententiæ, vt aliquid diuinius in eis ineſſe exiſtimaret, & non ſolum externas cœli, aeriſque mutationes, ſed futuros etiā euentus, quorū vel Deus ſolus, vel nos ipſi auctores ſumus, cōiectare eas, & diuinare crederet. Quæ ſententia maxime erronea eſt & ſuperſtitioſa, ſacriſque literis plane contraria. Quid enim de actionibus noſtris, atque earundem euentis, quarum principium in noſtra poteſtate ſitum eſt, & in nobis ſit velle & nolle: quarum progreſſus

tot

Digitized by Google

tot caſibus, vel impediri vel adiuuari, etiam nobis inconſultis, poſſunt, quoniam exitus ſoli Deo notus eſt? quid, inquam, aues ex his rebus dubiis prænoſcant? Habent equidem pluuiæ, tempeſtates, ſerenitateſque cauſas ſuas naturales ſtatas & certas; at de bellis, de nuptiis, de itinere, de auſpicandis quibuſcunque negotiis, & ſummatim de iis, quæ in noſtra voluntate ſita ſunt, & à conſilio, vel noſtro, vel aliorum dependent, nulla certa coniectura eſt, vel opinio. Quid? quod Deus, qui cæteras coniecturales artes, medicinam, agriculturam non modo admittit, ſed etiam laudibus extollit, hanc Hetruſcorum diſciplinam maxime exoſam habet: atque ideo eius vſum Hebræis plane interdicit: *Vos nolite*, inquit, *audire Prophetas illorum, & ſomniatores, & augures*. Et iterum: *Gentes iſtæ quarum poſſidebitis terram augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo aliter inſtitutus es*. Nolim ergo hiſce anſam dari Chriſtianis mentibus, ad hanc vanam & ſuperſtitioſam diſciplinam amplectendam, ſed, vt qui noſtra hæc lecturi ſunt, vel in antiquis monumentis peruoluendis quotidie verſantur, quæque his nugis paſſim plena ſunt, ea facilius & commodius percipiant, & vana quæ ſunt, vt vana cognoſcant, atque vt vana contemnant, non enim ſcire ſed facere malum eſt.

PH. Obſeruandum ergo eſt diſcrimē inter Auguria. Quoddam enim dependet à natura, vt nautarum, agricolarum, &c. eſtq; commendatione dignum vtpote naturalis coniectatio. Quoddam vero hominum induſtria atque artificio eſt inſtitutum, rebus futuris non neceſſariis ſed voluntariis coniiciendis inſeruiens; de quo nunc agimus, quod etiam ipſemet Cicero *lib. 2. de diuinat.* vanitatis & ineptiæ condemnauit: *O mea*, inquit, *ſemper fruſtra veriſſima auguria*. Cæterum augurii ſiue auſpicii vocem in hac noſtra diſſertatione eo quoque extendemus, vt etiam omina comprehendat: ſicut & Græci ſumpſerunt ὀρνιθείαν, οἰωνιστικὴν, οἰωνομάντειαν, ὀρνεοσκοπίαν: pro obſeruatione cunctarum rerum ſubito, & ex inopinato & inſolito accidentium, inſtituta ad cognitionem futurorum vel occultorum. Sic acceptum reduci poteſt ad ſpecies quinque, primum ex cœlo, ſecundum ex auium volatu vel garritu, tertium ex tripudio pullorum, quartum ex quadrupedibus, quintum ex diris & portentis: & horum omnium communis diuiſio eſt, quod eorum quædam ſunt *Oblatiua*, quæ non poſcuntur; quædam *Impetratiua*, quæ veniunt optata & quæſita.

Primum ergo genus è cœlo captato ab auguribus proſpectu, & cœli regione deſignata (*templum* vocabant) exſpectabat auſpicium, nempe tonitru, vel fulmen ſiue fulgetrum: quorum alia *bruta*, quæ nulla ratione naturæ nitebantur, ſed erant vana prorſus, alia *Fatidica*, & hęc rurſus vel peſtifera, vel conſiliaria, vel auxiliaria, & huiuſmodi nugaciſſima, de quibus multa Plinius & Seneca; quæ ſane erudite refellit Wimpina *lib. de diuinat. c. 3. 4. & 11.*

Secundum ab auibus petebatur, vnde dictum *augurium*, quaſi auigerium. Auium aliæ *oſcines*, quæ cantu ſeu garritu; aliæ *præpetes*, quæ volatu putabantur prędicere, & harum rurſus variæ differentiæ, *funebres, cliuia, arcula, volſcra, remores, inebra*, & aliæ multæ. Stultitia hæc refellitur bene ab eodem Wimpina *lib. eodem, cap. 12.*

Tertium de pullorum tripudio ſumebatur. Duo à pullariis pulli in cauea ſeruabantur: primo diluculo, imperato de more ſilentio puls aut offa, cauea recluſa, pullis obiiciebatur: ſi negligerent cibum, ſiniſtrum auſpicium erat; ſi auide depaſcerentur ita vt aliqua ex roſtro deciderent, & terram ferirent, dicebatur *Solisti-*

mum tripudium, & habebatur ſecundum. *pauire* veteribus idem quod ferire. Inde dictum primo terripauium, deinde terripudium, denique *tripudium* Idem & *Soniuium* vocatum à Sono quem puls edebat cadendo. Nugaciſſimum ſane commentum, cuius tamen neglectui tribuere Romani clades P. Claudii & Lucii Iunii bello Punico 1. & Flaminii bello Punico 2.

Quartum ex quadrupedibus ſumptum, teſte Sex. Pompeio vocabant *auſpicia pedeſtria*; vt apud Germanos ex equorum fremitu; proprium gentis (ait Tacitus) equorum quoq; præſagia ac monitus experiri. publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis candidi & nullo mortali opere contacti; quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex vel princeps ciuitatis comitantur, hinnituſq; ac fremitus obſeruant. nec vlli auſpicio maior fides. Duraſſe eam ſuperſtitionem diu poſtea, etſi paulum diuerſa forma apud Luizicos, ex Ditmaro Lipſius *in comment.* admonuit. De Lupino auſpicio Plinius & alii valde multa, & prorſus contraria tradiderunt, quos diligenter annotatos à Tiraquello *ad Alex. ab Alex lib. 5. c. 3.* de capra, aſino, leone, vulpe, cane, muſtela, ariete, & aliis; quæ Alexander nullis auctoribus firmarat; vir idem ſupra modum diligens, accurate comprobauit.

5. Sunt *omina*: quæ pertinere ad auguria vel vnus oſtendit Claudianus ſequentibus verſibus;

——Nulluſque dies non triſte minatur
Augurium, quoties flauentia ſerta comarum
Sponte cadunt? quoties exſudat ab vbere ſanguis,
Larga vel inuito prorumpunt flumina vultu,
Iniuſſaque manus mirantia pectora tundunt?
Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt.
Tympana ſi quatiam, planctum mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri.

Huc reducenda omnia prodigia & oſtenta, & monſtra, quatenus quis vanam quādam ex his inſtituit diuinationem, quam veteres τερατοσκοπίαν vocarunt. *Monſtra* ſunt naturæ valde aberrantis à conſueta norma in animantium productione ludibria. *Oſtenta* vero & *prodigia* voco varias & terribiles atque inſolitas in aere aut aliis elementis apparitiones, ac ſonos, vel effectus, vt pluuias ſanguinis, acies in cœlo viſas, & ſimilia, quibus pleni Iulii Obſequentis & Lycoſthenis libri, & Ioſephus *lib. 7. de bello cap. 44.* & egregie Wimpina *lib. de ſignis* certa horum interpretatio à diuina reuelatione dependet, vt fuit conceſſa Danieli: non licet ea curioſe obſeruare ad fortuitos euentus certo prædicendos: recte tamen concionatores ex iis imminentem Dei vindictam denunciant, vel ab inſtanti facinore ac vitæ prauitate homines iis deterrent, & ad pœnitentiam hortantur. reuera enim idcirco illa ſolent à Deo oſtendi.

His adeo deditos fuiſſe conſtat priſcos Græcos pariter & Romanos, vt, falſa ſuperſtitioſæ religionis opinione ducti, nihil bello vel pace, domi militiæve, ſuſciperent gererentve niſi auſpicato: nec honores conferrent, & dignitates, nec de more atque inſtituto veteri, & ſecundum leges, vel ſorte, vel manuum prehenſione, vel ſuffragiis peractas magiſtratuum deſignationes ratas haberent atq; admitterent, niſi auguriorum accederet conſenſus atq; comprobatio: Et auguribus, vt authoribus & moderatorib. omniū rerum, in quibus recte aut ſecus adminiſtratis diſcri-

diſcrimen verſaretur, vterentur, eoſq; ad præcipua momenta, & conſultationes de ſumma rerum, adhiberent: denique, vt magno gaudio, & quaſi certa confirmataq; ſpe non fruſtraturæ felicitatis læta omina exciperent ac proſequerentur: piacularia contra ſolicitudine acerba procurarent, atque expiarent.

Apud Romanos, ſi quid inſueti accidiſſet, nunciatumve eſſet, ad Aruſpices mox, veteri more, inſtitutoque referebatur, qui docerent, quid dii præmōſtrarent, quidve poſcerent: Et de illorum reſponſis ſacra, aut nouatà, ac redintegrata, aut reparata: & turbata, vel ſoluta vel prorogata comitia: tum tractationes, quæ inchoatæ erant, finitas ac ſuſpenſas, & reſciſſa decreta, legimus.

Veteri lege ſancitum erat, vt priuſquam augurandi ſcientia Romanis innotuiſſet, hæc ad Hetruſcos deferrentur, decretoque Senatus ſex optimatum filios Hetruſcis in diſciplinam tradi ſolitos, vt augurādi artem ediſcerent, proditum eſt: Qua quidem arte Feſulæ claruerunt, vbi & domicilium & collegium Augurum fuit.

Et initio ita à Romulo conſtitutum fuiſſe legimus, vt in tribus centuriis, Ramnenſi, Titienſi, & Luceri, ſinguli eſſent augures, qui ſacris ceremoniis prędictionibuſque: & explanationib. eorum, quæ dii monuiſſent, præeſſent: poſtea, duobus adiectis, collegii numerus in quinarium excreuit (imparem enim eſſe decere numerum arbitrati ſunt:) donec tandem, ne vltra nouem augurarentur, Senatuſcōſulto cautum fuit. Sylla demum collegium, quindecim adiectis, ad viginti quatuor vſq;, propagauit. Semel collatus auguratus, viuenti non adimebatur, etiam grauiſſimis intercedentibus cauſis. Fabius maximus duobus & ſexaginta annis auguratum geſſiſſe, vſque ad ſenectam vltimam, magna cum laude memoratur.

Munus erat Augurum præcipuum, auſpicia captare & contemplari, id eſt, ſigna rerum futurarum, deorumq; monita: & lætane eſſent illa, an piacularia, quidve apportarent, proſperane, an vero minacia & calamitoſa, expiandaq; ſacrificiis, & luctu publico, ſcrutari ac præmonere. Auguraturi, id eſt, auguria concepta vel relata interpretaturi, congregabantur in fano, commentandi cauſa, & inter ſeſe colloquendi.

Dignitas eorum tanta fuit, vt velut internuncios & interpretes deorum in Senatum aſcribi, & inter Patres legi, fas eſſe duceretur, & à primo Vrbis ortu iidem & Reges & Augures fuerint. Quippe & Romulum aruſpicinam feciſſe, &, ne quid quod decretum eſſet, haberetur ratum, ſine auguriorum aſſenſu & ſuffragatione, conſtituiſſe annotatum eſt.

Auguria captaturi Augures ex arce, cœlo non turbido, nec procelloſo, ſed ſilenti, placido, ſereno, & puro aere, lituum ſine nodo, hoc eſt, baculum à ſummo inflexum, in parte, qua robuſtior eſt, manu tenebant. Erat is inſigne augurale, quo cœli regiones deſcribebant, & deſignabant metas, intra quas, ſe obſeruaturos ſigna coſtituerant, vt quod dextrum eſſet, quodve ſiniſtrum, oculis animoq; metiri poſſent. Manu enim hæc ſpacia, quæ templa vocabantur, definire, & notare ſaluis auſpiciis non licebat.

Captato ergo proſpectu in agros atque vrbem & conuerſa facie in Ortum, regiones ab Oriente in Occaſum terminabant, limite decumano, & cardine ex tranſuerſo ſigno metato, quo oculi ferrent quam longiſſime. Ex diſtinctis regionibus antica in Ortum vergebat, poſtica à tergo Occaſum, dextra Meridiem, Boream ſiniſtra reſpiciebat.

His peractis, cæſa victima longum præfati carmen preces effundebant, quibus ſigna illarum rerum, quas Senatus populusque Romanus meditabatur, poſcebãt; & ne inter precandum forte titubarent aut hallucinarentur, vel aliquid omitterent, aliquo præeunte repetebant.

A precibus conſidebant, velato capite, & duplici amicti toga augurali, quę lęna dicta eſt, vel trabea, ex purpura & cocco, vt Græcus augur, vel toga candida, defixisq; in cœlum oculis, & attente ſolliciteque circumſpectis ac perluſtratis cardinibus omnib. expectabant, nunquid alicunde oſtenderet ſeſe, & vnde naſceretur ac prodiret: & ſi obiiceretur auis aliqua, hucne an illuc volaret, an prono, obliquo ſupinove motu corporis ferretur, quo flecteret, contorqueret, porrigeret, cõtraheret membra: an hac vel illa ſe parte occultaret: à dextra ne vel ſiniſtra parte canerent oſcines. Interdum quoque cubantes præuiis certis ad hanc rem confictis precibus auſpicabantur, *Seruio teſte*. Precabantur autem, certa ſibi ac clara & proſpera è cœlo ſigna dari, quæ Deos eorum precibus annuere teſtarentur: harum precationum formulas expreſſit Virgilius his verbis:

Quem ſequimur? quove ire iubes, vbi ponere ſedes,
Da pater augurium, atq; animis illabere noſtris.

Si vero augures vlcus haberent, augurandi cauſa prohibebantur, quia integros & ſanos corpore & mente eos eſſe oportebat. Erant & tempora quibus augurari erat vetitum: Metellus enim Pontifex Maximus poſt ſextilem menſem auguria captari noluit: quod adultis & perfectis auibus auſpicando antequam æſtas aduenerit, ſit prudentiæ, autumno autem aues partim inutiles ſunt, partim morbidæ: partim nulli imperfecti: & aliquæ propter anni tempus, alio deuolant: Sic ex vlceratis auibus auguria captari non licere (ſiquidem morboſæ aues augurium nullum faciebant.) Cæterum quanto olim in honore atque auctoritate haberentur augures, apud omnes gentes ac potiſſimum apud Romanos: paſſim quæuis ſcriptorum monumenta teſtantur. Hos etenim ex maioribus præſtantioribusque vrbis eligebant: vnde Cicero ſe ab Hortenſio viro clariſſimo in collegium augurum fuiſſe cooptatum gloriatur. Et Q. Mutium Scæuolam augurem videmus, inter primarios omnium ætatum viros connumerari, cuius ſanguine, quod aram in templo Veſtæ, quo nihil in vrbe habebatur præſtantius, illum amplexantem Syllæ carnifices interfeciſſent; ignem illum qui Virginum cura perpetuus erat, pene extinctum fuiſſe credebant. Sed & Paulus Æmilius ſolitus eſt dicere, quod nec Senatus cogi, nec conueniendi locum poterat habere, niſi quando & vbi augures præſcripſiſſent. Omnia enim gerebantur auſpicato: præſertim in bellis; vnde Cicero: *Rem bellicam noſtri maiores adminiſtrari, niſi auſpicato noluerunt.*

Et Liuius prælio Allienſi, vt nouum & triſte prodigium habet, quod nec auſpicato nec litato inſtruunt aciem. Et ſæpe apud eum aliosque hiſtoricos fit mentio Conſules auſpicio operam dediſſe. Non parum quoque augurum auctoritatem extollere illud videtur: quod cum cæteris ſacerdotibus ſimul ac ad iudicium ducti, ac damnati ſunt, alium ſoleant ſubſtituere, Augurem vero donec vita ſuppetebat, licet maximorum criminum conuictum ſacerdotio non mulctarent. Hos etiam Deorum internuncios interpretesque vocitabant: vt ex verbis Æneæ apud Virgilium ad Helenum Augurem conſtat, ait enim:

Troiugena

Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros; qui ſydera ſentis,
Et volucrum linguas, & prapetis omina penna.

Quapropter non plebeios ſolum illis morem geſſiſſe legimus, ſed ipſos etiã Conſules, Dictatores, nec nõ & Reges; penes quos omne erat imperiũ. Scipioné ferunt, quod augures iudicaſſent, vitio creatum eſſe, ſponte ſua ſe magiſtratu abdicaſſe: P. Claudius, ac L. Iunius Coſſ. ſupplicio digni iudicati ſunt, quod contra auſpicia nauigaſſent.

EQ. Hem, ne quæſo ſupra modum auguria commendes. Hæc enim ipſa auſpicia ab ipſis tandem Romanis poſt multa ſecula tanquam omnino ſuperſtitioſa repudiata fuerunt, vt videre eſt apud Ciceronem *lib. de diuinat.* Nec omittendum illud Accii Poetæ antiqui: *Nihil credo* (inquit) *auguribus, qui aures verbis diuitant alienis, ſuas vt auro locupletent domos.* Et iure Valerius Flaccus *1. Argonaut.* Exta lubrica appellat, quod auſpicia omnia inconſtantia & fallacia ſint. Et pullorum auſpicia mendacii arguit Liuius *lib. 10.* vbi ſcribit, quod etſi pro Papirio, auſpicante pullario, pulli non paſcerentur; ille tamen pugnans vicerit, & multa hoſtium millia fuderit & interemerit; aruſpice (Pullario dicto) qui auſpicium ex pullis explorauerat, in primo congreſſu ante ſigna occumbente. Quid quod etiam in augurãdi modo ac ratione inter ipſos non conuenit. Græci enim ac Perſæ, teſte Xenophonte, auſpicia dextra feliciora crediderunt. Romani vero ſiniſtra magis approbare viſi ſunt. Vnde Plautus, *Tacete*, inquit, *habete bonum animum, l quido exeo foras auſpicio, Aue ſiniſtra.* Et Dionyſius Halicarnaſſæus, vt cauſam adferat, cur ſiniſtra auguria pro felicibus habita ſint, in hæc verba ſcribit, penes quem fides eſto: *Habent autem*, inquit, *Romani talia pro addictoriis ſiue ex diſciplina Hetruſca, ſiue ita edocti à maioribus, hac ratione (vt equidem arbitror) vt ſedes ſit optima in captandis auſpiciis, quæ Orientem ſpectet, vnde ſol & luna ſurgunt, ſtellæque tam fixæ quam erraticæ, & vnde mundi motus ſumit exordium, cuius circulari vertigine, quæ in eo ſunt, modo ſuper terram exiſtunt, modo ſub terra latitant. Porro qui Orientem ſpectant, Septentriones à ſiniſtris habent, à dextris Meridiem, Honoratius autẽ eſt prius quam poſterius. Sublimis enim ab Aquilonari tractu polus attollitur, circa quẽ mundus voluitur, & è quinque cœli circulis qui vocatur Arcticus, hac parte ſemper eſt conſpicuus. At ab Auſtrali tractu is qui vocatur Antarcticus, ſemper in ea parte delitet: veriſimile eſt autem inter ſigna, quæ de cœlo ſeruantur, ea præcellere, quæ fiunt in parte optima, & quoniam ad Orientem vergentia potiorem partem obtinent, quam Occidentalia, tum in his ipſis celſiora ſunt Auſtralibus, Aquilonaria merito habentur optima.* Hæc ille. Et Donatus in hæc Virgilii verba:

—— Subitoque fragore
Intonuit læuum:

læuum pro proſpero accipiendum eſſe vult, hancque addit rationem, quod precantis latus læuum dextrum ſit eius, qui poſtulata largitur. Pariter & Seruius ſiniſtra auguria à ſinendo, quod nos agere aliquid ſinant, dicta ſcribit, quod & Feſtus ex Varrone probat. Sed tamen & auguria dextra fauſta fuiſſe Romanis quoque reperio, corui inprimis atque aquilæ. Cicero: *Quid habet augur, cur à dextra coruus, à ſiniſtra cornix faciat ratum?* Item & Horatius:

Oſcinem coruum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.

vſque adeo, vt ſibi ipſis augures non conſtent, nec certis augurandi ars nitatur rationibus.

PH. Vtut illud ſit, extant tamen exemplorum multæ myriades apud auctores, quæ de completione, præſagiorũ auguraliũ vnanimi conſenſu atteſtantur; illorũ, maioris fidei gratia, ex quam multis pauca aliquot recitabo. Valente Romanorum imperium adminiſtrante, feruntur Libanius Rhetor, & Iamblichus Procli Magiſter, diuinatione galli gallinacei quæſiuiſſe, quis poſt Valentem imperaturus eſſet? Ea porro huiuſmodi eſſe perhibetur. Literæ viginti quatuor pulueri inſcribuntur, & cuique granum tritici & hordei imponitur, deinde gallus, recitatis quibuſdam carminibus dimittitur, & è quibus literis grana ſumpſerit, eæ literæ inter ſe iunctæ, rem quæſitam declarare putantur. Quod cum illi feciſſent, gallum ex literis Θ.Ε.Ο.Δ. grana legiſſe viderunt, ambigua tamẽ habita eſt ſignificatio. Nam vel Theodoſius, vel Theodorus, vel Thedot' deſignari putabatur. Ea re cognita, Valens multos iis nominibus præditos ſibi ſuſpectos ſuſtulit, ipſis etiam diuinatoribus ad necem quæſitis.

Erat apud M. Antoniũ Triumuirum quidã ex Ægypto magus, qui ſæpius Antonium hortatus fuerat, vt procul ab Antonio faceſſeret: Fortuna, inquit, tua Antoni, per ſe ſplendida & ampla eſt, verum cum Octauio adhæret, continuo hebetatur. Tuus, ait, Dæmon illius genium reformidat: & cum celſus per ſe ſit, atque alacer, huius tamen appropinquatione humilis fit & pauidus. Fecit is facilius fidem, quod ſiue ſortibus, ſiue gallinaceorum aut coturnicum paria committerent, Antonius erat ſemper Octauio inferior. His igitur commotus cum Octauia, ex qua iam filiolam ſuſtulerat, Italia profectus Athenas nauigauit *Sabell lib. Ennead 6.*

Cum L. Vitellius in gratiam Herodis Tetrarchæ contra Arabes exercitum duceret, ferunt Arabum Regem Aretam excepto expeditionis Vitellii nuncio collegiſſe ex auguriis, impoſſibile eſſe ad petram peruenire illum exercitum. Vnũ enim è Ducibus prius moriturum, vel qui bellum paret, vel cuius iuſſu paretur, vel cum contra quem mouendum ſit. Nec vanum fuit augurium. Nam cum Vitellius adhuc Hieroſolymis eſſet, nuncius de Tiberii Cæſaris morte allatus, irritam fecit expeditionem. *Ioſeph. lib. 18. c. 7.*

Actius Nauius puer, & quod magis rideas, paſtor, Priſco Tarquinio regnante, litui vſum ſibi vſurpans, repente quidem è ſubulco augur, vulgataque rei fama ad Regem euocatus eſt. Quem Rex intuens, & ætatem & habitum fortaſſis irridens, tentauit hoc modo: verum, inquit, quod nunc in animo mihi eſt, fieri poſſit, an nõ poſſit? interrogo. Nauius cum augurium peregiſſet, fieri poſſe reſpondit. Hic vero Rex eluſiſſe putans: Atqui, inquit, quod cotem hanc nouacula ſcinderem, meditabar. Ille mirabili conſtantia: Potes ergo, ait: arreptaque nouacula, in conſpectu ſtupentis Regis ac populi, cotem ſecuit. Inde ſacrum Romanis augurium.

Cum apud Nolam L. Sylla eſſet, vt cum ſeniore Mario decertaret, perturbato admodum animo, quod rem perdifficilem animaduertebat eſſe, augur Poſthumius, qui eo præſente rem diuinam faciebat, tenſis ad Syllam ambabus manibus, dixit: vt vinciri eum iuberet, ac poſtmodum occidi, niſi eius prælii penes ipſum victoria maneret, felicemque euentum nanciſceretur, ex eo, quod tunc augurali ſcientia præuidere iuſſus erat. Poſtero enim die vrbem Romam ingreſſus Sylla, inde Marium expulit, animumque vt optauerat, expleuit. *Fulgoſus lib. 8. c. 11. ex Plutarcho in Sylla.*

Spurina prædixerat C. Iulio Cæſari, vt proximos triginta dies, quaſi fatales, caueret, quorum vltimus erat Idus Martiæ. Et cum forte mane vterque in domum

Caluini

Digitized by Google

Caluini Domitii ad officium conueniſſet, Cæſar Spurinæ: Ecquid ſcis Idus Martias iam veniſſe? Et is, Ecquid ſcis, illas nondum præteriiſſe? Abiecerat alter timorem, tanquam exacto tempore ſuſpecto, alter, ne extremam quidem eius partem periculo vacuam eſſe arbitratus eſt. Vtinam Aruſpicem potius augurium, quã patriæ parentem ſecuritas fefelliſſet. *Valerius lib. 8. & Suetonius.*

Agrippa Herodis Magni ex Ariſtobuli F. nepos, Romæ in vincula coniectus, à Tiberio Imperatore, quia Caio fauere videretur, ante Regiam ſtabat inter alios quoſdam æque vinctos, incumbens præ mœrore in quandam arborem. Cui cum inſediſſet bubo, vnus è vinctis, natione Germanus, alitem conſpicatus, ſciſcitatus eſt à milite, quiſnam eſſet ille purpuratus? & cognito Agrippam eſſe, Iudæorum nobiliſſimum, rogauit militem, vt liceret ſibi propius ad eum accedere: cupere enim ſe quædam de ipſius patria cognoſcere. Quo impetrato & adhibito interprete, O iuuenis, inquit, contriſtat te quidem tam repentina & improuiſę fortunæ mutatio, nec facile credes prope eſſe effugium, ſic conſulente rebus tuis diuina prouidentia. Sed teſtor patrios Deos, quod nihil auribus tuis daturus ſum, neque te inani conſolatione lactaturus. Fieri non poteſt, quin confeſtim euadas ex his vinculis & mutatis rerum vicibus, ad ampliſſimam dignitatem ſimul atque potentiam peruenias, vſque ad eorum inuidiam, quibus nunc videris miſerabilis. Felicem quoque habiturus es vitæ exitum, relictis in opum ſucceſſione liberis. Memento autem, quando hunc alitem iterum videris, quintum ex eo diem fatalem tibi futurum. Hæc ſunt, quæ tibi cœleſtes miſſa hac aue nunciant. Proinde rogo, vt quamprimum felicitatem iſtam repræſentari tibi ſenties, des operam, vt nos quoque eripiamur ex his aduerſitatibus. Verus fuit vates. Nam poſt ſex mẽſes Tiberius periit. Caius in imperio ſucceſſit, qui Agrippam Regem fecit. *Ioſephus libro 18. cap. 8.*

Hiſpani Adalittos & Almoganenos vocant populos, qui ex volatu auiũ, ex voce, ex ferarum occurſu, aliarumque rerum plurimarum ariolantur, quid boni malique ſit euenturum, denique auguriis omnibus prognoſticis libros habent diligentiſſime ſcriptos. Horum alteri ſunt Duces ac velut Magiſtri, alteri comites ac diſcipuli. Eſt aliis horum peritia, inueſtigare tranſitus non equorum modo, iumẽtorumq; ſed hominũ quoq; per veſtitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per ſaxa, vt nec numerus eorum, qui tranſierũt vnquam fere eos fallat. Qui appoſita voce Inueſtigatores dici poſſunt. Hi artis ſuę ſpecimen ediderunt inſigne bello, quod Ferdinandus contra Mauros geſſit. Nam cum centum Saraceni equerii apud Regẽ ſuum deuouiſſent, nunquam reuerſuros, niſi præclarum aliquod aduerſus Chriſtianos facinus edidiſſent: & clam per inuia ad Chriſtianorum præſidium opprimendum acceſſiſſent; inueſtigatores eorum iter numerumque ſubodorati, certiores de inſidiis ſtationarios reddidere, & equerios inſecuti, in torrentis alueo vtrinque intercluſos ſeſe dedere coegere, longa ſerie colligatos vnico fune. *Laurent. Vall. lib. 1. hiſtor.*

Alexander Magnus cum Oxydracarum Indorum metropolim oppugnare ſtatuiſſet, Demophon quidã ex his, qui futura de oſtentis, & ſignis aliis ſolent cõiicere, Regẽ aggreſſus, ex augurii obſeruatione ſe inquit annotaſſe, magnũ ei periculũ portẽdi, ob vulnus, quod in oppugnatione accepturus eſſet. Propterea admonebat, vti pro tẽpore ab inuadẽda ea vrbe animũ ad res alias cõuerteret. Hominẽ Alexãder obiurgauit, quod talibus conſiliis virorũ fortium virtutem frangeret: atq; his quæ

oppugna-

oppugnationi erant neceſſaria, prouiſis, ipſe primus ſequentibus copiis vrbē aggreſſus eſt, vehementer eam vi capere cupiens. Ibi cum ſerius machinæ adducerētur, portam vnam adortus perfregit, irrumpensque in vrbem, multos interfecit, reliquos in fugam verſos, vſque ad arcem eſt perſecutus. Interim vero Macedonū multitudine adhuc in tentandis mœnibus occupata, non cunctatus, ipſe ſcalam propere arripuit, & muro arcis applicuit, ſcutoque ſupra caput prætento, inſcēdere occepit. Tantam autem his omnibus celeritatem adhibuit, vt priuſquam excubitores Barbari in muri cuſtodiam venirent, ipſe iam in eum ſummum cōſcenderit. Non audebant hoſtes propius accedere, vt manus cum eo conſererent, ſed eminus & iaculatores & ſagittarii ita eū grauiter vrgebant, vt vix miſſilium vim ſuſtineret. Macedones ſcalis, quas duas appoſuerant, frequentes ſcandere conabantur, ſed eis pondere perfractis, omnes in terram deciderunt. Igitur omni deſtitutus auxilio Alexan. ſolus & armis oneratus in ipſam arcē deſiliit, Indisq; impetu facto in eum incurrentibus, audaciſſime reſiſtebat. Dextra arborē prope mœnia poſitam, læua murum ipſum, ne circumueniri poſſet, ſibi pro munimento accepit: atque ita cum hoſtibus manus conſerebat, eo animo, vt tanquam Rex tot clariſſimis rebus geſtis, ſummam virtutem demonſtraret, mortemque glorioſam oppeteret. Multos galea, multos clypeo ictus ſuſtinuit. Tandem ſagitta ei infra mammillam infixa, vi doloris in genua procumbere eſt coactus. Ibi ſtatim Indus, qui vulnus intulerat, contemptim accedens, ferire eum aggrediebatur, quum Alexandri gladio ſubter ilia transfixus, lethali vulnere concidit. Rex ramo, qui de arbore prope ſe pendebat, comprehenſo adiutus, ſurrexit, cœpitque prouocare ex hoſtibus, ſi qui vellent ſecum decertare. Interim Peuceſtes vnus è cuſtodibus corporis Regii, ſcala mœnibus ſuperatis, primus ad ſui principis defenſionem peruenit: poſtque alii plures, qui viſi Barbaros perterruerunt, atque à periculo Alexandrum ſeruarunt. *Diodorus lib. 17.*

Byzantium, antea Lygos dictum, à Lacedæmoniis, Pauſania duce, in anguſtiſſimo Europæ Aſiæque Euripo conditum eſt, quibus ab Apollinis Pythii oraculo dictum fuit, vt contra cœcos ſedes locarent, id eſt, M garenſes: qui Chalcedonem ſterili ſolo, omiſſa locuplete ripa, è regione condiderunt, *Strabo lib. 7.* Hanc vrbem è ruinis Conſtantinus Magnus, qui Imperii ſedem ex vrbe Roma in Orientem tranſtulit, ad Parthorum excurſiones compeſcendas, nouis mœnibus cinxit, diuinitus admonitus, ſublimibusque turribus, ac magnificentiſſimis ædibus ita exornauit, vt habitaculum Deorum potius, quam Imperatorum crederetur. Hanc cum Imperator Neam Romam nominare vellet, vulgus à conditore Conſtantinopolim vocauit. *Cuſpinianus.*

Fama eſt, prodigioſum Scrophæ occurſum, augurium Troianis, qui duce Ænea in Italiam venerant, feciſſe condendæ vrbis. Eam prægnantem fuiſſe aiunt, altaribusq; admotam ſacrificantium manibus excuſſam, inde quatuor & viginti ſtadia procul à mari paruo tumulo conſediſſe, loco natura ſane horrido ac prædifficili. Æneas oraculi memor, cum paucis, qui forte aderant, Scropham eminus eſt ſecutus, ne veſtigio inſtans fatali via auerteret. Tum vero naturam loci contemplatus, cum nihil in eo perſpiceret, quod ad ſui cultum inuitaret, conſilii anceps angebatur, nec in animum inducere poterat, tam importunas ſedes fato demonſtrari. Eratque iam dudum in re vna deliberanda occupatus, deberetne illic eſſe an lōgius adhuc iret: cum ex proximo loco vox ſine auctore reddita eſt, quæ Troianos illic iubebat

iubebat permanere. Pergerent modo ædificare, cætera fatis permitterent. Alii au-ctores ſunt, Deorum penatium effigiem hic Æneæ per quietem obuerſatam, qui-bus iuſſus ſit locum communire. Sed quæcunque oraculi ſpecies ea fuit, conſtans fama eſt, Scropham poſtridie cum numeroſo fœtu, quem noctu enixa fuerat, re-pertam, oraculo fidem feciſſe. Tumulus ergo tumultuario opere munitus eſt, in quo poſtea Aſcanius, qui patri Æneæ ſucceſſit, Albam vrbem ædificauit, à colore Suis dictam. *Sabellicus lib.7.Ennead.1.*

Tarquinius Superbus Romanorum Rex, Iouis, Iunonis, & Mineruæ templum Sabino bello ab auo votum, in parte Tarpeii collis præcelſa & ſcopuloſa, aſperi-tate loci prius caſtigata, fundare eſt adortus. Sed cum de more aream inaugurare ſtatuiſſet, eſſetque huius ſpatii ambitus, ſacella quædam vetuſtiſſimi operis com-plexus: quæ quia exauguranda erant, vt omni religionis metu ſublato, opifices de-moliri poſſent, ferunt, vt tunc malorum dæmonum erant illuſiones, cętera numi-na Ioui, deabusque augurio ceſſiſſe, ſolum Terminum (addunt quidam & Iuuen-tam) ſua ſede moueri nequiuiſſe. Atque ipſa re in omen ſtabilis, manſurique Im-perii accepta, ſacellum media parte templi immotum poſtea manſiſſe. Eſt & maius quoddam operantibus prodigium oblatum. Humanum caput recenti tabo ab iis, qui in ima parte operabantur, eſt inuentum. Tarquinius (nemo enim non id pro-digioſum putauit) domeſticos Vates conſulit. Hi omnem eius diſciplinæ laudem ad Hetruſcos referentes, ad regem pertulerunt, vt in Hetruriam ſciſcitatum mit-teret. Hetruſcus vates reſpondit fore, vt ibi arx Imperii, caputque rerum eſſet, vbi id oſtentum apparuiſſet, ac iam inde locus ex Tarpeio capitolium eſt dici cœptum. *Sabellicus lib.5.Ennead.2.*

Cum Græci Aulide in portu Eubœæ naues congregaſſent, Troiam profectu-ri, & ſub platano ara extructa ſacrificarent, ſerpens monſtroſæ magnitudinis ſub ara prorepens, in platanum ſummã euaſit, & paſſeris nidum in extremo ramo pen-dentem amplexus, octo pullos, matremq; ipſam ala correptam deuorauit, & mox ipſe in lapidem obriguit. Calchas Vates augurium interpretatus eſt: Nouem annis Græcos Troiam fruſtra obſeſſuros, decimo tandem capturos & euerſuros, tanti facti gloria æternum manſura. *Vlyſſes apud Homerum Iliad. β. hiſtoriam recenſet.*

Alexandro Magno Gazam oppugnante, coruus ſuperuolans, ceſpite ſiue gle-ba quadam ſuperne demiſſa, Alexandri humerum percuſſit: inde turre bitumine oblita ſedens, implicita tenaci materia alis captus eſt. Plutarchus in quodam ma-chinamento ſediſſe ait, ibique funium nodo implicitum hæſiſſe. Id intuitus Ari-ſtander vates, fore dixit, vt vrbs breui caperetur, verum periculum eſſe, ne rex eo die vulnus aliquod acciperet. Et vtrumque ſane contigit. *Sabellicus libro quarto Ennead.4.*

Cælius Pontius, cum ei ius dicenti picus ſupra caput inſediſſet, & Aruſpices re-ſpondiſſent, dimiſſa aue hoſtium victoriam fore, ſed necata, Reipubl. moriturum tamen eum, qui oppreſſiſſet: Ipſam ſtatim auem exanimauit. Ex quo accidit, vt ipſe cum quadraginta aliis Cæliis interficeretur. *Volaterran lib.14, c.2. Anthropol.*

Ferunt aliquando arietis caput cum vnico cornu ad Periclem fuiſſe ex agro de-latum, ac vatem Lamponem, vt cornu validum conſpexit, & firmum media ena-tum fronte, duarum dixiſſe, quæ tunc in vrbe erant, factionum, Thucydidis & Pe-riclis potentiam ad vnum delatum iri, apud quem hoc prodigium eueniſſet. Ana-xagoram vero cum os capitis diſſecuiſſet, monſtraſſe, non compleuiſſe cerebrum

ſedem ſuam, ſed oui modo acutum ex tota teſta deuolutum eo loci, vnde originem radix cornu duceret. Atque in præſentia quidem habuerunt in admiratione, qui intererant, Anaxagoram: breui poſt Lamponem, cum opibus fractis Thucydidis, reſpublica vniuerſa in Periclis manum recidiſſet. Poterat vero recte vterque coniiciſſe, tam Phyſicus quam vates. Alter qui cauſam, alter qui exitum probe eſt aſſecutus. Illius erat enim munus, vnde proueniſſet, & quemadmodum eſſet enatũ cõtemplari, huius, ad quid genitum eſſet, & quid portenderet, prænunciare. *Plutarchus in Pericle.*

Quo tempore Dionyſius Syracuſanus tyrannide exutus eſt à Dione, aquila raptam ſatellitis lanceam in ſublime tulit, inde demiſit in profundum. Vates reſpondere, miniſtrum eſſe aquilam Iouis, lanceam principatus inſigne. Igitur euerſionẽ Tyrannidis moliri Deorum principem. *Plutarchus in Dione ex Theopompo.*

Cum Crœſus Lydorum Rex, contra Cyrum Perſarum Regem ęquo Marte pugnaſſet, & Sardis ſe contineret, repente omnia ſuburbana colubris impleta ſunt, quos equi, dum ad paſcua irent, deuorauerunt. Telmiſſes ſuper ea re conſulti, externum exercitum affuturum reſponderunt, qui indigenas ſubigeret: Coluber enim terræ filius eſt & indigena: Equus vero hoſtis & aduena. Captus interea Crœſus à Cyro, & regno exutus fuit. *Herodotus lib. 1.*

Minori Dionyſio portentoſa prodigia fuere à Deo oblata, quo tempore illum Tyrannide exuit Dion. Mare qua alluit arcem, aquam per vnum diem dulcem & potabilem reddidit; idq; quicunq; guſtauerunt, percepere. Cuius rei Plinius quoque *lib. 2. c. 100.* meminit. Porcelli ei editi ſunt reliquis membris integri, tãtum mutili auribus. Id vates expoſuerunt, defectionis & rebellionis oſtẽtum eſſe: quod ciues non vltra tyrannidi futuri eſſent dicto audientes. Maris dulcedinem triſtium & ſæuorum temporum in meliora Syracuſanis viciſſitudinem afferre. *Theopompus & Plutarchus in Dione.*

EQ. Sat exemplorum induxiſti, quæ fusq; deque fero. Nunc porro, ſi lubet, auguriorum differentias ſpecificas, eorumq; effectus recenſe, non enim, vt ex adductis à te exemplis liquet, vnius ſunt generis.

PH. Dixi antea, vniuerſum augurandi genus quinq; fere ſpecieb. comprehendi, quarum prima è cœlo eiuſq; proſpectu tonitruve; ſecũda ex volatu auium; tertia è pullorum tripudio; quarta ex quadrupedibus; quinta ex ominibus prodigiisve conſtat. Iuxta hunc igitur ordinem de ſingulis dicam.

Auguria ex tonitruis & fulminibus.

Quod ad primam attinet ſpeciem: Tonitrua & fulmina ex cœlo dabant in hũc, qui ſequitur modum. Si aut læuum, aut impari numero intonuiſſet: aut ſi ex Ortu emiſſa fulmina, cœli circumactu, in eandem partem rediiſſent, quaſi Syllæ Dictatori oblatum memorant: aut ſi in exortiuas recurriſſent partes: vel ſi excuſſa nubibus à terra reſiliiſſent, & crebris in ſublimi ignibus fulſiſſent: aut ſi fulgura à ſiniſtra, in dextrã emicuiſſent: proſperos euentus & ſummam felicitatem, nunciare hæc à diis putabantur. Non enim tam aduentus ſpectabatur fulminum, quam reditus, ſiue ab ictu reſiliret ignis, ſiue opere confecto, aut igne conſumpto, ſpiritus remearet. Serena tempeſtate tonuiſſe, hominesque, aut ædes ſacras de cœlo tactas eſſe, infauſti auſpicii fuiſſe, ſæpe notatum eſt. Homerus contra tonitru, quod, poſt effuſas preces, de cœlo ſereno, inſonuit, felix omen, & ratum auſpiciũ adferre, cecinit. Si ab Occaſu tonitrua increpitaſſent: aut per Septentrionem, in Occaſum, tranſcurriſſent: aut multiplici ictus pari deſiiſſent numero, diros euentus & calamitates portendebant.

Marco

Marco Craſſo caſtra, quæ trans Euphratem metatus fuerat, bis icta fulmine, cladem quam paulo poſt perpeſſus eſt, deſignauere.

Paulo Æmilio ad Amphibolin ſacrificanti, fulmẽ cœlo eliſum, cum ſacra combuſſiſſet, Regni amiſſionem denunciauit.

Diſtinguebantur fulmina, & auctoribus, & vſu, ac finibus. Romani diuturna Ioui, nocturna Sumano (quem Plutonem dicebant) attribuebant: & ea, quæ ſolus Iupiter iacularetur, læta promittere: quæ habito deorum concilio, aduerſa minitari putabantur. Cumque, quando vel ſolus, vel communicato cõſilio, Iupiter intonaret, in dubio eſſet: fulgetra adorare, & poppyſmatibus obſtrepere, cõſenſum gentium fuiſſe, Plinius notauit.

Antiquiores Romani lucos etiam, araſque, & ſacra proeuocandis habuerunt fulminibus, & inter deos Statores, Tonantes, Feretrios, Elicium quoque Iouem, quem vocatum ciere fulmina credebant, coluerunt.

Porro fulminum alia Bruta erant, vanaque, quæ nulla ratione naturæ, alia Fatidica quæ ex alto, ſtatiſque de cauſis, & ex ſuis venere ſideribus, cenſebantur. Horum alia conſiliaria vocabantur, quæ negotiis cogitatis: alia auctoritatis, quæ decretis ac ſuſceptis iiſdem ſuperueniſſent: alia ſtatus, quæ nec opinantibus coruſcaſſent: alia item publica, alia priuata notabantur: publica non ſupra triceſimum, niſi in deductione oppidorum: priuata non vltra decimum annum, niſi in ſponſalibus, aut natali die, auſpicata portendebant.

Ex iiſdem rurſus, quædam poſtularia, ſacrorum emendationem exigebãt; quædam peſtifera, mortem intendebant: quędam monitoria, latentia aperiebant fata: quædam auxiliaria erant; quædam hoſpitalia vel regalia; quædam peremtalia; quæ, ſita præcedentibus deſignata fulgetris perimere credebãtur: familiaria prima fiebant, familiam ſuam cuique adepto, & in totam vitam vatidica habebantur. Cumque in lucos pollutos crebriora, & quati, ac vibrari, & traiici fulmina, aruſpices notaſſent: ea vt auerterent, reliquias fulminis cum ſacrificio ſepelire, diſperſoſque ignes in vnum cogere, & tacita prece terra condere ſolebant, in loco, quem Bidental vocabant. *Bidental.*

Thuſci in ſedecim cœlum partes diuiſere: prima erat à Septentrionibus ad æquinoctialem exortum: ſecunda ad Meridiem; tertia ad æquinoctialem Occaſum; quarta obtinebat, quod reliquum eſt ab Occaſu ad Septentriones. Has iterum in quaternas diuiſerunt partes, ex quibus octo, ab exortu ſiniſtras, totidem è contrario appellauere dextras. Ex his maxime dira, quæ in Septẽtrionem ab Occaſu porrigebantur; omninoque multum referebat, vnde venirent fulmina, & quo ferrentur atque excurrerent.

Auguria, ex auibus ſumpta. Ex auibus oſcines cantu augurium, quod κληδόνα Græci, & κληδονισμὸν vocarunt; præpetes ſeu τανυπτέρυγας volatu auſpicium faciebant: pulli tripudio omina dabãt. Funebres auerſo omine aliquid fieri vetabãt. Superuaganeæ ex ſummo acumine vocẽ emittebãt. Ex præpetib. erãt, aquilæ, vultures, buteones, ſanqualis, immuſculus, & aliæ. Aquilæ, ſi dextra parte aduolarent, ſiq; patulis & porrectis perſtreperent alis, omen futuri boni certiſſimum præbebant, Homero teſte.

Ariſtander, augurio aquilæ traiicientis in hoſtes, Alexandrum victorem portendit ante conflictum. Cum Tarquinio Priſco, aquila pileum detractum capiti euexiſſet in ſublime, moxq; repoſuiſſet: regnum ei ominatam ferunt. Fœtus aquilarũ implumes, à vulturibus, roſtro pedibusq; à paſtu abacti, & raptati, concerptiq;

Digitized by Google

cum ipſis nidis, Tarquinio Superbo exilia portenderunt, ac regni amiſſionem. Iaculum de ſatellitum manibus, roſtro extortum & deiectum in profundum, ab aquila, Dionyſio Syracuſano regnum abrogauit, & diras incuſſit calamitates.

Cæterũ inter auſpicatas aues aquila primas obtinet: vnde apud Homerum Priamus ab Hecuba admonitus, Iouem orat, vt aquilam mittat, cuius volatu in bonam ſpem erectus, auſpicioq; ſecundo confiſus ad naues Græcorum ſe conferat.

Duodecim vulturum numerus, Romulum cõdentem vrbem, de tempore durationis monuit. Sæpe tamen vulturem in ædem Iouis, aut deorum volaſſe, prodigii loco habitum eſt.

Vultures, corui, & aquilæ, ſi coiiſſent, conflictus & cædes indubias denunciabant. Ciconiæ concordiam ferebant. Ex accipitrum genere Circi nuptias & rem pecuariam fortunabant. Buteones, quos *τειόρχεις* vocãt, à numero teſtium, & Falcones, futuri maximi boni ſpem certam, ſi apparuiſſent, faciebant. Dario conſpectus accipitrum, duo paria vulturum vellicantium, ſpem de regno Perſico, iniecit, quo, coniuratis ſupplicio affectis, eſſet potiturus.

Milui, diri ſemper inauſpicatique fuere ominis, ſicut & incendiaria auis: ea, quæ ſit, nec inuenitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incẽdiariam eſſe, quæcunque appareret, carbonem ferens ex aris vel altaribus, alii Spiturnicem eam vocant, ſed & hæc ipſa, quæ ſit, neſcitur.

Picus Martius & Luſcinia, atq; inter ardeolas illa, quam *λευκὸν πέλλον*, *albam ardeolam ſiue pellam* vocant, ſi ad Auſtrum volatu contenderet aut Septemtrionem, proſpera feliciaq; decernere, & omni periculorum metu ſoluere exiſtimatum eſt. Pici Martii præcipue Latio fuerunt in auguriis, à Rege, qui nomen huic aui dedit. Cum in capite Prætoris vrbani L. Tuberonis, in foro, iura pro tribunali reddentis, picus ſediſſet ita placide, vt manu prehenderetur, reſponderunt vates, exitium imperio portendi, ſi dimitteretur: ſi exanimaretur, Prætori: ille autem protinus concerpſit, nec multo poſt prodigium impleuit.

Hirundinum circumuolutationes decubitusve aut inſeſſus, infauſti habiti. Earum conſpectus Dario in Scythas cum exercitu proficiſcenti, interitum: cõſeſſus vero in Pyrrhi tabernaculo, & naue Antonii, funeſtas vtrique clades attuliſſe creditum fuit. Columbam augurium deſignare felix, Homero placuit.

Præpoſteros aut veſpertinos Gallorum cantus, optimi euentus ſigna aliqui notauere. Themiſtocli pridie, quam in Perſas mouit, galli *ἐπινίκιον*, *carmen triumphale*, occinuere, & cantu certam declarauere victoriam: idque ideo, quod victus mox conſileſcit, victor inſolentius inſultat & obſtrepit.

Gallinarum cantus nunquam exauditi, niſi quando dirum aliquid immineret.

Corui inauſpicatæ garrulitatis aues à dextra, vt cornices à ſiniſtra, ſpes non ambiguas: ſi ab Ortu occinerent clara voce, præſentem felicitatem ſignificabant. Ab Occaſu vel læua ſi proclamarent, aut glutirent vocem, vel ſtrangulati, exitium apportabant. Corui diſcerptos deuorantes pullos, reliquiasq; deferentes in nidum, ante ciuile bellum inter Syllam & Marium, quo plurimo depugnatũ eſt ſanguine, viſi, & crudelitatem qua in ſua illi ſæuierunt viſcera, portendiſſe iudicati ſunt. Eædem aues, Alexandro Babylonem ingreſſuro, & Ciceroni vitaturo inſidias ab Antonio ſtructas, gannitu ſtrepituque ingrato impendens periculum, & ærumnas extremas, minitatæ ſunt.

Bubo funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auſpiciis, noctis monſtrum, nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, ſi in vrbibus aut omnino in luce viſeretur, dirum oſtentum præbuit. Cum Sex. Papellio Iſtro, & L. Pedœnio Coſſ. cellam Capitolii bubo intraſſet, eo anno, Nonis Martiis, vrbs luſtrata eſt. Idem factum L. Caſſio, C. Mario Coſſ. bubone viſo. Priuatorum ſi domibus inſediſſet: aut ſi taceret, non ſemper feralis compertus, vtpote qui Agrippæ, captiuo Iudæorum Regi, regnum promiſiſſe putabatur. de quo paulo ante vberius. Bubonis vox audita, anno vrbis 619 & 20, exercitus Romani oppreſſionem ad Numantiam portendiſſe, credit a eſt. Rurſus viſus, non auditus Bubo, felix omen attuliſſe iudicatus eſt, vt anno vrbis 629. & 32. ante Sallies, Ligures, & Allobroges deuictos: itemque anno 650. ante ſubactos, in Macedonia, Thraces: & anno 558. ante mortuum Ptolemæum, Regem Ægypti Cyrenis, qui populum Romanum hæredem reliquit.

Noctuam, ſi volaſſet, victoriam nunciare: ſi ſereno ceciniſſet, turbare aerem, ſi tempeſtate occineret, ſerenare, obſeruatum eſt. Hæc cum in haſta Pyrrhi Regis, contra Argos euntis conſediſſet, fatum illi, & diſcrimen extremum, portendit & attulit.

Ante Pharſalicam pugnam, apes aręinſidentes, & in nauibus conſpectæ, Dioni & Pompeio magno, cladem paulo poſt ſecutam, prænotarunt. Idcirco, cum, in Bruti exercitum, examen apum procubuiſſet, aruſpices caſtra mutare eum iuſſerunt, ne in hoc loco, damni aliquid & detrimenti acciperet. Ceterarũ etiam auium & inſectorum volatus, multiplici diſcrimine, in omina *σημαντικά, quæ aliquid portendunt*, conuerſa ſunt, & de locuſta noſtra campeſtri viridi, Suidas inquit: *eſt locuſta quædam ad motum tarda, viridis, cui nomen Μάντις: ex cuius motibus, qui hos aduertunt, nonnulli futura prædicunt.* Calchas, apud Homerum, ex paſſerũ numero, belli Troiani annos auguratur.

Tripudio ſigna dabant pulli, de rebus conſecuturis. Etſi enim quæuis auis tripudium facere poterat, præcipua tamen fides fuit pullis, atque, in eorum genere, Melicis & Chalcidicis, quibus tantum religionis fabuloſa vetuſtas tribuit, vt ceu internuncios, atque interpretes Iouis, euenta rerum edocere, ſtatuerent, &, niſi his conſentientibus ac ſuffragantibus comitia non agerent, non Senatum haberent, nullos ad honores proueherent, nulla domi, aut foris negotia obirent, nulli prouinciis demandarent, nihil denique auſpicarentur, quod non, vtrum approbatum ab his, velut aſſenſione & monitu deorum eſſet, magna cura prius exquirerent ac penſitarent: deniq; regebant magiſtratus Romanos, domos ipſis ſuas claudebant, ac reſerabant, faſces impellebant aut retinebant, iubebant acies, aut prohibebant, & maximo terrarum imperio imperabant. *Pullorum auguria.*

Pullis præerat pullarius, qui quotieſcunque, de inchoanda re quapiam, exequendaque, deorum, per pullos, ſenſa placitaque exploratum ibat (oportebat autem id fieri ſummo mane, & primo diluculo) imperato de more ſilentio, pultem illis aut offam, cauea recluſa, obiiciebat, quod ſi, ad oblatam eſcam, mox pulli, è cauea, non proſilirent, aut ſerius egreſſi, vel non attingerent eam, vel alarum planctu diſſiparent, vel, relicta eſca, oberrarent, aut occinerent, aut prorſus non veſcerentur, vel auolarent penitus, omen præſe ferebant magni terroris & ſolicitudinis, euentuſque triſtiſſimos: & pullarius exitum animo præmetiens, ne quid molirentur, ſed vel deſiſterent ab incepto, vel differrent deliberationes, vel mutarent hoc prorſus, quod præ manibus erat, hortabatur. Quod ſi mox proruerent cum impetu *Pullarius.*

Digitized by Google

certatimque in eſcam inuolarent, & auide depaſcerentur, ita vt, veſcentibus illis, aliquid ex ore relaberetur,& terram pauiret, quod tripudium faceret ſoliſtimum: inde, ſpe hauſta mirifica, pullarius, vt conſtanter fortiterque cœpta negotia vrgerent, iubebat,& ſucceſſus optatos, ac proſpera à diis omina ſpondebat. Habebant oſtenta,& præpoſteri eorum, veſpertiniq; cantus. Totis noctibus canendo, Bœotiis nobilem illam ad Leuctra, aduerſus Bœotios, præſagiuere victoriam: Ita coniecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret.

Etſi autem quandoque talibus ominum interpretationibus & coniectionibus aſſenſit euentus, vt Tiberio Graccho ea die, qua in turba cæſus occubuit, pulli nõ addixere: & Claudius Pulcher moturus in hoſtes, non paſcentibus, in auſpicando, pullis, per contemptum religionis, nauali prælio inito, terribili ſtrage, cum omni claſſe, profligatus eſt: tamen viciſſim non raro eluſa ſunt,& refutata, euentu prorſus contrario, id quod ex Papyrii exemplo, paulo ante per me adducto, manifeſtum eſt.

Si pullarius, quæ dii diuulgata voluiſſent, diſſimulaſſet, aut veteratorie ſuppreſſiſſet, idem contrahi nefas, ac ſi quæ occulenda & tacita ferenda erant, palam feciſſet: Si vero mentitus fuiſſet aut omine conficto, aut eo, quod oſtenſum eſſet, ſubdole & fraudulenter deprauato, & in contrarium detorto, ſenſum non illi, qui conſulebat, fraudi eſſe, ſed in auctoris retorqueri caput cenſebatur.

Fuerunt & aliæ plures auſpiciorum diſtinctiones apud Romanos. Vocabantur enim quædam auſpicia caduca, quædam cliuia: Caduca, vbi quid templo, ab auguribus metato excidiſſet. Cliuia, quæ difficulter euenirent. Arcula, quæ arcerent. Enebra, ſiue Inebra, quæ obſtaculum darent, ab inhibendo, &c. Quæ breuitatis cauſa iam prætermitto.

Quadrupedum omina. Ex quadrupedibus lupos, vulpes, leones, capras, iuuencas, aſinos, arietes, lepores, muſtellas, mures, omina mouiſſe & auſpicia compertum eſt.

Lupus, ſi ad dextram commearet, pleno ore, proſperæ & magnæ rei argumentum putabatur. Lupos caſtra introiiſſe, & laceratis obuiis, intactos abiiſſe, exercitibus cladem portendiſſe: eoſdem, ſi, in foro Romano, viſi eſſent & incolumes euaſiſſent, oppreſſionem vrbis, aut alia deſignaſſe pericula, animaduerſum eſt.

Romanis coloniam in Libyam ducturis, Caio Graccho Tribuno legem rogante, cum Lupus metas aggeri definitas ſubruiſſet & diſſipaſſet, fecit, vt à propoſito deſiſterent. Cerua à Lupo fugata, cum inter duas acies, illæſa euaſiſſet, Romanis victoriam addixit.

Adeo inauſpicatus luporum in vrbe conſpectus habitus eſt, vt, quotieſcunque viſerentur, ſiue oppreſſi, inſectantium induſtria, interficerentur; ſiue euaderent, ſemper vrbs, ſolenni luſtratione, expiaretur, qua auerti atque depelli calamitates, quas apportaſſent lupi, credebantur. Idque ſæpe factum lupis in vrbe, foro Capitolio, Quirinali colle, Exquiliis conſpectis: vt anno vrbis 577. cum Collatina porta lupus ingreſſus, per Exquilinam, magno conſectantium tumultu effugiſſet, & anno vrbis 558. cum per Exquilinam portam quidam ingreſſus, frequẽtiſſima vrbis parte, decurriſſet in forum, & Thuſco vico atque inde Melio, per Capenam portam, prope intactus abiiſſet.

Omina & prodigia. Omina vero atque prodigia è quib. augurati ſunt veteres, fuerunt diuerſimoda. Quædam enim vere aliquid ſiue dirum, ſiue fauſtum, vt ex hiſtoriis tam ſacris, quam profanis cõſtat, portenderunt, atque etiamnum hodie ſicubi ſeſe exhibent, mira

mira atque vt plurimum dira ſæpius portendunt. Quædam vero à deplorate ſuperſtitioſis pro ominib. atque prodigiis venditantur, quæ tamen ne minimam quidem ominum prodigiorum ve habent ſpeciem ſiue rationem. Ad quam claſſem etiam ſortes ſuperſtitioſorum referendæ, de quibus etiam ſigillatim dicam.

TH. Plurimum veteres ominibus tribuerunt; & quanquam ſuperſtitioſe nimis, non tamen in vniuerſum floccipendenda ſunt omina. Non tantum enim verba præmeditate, ſed etiam quandoque temere prolata varios euentus ominata fuiſſe ſæpius compertum eſt. Exemplum huius exhibet Hēricus Comes Schvvarzburgenſis, qui exitus ſui ominoſum ferebat præſagium in Prouerbio: *Si*, inquit, *hoc fecero, mergar in latrina.* (Erat hæc quotidiana ſuiipſius, ſi quid confirmare vellet, imprecatio.) Tandem enim Erfordiæ (vrbs eſt Germaniæ) in conuentu quodam ad D. Petrum, collapſo ædificio vna cum aliquot nobilibus in latrinæ ſordibus periit, vbi etiam Fridericus I. Imp. qui illi conuentui intererat, collapſis trabibus, vix ad cancellos feneſtræ ferratos adhæreret. Quamobrem recte imprecationes quaſcunque tanquam ominoſas, execrata eſt antiquitas. Conſtat id inter cætera ex hiſtoria de Appii Cæci filia, cuius meminit Gellius *lib. 10.* Ea enim exiens à ludis quos ſpectauerat, quum à turba vndique confluente fluctuanteque populo iactata eſſet, quum ſe male habitam eſſe diceret, hiſce verbis & imprecationibus vſa eſt: Quid in me tunc factum eſſet, quantoque artius preſſiusque conflictata eſſem, ſi P. Claudius frater meus nauali prælio claſſem nauium cum ingenti ciuium numero non perdidiſſet? certe quidem maiore nunc copia populi oppreſſa intercidiſſem: ſed vtinam reuiuiſcat frater, aliamque claſſem in Siciliam ducat, atque iſtam multitudinem perditū eat, quæ male nunc miſeram conuexauit. Ob hæc vota improba ac inciuilia mulctam dixerunt C. Fundanius & T. Sempronius ædiles huic Appii Cæci filiæ, æris grauis viginti quinque millia. Merito ergo laudat Plutarchus *in Alcib.* Sacerdotem quandam eo nomine, quod dira precari atque ita malum ominari Alcibiadi noluit. Damnato enim Alcibiade, quum omnes vtriuſque ſexus ſacerdotes iuſſi eſſent, vt abſentis caput execrarentur, vna ex illis hoc detrectaſſe dicitur, *precibus, non imprecationibus ſe ſacerdotem conſtitutam,* dicendo.

Hinc ille mos antiquus apud Romanos ſalutandi & imprecandi atque adeo ominandi ſalutem, quam Græci verbo χαῖρε, id eſt, *aue*, tempore matutino, veſpertino autem ὑγίαινε, quod eſt, *ſalue*, vſurpabant. Vnde illud Dionis *in Claudio*, prolatam à reis damnatis decertaturis in prælio nauali: Salue Imperator; percuntes ſalutamus te. Salutem autem precandi (quam boni ominis loco acceptabant) in Epiſtolis antiquis morem fuiſſe, colligo ex Dione in Tiberio, vbi habet: *Quum Rhodii Magiſtratus ad Tiberium ſcripſiſſent, nec eſſent ei, vt erat conſuetudo, in extrema epiſtola ſalutem precati, eos ob eam rem accerſiri iuſſiſſe, tanquam in eos animaduerſurus eſſet, qui quum veniſſent, nihil acerbius fecit, ſed eos poſtquam vota quæ deerant epiſtolæ, ſubſcripſiſſent, dimiſit.* Obſeruamus etiam apud veteres in ſternutamentis morem fuiſſe, (quemadmodum & hodie) ſalutem precari. Quod Plinius *lib. 28. cap. 2.* tradit, & Apuleius *in Metam. libro*, nec non & legimus apud Theocritum *in Talyſiis & in Epithal. Helenæ.* Idem quoque Propertius lib. 2. Eleg. 3. affirmat, dum ſcribit:

Hunc tibi naſcenti primis (mea vita) diebus
Aridus argutum ſternuit omen amor.

Et Tib-

Et Tiberium Cæſarem in ſternutatione exegiſſe ſalutationem; & ſalutis precatione dirum & infandum auerti tradit Plin. *lib.28.cap.2.* Vnde Ariſtoteles ſignum augurale ſternutamentum tradit *33.ſect probl.7.& 9.* huius rei cauſam docens. Vnde etiam ſalutis Deæ templum Romæ fuiſſe teſtantur Pompeius *lib. 17.* & Varro *lib.4.* Hunc ſalutem precandi morem fuiſſe etiam Iſraelitis conſtat ex hiſtoria ſacra, & ſacerdos ſacris peractis certa ac definita formula populo benedixiſſe itidem conſtat. Quinetiam Ioannes Gioppius Germanorum, quam ipſe forma lib. verbis allegat bene precandi formulam, Gott grüß euch/ à diuina illa ac primæua benedictione: *Creſcite & multiplicamini*, deriuatam eſſe plauſibiliter autumat.

De Geniis. EQ. Ita eſt, atque ipſe ego etiam plurimum tribuo imprecationibus, plerumque enim aliquid ſecum ominis trahunt, ac ſuſpicor etiam, hinc natam eſſe illam de Geniis multivagam perſuaſionem, qui quaſi executores bonorum pariter ac malorum omnium ſeſe exhibent, de quibus tamen certi aliquid vix cognoſci poteſt.

TH. Imo de Geniis (angelos intelligo tam bonos quam malos) certa & conſtans eſt doctrina in ſacris literis expreſſa, proindeque exinde cognitio, quantum ea quidem nobis ſufficit, facile depromi poteſt. Atque hac doctrina, quia Ethnicis non innotuit, ideo tam grauiter ſæpius in hoc de Geniis negotio hallucinati ſunt, deque Geniorum officio tam confuſe tamque diuerſe ſenſerunt & ſcripſerunt. Debet igitur vnusquiſque, omiſſis vel gentilium nugis, vel nimis curioſorum hominum adinuentionibus certo, idque ex ſacris literis, quæ neminem fallunt, ſtatuere, bonis angelis mandatam eſſe à Deo humani generis cuſtodiam, cum ſine dubio vnuſquiſque homo pius habeat angelum cuſtodem & defenſorem, idque Chriſtus veritas ipſa nobis reuelauit, vbi *Matth. 18.* dicit de paruulis credentibus in ipſum, quod angeli eorum in cœlis perpetuo aſpiciunt faciem patris ſui. Et regius Propheta *Pſal.91.* Angelis ſuis mandabit de te, vt cuſtodiant te. Item *Hebr.1.* Omnes angeli miniſtratorii ſpiritus. Quo reſpexit D. Hieronymus *lib.3.ſuper Matth.* Magna dignitas, inquit, animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelum deputatum. Et Origenes *Homil.71.* Adeſt vnicuique noſtrorum, etiam minimis qui ſunt in Eccleſia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis & miſerationibus expoſcendis, quotidie videat faciem patris qui in cœlis eſt. Quare curet vnuſquiſq; ſedulo, ne repellat impietate ſua angelum præſentem & auxiliantem, atque adeo paratum pro ſe propugnare. Vt enim fœtentia atque fœda ac impura cuncta fugiunt apiculæ, ſic angelica caterua abſcedere ſolet à libidinoſa ac petulante & turpi hominum vita. Illis autem repulſis, in locum eorum malos angelos ſuccedere, qui callidiſſimi ſagaciſſimique ſunt ad nocendum & miſeros homines in exitium perducendum, nemo ſanæ mentis inficiari poterit. Et probe tenenda ſunt S. Macarii Ægyptii verba, *Homil.22.de duplici ſtatu decedentium:* Cum anima, inquit, deceſſerit è corpore hominis, tunc magnum peragitur myſterium. Nam ſi fuerit illa peccati rea, accedunt chori dæmonum & angeli ſiniſtri ac poteſtates tenebrarum apprehendunt animam illam, & imperio ſuo ſubiugatam in partes ſuas pertrahunt. Nec debet hoc videri cuipiam inſolens. Si enim dum viueret homo, & in hoc ſeculo ageret, ſubditus fuit, obtemperauit & inſeruiuit illis, quãto magis cum egreditur ex hoc mundo, detinetur ac poſſidetur ab ipſis. Quod autem res ita ſe habeat, ex ea parte potes intelligere, quæ felicioris eſt conditionis. Siquidem ex præſenti tempore

Digitized by Google

pore ſancti Dei ſerui, angeli ac ſancti Spiritus circumdant eos & cuſtodiunt. Cumque exierint è corpore, chori angelorum aſſumunt animas in ſuam partem in ſeculo puro, & ſic adducunt eas ad ſuum dominum.

PH. Aliq; veteres Ethnici de Geniis ſiue angelis cognitionem habuerunt, ſed mirifice conuolutã & monſtroſarum opinionum colluuie obfuſcatam. Crediderunt, ſingulos homines, ſtatim atque nati fuiſſent, dæmones duos habere, alterum malum, alterum bonum, quorum nos ſub tutela eſſemus, quos ambos Genios vocarunt, & putarunt nobiſcũ eſſe natos. Cæterum non homini ſolum, ſed & ſingulis ciuitatibus attributos eſſe genios, in quorum tutela eſſent atque patrocinio, exiſtimabant. Hinc eo proceſſerunt, ſuperſtitioſæ dementiæ, vt cum vrbem oppugnabant, à vatibus intelligere conarentur, cui genio & quibus ſpiritibus vrbs illa eſſet commendata, & hoc intellecto, ſpiritus quibuſdam ſacrificiis eliciebantur, quibus elicitis, promittebant illam ſe incolumem reſtituturos, ſi à fauore vrbis deſiſterent. In hac opinione ſuperſtitioſa multis exemplis gentiles confirmati ſunt, quod viderent, Deos tutelares vrbem aliquam veluti deſerere, & ad hoſtes tranſire. Viſa enim ſunt, inquit Ælius Lampridius *in vita Commodi*, veſtigia deorum in foro exeuntia. Et Tyri diis ſuis vincula, vt Plutarch. *in Problem.* ait, iniicere ſoliti ſunt. Cumq; ab Alexandro obſiderentur, multiq; Tyriorũ per inſomnium viſi eſſent ſibi, audire Apollinem dicentem, vt Plutarchus *in vita Alexandri* commemorat, ſibi ea quæ in vrbe agerentur, non probari, ideoque ſe ad Alexandrum abire; atque hi quidem perinde ac ſi hominem ad hoſtes transfugere aggreſſum in ipſo facto deprehendiſſent, coloſſum dei eius catenis ligauerunt, clauiſque baſi affixerunt, Alexandriſtam appellantes. Similiter Pauſanias refert, peruetuſtum Spartæ extare ſimulachrum Martis, compedibus irretiti, quo vinculo proprium ſibi ac Reip. perpetuum bellatorem illum Deum, nec vnquam ſuæ vrbis deſertorem futurum, veluti in peculio obligatum habere voluerunt.

EQ. Vah, quorſum euaſere gentilitatis delira & ſuperſtitioſa ſomnia, exiſtimantis, ſuis ineptiis Deum in ordinem velut hominem cogi poſſe? Sed priſcis recentiora miſceamus. Similis ſuperſtitio inualuit apud Indos Occidentales, qui non ita pridem noſtro orbi ſagacitate Hiſpanorum innotuerunt. Apud illos enim, ſicut in additionibus Benzonis, *lib. 1. cap. 26.* legimus, Regulus quidam Gamaretus nomine, Zemis idolum bombycinum habuiſſe fertur, Corocottum appellatum. Hic Corocottus è ſummo domus culmine, vbi vinctus aſſeruabatur, ſępenumero exire, atque inter fœminas regii pagi, ac totius circa vicinię, Satyri aut Incubi inſtar, oberrare, & cum iis etiam familiariter ludere, epulari & coire conſueuerat. Mox cum ab eo congreſſu, fœminæ partus gemina corona aut alia illuſtri nota inſignes eniterentur, nemo ex Corotti ſtirpe ortos eſſe dubitabat. Interdum etiam indignabundum deliteſcere ferebant, quod à Cacico vel Regulo ex quotidiano eius cultu & ſacris aliquid prætermiſſum eſſet. Alteri præterea cuidam Cacico Zemen fuiſſe ligneum memorant, quadrupedem Epilguanitam, qui ſubinde, quoties irritaretur, in ſyluas ſe proriperet; Moxque vt eum abeſſe ſenſerat Cacicus, multos è ſuis mittebat, qui eum ſtudioſe conquiſitum & placatum venerabundi humeris referrent.

TH. Ita nimirum inter miſeras illas gentes delitias facere ſolitus erat Satan, donec Chriſtianis in Inſulam aduentantibus, & iſte & cæteri Zemes aufugerent, nec quæſiti reperirentur.

Digitized by Google

PH. Non mirum adeo eſt, gentiles ſimpliciores in huiuſmodi ſuperſtitiones quandoque eſſe prolapſos; Veruntamen hoc ſæpius demiror, quod Romani, qui fuerunt reſpectu cæterarum gentium vtplurimum iudicii elimatioris, huic ſuperſtitioni itidem vt alii, immerſi fuerunt; hincque eſt, vt adhuc hodie verum ac genuinum nomen vrbis Romæ vulgo ignoretur. Singulari namque ſuperſtitione Romani genuinum nomen ſuæ vrbis arcanum habuerunt, id quod inter cæteros, ex Plinio patet, vbi loquens de Roma dicit: Cuius nomen alterum dicere, arcanis ceremoniarum nefas habetur. Quippe in ſuppreſſione genuini nominis vrbis Romæ, non minus quam in occultatione Ancyliorum vel Palladii, ſalutem Reip. ſitam eſſe opinabantur. Atq; ob eam etiam cauſam Valerium Soranum neci tradiderunt, quod arcanum nomen hoc propalare auſus fuiſſet, vt refert ex Varrone & Solino Pierius *in Hieroglyph. lib. 36.* vbi etiam putat Angeronæ (ſicut vulgo legitur, doctiorib. aũt Angerona ab angere, ἄγχειν, cohibere, Anchina, ἀγχόνη, quod ora digito angit, id eſt, cohibet) effigiem obligato obſignatoq; ore Romanos habuiſſe, vt ſilentio premendum innuerent, in cuius tutela Numinis Roma eſſet, quodq; proprium illi nomen; ob eam ſuperſtitionem ſcilicet, ne tutelares dii ſacris quibuſdam euocarentur deuorenturque, malæve imprecationes in vrbem euomi poſſent. Hoc enim nequaquam fieri poſſe opinabantur, niſi ſciatur proprium nomen illius vrbis; ſpiritus enim addictos ex aſtris nomini proprio, nunquam elici putabant, niſi nomen loci proprium audiant, & ne hoc aduerſus Romam per hoſtes fieri poſſet, ſemper proprium nomen maxima cura celatum eſt, ita vt nemo propalare impune potuerit. Cæterum carmen (vt id obiter dicam) quo dii olim euocabantur, quum oppugnatione ciuitas cingebatur, huiuſmodi fuit, ſicut in Sammonici Sereni fragmentis legimus: *Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus ciuitaſque (Carthaginienſis) eſt in tutela, teque maxime ille, qui vrbis huius populique tutelam recepiſti, precor veneror que, veniamque à vobis peto, vt vos, populum, ciuitatemque (Carthaginienſium) deſeratis, loca, templa, ſacra vrbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis, eique populo ciuitatique metum, formidinem, obliuionem iniiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis, noſtra vrbis loca, templa, ſacra, vrbsq; acceptior ſit, mihi quoq; populoq; Rom. militibusq; meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus intelligamusq; ſi ita feceritis, voueo vobis templa ludosq; facturum.*

TH. Nimirum ſuperſtitioſæ hæ veterum ineptiæ, deprauata veritate ex Bibliis ortum ſuum habuerunt. Conſtat enim ex ſacris literis, (quod paulo ante etiam dixi) non ſolum ſingulis gentibus, veluti præſides angelos, ſed etiam vnicuique pio homini angelos peculiares, qui ſunt ſpiritus deſtinati, ad ſalutem fidelium cuſtodes datos. Vnde in lib. Iudith *cap. 5.* Achior Ammonita Holofernem Principem militiæ regis Aſſyriæ monet, Bethuliam vrbem neutiquam eum capere poſſe, niſi prius Deus iratus ipſis ab ea receſſerit. Iſraeliticus etiam populus quum duce Angelo per mare rubrum, & in Palæſtinam expulſis incolis, ex Ægyptiaca ſeruitute traductus eſſet, rex Moabitarum Balaacus, ſeruiens idolis, opera Baalami maledictione ſua emercata, Dei veri auxilium euocare conatus fuit. Cæterum, cur Romani Deum Iudæorum, ſicut alii diis Gentium facere conſueuerant, more apud illos, ſicut diximus, recepto, in ſubiuganda Iudæa, & acerrima illa obſidione Hieroſolymitana non euocauerint, rationem hanc reddit D. Auguſtinus, *de conſenſu Euangel. lib. 1. cap. 12.* Solebant, inquit, Romani, deos gentium quos ſubiugabant colendos propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ,

Hebrææ, cum eam vel oppugnauerunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quod videbant, ſi eius Dei ſacra reciperent, qui ſe ſolum, deletis aliis ſimulachris coli iuberet: dimittenda eſſe omnia quę prius colenda ſuſceperant, quorum religionibus imperium ſuum creuiſſe arbitrabantur. Sed hæc obiter.

PH. Hinc illa veterum de Lucina, Penatibus ac Laribus figmenta, diuini honoribus ab antiquis culta. Ac Lucinæ quidem (quam appellationem à Luna nacta eſt, præeſſeque parturientibus credita fuit) tanta fuit reuerentia apud antiquos, vt non ſolum præeſſe parturientibus credita ſit, verum etiam tanquam cuſtodis, cui ortus & vitæ ſalutiſque humanæ initia deberentur, illius imago ante fores ædium ponebatur. Neque hominibus ſolum præeſſe parturientibus hæc Dea putabatur, ſed etiam brutis & plantis; quoniam his omnibus Lunæ humor vel naſcẽtibus vel parientibus confert. Præcipue autem maxima religione apud Eleos Lucina colebatur, cuius ope victoriam Elei ex Arcadibus reportarunt. Nam quum Arcades Eleorum agrum hoſtiliter inuaſiſſent, omniaque incurſionibus popularentur, in aciem aduerſus illos prodierunt Elei. Tum fama eſt mulierem quæ puero mammam præberet ad Eleorum duces acceſſiſſe, quæ ſe puerum illum peperiſſe diceret, hortataque eſt, vt eum eius belli ſocium aſciſceret, quod ipſa ita fuiſſet per ſomnium admonita. Tum qui ſummæ rei præerant inter Eleos fidem mulieri præſtantes puerum nudum ante ſigna locandum curarunt: deinde cum facerent impreſſionem in hoſtes, puer is in ſerpentem vertitur in conſpectu omnium. Eo prodigio territi Arcades in fugam vertuntur, atque Elei, quo in loco ſub terram ingreſſus eſt ſerpens, vbique victoriam ſunt adepti, templum illi puero erexerunt, quem Soſipolim ſiue vrbis ſeruatorem appellarunt; ibidemque ſunt Lucinæ ſolennes honores decreti, quod illam puerum illum peperiſſe & attuliſſe Elei interpretati ſunt. *Lucina.*

Quod ad Penates, quos finxit antiquitas, attinet, opinio fuit, natos infantes, vbi Lucina ſuum munus expleuiſſet, ſtatim à Penatibus diis ſuſcipi. Hos & deos patrios & familiares, & ciuitatum præſides, & priuatarum domorum cuſtodes nominarunt & crediderunt. Patrii autem dicti fuerunt, quoniam non modo ſingulas ciuitates, ſed etiam ſingulas domos, atque adeo ſingulos homines & animalia & plantas certos ac peculiares habere deos crediderunt, quorum eſſent tutelares. Hos Penates vocarunt & magnos deos & bonos & potentes, quod penes illos vniuerſam humanæ vitæ moderationem ſingulorumque eſſe arbitrarentur. *Penates.*

Quod porro ad Lares attinet, iidem putabantur eſſe qui Penates, creditique fuerunt pericula familiis imminentia depellere expiati. Atque his pueri pro familiarum ſalute immolabantur, verum ſequentibus poſtea temporibus apud Romanos, alliorum papauerumque capitibus pro pueris, immutato ritu, illis ſacrificatum fuit. Erant his dæmonibus canes præterea, veluti etiam Dianæ, dicati, quia communes familiarum cuſtodes putabantur, quibus etiam focus erat conſecratus: hinc effectum, vt Laris nomine focum & vniuerſam domum vocauerit antiquitas. Cæterum Larium deorum multas ſpecies fecit ſtulta illa priſcorum vanitas. Romæ fuit vicus Larium muralium, quod docuit Petrus Victor. Et Tybull. *Lares.*

Digitized by Google

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera veſtra Lares.

His ludi compitalitii in vrbe per compita celebrati fuerunt. De quibus Ouid. lib.1.Faſt. *Fitq; grauis, geminosq; parit, quia compita ſeruant,*
Et vigilant noſtra ſemper in vrbe Lares. Et 5. Faſt.
Sunt quoque pro nobis, & præſunt mœnibus vrbis
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.
Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quæ ſtandi cum Lare cauſa fuit?
Seruat vterque domum, Domino quoque fidus vterque eſt,
Compita grata Deo, compita grata cani.

Et Varro *lib.2.de lingua Latina*, aut aliorum computatione *quinto*, de eiſdem. Et Dionyſius Halycarnaſ.lib.4. *Sacrificia compitalia ſacra facientibus non ingenuos, ſed ſeruos miniſtrare voluit, quaſi hoc gratius eſſet Laribus.* Quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus poſt Saturnalia, cumprimis celebre & ſumptuoſum, *Compitalium* appellatione. Duratque mos ille priſcus in ſacris placandi Genios per ſeruorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate manſuetiores redditi Dominos chariores habeant, & leuius ferant ſuæ fortunæ inclementiam. His ſacratas publicas ædes ex Cic. *de natura Deorum*, vbi legimus *Ædes Larum, & malæ Fortunæ.* Apud Varronem legimus *lib.1.c.7.* Laribus dicatum Querquetulanum Sacellum, vnde Lares Querquetulani, quod in monte Cœlio fuiſſe coniicimus, qui Querquetulanus à quernea ſylua antiquis vocatus fuit. Plautus *in Mercatore* meminit Larium vialium, id eſt, qui viæ præſunt. Feſtus lib.8. *Romæ*, ait, *quod colebantur Lares hoſtiles dicti, quod ab iis hoſtes arceri credebantur.* Vnde illud:

Annibalemq; Lares Romana ſede fugantes.

Lares marinos obſeruamus apud Nonium ex Varrone: *Suſpendit*, inquit, *Laribus marinis molles pilas, reticula, ſtrephia.* Liuius *lib.40.* recenſet, L. Æmilium Regillum Antiochi claſſe profligata Laribus marinis Ædem vouiſſe, quæ annis quadraginta poſt dedicata eſt. Præter autem Lares publicos, de quibus hactenus, fuerunt & Lares familiares, peculiares inquam familiæ, ſeu domus. Apuleius *in lib. de Deo Socratis*, inquit: *Cæterum Lares Deos domeſticos fuiſſe.* Quod pariter confirmat Tertull. *in Apolog. c.13.* Et domus cuſtodes vocant Plutarchus *probl.50.* & Arnobius *contra gentes lib.3.* Horum etiam meminit Cato *de re ruſt.c.2.* inquiens: *Lar erat qui domi à familia colebatur.* Plaut in Aulul.

Ego Lar ſum familiaris ex hac familia, vnde exeuntem me aſpexiſtis.

Cic.in Verrem: *Relinquere familiarem Larem ſuum.* Et iterum: *Redire ad Larem familiarem ſuum.* Et pro Quinctio: *Alicui manus allatas eſſe ante ſuos Lares familiares.* Saluſt.in Catil. *Illos binos & amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nuſquam eſſe?* Quamuis & his in locis poſitum Larem familiarem dicere poſſimus etiam pro domo particulari, vt Martialis lib.1.

O mihi curarum precium non vile mearum
Flacce Antenorei ſpes & alumne Laris.

Horat. Serm. lib.1. Satyra 2.

Qui patrium mimæ donat fundumque Laremque.

Et Cicero in Epiſt. *Craſſus pene à meis laribus in Prouinciam eſt profectus.* Verum, quod

Digitized by Google

quod ad larem familiarem ſpectat, nec illud omittendum, quod antiquitas eſt fabulata, ex Plinio *lib.36.cap.27.* vbi legimus, Tarquinio Priſco regnante, repente in foco comparuiſſe genitale è cinere maſculini ſexus, eamque, quę inſederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam Ocriſiam captiuam conſurrexiſſe grauidam. Ita Seruiū Tullum natum, qui regno ſucceſſit. Ideo & in Regia cubanti puero caput arſiſſe viſum, creditumque Laris familiaris filium, & ob id Compitalia, & ludos Laribus primum inſtituiſſe. Hinc factum puto, quod etiam Larem accipiamus pro foco. Ouid. 1. Faſt.

A quibus hoc populum ſpectat, at illa Larem.

Et Col. lib. 11. cap. 1. *Conſueſcatq; ruſticos circa larem Domini, focumque familiarem ſemper epulari.* Et Ouid. l b. 1. de Triſt.

Illa etiam ante Lares ſparſis proſtrata capillis
Contegit extructos ore tremente cibos.

At quod magis ad rem noſtram facit; Diis Laribus, ſeu penatibus, aut geniis familiaribus domi principes viri ſacrarium habebant, in quo illi ſacra faciebant, eoſdemque venerabantur, quod ſacrarium Lararium vocabant; nec ſolū in eo Lares Deos colebant, ſed & viros præſtantes, ac ab ipſis amatos, quoſq; magni faciebant. Ita Suet. *in Vitellio cap. 2.* ſcribit, illum coluiſſe inter Lares aureas Narciſſi, & Pallantis imagines. Refert & Lampridius Alexan. Seuerum Imperatorem in Larario ſuo coluiſſe inter cæteros Abrahamum, & Chriſtum, & Orpheum, & Apollonium, illiſque ſacra feciſſe. Capitolinus ſcribit, M. Antoninum Philoſophum, etiam tantum honoris magiſtris ſuis detuliſſe, vt imagines eorū aureas in Larario haberet. Alexan. Seuerus, teſte Lampridio, in ædibus ſuis binos Lararios habuit, alterū maius dictum, de quo Lampridius; *Alexan. vero Magnum inter Diuos & optimos in Larario maiore conſecrauit.* Alterum fuit minus, & ſecundum appellatum, de quo idem auctor eod. in loco: *Virgilium autem, Platonem Poetarum vocabat, eiusq; imaginem cum Ciceron. ſimulachro in ſecundo Larario habuit, vbi etiam Achillis & magnorum virorum.* Vopiſcus in Floriano, Taciti mortis omen fuiſſe ſcribit, quod in illius Larario Dii omnes concidiſſent. Liuius *lib. 45.* de Pauli Æmilii triumpho: *Nam duobus è filiis, quos datos in adoptionem ſolos nominis, ſacrorum, Familiaeque heredes retinuerat domi, minor ferme 12. annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior 14. annorum poſt triumphum deceſſit.* Sacrorum inquam familiarium, id eſt, quæ ſacra Laribus domi fiebant, vt ego interpretor. Ideo & Lares etiam, Geniales Dii dicti, quod veluti nobiſcum geniti, & nos genitos tueantur.

EQ. Prægnans & fœcunda nimiū eſt hæc de Penatibus & Laribus ſuperſtitio, ſeq; adeo late extendit, vt etiā in Boruſſiam ſuam aduexerit ſobolem. Scribit enim in quadam Epiſtola Ioannes Meletius, in Sarmatia coli Spiritus quoſdā viſibiles, qui lingua Ruthenica, *Coltri*, Germanica *Koboldi*, dicantur, quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum, nutriuntque eos laute omni ciborum genere; eo quod adferre ſoleant nutritoribus ſuis frumentum, ex alienis horreis furto ſublatum. Cum vero alicubi illi ſpiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo ſuam erga patremfamilias voluntatem declarant; in domum congerunt noctu ſegmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia ſtercora animalium: quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec diſſipauerit ſegmenta, nec ſtercora è mulctris eiecerit, ſed de inquinato lacte cum omni familia ſua comederit, tunc illi apparere & permanere ibi dicuntur. Idem iudicium de ſpectris vi- *Koboldi.*

runculorum ac fœ nellarum, breuitudine ac ſpecie Pigmæi vel Pumilionis, olim in multorum domibus frequentium, & domeſtica fere cuncta miniſteria ſolitorũ obire, equos curare, domum verrere, ligna & lympham adferre, & ſimilia facere: de quibus Olaus Magnus, Galli vocãt *des Gobelins*; Teutones *Kabbautermanneken*: &, *Gutelkens*, Germani ſuperiores *Kielkrœpſ*; & Sueones *Trullas* appellant. Huc pertinent montani illi, quorum nobis hiſtoriam Georg. Agricola prodidit; in metallicis (ait) fodinis inueniuntur, & truculenti quidem, vel ſolo aſpectu terribiles, plerumque metallicis infeſti atque inimici ſunt. Talis fuit *Annebergius* dæmon, qui operarios amplius duodecim flatu interfecit, in ſpecu, qui *corona roſacea* appellatur, eo nomine relictus, quantumuis argento diues eſſet. Flatum vero emittebat ex rictu, cum equi ſpecie habentis procerum collum & truces oculos appareret. Eiuſmodi etiam fuit *Snebergius*, nigro cucullo veſtitus; qui in fodina Georgiana operarium è terra ſublatum in ſuperiore loco maximæ illi concauitatis, quondam feracis argenti collocauit, non ſine corporis attritu. Quæſtuoſam admodum fodinam deſerere apud Turcas cogebatur Iudæus à dæmone metallico, hominibus frequẽter in forma capræ aurea cornua gerentis apparente. At ſedatos illos, Germanorum alii, vt etiam Græci, *Cobalos* vocant, quod hominum ſint imitatores. Nam quaſi lætitia geſtientes rident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii *virunculos montanos* vocant, quia plerunque apparent nani, tres dodrantes longi; videntur autem eſſe ſeneciones, & veſtiti more metallicorum; id eſt, vitteto, induſio, & corio circum lumbos depẽdente. Innoxii ſunt hi metallicis, etſi interdum glareis operarios laceſſunt, rariſſime tamen eos lædunt; niſi cachinno vel maledicto laceſſiti. Potiſſimum opus facere videntur in his ſpecubus, in quibus metalla iam effodiuntur, vel ea effodi poſſe ſpes eſt. Damnandus vero prorſus Paracelſi error, dæmonum hæc genera, ad hominum ſpecies reducentis. Nam *Epiſtola ad Athenienſes, ſiue de occulta Philoſophia*, quaſi veriſſimum axioma, nihil veritus fuit conſtãter aſſeuerare, Deum pręter homines Adami poſteros, alia quatuor hominum genera, carne, & oſſibus, & ratione prædita creaſſe, eoſque in ſingulis elementis ad inhabitandum collocaſſe, in quibus ſinguli ſuam haberent rempub. & ex negociatione ac laboribus victum & amictum ſibi comparare, & eos homines, qui in terræ viſceribus habitãt, vocari Pigmæos & Gnomos, qui in aquis, Nymphas & Vndenas, qui in aere, Silphos & Meluſinas, quos ſolos cum hominibus Adami poſteris commercium habere, & ex mutua commixtione liberos gignere. Qui in igne ſunt, Vulcanos & Salamandras appellari: Et incertum adhuc eſſe; cuinam generi horum hominum vera fides in Deum ſit data, & via ad ſalutem patefacta. Hęc ille, prout eum citant Godelmannus & alii.

TH. Hæc profecto dura ſunt verba, non lingua ſiue voce, ſed fulmine vindicãda. Nam his Paracelſi dictis nihil nugacius, nihil blaſphemius, nihil à recta fide dici poteſt alienius, ergo ne mutila & manca S. ſcriptura, quæ de vno tantum hominum genere nos inſtruxerit? ergo dubia ſalus noſtra? ergo dubia redemptio? non ergo ſecundus Adam Chriſtus; vt nos, qui in primo mortui, in ſecundo viuificaremur? ſi hoc dubium, nonne ruunt veteris teſtamenti promiſſiones, concidit exhibitio & repræſentatio noui? Et ſunt, qui tales libros nugis, mendaciis, blaſphemiis refertos, in Latinum vertant ſermonẽ: ſunt qui pulchris formis cudant recudantque? ſunt qui ament Paracelſiſtæ vocari? ad inſtitutum redeamus. O in quæ reſeruati ſumus tempora!

PH. Ego

Digitized by Google

PH. Ego ſpectrorum domeſticorum pariter ac ruralium innumerabilem illam ſentinam ex hac de laribus ſuperſtitione emanaſſe autumo, quib. Satan ſimplicioribus ſceleſte ac turpiter impoſuit, eosque pernitioſe dementauit.

EQ. Quomodocunque ſe res habeat, conſtat certe, olim Ethnicis cordatioribus præceptisque ſolidioribus philoſophicis imbutis, firmiter perſuaſum fuiſſe, viris bonis & fortibus ſimulachra & nocturnas apparitiones nunquam, aut quam rariſſime apparuiſſe: ſed pueris, mulierculis, vecordibus atque ægrotis, qui per animi imbecillitatem aſſidua formidine exagitantur. Ii enim putant videre per hallucinationis ſpeciem phantaſmata, ad quæ rapiuntur phantaſtico & inani attractu, quæ reuera non vident, quæque etiam nuſquam ſunt. Hoc tragico Oreſti cōtigit, vbi inquit: O mater ſupplex oro te, ne incute mihi ſanguinarias coruſcasque pupillas; ipſæ enim ipſæ propter aſſiliunt me. Dicit hæc quidem ille vt furibundus, nihil vero videt, etſi videre videtur. Propter quod illum Electra ita compellat: Sta miſerande tuis immote in ſtragulis, cernis horum nihil, quæ coram cernere reris. De ſpectris

TH. Qui igitur immunes ab huiuſcemodi imaginationibus eſſe volunt, iis curandum eſt, vt animus intenſiſſime cogitationibus honeſtis aliisq; rebus præſertim piis, occupetur, neq; perturbationibus locus relinquatur.

EQ. Memorabile eſt, quod de Democrito Abdera oriundo traditur. Huic enim tam firmiter perſuaſum fuit, eiuſmodi nihil eſſe in rerum natura poſſe, vt quū ſe in monumento extra portas clauſiſſet, ibique degeret, dies noctesque ſcribens atque componens, iuuenesque eum quidam illudere cupientes ac perterrefacere, nigra veſte in modum cadaueris ornati, ac perſonis in capita afflictis illum circūſilirent, hic neque eorum commēta pertimuerit, neque eos omnino reſpexerit, ſed inter ſcribendum: Deſiſtite tandem, dixerit, ineptire.

PH. In Democritea hac opinione fuit etiam Caſſius, imbutus placitis Epicuri, vnus ex interfectoribus C. Cæſaris. Is enim cum metum conceptum ob ſpectrum quoddam Bruto adimere cuperet, ita eum, vt Plutarchus refert, compellauit: Non ita exiſtimamus Brute, non affici nos reuera ſemper iis, aut videre ea, quibus affici nos, aut quæ cernere nobis videmur. Nam & ſenſus mobiles ſunt, ac facile decipiuntur, & mens multo celerius ſeipſam nulla impellente cauſa concitat, & quaſuis ſpecies concipit: quippe hæc imaginum formatio ceræ quandam habet ſimilitudinem, & animo hominis, in quo & effingendi & effigies recipiendi ineſt vis, id quoque ſuapte natura adeſt, vt quam facilime variet idem atque formet. Demonſtrant hoc inſomniorum tam variæ vices, quibus vis imaginandi ex leui initio ita conuertitur, vt omnis generis viſa & affectiones exiſtant. Etenim animi natura ea eſt, ſemper vt moueatur: motio autem illa imago aliqua aut intellectio eſt. Porro tibi corpus natura afflictum, mentem exagitat, atq; minus ſui compotem reddit. Neque vero probabile eſt, genios vel eſſe, vel hominum formā habere, vocemve aut vim quandam ad nos pertinentem. Omnino autem velim, nos non armorum modo, equorum, nauiumq; tantis copiis, ſed & deorum ductu fretos eſſe atque confidere, qui ſanctiſſimi atque pulcherrimi facinoris auctores duceſque ſumus. Hucuſque verba Caſſii.

PH. Sane viris cordatioribus non tam frequenter atque timidiuſculis obuer

lari atque obiici ſpectra, haud grauate largior. At nulla omnino eſſe ſpectra, id vero pernego. Reclamat enim ſacra Scriptura, reclamant auctores grauiſſimi, reclamat experientia. Aliquot ex infinitis adducam exempla memorabilia.

Apud Aquilonares populos ſolent nocturni viatores, gregumque & armentorum excubiis intenti, portentis diuerſi generis circumfundi mirifico concentu. Hunc nocturnum monſtrorum ludum vocant incolæ choream Eluarum: de quibus eam habent opinionem, quod animæ eorum hominum, qui ſe corporeis voluptatibus dedunt, corporibus illapſi circum terram volutētur. E quorum numero credunt eos eſſe, qui ſe adhuc noſtro ſeculo in effigie humana accommodare ſolent miniſteriis hominum nocturnis horis laborando, equosque & iumenta curando. Veſtigia certe harum laruarum mane interdum in herbida roſida deprehēduntur, interdum vero ceu igne exeſa conſpiciuntur. *Olaus Magnus lib. 3. cap. 11. Septentrional. gentium.*

Arx eſt in extremis terris Finlandiæ ſuppolaris regno Suetiæ ſubiecta, Noua arx dicta, eo quod miris ingeniis extructa, arte naturaque munita ſit, nam in rotūdo monte collocata eſt, vnicum habens introitum & exitum verſus Occidentalē partem: idque per ratem grandibus catenis ferreis alligatam, quæ forti labore ſingulis dieb. trochlearum beneficio, ob aquarum impetum, per noctem à cuſtodib. ad vnam partem fluminis attrahitur. Hoc caſtrum præterlabitur vaſtiſſimus fluuius, inſcrutabilis profunditatis, ex albo lacu deſcendens, à fundo nigri coloris efficitur, præſertim in circuitu huius arcis, vbi omnes piſces nigros habet, & generat, non tamen ingrato ſapore. Tandem vero nigrum lacūm efficit, tranſiens per Viburgum. Ad hunc fluuium ſpectra ſubinde apparent, & imminente morte præfecti arcis vel militis alicuius, citharædus per noctem in mediis vndis ludens conſpicitur & auditur. *Olaus lib. 20. c. 19. & 20.*

In Islandia inſula ſub Polo Arctico promontorium eſt, quod inſtar Ætnæ perpetuis ignibus æſtuat: ibiq; locus eſſe creditur pœnæ expiationisq; ſordidarum animarum. Illic nempe ſubmerſorum, ſiue alio violento caſu enectorum ſpectra ſeſe offerunt congreſſibus notorum hominum tam manifeſta, vt tanquam viuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum data dextra. Nec deprehenditur error, priusquam diſparuerint vmbræ. Incolæ plurimum præſagiunt fata Principum, quidve remotius in orbe peragitur, reuelationibus apparentium ſpectrorum. *Idem lib. 2. cap. 3.*

Naclum arcem Pomeranorum munitiſſimam Vladislaus I. Polonorū Rex obſidebat. Ibi nocte lucente luna, crebro viſebantur ab excubitorib. quaſi armatorū hoſtium acies, ex apertis campis ad ſtatiua Polonorū adequitantes & incurſantes. Cum id ſæpius accideret, indignati Poloni, inquietari ſeſe, nec vſquam in apertū certamen prodire hoſtes. Nocte quadam, cum itidē hoſtes adeſſe nunciarētur, frem ebundi agminatim è caſtris ſeſe proripuere, diffugientesque caſſo labore longius perſecuti ſunt. Obſeſſi tumultu Polonorum exaudito, & excurſione è caſtris animaduerſa, erumpunt ſubito, & ignem in opera atque tuguria militum ſtramine arundineque contecta iniiciunt, quo celeriter pluribus in locis ſeſe diffundente, paucis qui in caſtris manſerant defendentibus, facile opera cum magna caſtrorum parte conflagrarunt. Nocturnas vmbras illas fuiſſe autumant, quæ hoſtilis exercitus ſpeciem oſtentantes, Polonos ita diuino permiſſu exagitarunt: hoc incommodo accepto, Poloni, quod hyems, quæ citius & aſperius regiones illas affligit, iam inſtabat,

inſtabat, tuguriaque amiſerant, ſine quibus vim & iniuriam hyberni cœli perferre non potuiſſent, ſimul quod terrores illos nocturnos in religionem verterant, re infecta ab oppugnatione Nacli diſceſſere. *Cromer. lib. 3. hiſtor. Polon.*

Alexander ab Alexandro *lib. 2 Genialium dierum cap. 9.* ſcribit, quendam ſuum familiarem, non ambiguæ fidei hominem, amici funus curaſſe: & cum inde Romam reuerteretur, nocte adueniente in hoſpitium viæ proximum diuertiſſe, & ibi ſe animo & corpore fatigatum quieti dediſſe. Cumque ſolus degeret, & adhuc vigilaret, ait; repente amici nuper defuncti imaginem ſummo pallore & macie, ac eo ferme habitu oris, quali illum cum ægrotaret dimiſerat, ad ſe acceſſiſſe. Quem cum fuiſſet intuitus, & præ timore, nec animo, nec mente ſatis conſtaret, quiſnam eſſet? interrogauit. Ille autem cum nihil reſpondiſſet, exutis, vt videbatur, veſtibus, in eodem, cui ipſe incumbebat lectulo ſe collocauit, ac prope acceſſit, quaſi eum amplexurus. Alter vero cum fere iam metu exanimis videretur, ad lectuli ſpōdam ſeceſſit, illumque propius accedentem abegit. Qui ſe repulſam pati vidēs, alterum toruo & minus familiari vultu aſpectat, reſumptisque mox veſtibus è lectulo ſurrexit, & cinctus calceatusque inde abiens, nunquam poſtea apparuit. Quo timore familiaris ille perculſus, graui corripitur morbo, vt propemodum interierit. Addebat his, dum in lectulo cum illo luctaretur, ſe nudum illius pedem vſqueadeo gelidum contrectaſſe, vt nulla glacies huic frigori potuerit comparari.

EQ. Non dubiū eſt, quin maximo is horrore compulſus fuerit. At longe memorabilior dicam an horridior eſt hiſtoria, quam recenſet Cornelius Agrippa, *de occulta Philoſophia c. 41.* his verbis: Quandoq; etiam, inquit, quod tamen rariſſimum eſt, tanta inſania aguntur animæ, vt non viuentium modo corpora petant, ſed in relicta ſua cadauera quadam ſtygia vi remigrent, & velut rediuiui horrenda patrēt facinora. Sicut legimus apud Saxonem Grammaticum Aſuitum quendam, & Aſmundum inter ſe communibus votis coniuraſſe, quemnam illorum vita prolixior excepiſſet, mortuo contumulandum: tandem Aſuitus morbo conſumptus, cum cane & equo ſuo vaſto mandatur antro, cum quo & Aſmundus ob amicitiæ iuſiurandum viuus cōtumulari ſuſtinuit, cibo quo in longum tempus veſceretur, illato. Tandem Ericus Sueciæ Rex, eo loci cum exercitu pertranſiens, Aſuiti tumulum (theſaurum ineſſe ratus) perfrangens, adaperta ſpecu, eductum Aſmundū luci reſtituit: quem videns tetro oris habitu, funebri tabe obſitum, & proflua ex cruda cicatrice ſanguine cruentatum (quippe Aſuitus noctibus rediuiuus, crebra colluctatione læuam illi aurem abruperat) ſecti vulneris cauſam referre iuſſit, quam ille narrauit iis verſibus: *Danica hiſtor. lib. 5.*

Quid ſtupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obſoleſcit nempe viuus omnis inter mortuos.
Neſcio quo ſtygii numinis auſu
Miſſus ab inferis ſpiritus Aſuiti
Sauis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem præbuit ori,
Non contentus equi vel canis eſu,
Mox in me rapidos tranſtulit vngues:
Diſciſſaq; gena ſuſtulit aurem.
Hinc laceri vultus horret imago,
Emicat inque fero vulnere ſanguis.

Haud impune tamen monſtrifer egit,
Nam ferro ſecui mox caput eius
Perfodique nocens ſtipite corpus. Hactenus Agrippa.

PH. Ego profecto etiamſi parentes, atque adeo amiciſſimi quique mei eſſent, viuus tamen cum ipſis demortuis ſepeliri non ſuſtinerem. Amicus enim tam ad aras quam ad tumulum vſque,& non vltra. Verum nunc denuo ad hiſtorias de ſpectris, quæ geniorum fere nomen apud auctores ſortita ſunt.

Dion Syracuſanus, liberatis Syracuſis, paulo ante, quam à Calippo interficeretur, ſedebat forte diei ſero domi in porticu cogitabundus. Ibi ſtrepitu repente facto, reſpiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem conſpexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat ſcopis domum. Ille vehementer perculſus & trepidans acciuit amicos, viſumque iis narrauit atque orauit, apud ſe vt permanerent & pernoctarent, quod plane extorpeſceret, timens, ne ſi ſolum reliquiſſent, iterum ſibi obuerſaretur monſtrum. Cæterum id non eſt reuerſum: ſed filius eius fere adultus, per dolorem aliquem animi & iram, ex parua & puerili ortam occaſione, de faſtigio domus præcipitauit ſe in caput,& interiit. *Plutarchus in Dione.*

Marcus Brutus & Caſſius Cæſaris interfectores, Sardeis conuenerunt. Cum tranſmiſſuri ex Aſia eſſent, tetrum oſtentum dicitur Bruto factum. Fuit natura ille vigilans, & ſomnum in exigui temporis portionem laboribus & continentia contrahebat. Interdiu quieſcebat nunquam: noctu tantiſper, dum omnibus ſopitis, nihil eſſet omninò quod ageret, aut qui cum colloqueretur. Tunc autem bello conflato tractans ea, quæ ad ſummam rerum pertinebant, curaq; in euentum intentus, cum primum veſperi à cœna indulſiſſet pauliſper ſomno, reliquũ noctis negot js vrgentibus tribuebat. Quod ſi abſoluiſſet id muneris, librum vſq; ad tertiam vigiliam voluebat, quo tempore Centuriones & Tribuni conſueuerant eum adire. Cum igitur traiecturus ex Aſia eſſet exercitus, noctis conticinio luna non admodum lucebat, totus autem exercitus tenebatur ſilentio. Brutus verò voluens aliquid animo, & reputans ſecum, viſus eſt aliquem ingredientem ſentire. Reſpiciens ad ianuam, Spectrum cernit dirum & prodigioſum, immanis & horrendi corporis, ſilentio ſibi aſſiſtentis. Suſtinens rogare, Quiſnam, inquit, aut hominum, aut Deorum es? aut qua de cauſa ad nos veniſti? Subiecit ei Spectrum: Tuus ſum, Brute, malus genius, in Philippis me videbis. Cui nihil perculſus Brutus: Videbo, inquit. Eo ex oculis elapſo, pueros ſuos vocauit, qui neque ſe audiuiſſe vocẽ aſſeruerũt, neq; conſpexiſſe viſionem vllam. Ac tunc quidem iterum Brutus lucubrauit. Vbi diluxit, ad Caſſium profectus, narrauit ei ſpeciem illam. Philippis occiſo Caſſio, cum victor ad ſecundum prœlium deſcendere pararet, in quo victus eſt, nocte Spectrum illud referunt, iterum Bruto obſeruatum, eandemque repræſentans viſionem nihil locutum, ſed dilapſum fuiſſe. *Plutarchus in Bruto.*

Iacobus Donatus Patricius Venetus ac diues, cum nocte quadam cum vxore dormiens cereum accenſum haberet, atque in curuli lecto dormirent duæ nutrices cum infante qui nondum annum expleuerat, vidit oſtium cubiculi ſenſim aperiri, inde hominem, neſcio quem, caput intromittere: viderant autem & nutrices, ſed nemo faciem illius agnouit. Territus adoleſcens, vt par erat, ſurrexit, arripuit enſem clypeumque, nutrices ſingulæ cereos magnos; it in aulam, quæ conter-

mina erat cubiculo, vbi clauſa omnia. Reuertitur magna cum admiratione. Infantulus, qui incolumis erat, altera die mortuus eſt. *Cardanus de rerum variet. lib. decimo ſexto, cap. 93.*

Anno Domini 1536. negotiator quidam Siculus Catana Meſſanam vigeſima prima Martii proficiſcẽs, eius diei veſpere apud Tauromínium diuertit. Inde mane diei ſequentis iter ſuum pergens, non longe ab oppido obuios habuit circiter decem, vt illi tum videbatur, fabros cæmentarios cum ſuis ferramentis. Qui rogati quo tenderent, aiebant, ſe Ætnam (vulgus montem Gibellum vocat) petere. Nec ita multo poſt in parem eiuſdem generis numerum incidit, qui & ipſi interrogati, reſponderunt quod priores, ſe à mancipe ſuo in Ætnam ædificii cuiuſdam gratia miſſos. Rogati quem mancipem dicerent? aiunt illud modico interuallo ſequi: pauloque poſt offendit in itinere virum ſtatura ſupra vulgarem modum procera, coma ſimul & barba perquam prolixa, & quouis coruo nigriore. Vulcanus videri poterat, ſi claudus fuiſſet. Is nulla ſalutatione præmiſſa, rogat negociatorem, an per eam viam ſuas operas vidiſſet? Reſpondit, vidiſſe quoſdam, qui ſe in Ætnam ędificatum ire dicerent, verum neſcire cuiuſnam eſſent operæ: quod ſi ipſe architectus eſſet, cupere ſe cognoſcere, quid ædificii animo deſtinaſſet, aut qua ratione id aggreſſurus eſſet, toto monte alta adhuc niue cooperto, vt vix ab expedito viatore permeari poſſit. Tum ignotus ille architectus ait, ſibi & artem & vires ſupereſſe ad hoc, atque etiam longe maius, ſi liberet, perpetrandum, crediturum eũ breui ſuis oculis, qui nunc verbis ipſius parum fidei haberet: & cum dicto in auras euanuit. Quo facto hominem tantus derepente terror inuaſit, vt minimum abfuerit, quin ibi in veſtigio expirarit, ægreque retro ad oppidum attonitus ac totus tremens reuerſus, rituque recepto apud ſacerdotem confeſſus, denarratoque viſo, eadem die ſub veſperam ex hac vita migrauit. Noctis quæ ſecuta eſt initio, vigeſimo tertio Martii, ignis cum terræ motu & ingenti ſtrepitu è vertice montis Ætnæ, qua Orientem ſpectat, ingens vis erupit, magnoque impetu verſus ortum Solis ferebatur, ita vt clerus ac populus Catanenſis pauore conſternatus, in ædem Diuæ Agathæ, ad opem diuinam ſuppliciter implorãdum concurreret, vnde mox ſupplicationis pompa cum magno fletu, cumque pſalmodiis & precationibus ac iugi inclamatione miſericordiæ, campanis interim lugubre tinnientibus, ducta eſt vſque ad ædem virgini annunciatę ſacram. Mirum dictu, priuſquam abſolueretur ſupplicatio, cœpit incendium decreſcere, breuique poſt tempore videbatur omnino extingui. *Gilbert. Cognat. lib. 8. narrat.*

Nero matrem Agrippinam dicta factaque ſua exquirentem acerbius, & corrigentem, interfecit. Neque tamen ſceleris conſcientiam, quanquam & militum, & Senatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut vnquam poſtea ferre potuit; ſæpe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos ſacro, euocare manes & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleuſiniis ſacris, quorum initiatione impii & ſcelerati voce Præconis ſubmouerentur, intereſſe non auſus eſt. *Suetonius.*

Polycritus quidam Ætolus à populo Ætolarcha creatus per triennium, virtutis ergo vxorem duxit Locridem, cum qua tres dormiuit noctes, quarta extremum vitæ diem morte confecit. Mulier domi vidua manſit. Et cum partus tempus appetiiſſet, infantem peperit binis pudendis, maſculino ac fœminino, mirifice o-

mnino monſtroſum. Perterriti hoc caſu propinqui, fœtum in forum protulerũt, aduocataque concione & coactis ſacrificulis atque monſtrorum inſpectoribus, de eo deliberarunt. Horum alii pronunciarunt, diſſidium aliquod Ætolorum & Locrenſium portendi, fœtum enim diuiſum eſſe, matris Locridis, ac patris Ætoli. Alii cenſuerunt matrem cum fœtu extra fines Ætoliæ deportari ac cremari debere. Dum hęc conſultantur, ſubito Polycritus pridem mortuus, in concione exiſtit prope infantem, atra amictus veſte, is perterritos ciues eo ſpectro, affatus eſt, & ſibi infantem ſuum precibus primo, mox etiam minis intermixtis, reſtitui petiit. Negantibus aliis, aliis conſultationem differentibus, ira exardens Polycritus, arripuit infantem, & pleroſque ferocius abigens, diſcerpſit eum, ac vorauit. Clamorem multitudo ſuſtulit, lapidibusq; cõiectis eum arcere aggreſſa eſt. Verũ ille nullis ſaxorũ obnoxius ictibus, totũ infantis corpus, dempto capite abſumpſit, ſubitoque euanuit. Quod factum cum Ætoli ægre ferrent, & in anxietatem haud mediocrem venirent, Delphosque mittere vellent, caput infantis in ſolo iacens loqui cœpit, & longa oratione ingentem cladem ciuibus impendere prædixit. Audito Ætoli oraculo, vxores, infantes, & ſenio prouectos expoſuerunt, quo qu ſque potuit: ipſi manſerunt domi, & quid futurum eſſet, expectauerunt. Contigit autem, vt anno proximo inter Ætolos & Acarnanes bellum exiſteret, & vtrinque magna clades fieret. *Phlegon Trallian. de mirabilib. & longæuis, ex Hierone.*

Alexander memorabilem filiisque immorigeris obſeruandam deſcribit hiſtoriam *lib. 4. c. 19.* in hæc verba: Nuper amicus meus ſummus, ingenio & fide ſingulari, rem dictu admirabilem ſibi eueniſſe narrauit, eius veritatem multorum comprobans teſtimonio; ſe videlicet, cum apud ſibi familiarem & coniunctiſſimum Neapoli diuerteret, & nocte intempeſta hominis in via clamantis, opemque implorantis vocem audiuiſſet, accenſo lumine accurriſſe, quid rei eſſet inquiſitum, ibique dæmonem & dirum quoddam numen tetra & horribili ſpecie conſpexiſſe, quod iuuenem vociferantem & reluctantem in via infeſtis manibus inuadere nitebatur. Ad hunc prope accedentem miſer ille accurrit, veſtemque & manum quã potuit tenaciſſime apprehendit, multumq; & diu fruſtra reluctatus, inuocato numinis diuini auxilio, vix tandem à dæmone ſe vindicat. Quum vero iuuenem animo turbatum in domum recepiſſet, vt ab ipſo dimitteretur, aut pallium relinqueretur, nequaquam potuit effici, tantus enim illum inuaſerat horror, vt mente euicta ſui non eſſet compos, quum illi perpetuo ob oculos verſari videretur illa ſpecies. Vbi tandem ad ſe rediiſſet, rem omnem quo pacto habuerat, expoſuit. Fuerat autem ſceleratæ vitæ, contemptor Dei, & parentibus immorigerus, quos tunc obiurgarat, contumeliasque & intoleranda probra in eos congeſſerat, vt ab illis conſecratus diris execrationibus abierit.

Thomas Monachus, homo minime malus, cuius fidem probitatemque in rebus non paucis expertus ſum, inquit idem, ſerio mihi retulit, quum in Monaſterio & ſacris ædibus, ſitis in Lucanis montibus, cum pluribus altercatus fuiſſet, & poſt multa conuitia rixasq; animo perturbato ſolus receſſiſſet per nemora, ſe ſpeciem hominis vultu tetro, aſpectu deformi ſæuoque, nigra barba, promiſſis tunicis, obuiam habuiſſe; qui rogatus, quid ſolus per deuia oberraret loca? Reſpondit; ſe equum quo vehi ſolet, amiſiſſe, & ſua opinione in proximos excurriſſe campos: cumq; per ſinus inuios equum vna quæſitum pergerẽt, ad riuulum, in cuius alueo gurgites latebant formidabiles, deuenerunt. Quare Monachum calceos exuẽtem

in ſa-

in faciliorem tranſitum, magnopere vrgebat alter, vt in ipſius conſcenderet humeros, transferendus ab eo, qui maior erat corpore. Ille acquieſcens, collumque amplexus alterius vada inquirentis, pedes ipſius non humana, ſed tetra & deformi ſpecie contuetur. Qua re animaduerſa, terrore perculſus, diuinã implorat opem: atque è eueſtigio dæmonem & ſimulachrum illud dirum, audita inuocatione diuina, murmure querulo, & turbine vſque adeo valido profugiſſe aſſeuerat, vt imminentem quercum ingenti colliſerit impetu, & infractis ramis radicitus euerterit: Se autem conſternatum, & velut exanimem diu iacuiſſe, & niſi præuidiſſet, diabolum in vortices & voragines fluuioli præaltas ipſum præcipitaturum fuiſſe, atq; interempturum perſuaſum habet.

Sed præ omnib. quæ audiuerim aut viderim, res eſt admiratione digna, quam recenti memoria eueniſſe Romæ comperimus. Cum apud Gabios quidam infimæ ſortis & obſcuris natalibus adoleſcens, furioſus, corruptorum morum, & facinoroſæ vitæ, parentem obiurgaſſet, conuitiisque proſcidiſſet, iis agitatus furiis Dæmonem inuocat, cui ſe deuouerat, Romamque meditatur, vt grauius aliquod flagitium in patrem moliretur. In itinere Dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba & capillo, veſteque obſoleta & ſqualida obuiam habuit: qui comitatus, triſtitiæ & anxietatis cauſam ex iuuene percunctatur. Hic, ſibi quid altercationis fuiſſe cum patre, & ſcelus aliquod in animo conſtituiſſe reſpondit. Cui Dæmon, ſibi eandem obueniſſe ſortem ait, pergendumque vt ſuas ſimul vlciſcantur iniurias. Cumque nocte appetente ad vrbem perueniſſent, in proximo diuerterunt hoſpitio, vnaque incubuerunt. Iuuenis vero ſomno oppreſſi iugulo manus iniicit peſtilens ille comes, quod iam infregiſſet, niſi alter expergefactus Deo ſupplicaſſet. Vnde furiam illam teterrimam tanta vi, ſtridore & impetu cubiculum dicitur excundo colliſiſſe, vt tigna & tectum diruerit, tegulaſq; penitus perfregerit. Hoc ſpectaculo perterritum & fere mortuum adoleſcentem, vitioſitatis & anteactæ vitę pœnituit: qui alio afflatus ſpiritu, peroſus ſcelera, boni exempli vitam procul à populari tumultu egit. *Hæc ille.*

Halberſtadii quidam diuitiis affluens, ſplendide quotidie victitabat, genioque & voluptatibus indulgens, Chriſtianæ pietatis, æternæque ſalutis negligens adeo factus eſt, vt dicere non dubitarit, ſi talem in terris vitam perpetem ſibi liceret agere, ſe Deo cœlum ſuum nunquam inuidere velle. Breui poſt præter ſuam expectationem mortuus eſt. Poſt mortem talia in ædibus eius magnifice extructis quotidie circa veſperam apparuere ſpectra, vt ab omnibus desererentur: nemine eas incolere auſo; Apparuit vir ille diues cum ſuis conuiuis in cœnaculo, quod delitiis & conuiuiis deſtinarat, aſtabant famuli, faces manibus tenentes, aureaque pocula & crateras menſis imponentes, opipareque inſtructis ferculis menſas onerantes: fidicines præterea, tibicineſque aſtabant, nec quicquam deerat ſplendoris eius, quo dum in viuis erat, vir iſte opulentus vſus fuerat. Deo permittente, ex Satanæ operatione ſpectra hæc oculis hominum obuerſata fuere, vt ab Epicureorum impietate reliqui deterrerentur. *Fincelius lib.2.*

EQ. De Spectris atque Geniis hactenus per exempla ſatis, quippe quorum ratio certa atque euidens dari non poteſt, eo quod humani ingenii acies nimis eſt obtuſa, adeo vt in recondita iſthæc penetrare non poſſit, itaque nudorum contenti erimus exemplorum allegatione. Et quia ominũ antea & prodigiorum facta eſt mentio, de quorum διότι nihil minus nobis conſtat, quorumque deſignatio ex

poſteriori demum adeoque ex euentu nobis innoteſcit; quæſo & illorum exempla aliquot, eaque memorabiliora recenſeas.

De ominib. & ꝓdigiis.

PH. Quia in hiſtoria de ſpectris & Geniis eius initium feci, itaque, quod vobis videtur, in hoc de ominibus ac prodigiis diſcurſu illud continuabo, idque breuibus eo, quod iam tum per me allegata aliquot exempla, omina ac prodigia ſapiunt. Iulianus II. Imp. quum Antiochia diſcedens contra Perſas iturus eſſet, vbi vitam amiſit, odio in Antiochenos propter motas ab eis ſeditiones incenſus, ad populum ſe conuertit, malumque ſuum ominatus dixit: *ſe in eam vrbem nunquam rediturum.* Marti quoque quum iuxta Cteſiphontem vrbem ſacrificaret, neq; in victima fauſtam rem vllam inſpiceret, ſe Marti amplius nō ſacrificaturum affirmauit, opinione ſua in vtroq; falſus. Nam quum voluntate ſua ſe inpoſterum neq; Antiochiam rediturum, neque Marti ſacrificaturum intelligeret, ſubſecuta breui mors docuit, ipſum ſibi fatum quod imminebat, prædixiſſe; quod rem vtramque quam ſe nunquam facturum dixerat, facere prohibitus fuit. *Baptiſta Fulg. lib. 1. de ominibus.*

Fincelius lib. 3.

Cum Idæ Bononiæ Comitis alludentes tres filii ſub matris veſte ſe occultaſſent, virque eius Euſtachius ſuperueniens, quidnam ſub veſte eius lateret, interrogaſſet, ſubridens vxor; Tres, inquit, magni Principes, quorum vnus dux, ſecundus rex, tertius comes eſt. Euentusque mulieris verbum ſecutus eſt: ſiquidem primus puerorum Gotifredus Bolionus patruo Gotifredo in Lotharingiæ ducatu ſucceſſit, Balduinus autem Hieroſolymarum rex fuit; poſtremus Euſtachius Bononiæ comes. *Idem.*

TH. Etiam in ſacris non obſcura fit ominum mentio. Ionathæ Sauli regis Iudæorum filio omine grandis victoria oſtēſa eſt. Nam cum Philiſtæi Iudæam magno exercitu petiiſſent, ita vt Saulus deſcendere in præliū vereretur, Ionathas vno ſolo comitatus, cum ꝓpe hoſtiū caſtra ceu explorator acceſſiſſet, incertus quid ageret, captare aliquod auguriū decreuit, quod ſi ab hoſtibus vt caſtra iniret, inuitaretur, victoriam polliceri poſſet, ſecus autem ſi ab eis pelleretur. Caſtris igitur per hunc modum appropinquans, cum à Philiſtæis eſſet conſpectus & per contemptum ab eis vt iniret caſtra, inuitatus, captato omine ſtationeque mutata, ab alia parte caſtra iniuit, ſomnoque captos vigiles occidit. Ea re experrecti hoſtes ſomnolenti, cum maiorem ingreſſum eſſe numerum putarent, ſublato clamore in fugam ſe coniecerunt, Sauloque terga ſtatim ſequente magna cæde deuicti fuerunt. Sed & Caipham Iudæorum Pontificem in Euangelio legimus (quo anno perfida gens Iudæorum Chriſtum redemptorem cruci affixit) cum in conſilio de eo loqueretur, dixiſſe: pro populo neceſſe eſſe vnum mori, ne tota gens periret. Quod à Caipha in aliam partem dictum poſtea res oſtendit, veriſſimum fuiſſe omen, omnium ſalutis vnicum remedium eſſe Chriſti mortem. Sed & memorabile illud quoque eſt, quod à Pontio Pilato manauit, etſi cum id diceret, parum rem viſus eſt intelligere. Nam quum dato militibus Chriſto vt crucifigeretur, & cauſam inſcripſiſſet, Ieſum Nazarenum regem Iudæorum, peterentq; Iudæi vt titulum mutaret; dicerentque, quia ſe Iudæorum regem faciebat; vt ſententiam mutaret, nunquam adduci potuit; Deo ita agente, vt etiam ex ore hoſtili gloriæ Chriſtianæ magnitudo teſtata inueniretur.

Hieroſolymarum quoque cladem omen anteceſſit. Iudæus enim quidam haud

haud paulo ante in furorem conuerſus, per id tempus Væ, væ, clamabat, vrbi hominibuſque ac denique ſibiipſi multa minitatus; vrbe demum à Romanis obſeſſa, vulnere in caput accepto vitam vocemque qua væ pronunciabat, ſimul finiuit.

Cæterum notatum eſt non in antiquis ſolum Hebræis; verum in Chriſtianis quoq; & ſacerdotibus omina obſeruata fuiſſe. Nam cum ſub primo Valentiniano Auguſto Ambroſius ciuis Romanus Mediolanum (vbi poſtea Epiſcopus fuit) iudex ad vrbem gubernandam mitteretur, atque ei Probus vrbis Romæ præfectus adminiſtrationis normam atque mandata (vt mos eſt) daret, iniunxit, vt ad munus demandatum non tanquam iudex, ſed ceu Epiſcopus proficiſceretur. Quo verbo cum Probus ſatis ſe declarauiſſe putaret, quæ eum agere in exercenda caſtis moribus iuriſdictione oporteret, eius dignitatis quæ poſtea Ambroſium ſecuta eſt, ominator fuit. Inſigne quoque omen fuit, quo Clodoueus Gallorum rex victoriæ ſpem ſibi promiſit. Nam cum mouere bellum aduerſus Allaricum Gotthorum regem in Hiſpania decreuiſſet, priuſquam ſigna exercitumque moueret, nuncios cum muneribus in Turones ad S. Martini fanum venerandi gratia miſit, mandauitque vt templum ingreſſuri, ea obſeruarent, quæ futuri euentus ex eo bello coniecturam poſſent præbere. Fanum igitur ineuntes, auditis monachis veſpertinas horas canentibus, in ea parte Dauidici Pſalmi quæ dicit: Tu Domine ad prælium virtute me accinxiſti; capto omine ceu felicitatem portendente ad regem redierunt: narratoq; omine plenus bonæ ſpei rex bellum ſuſcepit, victumque hoſtem è Vaſconibus Anxitanisque pepulit.

Lepidum ac mirum eſt, quod de Thoma Sarzano narratur. Is legatus ab Eugenio IV. Rom. Pontifice in Germaniam proficiſcebatur, & dum alpes traiiceret, incidit in Æneam Picolominæum Senenſem, Friderici III. Imperatoris oratorem. Cum autem ambo in eodem diuerſorio manſiſſent, atque Æneas parce ageret, viaticique impenſas extenuaret; ad eum ſubridens Thomas: quid tantopere victui parcimus, quum noſtrum vterque ad Pontificatum ſit aſcenſurus? Quod ipſorum fortuna virtusque poſtea verum fecit, vt Thomas ſub Nicolai V. & Æneas ſub Pii II. nomine pontificiam obtinerent dignitatem.

PH. Prodigiorum etiam infinitus ſe offert numerus, de quibus paſſim in hiſtoriis.

Anno quo Tarquinius regno pulſus fuit, propter morum acerbitatem Superbi cognomento inſignis, ad rem tam grandem præſagiendam obſeruatum fuit, canem & pter eam ſerpentem quoq; locutam fuiſſe. Quarto etiā Q. Fabii Maximi conſulatu, & M. Claudii Marcelli tertio, ex Sicilia nunciatum fuit, bouem idem egiſſe. Item quinto eiuſdem Fabii & Q. Fuluii Flacci conſulatu durante Hannibalis bello, aliam Priuerni in Latio bouem in hominis verba prorupiſſe, & poſtea L. Veturio, & Q. Cæcilio Marcello conſulibus prope vrbem Romam idem quoq; aliam bouem feciſſe.

Liuia quum recens Auguſto nupſiſſet, per Veientanam villam ſuam eunti, aquila in gremium eius gallinam candidam in ore lauri habentem ramum dimiſit. In bonam partem augurio accepto, cum curari diligenter gallinam iuſſiſſet, magnus ex ea candidorum pullorum numerus prouenit. Plantatus quoque lauri ramuſculus ingens lauretum protulit, ex qua ſylua obſeruatum

poſtea

poſtea fuit, vt triumphaturi laureum ramum ſumerent, quem manu in triumpho geſtabant, peractoque triumpho reſtitutus ramus plantaretur, radiceſque mitteret. Illud quoque notatum fuit, deſiccatum eiuſmodi ramuſculum præſagium fuiſſe mortis illius qui eum in triumpho geſtaſſet. Cæterum poſtremo Neronis anno, vt propinqua eius mors Cæſarum quoque defectura ſoboles oſtenderetur, gallinarum candidarum ſtirps tota deperiit, Lauretumque ex toto aruit defecitque. Præterea ſtatuis Cæſarum fulgure decuſſa fuerunt capita, ſceptrumque de manu Auguſti ereptum.

Pertinaci Imperatori qua die occiſus fuit, ſacrificanti, in victima cor inuentum non eſt; quod cum ei malum ominari videretur, & propterea iterum quærendo laboraret, eparquoque defuiſſe compererunt. Paucis quoque diebus antequam periret, fertur dixiſſe, ſe cum in viuarium inſpiceret, in aqua vmbram vidiſſe, quæ ſtricto gladio mortem minaretur.

Tacito quoque Imp. mortis ſigna contigere. Sacrificanti enim in Herculis fano, candidum vinum in rubens conuerſum eſt. Item vitis quæ vuas albas ferre ſolebat, eo anno rubentes permultas edidit.

Hippocrati Athenienſi, Duci fortiſſimo, cum priuatus ſpectaret Olympia, ingens contigit portentum. Nam cum hoſtiam immolaſſet, ahena (vt impoſita erant) plena & carne & aqua, abſque igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret. Quod portentum conſpicatus Chilon Lacedæmonius, qui forte aderat, ſuaſit, ei: Primum, ne vxorem fœcundam duceret domum: Secundo loco, Si vxorem haberet, eiiceret, & ſi quem ex illa filium ſuſtuliſſet, abdicaret. At Hippocrates Chiloni non obtemperans, Piſiſtratum filium ſuſtulit, qui tyrannidem Athenis inuaſit. *Herodotus lib. 1. Sabell lib. 6. Ennead. 2.*

Apud Thebas Bœotias cum in templo Legiferæ Cereris ſub Leuctricæ pugnæ tempus, (quando auſpiciis Epaminundæ Spartanos vicerunt) araneæ albas circa valuas texuiſſent telas, adorientibus iam fines Macedonibus ductu Alexandri Magni, excidium vrbi portendentes, nigro omnia opere compleuerunt. Pauſanias in Bœoticis. Signum hoc ante menſem tertium, quam Alexander Thebas perueniret, accidit. Sub ipſum vero eius aduentum, ſtatuæ quæ erant in foro, viſæ ſunt ſudorem guttis prægrandibus emittere. Præter hæc Magiſtratibus renunciatum eſt, ſtagnum quod erat Oncheſti, edidiſſe vocem mugitui conſimilem, atque in Dirce horrendam quandam ſpeciem cruentatam in ſummo aquæ ſupernataſſe. Non defuerunt & alii ex Delphis, qui dicerent culmen ædis, quam Thebani conſtruxiſſent, à Phocenſibus viſum eſſe ſanguine ſuffuſum. Vates dicebant, portendere telam illam, Deorum ab vrbe migrationem. Cœleſtis arcus ſpeciem, moleſtiarum varii generis perturbationem. Sudorem de ſtatuis emiſſum, extrema incommoda. Sanguinem vero qui in locis pleriſq; comparuiſſet, cædis multæ ad Thebanam vrbem committendæ indicium eſſe. *Diodor. lib. 17.*

Sagunti, antequam Hannibalis excidiũ paſſa eſt, inter magna & aſſidua monſtra, ſatis conſtat, infantem è matris vtero pene editum, in ipſum matris aluum reuertiſſe. Quod prodigium Vates interpretati ſunt teterrimum bellum, & fatale excidium ac imminens fatum, quo ad internecionem funditus euerſa eſt. *Alexander ab Alexand. lib. 2. cap 31.*

Theodoſius Imperator, cum exhauſto frequentibus bellis fiſco, tributum nouum

uum vrbibus impoſuiſſet, ſolus Antiochenus populus nouum vectigal non tulit, ſed ſeditione mota, Placillæ quoque Imperatricis ſtatuam (quamuis iam mortuæ) fune pedibus adaptato per vrbem contumelioſe traxit. Quod flagitium tam grauiter Imperator tulit, vt niſi D. Flauiani Epiſcopi precibus, & D. Ambroſii auctoritate (qui nihil eum in ſontes ſtatuere, priuſquam trigeſimus dies exactus eſſet, iureiurando adegerat) motus, cædem quoque ibi magnam, ſicut Theſſalonicæ perpetraſſet. *Nicephorus lib. 12. cap. 42.* Ferunt ea nocte, quæ diem ſeditionis præceſſit, fœminam ſublimem in aere conſpectam, magnitudine ingenti, aſpectu horrendo, quæ per vrbis plateas in aere currens, flagello aerem diuerberauit, ſimilem ſonitum edens, qualem edere conſueuerunt, qui in caueis ad furorem beſtias excitant. *Idem lib. 9. cap. 42.*

Vt oſtenderet fortuna Antonini Pii in Imperio felicitatem, lætiſſimis ſignis id præmonſtrare viſa eſt. Nam in Cilicia à deorum ſimulachris ſponte & ſine vlla humana ope, laurea in ſinum eius tranſlata eſt, atque in ipſius Imperio vno partu, mulier quinque liberos enixa. In Miſia quoque in arborum cacuminibus hordeum natum, quatuorque leones ſponte ſua manſuefacti vltro ſe comprehendi ſuſtinuerunt. Quæ omnia abſque dubio Antonini in Imperio felicitatem humanitatemque portenderunt. Sub eius obitum ſerpens crinita ingentis magnitudinis apparuit, quæ apprehēſa mordicus cauda ſemetipſam ſupra dimidiam partem deuorauit.

Anno qui Caroli Lotharii filii mortem anteceſſit, quo anno deſinente in Gallia maſculina ſtirpe Caroli regis cognomento Magni, Hugo Capetus Gallicum occupauit regnum, manifeſte in Gallia frumento & piſciculis minutis pluit.

Sed & manifeſtū prodigium fuit, quod prope vrbem Leodiam in Gallia contigit, paulo antequā orta de vrbis Epiſcopatu contentione ab eo cuius partes Burgundiorū dux Iohannes fouebat, aduerſa pars ſuperata eſt: in quo prælio vtrinq; peremptorum triginta millia deſiderata ſunt. Eo enim in loco in quo prælium commiſſum eſt, corui impetu facto, aquilæ genus illud (quod nunc falconem dicimus) nido effractis ouis pepulerunt. Poſtera die reuerſus Falco, qui pulſus fuerat, magno aliorum falconum numero comitante, coruis quoque ex aduerſo magnum in numerum coactis graue prælium commiſit; in quo ſuperati corui ad vnum omnes periere. Quę res circa Conſtantienſis Concilii tempora contigit. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. de prodigiis.*

TH. Omnium prodigiorum illud maxime memorabile eſt, quod natalitio diei Ieſu Chriſti in vrbe Roma trans Tyberim contigit. Ex fonte enim in quadam priuata domo oleum manauit: vt is liquor ortum eo die oſtenderet, qui ad humani generis ſalutem miſericordiæ fons ac lumen erat futurus.

Horrenda vero prodigiorum facies ante aduentum Chriſti, dira denotans, Iudæis ſeſe exhibuit. Nam paulo antequam Antiochus Epiphanes Syriæ rex captis Hieroſolymis atque ſpoliato theſauris ſuis templo, Iudæorum gentem in extremam adduceret calamitatem, in cœlo conſpecti ſunt quadraginta diebus homines ſtolis aureis amicti tanquam diuerſæ acies in curribus concurrere, magno armorum fragore, ſtrepituque equorum.

Sed & paulo antequam à Veſpaſiano Auguſto ad internecionem fere delerentur: diu ſupra vrbem Hieroſolymam cometes in gladii formam apparuit, ſæpiuſque noctu aperto ſine humana ope, in templo diræ voces clamantium: Abeamus

hinc, exauditæ fuerunt. Nec ſine Iudæorũ terrore (licet aliud eſſe interpretarētur) armorum ſtrepitus tubarumque ſonus ad humanas aures peruenit. In Paſchate quoque ducta ad aram vitula, vt ſacrificaretur, ante aram peperit. *Bapt. Fulg. lib. 1. de prodigiis.*

EQ. Ad prodigiorum finem vobis accelerantibus duo fulgurum prodigia addam. Anno antequam ſchiſma erumperet inter Eugenium IV. Pontificem atq; Amadeum Sabaudienſem à Concilio in Romanum Pontificem electum, cui Felicis nomen indiderant; cum in Germania Eccleſiæ in diuerſa ſtudia ſciſſæ eſſent, atque in Italia bella cædesque peragerentur; eodem die in vrbe Roma fulgur quatuor templorum Pontificiæ curæ dicatorum campanarias turres chorosq; tantum percuſſit. Similiter eo anno, qui aduentum Caroli Octaui in Italiam anteceſſit, in vrbe Florentia ſanctæ Reparatæ fanum in ſublimiori parte de cœlo tactum fuit, lapidemque immenſę magnitudinis, quo fornix claudebatur, ad terram fulgur deiecit. Quæ res immenſorum malorum illi vrbi præſagium fuit: nam poſtera die mortem obiit Laurentius Medices potentia prudentiaq; Florentinæ vrbis primarius: cuius opera plurimum fines ſuos reſpublica Florentina protulerat. Deinde in Florentinorũ fines profecto Carolo VIII. Gallorum rege Sargianæ petra ſanctæ ac Piſarum Imperium Florentini amiſere, Laurentiiq; liberi, Petri culpa, qui inter eos maior natu erat, bonis omnibus ſpoliati, in exilium iuere. *Baptiſt. Fulgoſ. lib. 1. de prodigiis.*

TH. Habent hæc prodigia plerunque aliquid momenti, proinde non naturæ duntaxat adſcribenda, quaſi fortuito ſecundum communem naturæ curſum contingant, nullumque inſit latens omen, cum etiam ea quæ per naturam fiunt, ſæpenumero ſingulari omine non careant; proinde ſi quæ prodigia ſenſibus noſtris obiiciuntur, non negligamus ea tanquam bruta fulmina, aut mera naturæ ludibria, ſed commoneſaciant nos de ira Dei iuſtiſſima aduerſus peccata noſtra, ſintque nobis reales conciones pœnitentię, quibus compuncti, ſerio atque ardenter pro peccatorum noſtrorum remiſſione Deum oremus, precemurq;, vt mala prodigiis iſtis deſignata clementer à nobis velit auertere.

EQ. Idem ego ſentio, non enim omnia quę per naturam fiunt, carent omine. Exempli gratia: Latratus canum per naturam fit; neque tamen omnis canum latratus abſque omine eſt. Compertum enim eſt, latratus canum, eiulantium gemitus imitantes, (vti quoque noctuarum vlulatus) diri ſemper, aut certe vt plurimum, ominis fuiſſe. Sic equos hinnitu alacriore & ferociore fremitu victoriam ominari prælia inituris, etiam nunc militibus perſuaſum eſt. Quod vero ad elumbia illa putida atque anilia omina (ſiquidem ominum nomine indigetare ea par eſt) attinet, quæ etiamnum noſtro tempore & quidem inter Chriſtianos (hem pudor,) paſſim vigent, neſcio an quid magis vanum excogitari poſſit, quippe quæ nullam certam habent cauſam, planeque ac mere à caſu dependent.

PH. Non mirum eſt, homines tanto res futuras ominandi tenendi deſiderio, atque exinde etiam in tam miros prænoſcendi aliquid illabi anfractus, quia enim futurorum cognitio lapſu primorum parentum valde eſt obſcurata, adeo, vt naturam nunc contemplemur hebetata mentis acie (ceu ſolis faciem per denſas nubes, aut atras in aere nebulas contuemur) rerumque paucarum cauſas pernoſcentes, de effectis non dextre adeo ratiocinemur; interim vero triſtiſſimis pœnis ab ira Dei prouenientibus ſubiectam naturam videamus, ex quo metus per-

petuus malorum voce diuina denunciatorum, atque ingens horribilium dubitationum & fluctuationum chaos. Hinc immenſum illud proſpiciendi ac prænoſcendi ſeu exquirendi quouis modo, aut impendentia mala, aut futuros euentus ſecundos deſiderium. Cupiunt enim omnes homines natura cum ſeſe ſaluos atque incolumes eſſe, & in rebus conſtitui ſecundis, tum mala aduerſaque & perturbationes animi quaſuis auerſari. Idcirco de futuris plus æquo ſoliciti, inter ſpem & metum inquietis animis, mirabilibus cogitationum motibus, ceu procellis agitantur, & nihil non credunt, faciunt, ſuſcipiunt, quo vel præſentem ſtabiliant felicitatem, futuramve conſequantur, vel amoliantur onus præſentium malorum, & contra aduerſitates ſecuturas ſeſe obfirment atque præmuniant.

TH. Fons intempeſtiuorum illorum deſideriorum eſt incredulitas, pungens perpetuarum dubitationum aculeis, vexans & vellicans animos mirifice. Spes autem & metus varias commouent inquietudines & turbas, & ingentes concitant fluctus, quibus intus foriſque fremunt & perſonant omnia. Qui quidem cruciatus interiores propter ſpem metumve futurorum atrociores ſunt, & animos conuellunt atrocius quam vllæ aduerſitates præſentes. Nec tamen ob id ſuperſtitioſi iſtiuſmodi homines excuſandi ſunt. Et ipſa incredulitas peccatum damnabile eſt. Spes item ac metus non amplius extendi debet, quam oporteat, vt Bernhardus monet, habet enim præfixos in S.Scriptura terminos, quos tranſgredi nefas, ac propemodum deſperatorium eſt.

EQ. Quia in hanc vanarum obſeruationum materiam incidimus, atque vna adhuc ad fabulandum diei hora ſupereſt, eam recenſendis eiuſmodi nænIis impendemus. Faciat Philoſophus, ſi illi placet, initium.

PH. Diuerſa ſunt ominationum huiuſmodi genera, pro locorum ſubiectorumque in quibus obſeruantur, differentiis; aliæ enim ducuntur ex nomine, aliæ ex fortuitis aliorum verbis; aliæ ex iis, quæ in domibus, agris, itineribus quocunque modo, præter rationem & morem eueniunt. Hinc alia omina dicuntur ἐνόδια, ſeu itineraria, alia οἰκοσκοπικὰ, id eſt, domeſtica, alia παλμικὰ ſeu vibratoria.

Τὸ ἐνόδιον ſeu omen itinerarium, quæ in viis occurriſſent, explicabat. Leporem iter ineundum, tranſuerſo ſaltu velut diremiſſe, aut fœtam vulpem, vel prægnantem canem obuiaſſe, aut ſerpentem commeantium iter interrupiſſe, aut præcidiſſe, aut offendiſſe pedibus, aut laciniam adhæſiſſe, aut ſubito conſtitiſſe, aut expauiſſe, vel defeciſſe viribus, abſque manifeſta cauſa, aut ſpectra conſpexiſſe, vel circumfuſas ac ſcintillantes flammas, aut riſus, gemitus, compellationem ſui exaudiuiſſe, & quicquid fuit huiuſmodi, infortunata præſagire & infeſta itinera, creditum eſt.

EQ. De lepore facile mihi quis perſuaſerit, inauſpicatum eſſe, ſi per viam tranſuerſam currat, ſicut econuerſo, ſi lupus tranſcurrat, bonum omen eſſe facile crediderim. Natum vero fuiſſe hanc ominationem ex ioco antiquitus, exiſtimo. Nam maiores noſtri, vt vere fortes, ſic faceti quoque fuerunt. Quis enim non mallet lupum tranſcurrere, quā adoriri ſe? Leporem autem conſiſtere & capi, eſſet melius vt obſonium ſuppeteret.

PH. Ita omnino eſt, vt mihi etiam videtur, atque ex ioco iſto fortuito, obſeruatio poſtea nata eſt diuinationis. Cæterum ſtultitiam inſignem ſapit, ſi verum eſt, quod narrat Glycas *annal. par. 3.* de Auguſto, eum Nicopoli vrbi, quam extruxit, inde id nominis dediſſe, eo quod ea nocte, quę Actiacam pugnam præceſſit, in hominem inciderat, qui aſinum agebat; cumque de illius nomine ſciſcitatus fuiſſet; mihi quidem, reſpondit ille, nomen eſt Eutyches, hoc eſt, felix, aſino vero Nicon, hoc eſt, victor; ob quam obuiationem omnino fortuitam, quam tamen Auguſtus pro omine habebat, vrbem *Nicopolin*, dixit, in eamque hominis ac aſini ſtatuas aheneas locauit. Ex quo obiter conſtat, Romanos plus nimio olim ominoſis iſtiuſmodi obſeruationibus tribuiſſe, id quod etiam ex Ciceronis *libro de Diuinat.* & Valerio Max. *lib. 1. c. 5.* patet.

EQ. Suidæ ſententia eſt: mulieres, per itinera ambulantes, torquere fuſos aut omnino detectos ferre, ſpei omnium præcipueque frugum aduerſatur. Si virgini occurreris, dies ſterilis erit, ſi vero meretrici, mercatura dextre procedet. Inuehitur in hanc dementiam Chryſoſt. *hom. 21. ad pop. Antioch.*

PH. Ad omnia domeſtica tranſeo; ægre namque his næniis immoror. Τὸ οἰκοσκοπικὸν igitur, i. e. *omen domeſticum*, coniectabatur ex iis, quę in ædibus animaduerſa eſſent, inſolito more, accidiſſe, de euẽturis patrisfam. & illius rebus, velut: Introiit in ædes ater alienus canis. Anguis, per impluuium, decidit de tegulis, infauſtum erat vtrumque. Muſtella conſpecta, aut ſerpens, poculum ſalinúmve euerſum, diſperſi cineres, oleum effuſum, aut mel, ſi quid à muribus eſſet corroſum, quod, de ſua Platonis politia, Cicero annotauit: Si cibus prolaberetur: ſi incendia nominarentur, inter epulas, aut, ſub menſas, aquæ profunderentur: recedente aliquo ab epulis, ſimul verri ſolum, aut bibente conuiua, menſam vel repoſitorium tolli: aut repente conticeſcere conuiuium: inauſpicatiſſima erant. Reuocari ſternutamento menſas & fercula, inter Diras erat. Ita ſi tigna gemuiſſent, aut crepaſſent menſæ trabeſve, dira portendebant. Vinum effudiſſe, aut vino veſtes inquinaſſe, bonæ fortunæ ſignum erat, idque atteſtante Homero, qui, Vlyſſe diſcedente, & bene precante, Alcinoi vxorem facit humi vinum fundere, velut preces ratas diis habituris. Abſoluit hoc Zenocrates, integro volumine.

Quod porro ad παλμικὸν ſeu vibratorium omen attinet, illud erat, quo ex inſuetis & præter voluntatem, præterque naturæ ductum, obortis in corpore motibus coniecturas futurorum texebant: Si vibrata ſalitione inſuetum alter oculorum, dexter vel ſiniſter palpitaret: ſi concuterentur, ac velut exilirent, aut trepidarent muſculi, humeri, aut femora: ſi prurire pedes inciperent: ſi inæquali vibratu, cohorreſceret cutis: ſi ſtriderent dentes: ſi ſternutationes pari imparive numero, crebræ vel raræ fierent: ſi vagis incertisve motibus huc illuc membra iactarentur: ſi membra obrigeſcerent ſubito velut ſtupore affecta: aut titubaret vel inſiſteret lingua. Quo etiam referendũ, quod quidam ſonitum ſpontaneum auris dextræ vel ſiniſtræ obſeruant; vt ſi hæc tinniret, inimicum; ſi illa, amicum noſtri putent memoriam tum recolere. De quo Ariſtinetus *in Epiſt. amatoria*: Nonne auris tibi reſonabat, quando tui lachrymans recordabar? Et apertius incertus quidam, ſed antiquus Poeta:

Garrula quid totis reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.

Huc pertinent huiuſmodi obſeruationum inaniſſimarum myriades, vt: ſi

iunctim

iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis, aut puer medius interuenerit: atque illud quod lapidem calcant tanquam diremptorem amicitiæ, minus moleſtum eſt, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum eſt, quod aliquando pueri vindicātur à canibus. Nam plerumque tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenerit, ferire audeant, non impune. Namque à vano remedio cito ille percuſſorem ſuum ad verum medicum mittit. Hinc etiam ſunt illa: limen ſuum calcare, cum ante domum ſuam tranſit: redire ad lectum, ſi dum quis ſe calceat ſternutauerit: redire domum, ſi procedēs offenderit: cum veſtis à ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali, quam præſens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cum eſſet conſultus à quodam, qui ſibi eroſas eſſe caligas diceret à ſoricibus; reſpondit, non eſſe illud monſtrum; ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur. Atq; vt ſummatim dicam, omnia obſeruabant, quæ vel minimam omnium rationem habere viſa ſunt; vſque adeo vt etiam matrimonium inituri, Circonem (accipitrum genus eſt) claudum altero pede in auſpicium aduocarent, lætumque inde omen ſibi ſerio pollicerentur. Plautus tamen admodum lepide has ſuperſtitiones vaniſſimas deridet his verbis: *Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor, vltro ibit nuptum, non manebit auſpices.*

EQ. Vana fuerunt iſthæc Ethnicorum deliramenta, longe tamē vaniora ſunt Pſeudochriſtianorū, quæ per noctem, quæ diem S. Andreæ ſacram præcedit, varie captāt auguria, dum alii certis ad hoc cōfictis rythmis in nomine diaboli (horrendum dictu) pedibus ad puluinar conuerſis ad ſomnum ſeſe componunt, alii nudi omnino aliquo ſe proripiunt (quos tamen interdum ipſe Diabolus proripit, atq; in ædium ſublimitates alio ve locat.) Alii (quod putidum eſt) ad ſtabula porcorum ex illorum grunnitu auſpicia de futuro matrimonio captant. Si quis enim (deploratæ temeritatis ac dementiæ) num virginem, aut viduam in vxorem habiturus foret, cognoſcere vult, is nec Deo, nec hominibus ſalutatis, media illa nocte recta ad ſtabulum ſeſe confert, cui ſus lactans cum ſuillis incluſa eſt, eo cum deuenit, tacitus ad oſtium ſtabuli pulſat; ſiq; ſue ad illam pulſationem ſus prima edit grunnitū, tum viduam ſibi matrimonio iunctam iri firmiter credit; ſin vero ſuilli primitus grunniunt, tum virginem copulatum ſibi iri geſtit.

TH. Et quis tandem harum næniarum erit finis? Etiam mihi tandem aliquando dicendi locum dabitis. Video vos his næniis admodum oblectari, quæ tamen commiſeratione magis quam riſu dignæ ſunt. Interponam ergo & meum de his de quibus in hoc colloquio actum eſt, iudicium, non quod veſtrum quod vbiuis inſeruiſtis improbem, ſed quia perfunctorie duntaxat & vix ſummis quod aiunt digitis obſeruationum hactenus dictarum vanitatem attrectaſtis atque coarguiſtis. Vt itaque rem ab ouo, quod aiunt, repetam, ac quantum id quidem neceſſe eſt, perſtringam; ſic mea de auguriis primum fert opinio. Augurandi rationem peperit initio, procul dubio, ſuperſtitio hominum, nata ex Dei ignorantia, diffidentia perturbatis motibus animorum, hęrētium in ancipiti ſpe, quo erroribus & fluxis atq; incertis cogitationib. ſuis mederentur, atq; ex his exemtos ac ſolutos animos, in trāquilla aliqua certa & firma ſpe, cōſtituerent: vbi tamen nō animaduerterunt ex ſpe ſpem, metu metum non tolli, ſed augeri & creſcere. Primi ſecundiq; generis auſpicia, cōmentitia prorſus ſunt & falſa. Nulla enim explicari aut oſtendi cauſa poteſt, cur n[illegible] deſignentur nec conſenſu congruentiaq; euentuum, ex- *Auguriorū origo.*

 cuſari

Digitized by Google

cuſari poſſunt, cum vnum idemque auſpicium, contrarios euentus ſæpiſſime præcurrerit, & deluſa eorum religio, neglectaque fortunata fuerit.

Compleuerunt ea quandoque euentu dæmones; quandoque, cum præſciuerũt quæ expoſcebantur, aut ipſi intonuerunt de cœlo, dextrum vel læuum, prout opus erat, aut aſſumticiis auium quadrupedumve ſpeciebus, vel nouis atq; inſolitis, vel nouis conſuetisque auſpicia ipſi, cantu traiectuve recto vel obliquo, dextrove aut læuo ediderunt: ſiquidem viſas conſtat ab auguribus aues, quæ poſt nunquam repertæ ſunt amplius. Quandoque, cum vel aberraſſent inſcii euentuum, vel decepiſſent aruſpices, violatæ religionis cauſam prætenderunt, vt ſuperſtitionem augerent, & tuerentur conſtitutum regni ſui ſtatum.

Sed nihil hæc ad effectus cauſarum ordinatarum, in natura. Nam neque fulgetra, neque auium genera in hoc ſunt condita, vt motu illa, cæterisque, hæc cantu aut volatu porrecto, librato, interrupto, vibrato, contorto, agere iubeant aut vetent, vel de propitia vel alienata Dei voluntate teſtificentur.

Blaſphemia eſt contumelioſa in Deum, quod finxerunt, diuina mente impelli & commoueri alites ceu interpretes, internuncias & ſatellites deorum, vt tum huc, tum illuc volent, tum in hac, tum in illa parte ſe occultent, tum à ſiniſtra parte, vt canant oſcines: incluſos vero cauea pullos, ac fame enectos, ita concitari, vt in offam pultis inuadant, ſi emittantur, & vt ex ore aliquid cadat, quod terram pauiendo tripudium nunciet ſoliſtimum: aut ne egrediantur, detineri, neve egreſſi offam attingant, arceri.

Non igitur ex natura orta, nec à Deo tradita, ſed ab hominibus conficta & inchoata ſunt auſpicia, aliqua occaſione à diabolo ſubminiſtrata: cui vſitatum eſt, errorum & ſuperſtitionum ſeminib. ſparſis clam irrepere: amplificata vero & ſtabilita ſunt ab eodẽ auctore. Quare impia eſt conſuetudo ea obſeruãdi & captandi.

Quantum ad reliqua duo genera, non inficior poſſe gigni & exiſtere in agro, domove, aut itineribus, quod vel patrifamilias atque illius rebus, vel peregrinantibus portendat futura. Nec derideo illas in plantis, iumentis, quadrupedibus, intraq; tecta & parietes, multarũ inſolite accidentium rerum notationes. Frequenter tumultuantur dæmones, & vel inanibus terriculamentis vexant homines, vel inuſitatis tumultibus, ſpeciebus aut vocibus, imminentes calamitates prænunciant. Sæpe corporum & rerum noſtrarum cuſtodes ſancti Angeli, aliquid tale edũt, quod nos cauere pericula iubeat. Sed tamen nec captari, nec, ſi eueniunt, cum ſuperſtitione & anxia ſolicitudine obſeruari penſitarique volo: nec quiuis euentus in omina conuerti debent. Nec locum hic habet obſeruationum diuturnitas, & monumentis teſtata conſignataq; antiquitas, ac ſignificationum præſenſionumque cum euentis conſenſio. Affert vetuſtas iis in rebus, quæ à natura cauſam habent, longinqua obſeruatione, mirabilem ſcientiam, cum crebra animaduerſione perſpectum eſt, quid ex quoque, & cur eueniat, & quid rem quamque ſignificet, ac quam ob cauſam, etſi nec effectuum omnium cauſæ elici ac demõſtrari, nec ſignorum explicari rationes exacte queunt. Et diuinatio ipſa, denunciatioque rerũ conſequentium, etſi ad veritatem dirigit ſæpiſſime, fallit tamen nonnunquam, quod coniectura continetur, & hac res futuras proſequitur.

Refutatio augurior ũ.

Aruſpicinæ vero, extiſpicinæ, & ſimilium ſigna, non ex natura orta, ſed ſuperſtitione ſuſcepta interpretantium, quæ poteſt ratio ex natura proferri? Quid vero ad has præſtigias immenſitas temporis facit? Aſſentior ita à principio inchoatum eſſe

eſſe mundum, vt certis rebus certa ſigna præcurrerent: ea quibus bene percepta ſunt, hi non ſæpe falluntur: male coniecta enim non aberrant rerum vitio, ſed interpretum imperitia. Sed quid his ſignis, cum offuſis à diabolo præſtigiis?

Paruis momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit, in iis, quæ naturæ ſubiecta ſunt: ſed hæc mutatio quid ad commenticias præſenſiones ex variato volatu auium & extorum commutatione, conuerſioneque, aut ſubita decoloratione? Cœli diſtributio, metarumque notatio, vnde incitentur & veniãt, quove ferantur fulmina, oſtendit. Sed inde, qua ratione proſpera vel infauſta augurabimur?

Adminiſtrari mundum prouidentia diuina, & vim diuinam continere vitam hominum, ac conſulere rebus humanis, & ab hac multa ſignificari futura, portendique, quid certius eſt, & cõſenſu ſeculorum, & vocis diuinæ teſtimonio? Sed quid ad hanc, illa diaboli, in ſubitis extorum mutationibus, quibus aut aberat mox aliquid aut ſupererat: quid in auibus, fulguribus, oſtentis, diris, furentium vocibus, ludibria diaboli æmulantis diuina opera, imitatione falſa, vt hominem ſimia imitatur?

Marcus Varro hæc videns, inquit, non otioſos tantum, ſed & ſordidos fuiſſe deos, ſi in iecorum & viſcerum ſterquilinio ſua occuluerunt conſilia ab inſanis ſacerdotibus manifeſtanda.

Idcirco, enumeratas diuinationũ ſpecies ſimpliciter vt ſuperſtitioſas reiicio ac damno. Inuſitatæ in corporibus noſtris motiones, vibrationes muſculorum, ſternutationes, ſtridores dentium, & alia, quandam affectionem pręter naturam indicant, non hoc, quod vibratorium profitetur. Sic & cætera genera plena ſunt aniliũ, friuolarum & nugacium ſuperſtitionum. Et quamuis ludat diabolus mirifice, alias ſerio, alias vexandi cauſa: tamen luſus illos perſequi, & quid apportent, ſcrutari, diuinitus vetitum eſt: & amentis eſt, aut niti aut tribuere aliquid talibus præſtigiis, quas quidem eo crebrius exercet & effundit, quo illis affici angique facilius homines experitur.

Extat Dei iudicium de augurandi ratione, *Leuit. 19.* Ne comeditote in montibus, neque augurio neve diuinatione vtimini. Idem *Deuter. 18.* repetitum eſt atrocibus verbis: Ariolus & aruſpex, & augur, abominatio eſt Deo tuo: propter has enim abominationes Dominus Deus exterminabit eos à facie tua.

Apparet etiam Ethnicos antiquiores & ſaniores ſtultiſſimam augutiorum vanitatem contempſiſſe. Hector apud Homerum grauiter Polydamanti, metu augurii pugnam detrectanti reſpondet, vnum eſſe augurium optimum & à Deo mandatum, fortiter defendere patriam, his verbis:

At tibi Dii mentem turbarunt ſpernere qui me
Conſilia ac promiſſa iubes Iouis altitonantis,
Tu vero me præpetibus parere iubesq;
Auguriis, quæ ſperno equidem, quia vana videntur,
Seu dextra ſpectentur aues, Phaetontis ad ortum,
Siue ſiniſtra petant obituri limina ſolis.
Conſilio magni Iouis at nos fidere oportet,
Quem penes eſt hominum diuumq; æterna poteſtas,
Optimum id auſpicium eſt patriam pugnando tueri.

EQ. Et mihi quoq; vaniſſima ſemper viſa ſunt. Vt enim Ciceronis verbis vtar; ſi pedis

pedis offenſio,abruptio corrigiæ,ſternutamenta, atque his ſimilia obſeruanda erunt;nonne ſemper prætexet ſuperſtitioſus,offenſionem quamuis pedum ſibi diuinam iram portendere?nonne hoc,dicet,in Tib.Graccho obſeruatum, qui quo die occiſus fuit,domo egrediens ad limen grauiſſime pedem offendit? Nonne hoc idem Craſſo infauſti prœlii die accidit? Nonne hoc de marito Laodamia ſcribit?

Cum foribus velles ad Troiam exire paternis
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.
Vt vidi,ingemui,tacitoq; in pectore dixi,
Signa reuerſuri ſint,precor,iſta viri.

Et Tibullus de ſeipſo:

O quoties ingreſſus iter,mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

De ſternutamẽtis ſemper erit quo excuſent. incidat in aduerſum aliquid, qui ſternutat: dicet ab eadem cauſa vtrumque euentum,ſit felicior alius, & optatis potiatur: id ipſum dicet ſignum fuiſſe ſucceſſus, & non à naturali, ſed ſuperna cœleſti cauſa communi id eueniſſe. Sane ſternutationem medium omen cẽſuere veteres, vt notatum ſcholiaſtæ Theocriti,ideoq; ſternutante aliquo,aſtantes illi bona verba dicebant: vt ſi quid portenderetur mali,id fauſta precatione auerterent. Matutinam ſternutationẽ prorſus infauſtam; meridianã firmiſſimi auſpicii, & conatus non irriti indicium,rebantur,etiam Ariſtotele auctore,maxime ſi à dextro latere. Vnde Propertius:

Nunc tibi naſcenti primis (mea vita) diebus,
Aridus argutum ſternuit omen amor.

Et Catullus,de Acme & Septimio, ſternutationis dextræ approbationem, vocat auſpicium bonum. Quid quod & peditum obſeruabant, & Græcis quidem omen erat bonum,vt *ex Hymno in Mercurium:* Latinis infauſtum cẽſebatur,vt ex Catone *de re Ruſtica* fuit aliis obſeruatum. De Soricino auſpicio æque ridiculi veteres, de quo præter Plinium in hiſtor.natural.etiam recte accipiunt illud Auſonii,

Quadrupes auſpiciis quis iungitur oſcinibus? Mus.

Sed hæc ſuffecerint de nugis ominum, de quibus etiam nonnulla Polydorus 3. de prodigiis & Nauſea lib.2.mirabilium.

De ſtrenis. *PH.* Sed quid de ſtrenis ſentiendum, quæ primo ineuntis anni die inuicẽ dantur,de diebus item,menſibus atque annis peculiaribus, quos ſtudioſe quidam obſeruant.

EQ. Solebant Ethnici Kalendas Ianuar. (vt Suetonius & Ouidius docent) magna ſolemnitate celebrare in honorem Iani,& inter cætera tũc inuicem dare ſtrenas,in omen ſiue precationem bonam anni proſpere decurſuri,aliorumq; multorum quæ adiiciebant: nam dicta quaſi *trena*,& ternarius perfectionis atque plenitudinis index,eo quod tria,ſint omina Ariſtoteli. Has autem ſtrenas propter huiuſmodi ſuperſtitiones concilium Antiſiodorenſe vocat diabolicas, & qui eas eo animo mittunt,damnantur à D.Auguſtino apud Gratian.& à Martino Papa,qui; *Non licet* (ait) *iniquas obſeruationes agere Calendarum, & otiis vacare: neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis enim hæc obſeruatio paganorum eſt.* Solebant autem pii Chriſtiani eo die ieiunare, in deteſtationem gentilitiæ ſuperſtitionis, vt docemur à D.Ambroſio & Concilio Tolet. quarto, qui vero contempto ieiunio feſtũ diem cum paganis agebant,illis Romanorum Concilium ſub Zacharia Pontif. anathema

nathema dixit. Quare ſi quis hodie vel in honorem Iani vel Streniæ Deæ epulis vacaret, aut ſtrenas mitteret vel acciperet, is eſſet idololatra; ſiq; id captandi ominis gratia faceret, vana foret obſeruantia; amicitiæ vero memoriæque conſeruandæ cauſa ſi fiat, non improbatur.

Quod vero ad dies ac certa anni tempora qui obſeruantur, attinet; ſiquidem id fiat ad directionem negotiorum, iiſque ſubſit cauſa naturalis, vt, ſi qui certis temporibus herbas colligunt vel ligna ſuccidunt pro ædificiis vel nauibus, ſuperſtitione carent; ſi nimirum id faciant permoti naturali obſeruatione motus & influentiæ cœleſtis, certis enim temporibus vis herbarum efficacior eſt, ligna quoque minus obnoxia ſunt corruptioni, & aptiora ſunt ad vſum. Sed ſuperſtitio foret, ſi obſeruaretur certus vnus hebdomadæ vel menſis dies tantum, vel certa diei hora, vel adderentur circumſtantiæ inutiles, aut orationes otioſæ vel nō approbatæ. Atque ad hanc claſſem referendi ſunt, vt recte Binsfeldius infert, qui obſeruant certas feſtiuitates, vt conuerſionis B. Pauli, Vincentii, Vrbani, vel aliorum; quibus ſi pluat vel cœlum ſerenum ſit, ſibi ſpondent ſerenitatem, fertilitatem, vini copiam vel inopiam, aut continuatam per tot dies pluuiam, vnde & ſuperſtitioſos fecere verſus: *Dierũ obſeruatio.*

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque:
Si fuerint venti, deſignant prœlia genti:
Si nix & pluuia, deſignant tempora cara.

Item qui colligunt herbas in die Sancti Ioannis, ad certos quoſdam effectus, credentes eo die habere vim naturalem efficaciorem; vel inſerunt arbores ipſo die Annunciationis B. Mariæ, vel in feſto S. Stephani minuunt ſanguinem equorum, & ſimilia faciunt, naturalem cauſam attendentes; quæ nulla eſt, vnde vane iſta inſtituunt. Huc etiam pertinent, qui obſeruant quoſdam dies, vt puta diem D. Magdalenæ, diem lunæ, &c. vt infauſtos, vel vt fauſtos ad iter, aut rem aliquam inchoandum: item an, cum ſurgunt, primo induerint calceum vel femorale dextrum an ſcæuum, aut quo pede primum tangant terram, vel domo egrediantur; & quæ huiuſmodi nugatoria ſunt.

TH. Tales in iure Canonico videntur dies Ægyptiaci, quorum fit mentio apud Auguſtinum *in comment. Epiſt. ad Galat. 4. & cap. non obſeruetis, 26. q. 7.* Gloſſa Canonica vult, Ægyptios docuiſſe, qui dies toto anno infauſti forent ad opus inchoandum; & hos Eccleſiam olim in Calendariis ſuis ſignaſſe, quorum poſterius nihil dubito, quin falſum ſit: nunquam enim Eccleſia hæc recepit, Apoſtolicæ prohibitionis memor *ad Gal. 4. v. 10.* poſterius poteſt recipi, Aſtrologorum enim iſta commenta fuere, & Ægyptus inuentrix Aſtrologiæ. Petrus Breslayus *lib. 1. Notabilium c. 53.* huiuſmodi dicit eſſe, Ianuar. 1. & 25. Februar. 4. & 26. Martii 1. & 28. April. 10. & 20. Maii 3. & vlt. Iunii 10. & 17. Iulii 13. & 27. Auguſti 1. & 24. Septembr. 3. & 21. Octob. 3. & 22. Nouemb. 5. & 28. Decemb. 7. & 22. vnde acceperit neſcio. Suſpicor tamen, Ægyptios pro ſcæuis & nefaſtis habuiſſe etiam dies illos, quibus tot plagis à Moſe percuſſi, & quo Pharao cum exercitu mari demerſus. Nam ſingulis gentibus inſignes clade aliqua dies, poſtea ſemper atri habiti, vt de Romanis, Græcis, aliiſque docuit Alexand. ab Alex. Exempla plura harum ſuperſtitionum ſuggerunt Patres, illa D. Pauli verba (*Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fruſtra laborauerim in vobis*) explicantes, vt Ambroſius; *Dies* obſeruant, qui dicunt

vtputa, craſtino proficiſcendum non eſt, poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari,& ſic ſolent magis decipi. Hi autem colunt *menſes*, qui curſus lunæ perſcrutantur,dicentes,vtputa, ſeptima luna inſtrumenta confici non debent: nona luna ſeruum emptum,vtputa,domum ducere non oportet, & per hæc facilius ſolent aduerſa prouenire. *Tempora* vero ſic obſeruant,cum dicunt; Hodie Veris initium eſt,feſtiuitas eſt,poſt cras Vulcanalia ſunt. Et talia iterum aiunt,Poſterum eſt, domum egredi non licet. *Poſterum* ſignificat aduerſum & præpoſterum, quaſi ex ipſa commoditate ſerum. *Annos* ſic colunt, cum dicunt Kalendis Ianuariis nouus eſt annus, quaſi non quotidie anni impleantur: ſed vt Iani illius memoriam recolant b.frontis,hac ſuperſtitione vtuntur,quæ longe debet eſſe à ſeruis Dei: ſi enim Deus ex toto corde diligatur,ipſo propitio,nulla debet eſſe formido neque ſuſpicio harum rerum. Proſpere enim poteſt cedere, quicquid ſimpliciter ſub Dei deuotione fit. D Auguſtin. *Epiſt.119.cap.7.* eos enim inculpat, qui dicunt,non proficiſcar,quia proſperus dies eſt,aut quia luna ſic fertur:vel proficiſcar vt proſpere cedat,quia ita ſe habet poſitio ſiderum. Non agam hoc menſe commercium,quia illa ſtella mihi agit menſem: vel agam;quia ſuſcepit menſem. Non plantem hoc anno vineam,quia biſſextus eſt,quę ad verbum comment.ſuo inſeruit D.Anſelmus. Idem Auguſtin. ſic alibi; ſicut obſeruant,qui certis diebus ſiue menſibus volunt & nolunt aliquid inchoare,eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora. *Et alio rurſus loco in d.cap.4.ad Galat.* plena ſunt cõuenticula noſtra hominibus,qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. Iam vero ne aliquid inchoetur aut ędificiorũ;aut huiuſmodi aliquid operum, diebus,quos Ægyptiacos vocant,ſæpe etiam nos monere non dubitant. Hactenus Patres,quorum allegaui verba,quoniam licet primo loco, & iuxta contextus ſeriẽ Apoſtolus loqueretur de ſuperſtitioſo dierum,mẽſium & annorum cultu Iudæorum; quos Galatæ Iudaizantes haud dubie imitabantur, vt optime cum Græcis D.Hieronymus & Primaſius arbitrati; fieri tamen poteſt, vt aliquid etiam paganiſmi ſimul irrepſerit, vt vidi in Francia tempore Catharinæ Mediceæ,quando inter aulicas matronas adeo hæc vigebant, vt nihil inconſultis aſtrologis (quos *Barones ſuos* nuncupabant) conari auderent. Ad hanc ſuperſtitionem diariam referendi quoque ſunt,qui certis diebus olera ſcopis tangunt,ne ciniphes, erucæ, campe, vel alia inſecta noceant: item qui volunt vngues præſcindere die veneris, vel nere die Sabbati,cum interea non abſtineant in honorem Dei cæteris operibus ſeruilibus: item qui oua, quæ gallinæ pariunt die Paraſceues, toto aſſeruant anno, quia credunt ea vim habere ad extinguenda incendia,ſi in ignem iniiciantur, & ſi quæ ſunt aliæ huius generis vanitates.

PH. Nec ego quoque huiuſmodi dierum ac temporum vanis obſeruationibus aliquid tribuo. Quid vero de ſortibus ſentiendum, quas conſtat non ab Ethnicis tantum,ſed etiam in veteri Teſtamento ipſius Dei iuſſu ab Iſraelitis frequenter vſurpatas fuiſſe. Exempli gratia;Sorte iubetur ex duobus arietibus eligi,qui offeratur Domino. *Leuit.16.* Sorte terra diſtribuitur Iſraelitis de cõſilio & mandato Dei: & Rex deſignatur Saul: & in locum Iudæ, ſurrogatur Matthias Apoſtolus. Sorte Ioſua explorat peccatum anathematis;& Ionas depoſcitur ad pœnam.

De ſortib.

Sorte Athenienſes annuatim *τὺς πενταχοσίυς, Duiros*, & cum id exigeret altercantes,arbitros,quos *διαιτητὰς κατὰ κλῆρον* & *κληρωτὺς, arbitros ſortitione electos ſiue ſortitos* nominabát,cõſtituerunt. Erantq; *πενταχόσιοι, Duiri*,qui ciuiles cõtrouerſias &

ſias & rerum actiones, de quibus lis cõmuniter popularibus oboriebatur, cognoſcebant ac diſceptabant. Romæ Prætor ex decuriis præſides iudiciorum publicorum itidem ſorte aſſciſcebat. Apud Homerum Principes ſortiuntur, ſortibus coniectis in galeam, eaque vibrata & agitata eo vſque, donec exilirent ſortes ordine, quo cuiuſque ſors prius exibat, eo ipſe antecedebat cæteros; quod his verbis indicat Homerus:

Ocyus ærata miſcemus caſſide ſortes. Magnanimi vero Eutylochi ſors exiit illa.

Celebrantur ſortes Lyciæ, Deliæ, Prænestinæ, à Numerio quodam Suffio, in æde Fortunæ Præneſti conſtitutæ, Antiatinæ & aliæ, quibus occulta ignotaque, aut futura detegi producique in lucem opinio erat; tantaque colebantur religione, vt conſulturi eas, non niſi ſolemnibus luſtrati ritibus accederent, & adeſſe his peculiaria numina, quæ miſſas ſortes diſpenſarent, crederent.

TH. Sortium diuerſi ſunt fines, & conditiones diuerſæ, cum quarundam vſum ſacræ literæ concedant, quarundam denegent & damnent, quarundam talis ſit conditio, vt in exemplum trahi nec poſſint nec debeant: neceſſe eſt diſcerni gradus earum & genera. Sunt autem ſortium aliæ politicæ, aliæ diuinæ, aliæ diuinatoriæ. Vtar ſane his vocibus diſtinctionis cauſa. Diuinarum ſortium appellatione, ſingularia illa complector, quorum mentio fit in ſacris hiſtoriis, vt, cum Ioſua auctorem anathematis ſorte exquirit & profert: cum nautę naui tempeſtatibus concuſſa ſæuiſſimis, ita vt pene mergeretur, inſtituunt inquiſitionem de eo, cuius cauſa mare tantopere ſæuiret, & ſors Ionam demonſtrat. Hæc etſi diuinitus gubernata & patefacta fuiſſe minime dubium eſt, tamen nobis ea imitari, aut ſimili indagationis via, ſcelerum auctores ſcrutari non licet. *Sortes diuinæ.*

Placuit Deo hoc modo aperire vtrumque; illum, vt furto prodito res ſacra, quæ tabernaculo clam erepta ac polluta erat, reſtitueretur, expiataque conſecraretur denuo, & exemplum moneret cæteros, ne ſpe occultationis ſimile quid tentarent: hunc, vt nouo atque inuſitato modo in ventre Ceti ſeruatus, fieret typus ſepulturæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Intuentes in hæc exempla, cogitemus de iudicio Dei vindicis ſcelerum, & maiore diligentia caueamus, ne offendamus Deum, aut perpetremus diſplicentia Deo; non blandiamur aut adulemur nobis opinione & ſpe occultationis perpetuæ, nec callide ſopita, latitura ſperemus in perpetuum. Exempla iſta, id eſt, hanc occulta peruestigandi ac patefaciendi rationem non vſurpemus.

Politicas ſortes voco, quibus vel res certæ, vel hereditates, legata, donata & ſimilia diſtribuuntur iis, ad quos pertinent; vel ex aliquo numero idoneæ perſonæ decerpuntur, quibus certæ functiones commendentur, aut ex ordine inferiore, aliqui cooptantur & euehuntur in ſuperiorem & digniorem. *Sortes politicæ.*

Inſtituuntur autem de rebus arbitrio noſtro ſubditis, legumque nituntur auctoritate & conſenſu ſortientium, quo ſeſe ad parendum euentui ſortis, ſua ſponte obligant, & coguntur poſt auctoritate legum ſubmiſſioneque ac aſſenſione ſpontanea, decreto ſortis acquieſcere, & ferre atq; amplecti, quæ eueniunt aut deferuntur, qualiacunque ſint.

Non parum ea momenti adfert euitandis prohibendiſque contentionibus, & dirimendis atque abrumpendis certaminibus, quæ ſortibus ſæpe componuntur ac ſedantur facilius, quam longis diſputationibus, præſertim ſi bona fide, ſineque dolo & fraude adminiſtrētur: non vt faciebat Temenus, qui Creſphonte & Ariſto-

Digitized by Google

demi filiis, Heraclidis vtriſque, longas controuerſias de Meſſeniaca ſortitione finituris, communi conſenſu, vt vtris eam ſors decerneret, ii tenerent: glebas Creſphontis, ex luto formatas igne durabat, alteras ſiccabat ad Solem: Vtriſque enim immiſſis in vrnam aqua plenam, hæ mox liquefactæ diſſoluebantur, illas extrahebat integras. Ita autem conuenerat inter eos, vt quorum glebas aqua colliquaſſet, ii cederent Meſſeniaca. Retinuit, hac Temeni fraude, Creſphontes terram, coheredibus excluſis.

Non aduerſatur aut repugnat auctoritati ſacrarum literarum, vſus legitimus huius politicæ conſuetudinis ſortiendi. Nec tamen ſortiri Epiſcopatum vel aliam quamuis dignitatem aut beneficium Eccleſiaſticum licet, *l. 47. C. de Epiſc. & cap. fin. de ſortileg.* In cæteris ergo dignitatibus & officiis, actionibus, pœnis, rebuſque aliis diuiſoria ſors, qua, quid cuiq; tribuendum ſit, quæritur, prohibita non eſt, vt patet *ex cap. 1 26. q. 2.* Vt tamen in his nullum peccatum intercedat, ſeruādæ ſunt quatuor conditiones. Primo debet euentus à Deo expectari, & non à caſu vel fortuna, vel aſtris, quare & Deus inuocandus, iuxta illud: In manu tua ſortes meæ. Secundo debet adhiberi ſimplex ſors ſine vlla ſuperſtitione vel abuſu rerum ſacrarum, aut ſcripturæ ſanctæ. Tertio neceſſe eſt, vt illi qui ſortiuntur, æquali iure nitantur, alias enim eſſet iniuſta ſortitio; & quidem grauior, ſi de bono publico ageretur, verbi gratia, ſi de officiis publicis digni & indigni ſortes mitterēt. Sors enim poſſet indigno fauere, cum damno reipub. & iniuria dignorum. Quarto, vt principalis intentio mittentium ſortes, non ſit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario (quia talis modus omnino eſt incertus) ſed pręcipua intentio debet eſſe, vt auferantur lites, diſcordiæ, querelæ, inuidiæ, quod nos docuit Salomon: *Contradictiones* (inquit) *comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat.* quare ſi aliter concordia poſſet iniri, res ſorti non eſſet committenda: ſin aliter nequit diſcordia ſopiri, bonum pacis ſortem permittit, ſeruatis his conditionibus. Hinc praxi receptum in militia, vt quando plures ſunt rei, ſorte experiantur, quis necandus, quis liberandus: tum vero ſeruandum, vt ſit par ſortientium reatus, alioquin iniqua eſt ſortitio, quo ad minus nocentes. Sic tempore peſtilitatis ſortiendū, quis parochorum in vrbe remanere debeat; eadem ratione, quando dubium cui cedere debeat eleemoſyna, poteſt ſortitione res decidi.

De contractu ſortis ſiue Loteria.

EQ. Eſt in vſu frequenti Europæ contractus quidam, quem vulgo vocant *Loteriam.* Iſte vel priuatim fit vel publice: priuatim pro arbitrio cuiuſque; quando aliquis equū vel quid ſimile ſtatuto pretio (verbi gratia pro 50. aureis) exponit ſortiendum cui obtingat, & deinde in hanc ſummam plures ſymbolam quiſq; conferunt, & aleam iaciunt, quis equum ſit habiturus: vel etiam priuatim plures annuli, libri, ſpecula, vel alia ſupellex proponitur, inter familiares eodem modo collatis ſymbolis (quæ vocantur *Lota*) ſortienda, vulgo vocāt *la raffe*, aut *riffe.* Quidam vocant *ludum ollæ*: opinor propter vrnam ſeu ollam, in quam ſortes iaciuntur.

Publice vero cum inſtituitur, opus eſt Principis vel reipub. conſenſu: ſuntque hoc in contractu, ſiue publice ſiue priuatim fiat, multa cōſideranda, vt iuſtitia cōtractus & perfectio illibata maneat. Sed hæc Magiſtratus diſcretioni relinquo. Cęterum olim fabis nigris & candidis, aut glebulis, aut calculis, ſeu ψήφοις, quorū quidam *ἄτρητοι, non pertuſi*, erant, quidam *τετρημμένοι, perforati,* teſſeris ve aut talis, ſortiri conſuetum fuit.

Sortituri autem calculos in vrnam, certo numero coniiciebant, præmiſſo

folio

folio oleæ, cui ἑρμοῦ, *Mercurii*, nomen erat, inde, quod, Mercurium præſidere ſortibus, credebant. Ex calculis, aliqui characteribus notati erant, & diſtincti à ceteris. Cum ergo ſors ducenda eſſet, primo oleæ folium eximebatur, poſtea auferebant ſinguli ſingulos, quos fortuito arripuiſſent, & ſecundos tertioſque priore ordine repetito, tollebant: tandem eductis omnibus, prout quiſque, ſignatorum calculorum numero, ſuperabat, ſic, vel cum Magiſtratus legerentur, præferebatur, vel, in adeunda hereditate, percipiendisve aliis emolumentis, prærogatiuam obtinebat: Quibus par calculorum numerus contingebat, ii æquatas ſortes duxerant, & iterata ſortitione, dirimebantur.

Veneti hodie globulos inauratos & argenteos vſurpant. Nos literarum elementis, vt olim Syracuſani, aut teſſeris, aut chartis, quarum notatæ ſunt quædam, quædam notis carent, vel aliis etiam rebus vtimur.

Habent etiam cognatum aliquid ſortitioni, teſſerarum, calculorum, taxillorum, aſtragalorum ludi: Etſi præter βόλον καὶ πτῶσιν, *iactum & caſum*, quæ fortuita ſunt, ſæpe plurimum nauat & præſtat ingenium & induſtria ludentium: in illis ludis præſertim, quæ non ſola proiectione fortuita, & procidentia teſſerarum, abſoluuntur, ſed requirunt, præter hæc, indefinitas ac diſtinctas lineas, diſpoſitionem calculorum, quam ex caſu conſiſtentium teſſerarum, eminentes earundem notæ demonſtrant: aut, ſine vſu teſſerarum, expediuntur ſola collocatione calculorum, ingenioſa, & ſecundum præſcriptas leges, ad victoriam directa, quæ aut occupatis, ceu, præcipuis arcibus, aut interemptis, profligatis, interceptis, concluſis, ceu ducibus ipſis & militibus, acquiritur.

Veteribus in vſu fuerunt, κυβεία, πεττεία, διαγραμμισμὸς, ἀστραγαλισμὸς, *ludus teſſerarum, ſiue alea, ludus calculorum, ludus 60. calculorum, talorum ludus.* Ludus latrunculorum, qui conſtabat diſtinctis in orca, ſeu fritillo quadrato, areolis quadratis, quas πόλεις vocabant, inque his duabus contrariis aciebus diſtinctorum calculorum, accommodato poſitu inſtructis, ceu ad mutuas inſidias & conflictus, qui κύνες, *canes*, dicebantur, & latrunculi: hi educuntur, intra definitos limites, ad congreſſum mutuum, atque conflictum, ad eum modum, vt, dum hi illos in ſe, ex aduerſa acie, procedentes inuadere nituntur, vt vel ſede ſua repulſos ſummouere, vel perimere, muniantur, aut adhibitis & circumpoſitis cuſtodibus, aut areæ ceu arcis natura, ne incidant in inſidias, aut pateant illorum incurſibus. *Ludi veterib. vſitati. Latruncu lorũ ludus.*

Κυβεία teſſeris vtebatur, cubi ſpecie ſculptis, quæ ἑξάπλευρος, *ſex laterum*, eſt, & ſex includitur quadratis lateribus. Antiquitus trium vſu κυβείαν expeditam ſcribunt: poſtea numerum duplicatum excreuiſſe in ſenarium, ob numerum laterum, quorum bina quęlibet, obuerſa ſibi inuicem, punctorum notis & numeris, ſeptenarium numerum complent, vt: vnitas & ſenarius numerus: item trinitas & quaternarius, binarius & quinarius numerus. Κυβεία.

Πεσσοὶ vel πεσσὰ, (vtrumque enim genus in vſu fuit) ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, *calculi, ſeu ſcrupi luſorii à cadendo Græce dicti*, geminato σ, quinque linearum fuerunt, quod de natura pentagona vel quinque laterum, inelligo. Exercebatur autem πεττεία, *ludus calculorum*, ductis, deſcriptisq; lineis quinque, quarum media vocabatur ἱερὰ, id eſt, ſacra, ſcilicet vtrinq; ab extremis lineis, ad mediam ἱερὰν, *ſacram*, quinque πεσσοῖς, *ſcrupis*, directis. Vnde aliqui ludum ipſum πεττείαν dictam volunt, οἱονεὶ πεντείαν τινὰ οὖσαν, id eſt, *quaſi πεντείαν quandam, à deſcriptis nimirum quinque lineis.* Πεττεία.

Ἀστραγαλισμὸς, *talorum ludus*, quatuor talorum iactu exercebatur, quibus vt Ἀστραγαλισμός.

 quiſque

quiſque Venerem miſiſſet, Coum ve, ſic, vbi vel diſpertiendum erat aliquid in ſortitione, ius eligendi, præ cæteris, adipiſcebatur; vel tollebat id, de quo certamen erat, quod ve victori propoſitum erat, præmium.

Ἀστράγαλοι, *tali*, alias Græcis ἀστεῖαι, ἄστεις, & ἄστειχοι dicebantur. Conſtant non pluribus, quam quatuor lateribus: Summæ enim eorum & imæ partes leuiter incuruantur, quanquam nō prorſus eodem modo. Nam ſuperior replicatur in cornua quædam, iuxta quæ ſe ſubmittit pronum latus: ima tale nihil habent.

Meminit ludi talorum Suetonius, recitans ex quadam Epiſtola Octauii Auguſti hæc verba: Inter cœnam luſimus γεροντικῶς, *ſeniliter ſiue ſenum more*, heri & hodie: Talis enim iactatis, vt quiſque canem aut ſenionem miſerat in ſingulos talos, ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecerat. Hæc ille.

Erat autem Veneris iactus, cum, de quatuor talis, nullus, ſummis notis, cum altero congrueret & habebatur feliciſſimus.

Πτώσεις, *Caſus*, & ſummarum notarum in iactu talorum variationes, triginta quinque erant vniuerſæ, quas, pro valoribus, & ſignificatis felicibus aut damnoſis, ſuis ſingulas appellationibus inſignierant.

Διαγραμμισμός. Διαγραμμισμός, *luſus linearum, ſiue 60. calculorum*, in Schemate lineis rectis deſcripto, exercebatur ſexaginta calculorum, quorum triginta nigri erant, reliqui candidi, poſitu ductuque. Huic ſimilis eſſe videtur is ludus, qui octodecim calculis, binis coloribus, in duos ordines diſtinctis, apud nos exercetur: his arte diſpoſitis, in cardines & mutuas interſectiones linearum rectarum quadrati diagrammatis, quod trium magnitudine differentium, quadratorum tripartita deſcriptione, & tranſuerſarum rectarum linearū latera quadratorum æquabiliter diſſecantium ductu deſcribitur. Atque huiuſce generis ludi quadantenus ſunt liciti; modo abſit blaſphemiæ & decoctionis bonorum periculum.

TH. Certum eſt, perdentes in ludo, plerunque ſolere blaſphemare. Atque hinc leges, quæ luſum alearum vetant, emerſerunt, non quod omnis omnino alearum luſus prohibitus ſit; permittunt enim iura luſum aleæ pro re modica ſeu cauſa conuiuii, *l. quod in conuiuio, ff. de aleat.* ſed vt immoderatis ludendi deſideriis obueniretur, quibus quamplurimi adeo tenentur, vt etiam omnes ſuas fortunas atq; hereditatem omnem aleæ iactibus committant. Atque hæc etiam de ſorte politica.

Sortes diuinatoriæ. Diuinatoriæ ſortes oracula excudunt, abdita atque abſtruſa eruunt, ignota eliciunt, incerta confirmant, impendentia proſpiciunt, ſuſceptorum negotiorum exitus prænoſcunt, arguta quidem & ſolerti coniectatione, de numeris formiſque elementorum mixtorumve, deq; indiciis caſu ac fortuito, & prorſus ὡς ἔτυχε, *vt cecidit*, acceptis: ſed à veritate aliena, commenticia, atque impia, vtut ſortium talium artifices & interpretes pingant ſua commenta, & præſtent quandoq;, quæ magnifice promittunt.

Nam ne fortuitas, ſineque ratione & deliberatione, conſtitutas notas, illos arguere euentus largiantur, quos cauſæ pariunt & moderantur ordinatæ: neve temere prorſus & ſine lege, cura, auctore, notas quoq; ipſas euenire concedant, cum fortuitum omne, à cauſa quapiam latente, procedat & dirigatur: fingunt ſortitionem, ſeu notarum figurarumque ſignificantium aut conſtitutionem, aut collectionem, rei propoſitæ accommodatam, ab aliquo gubernari numine.

Alii ne hæc in numina referant, aſſentiuntur quidem, non à numinibus vim illam proficiſci, ſed aſtra, virtute mira, tum regere artificum manus, materiamque, quam tractant, vt dum temere formant, iaciuntve figuratos ante characteres, illi, his non aduertentibus, euadant in figuras, quæ inſtituto quadrent: tum, conueniente vi, abſolutos characteres imbuere comminiſcuntur.

Adeo enim ſubdita aſtris atque addicta volunt eſſe, quæcunq; extremus Mundi orbis, circumflexu ſuo cingit, vt illa, non tantum, noto conſuetoque ordine, progredientia, afficiant hæc elementis incluſa, &, à natura, in iiſdem formata corpora: ſed tum velut præſides, mente prouidentiaque, & manu adeo complexa, totam hanc molem vniuerſitatis, & ſingulas partes, agant, proſpiciant, efficiantq; & quaſi fingāt omnia: tum, ſenſu quodā diuino, præſagiant cuiuis homini euenturos caſus, ſtatim, vbi in lucem is prodiiſſet, præuideant atque intelligant imminentia, perſpiciant abdita, contueantur interuallis diſiuncta diuerſiſſimis, & quadam omnipotentia mox ad nutum interpretis, quæ requirat quiſque, præſcireque deſideret, effictis, ipſorum ductu, characteribus, aut iactu talorum productis, declarent ac renuncient.

Falſum vtrumque eſt, & contumelioſum in Deum. Non enim iuuat Deus, aut promouet, quæ abominatur & damnat: &, in quem finem, ſint aſtra condita, quid quantumve efficiant, cum ſua voce Deus teſtatus eſt, tum & idem poſt copioſius declarabimus.

Quod vero fabulantur, aſſidere ſtellis ſingulis Angelicas naturas, quæ præuideant, ne in motu vſpiam aut titubent, aut exorbitent, effectusque earundem in terrena, ſuo iudicio & arbitrio, dirigant ac diſpenſent: id leuius eſt, quam vt refutandum cenſeam. Ortum videtur, ex commentis Ethnicorum quorundam, qui primam cauſam, à reliquarum & in natura partium adminiſtratione ſemotam, ſoli primo cœlo, nexu inſolubili, alligant, & ceteris orbibus peculiares intelligentias gubernatrices adiungunt.

Nihil ergo, quo nitantur diuinatoriæ ſortes, quove excuſari poſſint, aut aſſeri, reſtat. Idcirco, ex qua ſint origine natæ, aut, qua vi, quæ iactitant, conficiant, quidve tribuendum illis ſit, manifeſtum eſt: etſi auctor horum ac diſpenſator Diabolus, ſignificatis completis, & præſtitis euentibus, auctoritatem illis admirationemque comparauit apud profanos, & aſtruxit fidem, omni tempore.

PH. Ratio diuinandi ex ſortibus multiplex eſt, vt ſortium ipſarum non vna forma: κληρομαντεία, ſeu Diuinatio ex ſortib. ſiue ſortitione, teſſellis taliſve iactatis, ſortes captabat, &, ex ſummis talorum faciebus, aut iis, qui teſſeris inciſi erāt, characteribus, diuinabat de euentu, aut ad quæſita reſpondebat. Ad Buram Achaiæ oppidum, oraculum Herculis fuit, ex talis & abaco conſtitutum: vbi conſulturus de re quapiam, poſt reddita Deo vota precesque, talos quatuor iaciebat, quorum ſitum & figuram cum inſpiceret oraculi præſes, quid euenturum eſſet, iuxta talos, in abaco, literis expreſſum inueniebat, erantque tali omnes, ex hoſtiarum oſſibus, arte fabrefacti. *Ratio diuinandi ex ſortibus.*

Præneſtinarum ſortium, quę claruerunt diutiſſime, cū re frixiſſent ceteræ, talis traditur inuentio. Numerius quidā Suffius, honeſtus homo & nobilis, cū ſomniis crebris, ad extremū etiam minitantib. iuberetur, certo in loco, ſilicē cędere, perterritus viſis, irridentib. ſuis ciuib. id agere cœpit. Perfracto ſaxo mox ſortes erupęrūt, in robo- *Præneſtinarum ſortium inuentio*

in robore inſculptæ priſcarum literarum notæ. Is poſtea locus ſeptus religioſe eſt, propter Iouis pueri, qui lactens, cum Iunone, in gremio Fortunæ ſedens, mammam appetens, caſtiſſime colitur à matribus.

Eodem tempore, illo loco, vbi poſtea Fortunæ ædes ſita fuit, mel ex olea fluxiſſe proditũ eſt, aruſpicesq; dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumque iuſſu, ex olea illa, arcam eſſe factam, eaque conditas ſortes, quæ, Fortunæ monitu, ſublatæ ſunt.

Diſpoſuerat eas, in excauatam columnam, inuentor, vnde quotannis Calend. Ianuarii, magna celebritate, eximebantur, eaque, qua eductæ erant, ſerie iunctę, integra reſponſa abſoluebant, quæ oraculi vim habere putabantur.

Domitiano Cæſari mortem has prænunciaſſe, annotatum eſt. Cum enim lætam exhibuiſſent antea ſemper, poſtremo triſtem, nec, ſine mentione ſanguinis, ſortem dederunt.

Antiatina ſors. Antiatina ſors, Caii Caligulæ morte, inſignis eſt, quem aliquanto ante, vt Caſſium, à quo occiſus eſt, caueret, præmonuerat.

Sortes, ad Aponum fontem Geryonis, quæ aureis talis miſſis, proueniebant, nobilitauit Tiberius Cæſar. Cum enim priuatam adhuc vitam agens, tribus Octauiani nepotibus ex Iulia filia, vxore M. Agrippæ ſuperſtitibus, Caio, Lucio, & Agrippa, eas conſuluiſſet, de Auguſti ſucceſſore, aurei tali proiecti cum ſummum obuertiſſent punctum, Imperium & ſucceſſionem ipſi annuerunt.

Narrat Cæſar, M. Valerium Proculum, ab hoſtibus captum, ſortium beneficio, euaſiſſe incolumem, cum illæ ter quæſitæ, vtrum igne comburendus ſtatim eſſet, an in tempus aliud reſeruandus, nunquam aſſenſiſſent.

Geomãtia. Geomanticæ coniectationes fiunt, ex punctis, figuriſq; ſedecim, ſorte conſtitutis. Figuras ipſas auctores primi compoſuerunt, ex punctis digeſtis in certas ſpecies, neſcio, an caſu vel iudicio, &, ad duodecim Zodiaci ſigna, ſeptemque aptarunt Planetas, vt, hoc prætextu, perſuaderent imperitis, è cœlo, in figuras illas, dum ab artifice formantur, illabi atque influere vim nouam, qua, ſi in certa domicilia ſchematis, ad imaginem vſitatam thematis cœleſtis, conſtructi diſponantur, ſignificent ea, quæ aſtra ipſa hoc poſitu, natiua ſua vi, terrenis omnibus, ac hominum generi præcipue, inferant deſignentve. Cum vero auctor gubernatorque totius diuinationis Geomanticæ ſit Diabolus: hoc monente, ſigna excogitata ſunt primum & accommodata, ad harum illarumve rerum deſignationem, prætextu virtutis aſtrorum: hoc colludente & iuuante, artifices, quod indagant, quandoque figurarum ductu, monituque conſequuntur. Nihil tale characteres Geomantici, neque ex ſeſe habent, neque ex materia qua conſtant: Nihil ex cœli influxu aut artificum manibus, tale acquirunt. Proinde illis vacare aut prolixe de illis perorare, ſuperſedeo, quippe quæ meipſo damnantur auctore.

Ὀνομαντεία, & ἀριθμομαντεία, diuinatio ex nominibus & numeris, exercentur. Ortam vtramque à Pythagoreis tradunt, qui literarum elementis certos diuinoſque tribuerunt numeros, numeris vim præſagam futuri occultique: quam, vt ex quodam cum ſtellis connexu conſenſuque habere viderentur, quidam vnitatem & quaternionem Soli, binarium Mercurio, ſenionem Veneri, octonarium Saturno, nouenarium Marti: vnitatem Leoni, binarium Aquario, ternarium Capricorno, quaternarium Sagittario, quinarium Cancro, ſenarium Tauro, ſeptenarium Arieti

rieti,octonarium Libræ, nouenarium Scorpio, denarium Virgini,vndenarium Piſcibus, duodenarium Geminis,accommodarunt.

Et fortaſſe hoc non ſine ratione factum eſt. Soli vnitatem dedicatam exiſtimo,vel,quod vno ſimplicique circumferatur motu: vel,quod dignitate, præſtantia,luce,mole,reliquas ſtellas anteeat,& lumen ceteris communicet, vt numeros ceteros vnitas & ordine naturæ præcedit &conſtituit:quaternionem additum,ob locum quartum,qui inter ſeptem planetas, medius eſt.

Lunæ aſſignatum reor ſeptenarium, quod, ſeptem dierum ſpacio, quartam ſemper cœli partem emetiatur,& *φάσιν, apparitionem*,atque effigiem mutet,&,quater ſeptem diebus,curriculum abſoluat integrum,circuituque dierum ſeptem,varie afficiat terrena cuncta immutetque: adiunctum vero binarium quod vt plurimum,ſecundo à coitu die,proferat, ſe in emerſum, & biduo rurſus ante congreſſum,ſubeat radios Solis,& euaneſcat ex oculis.

Ternarium relatum in Iouem beneficum, non dubito, ex vetuſta & religioſa,de ternario,opinione,quæ ex antiquiſſima ſanctorum Patrum doctrina,de ſancta Trinitate reliqua, Ethnicos in admirationem huius numeri conuertit. Temperatior eſt autem ceteris Iupiter,& fauſta ac ſalutaria plerunque præſtat ac confert. Sic de ceteris. Sed quacunque ſit ratione hoc factum, non moror. Diſtribuerunt iidem Alphabetum in tres *δεκάδας; decadas*, exemplo, vt opinor, Chaldæorum,à quibus profectam *ἀριθμομαντείαν, vaticinationem ex numeris*, multa ſunt quæ arguunt. Prima ſimplices comprehenderunt numeros, ſecunda denarios, tertia centenarios. Diuinaturi de aliqua re,nomina eorum,qui interrogationem deferebant,reſoluta commutabant in numeros.

TH. Imitati ſunt hoc recentiores Iudæi,ſanctiſſimis nominibus veri Dei, & caſtorum Angelorum,ac Dæmonum. Condiderunt geminam Cabalam, Vnam de Breſchit,quam Coſmologiam vocant: Alteram de Mercana, de Dei, Angelorum, Dæmonumque naturis,nominibus,& ſignaculis. Hanc rurſus in *ἀριθμομαντείαν, vaticinationem ex numeris*, diſtinxerunt, & *θεομαντείαν, Diuinationem, ſeu Dei vaticinium.* Illa, Angelicas virtutes, nomina & ſignacula: hac, altiora, & ad Deum pertinentia,pertractarunt, tanto ſcelere, profanatis & pollutis ſanctiſſimis Dei nominibus,vt neſciam, an vllum maius cogitari poſſit. Piæ mentes oculis illorum mentionem, auribus & toto pectore, abhorreant ac deteſtentur. Sed *ἀριθμομάντεις, diuinatores ex numeris proſequere.* *Cabala Iudæorum recentium.*

PH. Commẽtitia tota eſt ex numeris diuinatio. Etenim numeri per ſe ſunt aut quantitates, quas mens hominis cogitando format: nec differunt ab ipſo intelligẽdi actu,hocq; ceſſante,abeunt atq; euaneſcunt: Aut ſunt Characteres picti, qui bus notantur & exprimuntur numeri. Nulla ergo illorum eſt efficacia. Cæterum perſuaſum habeo, Arithmomantiæ nomen initio toti numerorum doctrinæ tributum,à primis & ſummis artificibus:qua,haud ſcio,an ſit perfectior vlla,aut vitę accommodatior, aut naturæ intelligenti conuenientior.

Miræ enim ſunt,& variæ numerorum proprietates & analogiæ inter ſeſe: ſeries non fortuita,ſed aptiſſime diſtributa: diſcrimina varia, eaque non inutilia,ſed vſibus pæne infinitis accommodata, quos cum, ingeniorum acumine, artifices eruiſſent & explicaſſent, mirati artificioſam rationem cæteri, quæ numerorum inter ſe commixtionibus, amplificationibus, diminutionibus, partitionibus, analogiis, ceu quadam diuinatione, deduceret ad cognitionem rerum, quibus, in ar- *Numerorũ analogia mirabilis.*

tibus & vita opus erat, vim numeris diuinam ineſſe finxerunt: ſicut reuera nullum expreſſius aut euidentius diuinę ſapientiæ exemplum, in deprauata hominum natura, reliquum eſt, hac ipſa numerorum notitia.

Proportiones numerorum tranſtulerunt argute ad politica, atque inde, de politiarum periodis, vt conſtitutionibus, duratione, fatalibus mutationibus, erudite ſunt philoſophati: quæ proportiones imperia inſtaurent, ſtabiliant, muniant ac tueantur: quibus vigeant & conſiſtant: quæ diſſoluant eadem atque euertant rurſus, denique quibus ſint periodis durationes circumſcriptæ.

Eiuſmodi fortaſſe Pythagoreorum fuit *ἀριθμομαντεία, diuinatio ex numeris*, conſiderarunt & naturas, & proportiones numerorum, tum quouſq; hæc progrederentur, vbi, rationalium vſu reſiſtente ac deficiente, *τοῖς ἀλόγοις καὶ ἀῤῥήτοις, non conſtantibus ratione, & innominatis*, vtendum eſſet: deprehenderunt, ſcite apteque hæc inter ſe congruere: &, his ad vitam communem accommodatis, ſimilem *ἁρμονίαν καὶ συμμετρίαν, harmoniam & cõmoderationem*, in imperiis, & publica priuataq; vita cuiuſq; requiſiuerunt. Vtque confuſio harmoniarum in numeris, & vltra debitum extenſio, rumpit ac deſtruit analogias, & diſcrepantiam efficit: ſic iiſdem proportionibus, in communi vita mutatis, aut ad ſummã perfectionem auctis; ſequi conuerſionem inclinationemq; in deterius voluerunt. Poſtea, vel imperiti, vel ſuperſtitioſi affinxerunt numeris aliena & falſa ſignificata.

TH. Etſi ludum ingenii non magnopere improbo, ſi careat ſuperſtitione: tamen cum vſu coniunctam ſtultam & falſam perſuaſionem reprehendo, quæ his de numerorum characteribus compoſitis, & viciſſim in numeros explicatis ſententiis tribuit veritatem oraculorũ. Sed recenſe porro, ſi quæ habes ſortitionum genera.

Ἀναγραμματισμός.

PH. In hanc claſſem referendus eſt etiam *ἀναγραμματισμὸς*, id eſt, literarũ traiectio vel inuerſio, quæ tranſpoſitionem habet ſyllabarum, & abiectionem & adiectionẽ literarum: cuius nõ fuit ignarus Plato ex Cratylo. Fit n. vocum, quas dari certas oportet, ac præſcriptas in elementa ſua, hoc eſt, ſyllabas & literas, diſſolutarum nouo contextu, aut permutatarum collocatione ſyllabarum, in nouas, atque à prioribus diuerſas voces coagmentatione. Huius vſu valuiſſe, & propterea in admirationem veniſſe, apud Ptolemęum Philadelphum, Ægypti Regem, ſcribitur Lycophron Chalcidenſis, vnus ſeptem Poetarum, quos coniunctos vocarunt *πλειάδα, Pleiadem.* Is Ptolemæum *μεταγραμματιζόμενον, per tranſpoſitionem literarum*, ſolitus eſt appellare *ἀπὸ μέλιτος, quaſi dicas à melle:* Arſinoen vero *ἴον ἥρας, violam Iunonis.* Multus huius vſus eſt hodie apud Gallos, quorũ lingua mollior delicatiorq; eliſiones, *διαιρέσεις, diuiſiones*, enunciationes diuerſas, & cognatione ambiguas, mutationes varias, & elegantes, atq; in tranſpoſitione concinnas, alluſiones venuſtas, plures recipit, quam reliquarum gentium linguæ. Sed & Poetæ Latini inprimis hodie literarum huiuſmodi tranſpoſitione frequenter feliciterque vtuntur. Recenſebo anagrammatiſmorum exempla aliquot inſigniora, ex veterum deſumpta nominibus, quæ ingenia ac facinora eorum, quorum ſunt anagrammata, quadantenus exprimũt. Exempli gratia. *Alexius Angelus:* I ſane, luxu alges. *Alexius iunior:* Vix aliis verno. *Balduinus Flandriæ Comes.* En dubia forma nullis cedas. *Heinricus.* Hinc vir es. *Petrus Antiſidorenſis Comes.* En diro in caſu mortis ſpes eſt. *Robertus.* Ter orbus. *Balduinus ſecundus.* Nunc dubius es, Iudas. *Micael Palæologus.* Sola pace molli auge. *Andronicus Palæologus ſenior.* Non gladio ſeruas alieno corpus. *Andronicus Palæologus iunior.* Nulli viro, ais, cedo pugna ſonora.

Digitized by Google

Ioannes Cantacucenus. Oh! an enſe cuncta vincas. *Ioannes Paleologus.* Næ plano ſolio auges. *Emanuel.* Leuamen. *Ioannes Palaeologus ſecundus.* Igneo oculo plenus ſuades lana. *Conſtantinus Palaeologus.* Vni ſancto ſolo ſunt plagæ. *Carolus Magnus.* Cumulans agros. *Ludouicus Pius.* Plus ociî viduus. *Lotharius Primus.* Ah pol mirus ritus. *Ludouicus II.* O dulci viuis. *Carolus Caluus.* Saluus ocular. *Ludouicus Balbus.* Sub dulci vſu labo. *Carolus Craſſus.* Laſſo ſuccurras. *Arnolfus.* Flans ruo. *Ludouicus Quartus.* Qui duras vſu culto. *Conradus Primus.* Sim purus candor. *Henricus primus auceps.* Hic Princeps verus muſa. *Otho Primus Magnus.* Homo purgans ſitum. *Otho Secundus.* Tu decus honos. *Otho Tertius.* Hoſte tutior. *Henricus Secundus.* Hunc diſcernes vſu. *Conradus II.* Dius in cura. *Henricus Tertius.* Hic rite ſtrenuus. *Henricus Quartus.* Quis hunc vret? ars. *Henricus Quintus.* Iniquus hunc teris. *Lotharius Secundus.* Honeſtus diu clarus. *Conradus Tertius.* Ductor erit ſanus. *Fridericus Barbaroſſa.* Ardes ſi robur fabricas. *Henricus Sextus.* Hic trux enſe ſuis. *Philippus Sueuiæ Dux.* Pie viuis haud ſupplex. *Otho Quartus.* Quo hortatus. *Fridericus Secundus.* Defendis curſu, curis. *Conradus Quartus.* Quot curas durans. *Conradinus.* Ducor annis. *Henericus Lantgrauius.* Sueua terra hunc lingis. *Wilhelmus Comes Batauus.* Vacuus bea multos humiles. *Rodolfus I.* Fidus olor. *Adolfus Comes Naſſauius.* Famulos ſua iuſſa docens. *Albertus Primus.* Multis rebus paror. *Henericus Septimus.* En ſemper hic iuſtus. *Fridericus Auſtrius.* Fide curris, aſtu ruis. *Ludouicus Bauarus.* Sub viua cura dolus. *Carolus Quartus.* Quo clarus ratus. *Guntherus Swarceburgenſis.* Vnctus ſurge, vrge res habenis. *Wenceſlaus.* Vanus eluces. *Rupertus Palatinus.* Supplantat ius iure. *Sigiſmundus.* Muſis dignus. *Albertus Secundus.* Ardens es ſub cultu. *Fridericus Tertius.* Curris fide, tuteris. *Maximilianus Primus.* Pax muris, animi ſimul. *Carolus Quintus.* Qui clarus, notus. *Ferdinandus I.* Durans in fide. *Maximilianus Secundus.* Dux celſi numinis à Muſa. *Rudolphus Secundus Imperator Romanus.* Rector humanus, mundo Sol purus, Deis par. Anagrammatiſmi illuſtrium virorum huius ſeculi cuiuis fere ſunt noti; plerique enim publice typis excuſi proſtant. Ne itaque actum agam, iis recenſendis ſuperſedeo.

TH. Non minus quoque Anagrammatiſmi, in reges Iſraeliticos egregie quadrant, quales ſunt: *Saul rex.* Lux eras. *Dauides rex.* Dei dux eras. *Salomon rex Iudæ.* De noxa leuis amor. *Abia rex Iudaeus.* Audax iube ſeria. *Aſa rex Iudaus.* Verax audis, eas. *Ioſaphatus rex Iudæ.* E piis audax author es. *Ioramus rex Iudaeus.* Is vero iudex amarus. *Achaſias rex Iudaicus.* Hic radix ſæua cauſis. *Ioas rex Iudaicus.* Ciuis ſerio audax. *Amaſias rex Iudaicus.* Arx mea diuiſis cauſa. *Vſias rex Iudaeus.* Suauis dux à ſerie. *Iotamus rex Iudaeus.* Mitis auſu, verax Deo. *Achas rex Iudaicus.* Hic audax, acer ſuis. *Eſechias rex Iudaeus.* Sic ex auſu Dei hæres. *Manaſſes rex Iudaicus.* Securas animas ſeduxi. *Amon rex Iudaeus.* Audax is è numero. *Ioſibas rex Iudaeus.* I verax his auſis Deo. *Ioachas rex Iudaicus.* Hic aio ex duris, cauſa. *Ioachimus rex Iudaicus.* Oh excidia muris vacuis. *Iechonias rex Iudaeus.* Es vindex Iehoua ſacri. *Sedechias rex Iudaicus.* Hei dux cæcus eras diis.

Reges Iſraelitici ſeu Samaritani. *Ieroboamus rex Iſraeliticus.* Ruis laxo more, ſecure abiiſti. *Nadabus rex Iſraeliticus.* En cur bis laxas ritus Dei. *Baeſa rex Iſraeliticus.* Satis acerba ſerie luxi. *Ella rex Iſraeliticus.* Illi laxa Ceres ſeruit. *Samrius rex Iſraeliticus.* Miſer luis, arx ruit cæſis. *Amrius rex Iſraeliticus.* Serius arcem alii ſtruxi. *Achabus rex Iſraeliticus.* Hic labes qui, trux ſacris. *Achaſias rex Iſraeliticus.* Hic

ſalax hac re vitia ſeris. *Ioramus rex Iſraeliticus.* Aliter vexor miris cauſis. *Iehus rex Iſraeliticus.* Hic è ſeueris, trux aliis. *Ioahas rex Iſraeliticus.* Oh ſic lex iuſta, ira ſcria. *Ioas rex Iſraeliticus.* Certior ex aliis auſis. *Ieroboamus ſecundus rex Iſraeliticus* Nobilis dux es, vere micas auctor ſerius. *Sacharias rex Iſraeliticus.* Hic arx ſceleris ſatis auari. *Sallumus rex Iſraeliticus.* Trux es ſicarius, ille malus. *Menahemus rex Iſraeliticus.* Hercle ſæuis vt rex immanis. *Pecaia rex Iſraeliticus.* I catus ex aliis arce peri. *Peca rex Iſraeliticus.* Vix rite places ſi acer. *Hoſeas rex Iſraeliticus.* Sic ſeri tuos exhilaras.

Poſſem & plures alios anagrammatiſmos allegare, ſed quia dies inclinat ad axem, abrumpo.

EQ. Eſt nimirum, vt video, anagrammatiſmus, ingenii ludus quidam, habens ſuas delitias, quas quidem ſi voluptatis cauſa citra contumeliam cuiuſpiam vſurpentur, & ſi abſit profanitas aut ſuperſtitio, non ducerem magnopere vituperandas. Video ſtudioſos adoleſcentes vt plurimum anagrammatiſmis ſolere ſeſe inuicem pungere, qualis eſt iſte: *Ioan Melidæus*: Salue Domine I. A. & his ſimiles, qui tametſi omnimodam non mereantur laudem, condonandum tamen aliquid ingeniis liberalioribus, modo in cæterum abſtineant à contumeliis. Difficillime enim non in iuuenili tantum, ſed & ſenili corde iuſtus dolor compeſcitur quin in huiuſmodi literarum tranſpoſitiones, nominibus etiam haud raro conuenientes prorumpat.

PH. Acumina ingeniorum huiuſmodi laudo; abuſum improbo. Illis qui imitari illorum ingenia cupientes, monſtroſos interdum effingunt anagrammatiſmos, quibus tamen per aliquot ſæpe dies inſudant, ac miſere ſe macerant, quos tamen inuita promunt aptantque minerua; illis inquam ſuccenſeo. Simpliciores, qui nudis contenti ſymbolis, quorum literæ initiales nomen, cognomen, patriamque ſcientibus exprimunt; non improbo quidem, quin collaudo potius. Si quis tamen ſibi effingat ſymbolum, impertinens, quale eſt illud cuiuſdam I. C. A. qui hoc ſibi confinxit ſymbolum: *Ieſus Chriſtus, Amen*; non id quidem ἀπόλογον, ridiculum tamen, & ſi quæ huius generis ſunt alia, rideo. Sed ad reliqua ſortium genera propero. Sunt enim præter hæc alia quoque quæ ſuccincta breuitate recenſebo.

ῥαβδομάντεια.

Παλομάντεια ſeu ῥαβδομάντεια, quam Tacitus tribuit Germanis, ſortium conſuetudo ſimplex, ait, virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant: eoſque notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt: mox, ſi publice conſulatur, ſacerdos ciuitatis; ſin priuatim, ipſe paterfamiliæ precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Rabbi Moſes, Samſonis F. paulo aliter hunc ritum, qualiter is apud Iudæos ſuperſtitioſos atque Ethnizantes vſurpatus fuit, recenſet. Decorticabant, inquit, bacillum ligneum vno tantum ex latere, tum in aerem proiiciebant. Si fortuito caſu, primo iactu apparuiſſet, ſuperior pars decorticata; at ſecundo iactu ſuperior pars adhuc veſtita proſperum ſucceſſum augurabantur: ſin econtra primum pars veſtita, infelicem: ſi vtroque iactu veſtitum vel nudatum latus ſuperius fuiſſet, mixtum euentum ſibi pollicebantur. Sed & Theophylactus aliter explicat iſtum ritum: virgas (inquit) duas ſtatuentes carmina & incantationes quaſdam ſubmurmurabant: deinde virgis, dæmonum operatione aut effectu, cadentibus; conſiderabant quonam vtraq; earum caderet, antror-

antrorſumne an retrorſum,ad dexteram vel ſiniſtram. Sicq; tandem reſponſa dabant inſipientibus,virgarum caſu pro ſignis vſi. Eundem ad modum Nabuchodonoſor vaticinabatur, vt Iezekielhabet.

Στοιχειομάντεια fiebat primum aperto libro Homeri vel Virgilii,& attento primo,qui obuius inſpicienti,verſu.Sic Socrates mortis ſuæ diem coniecit; ſic Claudius,Macrinus,Gordianus Iunior & alii Impp.tempus regni vel vitæ. Huic vanitati Gentilium deinde ſucceſſit apud Chriſtianos, apertio veteris aut noui Teſtamenti;quam inſigni blaſphemia vocant *Sortes Apoſtolorum*:hac vſi fuere Heraclius Imp.apud Cedrenum; & Romanus Diogenes apud Cuſpinianum, & Andronicus ſenior apud Gregoram *lib.8.*& Chrannus filius Regis Francorum, apud Gregorium Turonenſem *lib.4.hiſtor.c.16.& 20.*& B.Theodora Alexandrina,nondum bene catechiſata,apud Simeonem Metaphraſt.*XI.Septem.*& Merouecus apud Gregor.Turonen.*hiſt.Fran.lib.5 c.14* vbi & alius ritus exprimitur, nam ponuntur tres codices ſcripturæ ſacræ ſuper S. Martini ſepulchro,& ſigillatim ſinguli aperiūtur. Vſus hac denique Gundulphus apud Ranulphum *lib.7. Polychronici c.6.* & ſui laudator facinoris Hieron.Cardanus,*de variet.lib.14* Damnata fuit hæc ſuperſtitio nō vno concilio Eccleſiæ catholicæ decretis.*c.aliquanti.& c.ſi quis clericos.26.q.5.* Huc quidam referunt certas illas Epheſiorum notas magicis verbis iunctas;quas ferēti conatus omnes forent efficaces. harum beneficio volūt Crœſum è rogo liberatū. στοιχειομάντεια.

Ἀλεκτρυομάντεια,quando definitus locus in partes æquales deſcribitur,& vnicuique ſingulæ alphabeti literę inſcribuntur:deinde ſingulis literis granum frumenti imponitur; poſtea ad hoc enutritus oſcen gallinaceus introducitur, qui grana comedat: denique notantur literæ, quarum primum grana depaſcitur. v.g.ſi literarum P.E.T.tunc creditur notari,Petrus,Petronius,Petrucius, & quorum ſimili modo nomen inchoatur.Sic deceptus Valens Imperator de ſucceſſore quærentibus philoſophis;& quia gallinaceus abſumſerat grana notata Θ.Ε.Ο.Δ. omnes occidi iuſſit Theodoros,Theodoſios,Theodatos,Theodulos;& tamen illi Magnus Theodoſius imperio ſucceſſit. ἀλεκτρυομάντεια.

Eſt & aliud ſortium genus,quod Pythagoræ tribuit Plinius;conſiderandum in nominibus propriis vocalium numerum; parem eſſe proſperum, imparem vero orbitatis claudicationisve indicium. Circumfertur de his & ſimilibus nugis liber Alchindrinæ,ſuperſtitioſus plane,&flammis digniſſimus; quem fingūt fuiſſe diſcipulum Ariſtotelis. Huc & ad præcedentem ſpeciem communiter referenda eſt illa circularis figura,in cuius media inter ſemilunas area,varii numeri arithmetici; in proximo circulo inſcripta verba,*vita,bona fortuna,mala fortuna,mors, morbus,ſanitas*; in ſequenti nomina planetarum cum certis numeris:in 3. alphabetum Latinis literis capitalibus,in 4.certi arithmetici numeri; qua in Germania quidam vtuntur,& cuius formam ſi Georg.Pictorius non exhibuiſſet,vſumque explicaſſet, feciſſet longe conſultius.

Ioannes Leo diligens ſcriptor,*lib.8.deſcript.Afric.*quandā ὀρνιθομάντειαν ſortiariā recenſet: in capſula abaculi forma cōſtructa quaſdā ali auiculas,ad has venire qui conſilium quærunt & obolum offerre:auiculam ſtipem accipere, inque capſulam inferre roſtro;deinde regredi,& reſponſum in chartula referre conſultori.

Τεφραμάντεια, diuinatio ex cinere,fit,cum cineri digito bacillove res, de qua diuinandum eſt,velut ſulcis ductis inſcribitur, iſq; ſub patulum cœlum, nullo tectus operculo exponitur: quæ enim remanent literæ,non diſſipatæ ventis, aut oblite- τεφραμάντεια.

ratæ vel confuſæ,& oppletæ agitato cinere; eo, quo ſe conſequuntur ordine, docere de re quæſita exiſtimantur.

Βοτανο-μαντεία.

Βοτανομαντεία, diuinatio ex herbis, ex Saluiæ foliis, vt *συκομαντεία, diuinatio ex ficubus*, ex ficuum foliis, conſignatis eorum nominibus qui quærunt, & integra quæſtione, præſagit occulta & futura hoc modo. Collocantur folia ſub apertum cœlũ, cumque ob leuitatem & mobilitatem, quædam disiecta ventis defluant aut auolent, quædam remaneant, ſed ſuis excuſſa locis aut perturbata, aut conuerſa in oppoſitum, hæc, quæ relinquuntur, diuinationi adhibentur: quod enim digeſtis illis in ordinem & coaptatis emergit, oraculi vice aſſumitur.

Κηρομαν-τεία.

Κηρομαντεία, diuinatio ex cera, Turcis in vſu eſſe dicitur, vt Geomantia. Diuinat autem ex quadrante ceræ ad ignem conflato, liquefactis guttulis, in ſuppoſitam aquam deſtillantibus. Varias enim illæ ſparſim in aquæ ſuperficie concretæ figuras componunt, prout vel cohæreſcunt ac complicantur ex interuallo, vel lõgius disiunguntur, vel in fibras ac tenuia oblongaque filamenta ſparguntur, vel velut è centro craſſiore, circumquaq; radios tenues ſtellarum inſtar, ſed implexos ſibi inuicem innexosq; exerunt. Tria deſignata cacumina ceu metas guttulis cereis circumdant; earumque, quæ intra has cadunt figurarum menſuras, diſtantias & qualitates contemplantur.

Nos pueri per iocum olim ludumque, chartis, quibus præcipuos, eosque velut vatidicos Virgilii verſus, ex integro decerptos volumine inſcripſeramus, ſortiebamur, de quibuſcunq; rebus nobis in mẽtem veniſſet, de Principum fatis, de nobis euenturis, vt citius faciliusque, & altius memoriæ eos infigeremus.

Poſſumus hãc rationem *στιχομαντείαν, prædictionem diuinatricem ex verſibus* nominare: etſi non tam quid adferrẽt prænunciarentve arreptæ fortuito chartæ ſpectabamus, quam profectus noſtros. Nam & citius & altius inhærebant animis verſus, hoc quaſi ludo frequenter repetiti.

Sortes Vergilianæ.

His ſimiles ſunt ſortes, quas Vergilianas vocarunt, cum aperto libri codice, qui primi viſui occurriſſent verſus, in oraculi omen aſſumebantur. Meminit harum Helius Spartianus in Adriani vita. Hunc enim, cum is de Imperatoris erga ſe ſolicitus animo, ſortes Vergilianas conſuleret, incidiſſe memorat in hos verſus:

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ,
Sacra ferens? noſco crines, incanaq; menta
Romani regis, primus qui legibus vrbem
Fundabit, curibus paruis & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

TH. Fuit ab his ſortibus diuerſiſſimum illud alterum ſortium genus, quod ſacerdotes confictum oraculis æquipararunt. Inſcribebant enim arborum foliis tabellisve euentuum diuerſorum indices, & præmonitrices ſentẽtias, & folia illa tabellasve ad deorum diſponebant puluinaria. Cum flagitarentur ergo reſponſa, poſt præfatas à ſacerdotibus preces, decidebãt, aut arte à ſacerdotibus ipſis impulſa, aut diaboli colluſione, mota folia, quæ ſententias continebant, alludentes ad quæſita. Meminit harum ſortium Liuius libro 22.

De ſortitionibus autẽ diuinatoriis, quæ eo fine inſtituuntur, vt explorentur futura, quadam diffidentia, de Dei voluntate, deque cura & protectione noſtri, aliisve de cauſis quibuſcunque prohibitis lege Dei, inquit vox diuina: Nõ inueniatur in te Menahes, id eſt, ſortilegus, eſt enim abominatio Domino Deo tuo. Quare nec

nec ipſi tractemus eas, nec alios conſulamus talium diuinationũ artifices, ſed Deo obtemperemus: pendeat mens noſtra ex Deo firma ſpe; & ſe illi cõmẽdet, ac regi ſe diuinitus & defendi petat. Aderit enim vocatus Deus, ſicut dicitur: *Commenda Deo viam tuam, & ora eum, & ipſe faciet*. Quare non iniuria quidam, qui per aſtrolabium conatus fuerat furem occultum noſſe, etiam ſine intentione dæmonem inuocandi, vt grauiter peccans ab altaris miniſterio per annum fuit ſuſpenſus; idque ex gratia & diſpenſatione, quia ſecundum ius commune debuiſſet in perpetuum ſuſpendi, *c. ſi quis Epiſcopus. 26. q. 5.* Sed hæc iam ſufficiant, quia nox inſtat; quæque in ſimili fere materia dici poſſunt, in craſtinum differemus.

COLLOQVIVM TERTIVM, DE SAGIS.

In quo de Dæmonum aſtu, obſeſſis, Magis, Veneficis, Incantationibus, Lycanthropis, medicamentis Dæmoniacis, & quæ ſunt eius generis.

EQVES.

ILluſiones dęmoniacas hactenus aliquãmultas proſecuti ſumus, quarum tamen centeſimam vix partem attigimus, eo, quod diabolus infinita varietate alia ſubinde in contumeliam Dei & ſeductionem perniciemq; humani generis molitur, vt vere de eo illud Virgilii vſurpare poſſim: *Tibi nomina mille, mille nocendi artes.* Mira enim calliditate & diſcrimine multiplici, inde vſque ab initio impoſturas inuexit & obtruſit ſuas, primo deſpicienter eleuata auctoritate verbi Dei, mox eodem nouis erroribus ſenſim & occulte obſcurato, tandem prorſus abolito, & animis hominum conuerſis partim ad creaturas, partim ad ſeſe non vno modo, ſed varie, nouatis rationib. oraculis inſtauratis, hominibus ipſis vel occupatis, vel afflatu dementatis in ſuos vſus, aliiſque inſtitutis horum ſimilibus, vt nouitate & varietate captos delinitosq; in officio retineret.

TH. Non iniuria igitur hæc duo encomia ipſi diabolo à Chriſto tribuuntur, quod ſit mendax & homicida. Cæterũ diabolus nominatur, quia verbum Dei ſophiſtica & calumniis corrumpit in mentibus hominum, & ad ſtrophas ac ſimile ſtudiũ recta deprauandi incitat & inſtruit homines. Satan vero vocatur, quia cum poſt defectionem à Deo regnum ex ſuperbia proprium exorſus eſſet, contemtu & odio Filii Dei, ſed Dei tamen determinato permiſſu, factus hoſtis Dei, ſine intermiſſione, quæ poteſt, hoſtiliter machinatur, molitur & experitur per ſe & per malos homines, abuſu etiam aliarum creaturarum, aduerſus Deum, Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & Eccleſiam inprimis.

Vocatur & Beelzebub, quia eiectus cum ſatellitio ſuo vniuerſo ex cœlo & ſede beatorum ac ſanctorum Angelorum, Deo præſenti intuitu miniſtrantium, volitat ac habitat crabronum inſtar in aere. Vnde Paulus nominat eum Principem poteſtatis aeris, efficacem in his, qui non obediunt Deo. Illa poteſtas, quæ & quãta ſit, etſi indicatum eſt ſupra, in rerum naturam, genus humanum & Eccleſiam; & repeteturiterum: circumſcripta tamen ſemper, ſuiſq; circumdata eſt atq; arctata, limitibus, ac pendet omnis à nutu, permiſſu, imperioq; & mandatis Dei, etſi nõ liberos habẽt aditus ad Deũ, ſed conceſſos ac definitos tantũ, vt hiſtoria Iobi docet,

& viſiones Micheæ Prophetæ *2. Reg. 22.* & Zachariæ 3. Commemorat & Chriſtus ipſe, vidiſſe ſe ſatanam cadẽtem de cœlo ſicut fulgur. Has ſibi præfixas metas, quod tranſgredi conantur diabolus ac miniſtri ipſius, admiſſiſque ac præſcriptis plura maioraq; audent & aggrediuntur: inde perpetua certamina bellaque exiſtunt inter Angelos bonos & malos: his Dei mandata ac decreta vel ſophiſtice eludentibus, vel malitioſe deprauantibus, vel ſuperbo faſtu aſpernantibus; illis eadem vrgentibus ac perficientibus victrici præſidio Filii Dei, vt certamina iſta Daniel. 10. & in Apocal. deſcribuntur.

Vocatur & malus Angelus ac Spiritus, quia omne malum culpæ ſeu peccatum, principio, origine, & cauſa effectrice natum eſt atque profectum ex diabolo, qui elatus ſuperbe ſupra Filium Dei, cum deſeruiſſet ſtationem ſuã, & exarſiſſet furioſo Dei odio, ad ſcelus omne Deo diſplicens, prohibitumque ac damnatum lege Dei, quæ debebat ipſi norma eſſe rectrix obedientiæ erga Deum, fabricandum ac perpetrandum ſe conuertit. Ac deinceps hominem infirmiorem ſe fraude deceptum ac ſeductum, in ſocietatem ſceleris ſui pellexit. Quare quicquid in orbe ſcelerum eſt, illud omne à diabolo & hominibus prouenit diaboli organis ac mancipiis.

EQ. Ingenioſa igitur nec vana eſt viri cuiuſdam docti de adulterino quodam diaboli matrimonio effiguratio; quæ quãuis conficta, multa tamen non aſpernãda in ſe continet. Narrabo iſtud matrimoniũ, prolem exinde admodum fœcundã. Quodam tempore diabolo in mentem venit, vt vxorem duceret, idque dum animo volueret, incredibili amore proſecutus eſt impietatem, adeo, vt ipſam, haud diutius ambiendo ſibi deuinxerit; ex qua etiam fœcundo exiſtẽte matrimonio ſeptem puellas progenuit. Poſteaquam autem maturæ videbãtur & nubiles eſſe, cogitauit pater eas elocare hominibus: quia volebat hoc pacto illorum amicitiam ſibi conciliare. Proinde natu maximam, Arrogantiam potentibus in mundo, diuitiisque affluentibus, & qui nobilitate generis, aut illuſtri quodam munere vel auctoritate reliquis antecellerent, copulauit. Iuniorem autem, Auaritiam mercatoribus, atque circa rerum ſolemniores commutationes occupatis adiunxit. Tertiã inde Fallaciam, plebeiis paſſimque diffuſis in Principum ditionibus ruſticis, operariis & mercenariis adiudicauit. Quartam vero Inuidiam, opificibus & gregarias artes exercentibus expoſuit. Quintam omnium optime moratam Hypocriſin, & egregie inſinuantem ſeſe meretriculam, ſacerdotibus, & qui ſanctitatis nomine vulgo conſpicui eſſent, elocauit. Sextamque Superbiam appellatã, muliebri ſexui addicauit. De ſeptima autẽ, quæ Scortatio dicebatur, hoc conſilium cepit; velle ſe ipſam, nulli quidem propriam, omnibus vero communem in familia ſua retinere; vt ſi quando libeat illam conuenire, cogatur eam apud ſe quærere: qua ratione cõſultum eſſe putabat, quamplurimos amicitiam iſtam haudquaquam repudiaturos eſſe; ſed imo incredibilem acceſſum nouorum ſodalium fore. Et certe non caruit euentu diaboli inſtitutum, vtque experientia liquet, maxima pars hominum eiuſmodi coniugiis irretita ad inferos deſcendit.

TH. Elegans hæc eſt proſopopœia, qua egregie diaboli verſutia atque è conuerſo etiam deplorata noſtra in obſequio ipſius dementia depingitur: ſed à proſopopœiis ad ea tranſeamus, quæ vere geſta ſunt. Solet enim non raro diabolus aſſumpta forma quapiam in ſpeciem honeſta officium ſuum deferre, nihilque non attentare, quo homines viciſſim in ſui etiam obſequium pertrahat. Sic Rotenburgi ad Tuberum honeſti viri ædes frequentare ſolebat quidam & veſtium ſplẽdore,

& diui-

& diuitiarũ iactatione, nobilitate illuſtrem ſeſe virum profeſſus, duos ſibi iunctos habebat comites, veſtitu non minus pretioſo indutos. Adducebat tibicinem vna cum fidicine, conuiuia choreasque inſtituebat, ſub prætextu illius patrisfamilias ducendi honeſtam filiam. Se nobili ſtirpe natum eſſe affirmabat, diuitias immẽſas, arces, prædia, oppidula in longinquis terris ſibi eſſe plurima, nec quicquam eorũ, quæ in hoc mundo optari aut deſiderari poſſint, deeſſe, prçter vxorem decoris ornatam moribus. Diſplicuit patrifamilias hoſpitis eiusque ſociorum importunitas. Quæ res eum mouit, vt hoſpitibus iſtis aduentantibus, illius loci verbi diuini miniſtrum quoque ad cœnam vocaret, & pia cum eo ex verbo Dei inter cœnandum miſceret colloquia. Vehementer hoſpitem eiusque ſocios iſta colloquia offenderunt. Quare aliam dicendi materiam quærentes, multas, inquiunt, facetias eſſe, quæ potius conuiuiis exhilarandis inſeruiant, quam diuini verbi interpretationem: ſe rogare, ne eis vlterius ſacra Scriptura tædium & moleſtias creare velint. Ex quibus facile cognouit paterfamilias, diabolicum conuiuarum iſtorum ingenium, & iam ſatis aduerſus diaboli inſidias confirmatus. Apagite, inquit, vos ſcelerati nebulones, nihil vobis commercii eſt mecum & cum meis. Baptizati nos ſumus, & precioſo Chriſti ſanguine redẽpti, is quoq; nos aduerſus diabolicas veſtras inſidias tutabitur. His dictis, magno protinus cum ſtrepitu impoſtor ille tartareus cũ ſuis ſociis euanuit, relicto poſt ſe fœtore teterrimo, triumque ſuſpenſorum hominum cadaueribus. Nec dubiũ eſt, quin ab externo etiã aſpectu ſeſe prodiderit Satan. Etſi enim in Angelum lucis, vt nos docent ſacræ literç, ſe transformare poſſit, illa tamen transformatio non eſt adeo abſolute conſtans, quin ſingulari iudicio & ordinatione diuina, tetra ſemper atq; horrenda ſpecies in iſtiuſmodi transformationibus ſeſe exhibeat, eademque obſeruari ab attendentibus haud difficulter queat. Alioquin, quæ illius inexplicabilis ſuperbia & impoſtura eſt, nullam ille vnquam aliam quam præſtantiſſimam formam indueret, niſi Dei imperio ageretur. Ideoq; Deus exhibet ipſum etiam corporeis oculis tam turpem & fœdum, vt illũ deſpicatui habeant & ſummopere deteſtentur ſemel viſum, qui alias incognitum veneratione & cultu facile proſequerentur.

PH. Affirmant ii, qui vaniſſimis ludibriis dæmoniacis dediti ſunt, in magicis coniurationibus euenire ſolere, quod occurrentia ſpectra, quo attentius aliquis ea intueatur, eo horribiliora appareant. Inprimis autem, licet inanem formam videant, oculorum intuitu & inceſſu ſeſe prodere, quum non naturali modo pedes alternatim attollendo ſe promoueant, & more animantiũ progrediantur, ſed veluti leui vento, nauiculæ inſtar propellãtur, aut quaſi in terra leuigata aut glacie obducta lubrico motu elabantur. Ex oculis autem notari poſſunt, quum continuo obtutu intueãtur, & palpebras nunquã concludant, & magis etiam ex inceſſu, qui nõ ex dimotione pedum, neq; trãſpoſitione exiſtit, ſed ex quodam impetu aerio & vi expedita, findentium magis auras quam tranſeũtium. Quamobrem ſtatuas quoq; Deorum Ægyptii ponunt, coniungentes illis pedes, & quaſi vnientes. Cæterum & id notãdum atq; admiratione dignũ eſt, malignos ſpiritus cum ſe forma humana exhibent, plurimum atros eſſe, aut proceriores aliis, aut exiliores vt nanos. Cumque in bonorũ Angelorum apparitionibus maieſtatis diuinæ ſpecies affulgeat; in malis econuerſo Angelis tetra & horrẽda, in qua ſcilicet diuini iudicii facies & ſtigmata impreſſa videntur & cernuntur, ac proinde nos maxime terrent.

EQ. Si Satan in genuina ſua poſt lapſum forma ſeſe nobis exhiberet, mirum nõ

Digitized by Google

eſſet, quod ait Chryſoſt. ſi mente dimoueremur. Interdum tamen quadantenus ſe exhibet; cuius etiam formam ac mores haud raro aſſumere inconſulte homines geſtiunt. Dicam exemplum. In primaria & auguſta quadam vrbe domino cuidam prædiuiti ancilla quædam, aliena à domini religione imbuta famulabatur. Illius igitur ancillæ diſſenſionem à ſua religione dominus ægre ferens, eam ad fidei ſuæ defectionem ſolicitare cœpit. Cum vero ancilla in ſententia mordicus perſiſtens, nullum heri admonitionibus locum daret; forte religioſus quidã ad herum deuenit, qui hac re ex domino illo intellecta, nõ minore induſtria, & quib. potuit argumentis dictam ancillam ad heri ſui religionem pertrahere ſatagebat. Verum cum & hic laterem ſe lauare ſentiret, minis rem tentauit, dæmonem etiam niſi ab hæreſi deſiſtat, miſeris modis vexaturum, verberibuſq; atque omnigeno ſupplicio excruciaturum eſſe affirmans. Sed illa animum magis magiſq; obſirmans, neq; religioſi, neq; heri ſui tum humanas admonitiones, tũ minas atroces vllius penſi habebat. Tandem igitur multo poſt tempore opera & labore magno in conuertenda ancilla inaniter ab illis inſumpto, hoc capiunt conſilium, vt religioſus laruas duas diſpares, terribiles & veſtes diaboli ſpeciem referentes comparet, ac periculum faciat, num vel larua hac diabolica cõmoueri & conuerti queat. Huic religioſus obſecutus, veſtes acquirit, induit, habituq; illo diabolico nocte intempeſta in cubiculum ancillæ irrumpit, tumultuans, rugiens, rictum diducens, lectum approperãs, ac ſe non ſecus quam ſi verus eſſet diabolus exhibens. Eo horrendo & terribili ſpectro (vt illi videbatur) adeo perterrebatur ancilla, vt totam propemodum exanimem & ſemimortuam reputaret. Quæ muis autẽ nulli ex domeſticis id aperire diu auſa fuit, vtpote qui eam ob religionis alienæ diuerſitatẽ, vt plerunq; fit, odio habebant; vni tantum ſeruo eam amanti & ambienti rem omnem tandem enarrauit, & de terriculamentis illis diabolicis conqueſta fuit: cui ſeruus alia vice opem & auxilium ſe laturum, modo ad ſe redeunte diabolo clamorem ederet, pollicetur, & Satanam exploraturum ſe, promittit. Sequenti igitur nocte lunæ per feneſtras & valuas penetrante lumine, religioſus altera Satanica larua & veſtimẽtis magis horrendis amictus, adeoque diabolum verum repræſentans, cubiculum ancillæ rurſus impetit, oſtium eius leniter reſerat, greſſibus dirum ſtrepẽtibus incedit, in lectum immaniter irruit: tunc ancilla trepida quidem & ſtupefacta, ſerui memor, protinus clamauit ac eiulauit. Ei ſeruus exauditæ, extemplo clauam & gladium arripiẽs accurrit, animiq; vires colligens cubiculum ingreditur, ibiq; diabolum ante lectũ aſpectu perquam toruo ferocientem conſpicit. Vbi igitur eundem ad ſe quoq; appropinquantem videt, primo quidem fugam meditari occipit: ſed poſtmodum excuſſo metu, dæmonem per Deum omnipotentem adiurat: quo facto cum non euaneſceret, ſed propius ad ipſum accederet, ille continuo non verum diabolum, ſed aliquem alium eſſe coniecit. Igitur ipſum arrepta claua percutit, vehementerq; vulnerat: quia vero ne tunc quidem diſparebat; denique vagina gladium eripiens, hunc religioſum ſic diabolico more veſtitum transfixit, ex quo & ſtatim corruit, animamq; efflauit. Hoc modo igitur ancilla à diabolo liberata fuit.

PH. Fuit hæc condigna ſuo auctore pœna. Ad Dei enim, non ad diaboli conditi ſumus imaginem: hanc ergo (diabolicam) affectare non debemus. Cæterum famulitium quoque dæmonis, quod vltro offert, omnibus bonis quam maxime debet eſſe ſuſpectum; non enim & ipſum caret periculo ac tragicis quandoque euentibus.

Non

Non procul à Torga quidam nobili prognatus genere, animi gratia per campos obambulans,obuium habuit quēdam equitis habitu amictum (erat autē diabolus)eum ſalutatum,famulum ſibi adſciſcit,qualis eſſet,tum temporis ignorans, equorumque curam ei committit.Porro nobilis iſte,homo erat impius,ex rapinis potiſſimum viuens,ad quam rem ſeruum ſibi idoneum adeptus fuerat.Aliquandò cum diſceſſurus eſſet,equum ſibi præ reliquis charum ipſi commendabat. Seruus equum in præaltam turrim ſubducit. Herum domum reuertentem equus è turri agnoſcit,clarumque edit hinnitum,capite è turris feneſtra porrecto. Herus admirabundus,equum eo quis ſubduxerit,interrogat;reſpondet frugi ille ſeruus,ſe heri ſui mandata ſedulo executum eſſe. Cogebantur deinde magno cum labore equum funibus conſtrictum è turri rurſus dimittere. Accidit præterea , vt nobilem inſectarentur ii,quos ſpoliauerat,ibi ſeruus herum allocutus: Fugam ,inquit, here capeſſe:moxque è ſacco cum clangore depromit ferreos vngularum calces, quibus inſectātium equos ſpoliauerat, eorumq; curſum inhibuerat. Tandem in vincula coniectus, huius ſerui ſui auxilium implorat. Reſpōdet ſeruus, duris eum cōpedibus conſtrictum teneri,nec liberari à ſe poſſe. Inſtat herus , donec ſeruo perſuadet,vt ſuam operam hac in re ſibi locaret. Ait itaque ſeruus : Eripiam te vinculis,ſed ea conditione,vt manibus quietus ſis,nec aliquibus ſignaculis te tueri velis. Hinc arreptum cum catenis & compedibus ſublimem per aerem auehit. Territus ille,ô æterne Deus,exclamat,quo auehor ? protinusque in paluſtrem locum Satanas eum deiicit.Domum inde properans , vxori eius indicat, vt maritum ſuum in palude hærentem,compedibusque conſtrictum liberet.

Sed & Monachi quidam cum ſuo Præfecto vel Patre iter facientes, apud hoſpitem quendam diuerterunt,in cuius ædibus vnum è conclauibus dęmonio erat infeſtum.Hoſpes de ſanctorum Patrum aduentu ſibi gratulatus, eos humaniter excipit,ſperans eos facile dæmonium illud ſuis adiurationibus eiicere poſſe. Lectum itaq; in iſto conclaui ipſis ſternit.Noctu ſomno iam obrutos Patres dæmonium iſtud crinibus raſam caluitiem terminantibus ſubinde laceſſit.Tandem Spiritū adiurat Guardianus,iubetq; vt in Monaſterium eorum abſcedat. Paret dæmonium, mutataq; colonia Monachos domum reuertentes anteuertit , cœnobium ingredientes ſalutat & excipit,ſuamque ipſis operam defert. Monachi eum recipiunt, angulum in culina ipſi occupandum monſtrant,cucullam cum appenſo tintinnabulo,vt cognoſci poſſet,ipſi tradunt, eiusque opera frequenter afferendo cereuiſiam , aliaque quibus indigerent , vtebantur. Volatus eius & verba audiebantur. Quoties afferret cereuiſiam,mēſura ſe fraudari minime patiebatur: En, inquiens, bonam offero monetam,vos viciſſim iuſtam date menſuram. Tandem coqui famulum,qui variis eum moleſtiis onerabat,latibulū eius,iam feruida, iam immunda aqua conſpurcando,trāſuerſo corpore è trabe ſuſpendit , ſed vitæ eius nihil damni intulit.Monachi itaq; veriti, ne tandem res tragicum exitum ſortiretur, huic ſuo famulo officium reſignarunt.

Ferunt etiam in montanis Bohemiæ nō raro apparere Monachum , quem nominant Rubczal,& perſæpe in thermis conſpicuū,iter per montanas ſyluas facturis ſeſe adiūgere,eosq; bono animo eſſe iubere,ſe enim ignaros itineris recto tramite per ſyluam deducturum , quos ſimul ac in nemore in auia deduxerit, vt

quo ſe vertant, prorſus neſciant, eum protinus in arborem ſubſilire, tantumque cachinnum tollere, vt vaſtum inde nemus reſonet, Monachus iſte vel Rubezal eſt Satanas ipſe, qui aſſumpta Monachi ſpecie iſtas nugas agit.

EQ. Non etiam omnib. qui vſpiam ſeſe exhibēt, nunciis fides habenda. Seuerus Sulpitius *in vita Martini lib.1.* item *in vita Clementis* ſcribit, Monachū quendam Anachoretam habuiſſe patrem non procul degentem, qui filium inuiſurus, ſecurim comportabat, qua in reditu ligna domum conferenda cæderet: quare Dæmon in Angeli ſpecie huic apparuit Monacho, diabolū in patris forma cum ſecuri aduentare, vt eum iugulet, nuncians affirmansq; ſe ea cauſa prȩuenire, admonitum Eremitam, vt is Satanæ conatus prȩuerteret, prius illum occidens, quam ab eo interficeretur. Itaq; ratus patrem accedentem ſalutantemque eſſe diabolum, confeſtim illum interemit, & viciſſim Monachum dæmon è veſtigio ſtrangulat.

TH. Conuiuas quoq; dæmonas ore temerario aduocare nemo debet, nam etiā non inuitati ſæpius ſponte ſolent comparere. Diſcat ergo quilibet prudenter abſtinere à vocib. impatientiam cum leuitate coniunctam præferentibus. Non enim ſemper executione atq; interdum etiam tragica atq; horribili carent. Sic vir quidā diuitiis abundans, tredecim milliaribus à Gorlitz, cœna opipare inſtructa conuiuas inuitarat, qui cum aduenire recuſarent, ira ille excandeſcens; proh, inquit, ſi venire iſti recuſant, adueniant ergo quotquot ſunt diaboli. Vota hæc non ſunt irrita. Nam ingens protinus eorum numerus, quos cum execratione vocarat, ad ipſum aduentat. Quos ille primo aſpectu non agnoſcens, humaniter accepturus accedit. Verum cum illi loco manuum vngues protenderent, ſupra modum territus, quos domi ſuæ iam haberet conuiuas facile intellexit. Trepidus itaque cum vxore ſua ex arce profugit, relicto in cunis infantulo & morione, qui in hypocauſto cunis aſſidebat. Sed cum infantulo morio iſte è turba dæmoniorum incolumis euaſit. *Iobus Fincelius de miraculis.*

De obſeſſis. *EQ.* Hæc quadantenus leuia ſunt, ſi ad tragica illa, quæ cum diabolo conſortiū habentibus haud raro obueniunt, conferantur, quamuis inſigni etiam non careāt horrore. Cæterum triſtiſſima omnium eſt à dæmonibus obſeſſorum conditio, nemo enim non eſt, qui viſo à dæmone obſeſſo, non grauiſſimo concutiatur horrore. Sed enim ſigna, per quæ dæmoniaci veri ab aliis, qui naturalibus ægritudinibus vexantur, diſcerni queunt, probe ſunt diſcernēda. Suntq; fere iſta: I. Fortitudo hominis per dæmonem malum obſeſſi tam incredibilis, vt fortitudinem vel ſex robuſtorum hominum longe vincat. II. Pectoris patientis, item ventris intumefactio, pulſui nec non agitationi intra corpus non naturali, duritiei quoque neruorum tam rigidæ, ac ſi ferri eſſet cōiuncta. III. Idiomatum peregrinorum (quæ patiens teſtimonio eorum omniū, quotquot eum eo verſati fuere, nunquam didicit) prolatio, & ea quidem rara & quaſi caua voce ſic fieri ſolita, vt toto illo tēpore quo loquitur, motus aliquis maior in pectore quam in ore cernatur. Obſeſſis abūdat Italia atq; Hiſpania, quos numellis opus eſt conſtringi: atq; hi Græce, Latine, & linguis aliis, quas non didicerunt vnquam, nouerunt loqui, ac potius Spiritus in ipſis loquitur. Mulierem dæmoniacam vir doctus ſcribit à ſe in Saxonia viſam, neſcientem legere aut ſcribere, quæ Græce tamen & Latine loquebatur, & ſæuum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis: *ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ.* Narrat Fernelius *in libro de abditis rerum cauſis*, ſe puerum vidiſſe Dæmoniacum loquentem Græce, cum tamen literas neſciret.

Hippocra-

Hippocrates libro de morbo ſacro comitialem morbum putauit eſſe: diſcrimen vero poſteri optime annotauerunt, etiam in Græcia, cum obſeſſi auditi ſunt varias linguas & diuinationes proloqui, quod in comitialibus non poteſt percipi.

PH. Narrat Iohannes Fernelius *de abditis rerum cauſis libro ſecundo*, quod cum non ita dudum quidam per æſtus nocte vehementer ſentiret, è ſomno ſurgens, potu non inuento obuium malum forte præhendit: id mandens, fauces ſibi quaſi manu præcludi, ſtrangulariq; ſenſit: ſimulq; à ſubeunte Dæmonio iam obſeſſus, viſus eſt in tenebris videre ſe à prægrandi nigerrimoq; cane vorari, quæ poſtea, reſtitutus integra mente, ordine recenſuit. Hunc non pauci ex pulſu, ex calore & ſcabricie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione ſimpliciter delirare iudicabant. Tradit idem, Iuuenem alium equeſtris familiæ, paucis ante annis, corporis concuſſione, & quaſi conuulſione ex temporum interuallis laboraſſe: qua nunc ſolum ſiniſtrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnicum, alias crus alterum, alias vtrumq;, alias corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vt vix à miniſtris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autẽ inconcuſſum iacebat, lingua & locutio libera, mens ſana, omneſq; ſenſus integri, vel in conuulſionis ferocia. Decies vt minimum quotidie corripiebatur: in interuallis ſanus, ſed labore confractus. Vera Epilepſia iudicari poterat, ſi mentis ſenſuumque læſio acceſſiſſet. Peritiſſimi quique adhibiti medici, conuulſionem epilepſiæ finitimam à maligno venenatoque vapore, ſpinæ dorſi impacto cenſuerunt, è quo vapor in eos neruos emanaret, qui à ſpina in artus quoquouerſum, non autem in cerebrum diſſeminantur. Hæc credita cauſa vt ſummoueretur, clyſteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur neruorum initiis, fotus, vnctiones, emplaſtra primum quæ diſcuterent, dein quæ roborarent, venenatamque malignitatem obtererent. His parum proficientibus, ſudores proliciuntur balneis, æſtuariis, & Guaiacinæ hebeni decocto, quæ nihilo magis profuerunt, quoniam omnes longe aberamus à cognitione veri. Nam menſe tertio primum deprehenſus Dæmon quidam totius mali auctor, voce inſuetiſque verbis ac ſententiis tum Latinis tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans eſſet) ſe prodens. Is multa Medicorum ſecreta detegebat, ridens, quod eos magno periculo circumueniſſet, quodq; irritis pharmacis corpus hoc pene iugulaſſent. Quoties laborantem pater inuiſebat, is procul à conſpectu inclamabat, Appetentem hunc arcete, & ab ingreſſione propulſate, aut torquem è ceruice detrahite: ex hoc enim, vt Gallorum torquatis equitibus in more eſt, Diui Michaelis imago propendebat. Simulabat aſtutus Dæmon, ſe Diui Michaelis imaginem vereri, vt aſtantes falleret euidẽtius: quaſi vero hic vllius exhorreſcat ſimulachrum, qui ne quidem ipſum Chriſtum, expreſſam Dei imaginem timuit, quem aggredi, aſſumere atq; tentare auſus eſt. Interrogatus porro, quis eſſet, aut quomodo, & qua hæc poteſtate moliretur? Dixit, multa intus eſſe domicilia, in quibus ſe recondat, & in quiete ad alios commigrare: Se in hoc corpus coniectum à quodam, cuius nomen non efferret: à pedibus ingreſſum in Regia, & à pedibus egreſſurum, cum præſtitutus dies aduentarit. *Wierus lib.3.cap.14.*

EQ. Oppidum Germaniæ Schiltach, 4. Idus Aprilis, qui dies erat Iouis ante Paſcha, Anno à Chriſto 1533. conflagrauit, à venefica incenſum, vti Eraſmus Roterodamus ex Heinrici Glareani narratione refert, & Cardanus lib.19. de Subtili-

tate repetit: Dæmon ſibilo ſignum dedit è quadam ædium parte. Caupo ſuſpicans eſſe furem, aſcendit, neminem reperit. Sed idem ſignum rurſus ex altiore cœnaculo redditum eſt. Et hoc conſcendit caupo, furem perſequens: Cum nec illic quiſquam appareret, ſibilus auditus eſt è faſtigio fumarii. Illico tetegit cauponis animum, eſſe dæmoniacum quiddam, iubet ſuos eſſe præſenti animo. Acciti ſunt Sacerdotes duo, adhibitus exorciſmus: Reſpondit ſe eſſe Dæmonem. Rogatus quid illic ageret? ait, ſe velle exurere oppidum. Minantibus ſacrificis, reſpondit, ſe pro nihilo ducere illorum minas, quod alter eſſet ſcortator, vterque fur. Aliquanto poſt mulierculam, qui cum habuerat conſuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa quotannis & confiteretur & acciperet Euchariſtiam, eoque etiam die communicarat, ſuſtulit in aerem, impoſuitque fumarii faſtigio, tradidit ollam, iuſſit vt inuerteret, & intra horam totum oppidum exuſtum eſt.

TH. Anno 1536. Francofordiæ ad Viadrum ancilla quædam, Marci Piſcatoris filia, capitis doloribus, & quadam Phrenitide correpta fuit, quam miſericordia motus, ciuis Georgius à Kuliſch in ſuas ædes recepit: tandem autem eo res cum ipſa redit, vt à Dæmone obſeſſa, res prorſus mirandas agitaret. Quicquid attrectaret, cuiuſcunque etiam veſtem, thoracem, barbam, caput, inde monetam in ea regione vſitatam arripiebat, quam protinus ori ingeſtam mãdit & deglutiit. Eamque pecuniam ſæpe manib. eius extortam admirationis ergo aliis obtulere. Nonnunquam ipſamet vltro aliis eam porrexit, ſæpe acus correptas deuorauit, & contra vernaculæ ſuæ linguæ proprietatem ſuperioris Germaniæ dialecto, cui aſſueta non fuerat, locuta eſt. Nec facile fuerit, quicquid prodigioſe per eam geſtum ſit, verbis aut ſcripto breui complecti. Adducta ad conciones concionantem verbi miniſtrum perſæpe publice redarguit. Tandem ex diuina gratia, exauditis Eccleſiæ precibus, à Satana liberata, ſanitatique reſtituta eſt. Nec quicquam tum de furore & morbo ipſi conſtitit, liberaque deinceps à Satanæ inſultu, & tam corpore quam animo ſana, fideliter Francofordiæ apud ciues famulata eſt. Rem vere ita geſtam prudentiſſimus eius Reipubl. Senatus publicari iuſſit, *Anno 1538.*

Sed & Anno 1559. non procul à Ioachimicis vallibus Fabri cuiuſdam filia, pudicitiæ & honeſtatis laude excellens, omnibusque pietatis exercitiis ſedulo vacans, ex permiſſu Dei à Satana circa Quadrageſimam obſeſſa fuit. Sæpe eam Satanas arreptam humo alliſit, non ſecus ac ſi comitiali morbo infeſtaretur. Quę res mouit parentes, vt apud eos, qui ex pythonico Spiritu incognita perſpicere, & futura creduntur, conſilium quærerent. Per quod parentum facinus, potentiam ſuam & confirmatam & auctam eſſe Satanas poſtea gloriatus eſt. Circa feſtum Paſchatos, humana voce loqui ex virgine cœpit Diabolus, perſæpe etiam in ſpecie cuculi, corui, crabronum, aliarumque auium apparuit, earumque vocem per omnia expreſſit. Varia eaque ſtupenda ex virgine locutus eſt, quæ omnia perſcribere operoſum nimis fuerit, vnde magnus ad virginem hanc factus eſt concurſus, plurimique ex peregrinis quoque locis quotidie aduentabant, rem ſtupendam viſuri, Satanamque loquentem ex virgine audituri, quorum complures ex pio ſanctoque Zelo & verbis eum prouocarunt, & reſpondentem intrepide audiuerunt. Virgo interim patienti animo crucem hanc pertulit, ſuas quoque preces perſæpe cum reliquorum precibus coniunxit: quotieſcunque autem Chriſti nomen inuocaret, & liberationem à malo, quo premebatur, peteret, nouo protinus furore in ipſa Dæmon ſæuiit, protuberantes oculi ei intumuerunt, lingua

Digitized by Google

lingua inſtar viminis contorti ex ore, quanta palmi longitudo protendebatur, capiteque intorto & in tergum reflexo, triſti & horrendo modo Satanas eam affligebat. Facta paululum remiſſione, ſi ex ea quæreretur, quomodo res ipſius ſe haberent, reſpondit: eam obuerſari ſenſibus afflictionem, vt videatur ſibi in profundo amni iam iam ſuffocanda hærere, piorumque hominum aduentu è morte ſubinde eripi. Omnes eius viciniæ Sacerdotes, verbique diuini præcones eo frequenter aduenere, quibus cum virgine colloquia miſcentibus, magno cum ludibrio Satanas reſpondit, & quoties Chriſti incideret mentio, ad turpem inanemq; deflexit ille fabulam. Interrogatus, quomodo in eam ingreſſus fuiſſet? Reſpondit, in hauſtu cereuiſiæ, ſub ſpecie muſcæ. Nam integrum biennium ſeſe illi inſidiatum, antequam voti ſui compos factus ſit, parentibusque eius Pythoniſſam conſultum abeuntibus, pleniorem ſibi in eam poteſtatem factam. Quidam pietate inſigni in ea regione Helias Hirſch, ſingulas ferme noctes apud virginem inſomnes duxit, precibusq; ſuis aduerſus Satanam pugnauit, in quem ille acribus conuitiis ſæuiit, & quotieſcunque è domo ſua progrederetur, id Spiritus iſte prædixit: En, inquiens, ſacrilegus iſte Helias iterum me afflicturus aduenit. Vir iſte & ſanctus & pius, virtute verbi Dei eum oppugnauit, frequenterque nomine Ieſu Chriſti vſus, tantum non ad nouam inſaniam Spiritum adegit, vt furor ſæuientis procul quoq; exaudiretur. Aliquando Heliam allocutus Dæmon, ait: Ohe choream mecum ducito, & vt lubet vel præcede, vel ſequere. Ad quæ ille: chorea tua ducat te in abyſſum tartari. Reſpondit Dæmon: Abi, iam choreas aſpicies. His dictis, tibias inflantis ſonum edidit, protinusq; hypocauſtum ingreſſus felis, & ſub menſa canis apparuit, hi mirabili geſtu & ſaltu chorea ducta, tandem diſparuere. Huius generis præſtigias plures inſtituit. Biduo ante Dominicam Trinitatis rurſus aggreſſi Dæmonem pii Sacerdotes, ex eo quæſiuerunt, ex cuius iuſſu ibi ſedem ſibi legerit? Ex iuſſu, inquit ille, Dei, à quo miſſus ſum vt corpus affligerẽ, ſed animæ nihil poſſum afferre damni, tum vt hominibus ſignificarem, vt à faſtu, fœneratione, crapula, aliisq; id genus peccatis abſiſtant, & licet meo ingenio aduerſum ſit hæc denunciare, attamen à Deo iuſſus id facere cogor. In extremo autem die, plures ſcio me habiturum animas, quam Deum ipſum. Ad quæ Sacerdos quidam, Mentiris, inquis, Sacrilege, Peccatores ſiquidem pœnitentiam agent, ſalutemque conſequentur: te autem tuosque complices æternus Deus in extremo iudicio in gehennam ignis deturbabit. Cur cœlo exulas, cum præluſtrem te Angelum Deus crearit. Non ſatis firma, inquit ille, ſedes mihi iſtic erat. Tu ſane huic tuo labori rectius parceres. Haud me latet, te pro craſſa hac Margreta (ſic virginem nominabat, cuius nomen erat Anna) ſollicitum in feſto Pentecoſtes è ſuggeſtu preces ad Deum publice fudiſſe. Et feci, reſpondet verbi Miniſter, & facere id non deſiſtam, donec te precibus noſtris hinc in abyſſum tartari præcipitemus. Et hæc dicens, quærebat ab eo: Num tu quoque in affligendo Iobo occupatus fuiſti? Quid ni, inquit ille, ô ſi modo ſimilis facta mihi poteſtas eſſet, & papulas ardentes, & peſtes hinc inde diſſeminarem. Hæc colluctatio per duas ferme horas durauit. Inter alia quoque dicebat Sacerdos: En, qui creaturarum quondam fuiſti pulcherrimus, iam vel in immundi porci, vel alterius fœdæ beſtiæ forma lates. O mi ſacerdos, reſpondet Dæmon, perſæpe in leporem mutor, magnatibus cibus ſum gratiſſimus. Quorſum hinc exiturus, quærit Sacerdos, diſcedes? In fluxos, inquit ille, dilatatosque caligarum ſinus. Sum enim hic ego centeſimus. Elapſis aliquot

dicbus,

Digitized by Google

diebus, pii aliquot Sacerdotes puellam deduci curarunt, ibi in magna populi frequentia ardentibus Deum precibus inuocarunt, hymnisq; & Pſalmis laudarunt, & quoties Ieſus Chriſtus nominabatur, tanto mugitu, ſtridoreque Satan ſæuiit, vt omnia ruinam minari viderentur. Hac vice re infecta abiere. Cum è templo virgo reduceretur, caſtrenſis tympani ſonitum Dæmon edidit, parum, inquiens, abfuit, quin loco me mouiſſent, profecto octo ex meis ſociis iam hinc migrarant. Tandem verbi Miniſter Schlackenvvaldenſis eo cum decem aliis Miniſtris denuo accerſitus eſt. E vallibus duos Diaconos eodem miſſi à prima hora diei vſque ad meridiem ingens omnium in orando, canendo, legendo fuit feruor & ſtudium, ſed re adhuc infecta prandium ſumptum. A prandio aduenit Schlackenvvaldenſis verbi Miniſter, adducens ſecum arcis Pragenſis Præfectum. Adfuit autem ingens turba hominum vnanimiter Ieſum Chriſtum inuocantium, Hymnisq; laudantium, tantoque Spiritu preces ad Deum fundentium, vt exaudirentur, eiectusque Diabolus inſtar examinis muſcarum per feneſtram exierit. Antequam exiret, à puella petiit vnicū ſaltem corporis membrum, in quo moraretur, ſibi communicari, hinc vnguiculum digiti, tandem vnicum pilum, ſed id omne ipſi denegatum. Ait præterea iam exiturus: Omnes verbi & Miniſterii, Sacramentorumq; contemptores, omnes item crapulę, vſurisq; addicti, & corpore & anima mei ſunt, & nominatim Schlackenvvaldenſium Parochum monuit, vt ſuæ Eccleſiæ ciues ad pœnitentiam vocaret. Nempe Deus vnice noſtram ſalutē ſitit, ideoque Diabolus vel inuitus pœnitentiam hominibus annunciare cogitur. Eiecto Satana, virgo in parentis ſui ædes deportata eſt, & in refrigerium animę, corpore & ſanguine Chriſti refecta, ſanoque vſa iudicio, licet corpore debilitata, obnixe concionatorum, qui præſto erant, Eccleſiæque publicis ſeſe commendauit precibus. *Fincelius lib. 3. de Miraculis.*

TH. Sed & ſacratæ virgines ab eiuſmodi infeſtationibus dæmoniacis non fuerunt immunes. Exemplum extat de virginibus in cœnobio Kentorpio prope veterem Marcam, in Marchiæ comitatu iuxta Hammonem, incluſis, quæ monſtroſis conuulſionibus fuerunt exagitatæ. Fœdiſſimum illæ halitum ore ſpirabant, in ipſo, & paulo poſt ipſum paroxyſmū: qui alias ſemel interdiu, aliquando ſępius inuadebat, aliquoties in horas aliquot multas ꝓtrahebatur. In acceſſione mali quędam conuulſæ intelligentes erant, audiebant, aſtantes etiam internoſcere ſe plæraque poſtea affirmabant: at propter linguæ conuulſiones loqui minus poterant. Torquebantur aliæ aliis mitius. Sed hoc commune prope omnibus erat, vt cum ex iis vna agitaretur, cæteræ quoque in ſeiunctis etiam cubiculis correptæ, ſolum tumultuantis ſtrepitum audientes, ſimili miſerrimo modo vexarentur. Prima ſic affligi cœpit Anna Lemgavv, quum primum ex ſiniſtro doleret hypochondrio, epilepſiaque correpta putaretur. Ad ariolum itum eſt, is opinionem ingeſſit, ab Elſa Kamenſi coqua (quæ poſtea cum matre viua exuſta eſt) cunctas maleficio læſas eſſe. Hinc neruum ſortitus Diabolus, non ſolum eas multifariis conuulſionum generibus torquere incipit, ſed incitare quoque, vt ſe mutuo & alios morderent, cæderentque, ſubueherentur, item & deiicerentur citra noxam, ſicut plumæ ſibi viſæ, vnde etiā non ſuæ poteſtatis ſe eſſe ſentirent. Si autem à percuſſione, vel quacunq; alia violentia inhiberentur, cor afficiebatur grauiter: at ſuæ libertati relictæ, etiamſi ſeipſas lædere, concutere, aut mordere viderentur, nihil inde ſentiebant mali: at in proprium ſæuire corpus neceſſarium eſſe imaginabantur. Si quando

Anna in paroxyſmo loqueretur, fiebat id quaſi altero inſpirante, & expirante: ipſa interim ſeipſam dum loqueretur intelligebat, ſed finito ſermone penitus menti exciderant prolata verba. Nequit vlli rei vel bonæ vel malæ ſerio attendere, tanquam mente ſtupida, ſine ſenſu, diſcretione & iudicio. Si pius aliquis eam alloqueretur, tum quaſi à Diabolo puniri videbatur. Si quando autem huic loquerentur aliæ fœminæ de rebus ſuis ludicris, mire iis afficiebatur, leuabaturque. Quum exorcizarentur, incredibilem ſanguinis copiam videbatur fundere per os. Omnibus vero illis virginib. ita à Dæmonio affectis, is erat cum dolore inæqualiter ſerpente ſenſus ſub pedum plantis, quaſi aqua illas calida combuſſiſſet. Quanquam etiam varie torquerentur, cunctis tamen æque vigebat appetitus & nutritio. Ex iunioribus mentis impotibus frequenter & multum loquebatur Dæmon, quibus ſe etiam forma nigra obiiciebat in ſpecie felis nigræ, vel Elſæ Kamenſis, aut eius matris vel fratris, vt ab iis omnib. tam crudeliter exerceri crederetur perperam. Vbi poſtremo Anna firmiter animo conſtituiſſet, non redire in Monaſterium, vnde parentum ductu ceſſerat, deſiit calamitas: ſi vero ſolummodo à collegii Præfecta ad eam epiſtola mitteretur, toto horrebat corpore, quaſi relapſura. Poſtea autem viro nupſit, citra vllum eiuſmodi noxæ ſenſum. *Wier. lib. 3. c. 10. de præſtigiis dæmonum.*

Sed & Moniales Venteti occluſæ in comitatu Hornenſi, diris modis à Dæmone ſunt vexatæ. Paupercula fœmina in quadrageſima ſalis libras tres mutuo à virginibus acceperat, fereque duplum circa Paſchæ ſolennitatem reſtituerat. Hinc in dormitorio inueniebantur ſphærulæ candidæ, velut incruſtata ſaccaro ſemina, at guſtu ſalſæ. Eodem in loco obſeruabatur inceſſus ſpectri ingemiſcentis, audiebatur item quandoque vox pleræque virgines vt ſurgerent, & ad ignem ſecum accederent, ſe ægrotam eſſe commonefaciens. Si quando in arrepta matula meiere tentarent, ea violenter erepta, lotio conſpurcabant lectum. Aliquoties pedibus è lecto ad paſſus aliquot ſubtrahebantur, atque adeo ſub plantis titillabantur, vt præ nimio riſu modo non morerentur. Quibuſdam carnis particulæ euellebantur, pleriſq; in aduerſam partem prorſus intorquebantur tibiæ, brachia & facies. Quædam ſic excarnificatæ, licet ad dies quinquaginta duos nihil præter raparum ius citra panem ſorpſiſſent, attamen atri liquoris, vel atramenti ſcriptorii multa vomitu reiiciebatur copia, tam acris, vt etiam pelliculam ex ore abraderet. Aliquæ ſupra hominis caput euchebantur, & mox deiiciebantur. Cum ægrotas recreaturi circiter tredecim numero amici veniſſent, illæ è menſa deorſum citra vocem & intellectum dilabebantur, nonnullæ inuerſis tibiis & brachiis tanquam mortuæ iacebant. Vna in altum ſuſtollebatur, & quanquam manibus iniectis obluctarentur aſſiſtentes, tamen ſupra eorum caput abrepta, denuo præcipitabatur. Nonnullæ incedebant tibiarum extremitatibus innixæ, velut ἄποδες, citra pedum vſum, qui videbantur trahi tanquam ligamentis nimium laxatis in ſacculo penduli. Arbores quoque conſcendebant vt feles, ab iiſque proſerpebant, nulla corporis immutatione. Contigit item; vt cœnobii præfectæ (quam matrem vocant) in eius ambitu colloquenti cum Margaretha comitiſſa Burenſi, ex femore crueretur caro. Vulnus partim liuebat, partim nigricabat, ſed curabatur. Durauit ea carnificina ad annos tres manifeſta. *Vide Wierum lib. 3. cap. 9.*

Haud diſſimilia Coloniæ paſſæ ſunt virgines religioſæ in Nazareth monaſterio occluſæ: quibus hoc tamen acceſſit, quod licet annis aliquot antea varie & multifariam

tifariam à Diabolo vexarentur, torquerentur, conuellerenturque, tamen anno ſexageſimo quarto ſupra ſeſquimilleſimum, præter aliud ſpectaculũ horribili modo frequenter editum, proſternebantur ſæpenumero deorſum, infima corporis parte ſuccuſſata ad eum modum, qui Veneri ſolet aſcribi, oculis interim clauſis, qui poſtea cum pudore aperiebantur, cum velut à multo labore reſpirarent. Anſam autem huic malo dederat quædam Gertrudis, anno ætatis ſuæ decimo quarto Monaſterio incluſa, quæ ludibria hæc ſæpius diſſoluto Cachinno patiebatur in lecto, licet amaſium ſingulis noctibus fere congredientem ſtola conſecrata abigere conaretur. Quam velitationem cum altera virgo in ſecundo decumbens lecto (hoc nomine adiuncta ſociæ, vt tutior eſſet ab amaſii inſultu) audire videretur, tota exhorruit, ac tandem quoque Diaboli hoſpitium facta, miris conuulſionum generibus diſtrahebatur: In paroxiſmo quandoque cæcutiebat, ac licet mente appareret conſtare, varia tamen inconſtanter nimis, & quæ deſperationem ſpectarent, proferebat. Itidem & aliæ multæ. Ita peſtis hæc velut contagio proſerpſit, maxime cum primum ad legitima non confugeretur conſilia. *Wierus lib. 3. cap. 11. de præſtig. Dæmonum.*

Virgo nobili nata loco, cum feruentiſſime adamati iuuenis, ſed ignobilioris, coniugio potiri non poſſet, reluctantibus parentibus, mœrore confecta, Dæmonem ſub ſpecie amaſii obuiam habuit. A quo perſuaſa, D. Brigidæ cœnobium non procul à Xanctis ingreditur. Ibi furore correpta, exiliebat, balabat, mugiebat, in ſublime rapiebatur, ſtrangulabatur. Id malum quodam veluti contagio in reliquas deriuatum moniales. Ex eo deinde alio auecta prolem bis ſuſtulit carceris cuſtos, quo ad ſe rediit. *Wierus lib. 3. cap. 9.*

Moniales in Heſimonte Neomagi, Dęmonium aliquot annis infeſtauit: Dormitorium noctu velut cum turbine ingreſſum, teſtudine citharaque videbatur ludere ſuauiſſime, vt ad choreas induci poſſent virgines. Inde canis inſtar in vnius lectum inſiliebat, in quam muti peccati, quod vocant, cadebat ſuſpicio. *Wierus lib. 3. cap. 9.*

EQ. Annon autem horribilibus huiuſmodi exemplis territi, olim homines obſequiis dæmonum valedixerunt? Fuerunt enim huiuſmodi exempla omnibus temporibus haud obſcura.

PH. Imo vero obſcuriora longe quam hodie fuerunt. Diabolus n. ſub ementita ſanctitatis ſpecie ſenſim ſe le animis hominum inſinuauit, habueruntq; cultus primitiui Ethnicorũ guſtum aliquem ex ſacris. Cum vero paulatim amiſſo verbo Dei, pulchrum & ſanctum Dei nomen tribuerent reb. à Deo alieniſſimis, hinc factum, vt vagantes poſtea ſine Deo, quodcunq; ſe aliqua Dei ſpecie oſtēderet, id peculiare numen eſſe, aut ab aliquo proficiſci numine cenſerent. Hinc illa Ethnicorum *θεομαντεία*, q̃ dixerunt, extitit vaticinia complectens ea, quæ obſeſſi à Dęmonibus vel afflati cōcitatione mentis ediderunt, vel rapti extra ſeſe, vbi ad ſe redierunt enunciarunt, arrepta aut excepta extrinſecus ex dæmonum aſpiratione, qua delibutos habebant animos.

Cæterum differentiæ *τῶν θεομάντεων*, quatuor ſunt.

Obſeſſi. Obſeſſi, *ἐγγαστρίμυθοι, ἐγγαστριμάντεις, στερνομάντεις*, & *δαιμονιόληπτοι*, *habentes Pythonem in pectore, à dæmone correpti*, nominabantur à Græcis inde, quod intra ſeſe pectori ventrive incluſos ſpiritus vatidicos haberent, qui vel ſuggerebãt, vel, vinctis compreſſisq; obſeſſorum linguis, ipſi efferebant ac proloquebantur requiſita pręſcitaq;

ſcitaque vaticinia. Atque hi alias continebant ſeſe in abdito, ne cernerentur, alias ſe proferebant, nunc hac, nunc illa imagine. Vidimus ipſi, in quadam puella obſeſſa, Dæmonem, ſub ſumma cute, muris figura, varie diſcurrentem, qui mox, recondens ſe in imum ventrem, euaneſcebat ex oculis, mox proſiliens rurſus, ſub pectoris aut frontis toroſioribus partibus prorumpebat.

Nominabantur iidem & *πύθωνες, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι*, id eſt, à ſciſcitando, quod de futuris, occultisq; & ignotis conſulebantur, & *εὐρυκλεῖται* à quodam obſeſſo, cuius meminit Ariſtophanes *ἐν σφήκεσιν, in veſpis, μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν, imitatus Euryclis vaticinium & cogitationem.* In ſacra Scriptura obſeſſus vocatur Ob, quam vocem ab vtre factam dicunt, quod obſeſſi, cum vaticinari incipiunt, velut vtres inflati diſtenduntur ac turgeſcunt. *Pythones.*

Afflati *ἐνθουσιασταὶ*, & *ἐνθουσιαστικοὶ*, & *θεοπνευσταὶ*, *numine afflati, à Deo afflati*, vocari poſſunt: differre hi ab obſeſſis iudicabantur. Hi enim *ἔνθεοι, καὶ ἐκ θεοῦ κάτοχοι εἶναι, diuini & à Deo correpti eſſe:* Illi, non ab inſitis ipſis Dæmonibus regi, doceriq;, ſed vatidica imbuti, præſentiaq; futurorum donati, ceu per afflatum diuinitus, *καὶ ἐκ θεῶν ἢ νυμφῶν μαντεύεσθαι, deorum aut Nympharum afflatu vaticinari,* putabantur. *Afflati.*

Ex his quidam natura valebant, quo in genere fuerunt, Amphion, Orpheus, Euclous, Cyprius, Muſæus Atticus Antiophemi filius, Orphei diſcipulus, Lycus Pandionis filius, Bacchus ex Bœotia *κατόχιμος ἀνὴρ ἐκ νυμφῶν καὶ μανίας, homo à Nymphis & furore detentus*, cuius plurima recitantur *θεοπρόπια* in hiſtoriis, Tireſias vates, Phæmonoe, quæ prima hexametro verſu ceciniſſe oracula traditur, Phaenis cuiuſdam regis Chaoniæ filiæ Peliades, quibus aſcribitur hic verſus:

Iuppiter eſt, fuit, atque erit, ô bone Iuppiter alme.

Sibyllæ pleræque, & ſimiles.

TH. Extant in fragmentis, quæ Sibyllæ nomine circumferuntur, multa, quorum etſi expreſſiora ſunt pleraq; euidentioraque, quam vt ab antiquis poſſint videri conſcripta, & putantur ab erudito aliquo ex euentu cõpoſita, ſparſimq; repertis oraculis intexta, vt illa cohærerent: tamen non pauca vetuſtatem referunt, quæ ex reliquis adhuc voluminib. ſacris deprompta, numerisq; innexa eo videtur conſilio, vt & recitari in publicis cœtibus, & ediſci facilius, conſeruariq; poſſent.

Sed acceſſit in omnibus ex Diaboli afflatu, alia vis maior, qua nec deſcripta antea, nec vllis naturæ argumentis vel adumbrata, vel expreſſa, ac præfigurata edicebant, & ex ea, velut mente capti, aut errabant aliquantulum, aut prorſus furebant. Sæpe, in hoc *ἐνθουσιώντων, afflatorum*, genere, rudes prorſus atque imperiti literarum; imo fatui natura, feliciter de futuris diuinant: nec ſolum euentuum genera exprimunt, ſed & momenta deſignant, & eos, in quos hi ſunt redundaturi, notant: habuit huius generis plurimos omnis ætas. Talium præſcita non ex corporum naſcuntur temperie, etſi omnes illi Melancholici ſunt, & *φανταστικοὶ, phantaſtici* natura; ſed aliunde ipſis aſpirantur.

EQ. Fuiſſe mulieres aliquas fatidicas, quas Sibyllas dixerunt, ex hiſtoriis conſtat: &, qua vi, pleraq; fuderint oracula, cum ex furibundis geſtib. plenis fœdiſſimarum deformitatum, quos vſurpaſſe memorantur, tum ex ipſis miraculis, quib. annexuerunt ſemper aliqua pertinentia ad cõfirmationem idololatriæ Ethnicę, cuiuis iudicare promptum eſt. Inſibilante ea & inſtillante Diabolo pepererunt, qui odio Dei, vt creationem rerum fucatis imitari præſtigiis, ſic propheciarum & doctrinæ ſanctæ publicationem *κακοζηλίᾳ, praua imitatione*, obſcurare ſtuduit.

Suos ſibi Dei exemplo delegit Prophetas, & potiſſimum ex muliebri genere, quod ſexus iſte imbecillior eſt natura, ſimpliciorque, & minus vel cauere inſidias, vel intelligere aſtutá cōſilia, vel reniti impulſui, vel commiſſa celare poteſt, quodque, ad permouendos ac perſuadendos alios, accommodatiora, pluraque adiumēta habet. Ex his cultus & religiones contrarias diuinis ſparſit, eaſque coniunctas plerunque cum denunciatione aliqua futurorum euentuum, vt eo auidius ſuſciperentur. Creuit inde autoritas talium hominum apud imperitos, vt tentare aliquid, vel auſpicari, niſi illis ſalutatis ac conſultis, nefas duceretur: & à Deo regi donarique, prænotione tali futurorum, cenſebantur.

Druides. PH. Ad hanc claſſem quoque referri poſſunt Druides, Magi ſeu ſacerdotes Gallorum, maximo apud eos in honore habiti. De quibus inter cæteros Cæſar belli Gallici libr. 6. & Ammianus Marcellinus libr. 10. tradidere. Ille in hæc verba: *Sed de duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, leges interpretātur. Ad hos adoleſcentium magnus numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ii apud eos ſunt honore, nam fere de omnibus controuerſiis publicis, priuatiſque conſtituunt; ſi quid eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, præmia, pœnaſque conſtituunt. Si quis priuatus, aut populus eorū decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos eſt grauiſſima;* Et paulo poſt: *His autē omnib. Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet authoritatem, hoc modo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit, & ſi ſint plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ medio habetur, conſidunt in loco conſecrato; Huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque decretis, & iudiciis parent. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerunque illo diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druidæ à bello abeſſe conſueuerunt: neque tributa vna cum reliquis pendunt; militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis, parentibuſque mittuntur; magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis, priuatiſque rationibus Græcis literis vtantur.* Et rurſus: *In primis hoc volunt perſuadere, non interire animas ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto; multa præterea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi, ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant; & iuuentuti tradunt.* Et amplius plura alia, quæ breuitatis gratia omittuntur. De eiſdem Druidibus Amm. Marcellinus hæc ſcriptis reliquit, de Galliis verba faciens: *Per hæc loca hominibus paulatim excultis, viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages, & Druidas; Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt. Eubages vero ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, vt authoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronunciarent animas immortales.* De Druidibus Plinius *libr. 16. capit. poſtremo* ſic ſcribit: *Non omittenda ea in re & Galliarum admiratio; Nihil habent Druides (ita ſuos appellant magos) viſco & arbore, in quo gignatur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt*

ficiunt, vt inde appellati quoq; interpretatione Græca poßint Druides videri. Enimuero quicquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autē id rarum admodum inuentu, & inuentum magna religione petitur. Et ante omnia ſexta luna, quæ principia menſium annorumque iis facit, & ſeculum poſt triceſimum annum, quia iam virium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia, omnia ſanantem ſuo vocabulo appellantes. Sacrificio epuluque rite ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago, tunc demum victimas immolant, precantes vt ſuum donū Deus proſperum faciat, iisque quibus dederit: fœcunditatem eo potu dari cuique animalium ſterili arbitrantur; contraque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio eſt. Rurſum idem auctor *lib.29.cap.3.* de Druidibus inquit: *Præterea eſt ouorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis; Angues innumeri æſtate conuoluti, ſaliuis faucium corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ ſibiles id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat.* Id autem paulo poſt inquit Plinius, inſigne Druidis. Poſtremo *lib.30. c.1.* idem Plinius de Galliis loquens, inquit: *Namque Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum.* Ex iam dictis, qui fuerint olim Druides, facile colligimus.

EQ. Video Satanam in ſuis ſacris, anguibus cumprimis delectatum fuiſſe. Per ſerpentem nimirum primos noſtros parentes decepit, itidem quoque poſtea per ſerpentes ipſorum decepit poſteros. De Æſculapio quidam ſcribunt, ipſum non ex Nympha Coronide natum, ſed ex ouo corniculæ, quia κορωνὶς vtrumque ſignificat, & Nympham ita vocatam, & corniculam, vt aſſerit Lucianus in Dialogo de falſo vate. Fertur quidam ex antiquis ſacerdotibus ſerpentem perexiguum in ouum vacuum corniculæ incluſiſſe, ceraque ſtudioſe oblitum luto in quodam loco occultaſſe, mox ara extructa populum in concionem ad eum locum aduocaſſe, cū nunciaret omnibus palam, ſe Deum eſſe oſtenſurum. Poſt concionem incognitis quibuſdā vocibus vſus, Apollinem & Æſculapium inuocauit, vt dexter ac felix illi ciuitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens in profundum demerſa, ouum illud vna cepit, quod præſentibus multis fregit, pullumque recentem ſerpentis inueniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſtea vero ſerpentem inſignis magnitudinis, paucis diebus elapſis, in loco ſuboblcuro oſtendens, artificioſe ſe mouentem, illum ita creuiſſe aiebat, ac Deum eſſe Æſculapium Apollinis filium. Inde vero ſerpentes in eius tutela crediti ſunt, & eius geſtamen putatus fuit baculus ſerpente inuolutus, vt ſcribit Dercylus. *Natalis Comes Mythol. libro quarto, cap.11.* Sed hæc dicta ſufficiant. Recenſe igitur porro reliquas Θεομαντῶν differentias.

PH. Ἐκστατικοὶ, *mente alienati* vocantur, qui velut rapti extra ſeſe, ſenſuque omni & motu priuati, iacent exanimis ſimiles exactisque aliquot diebus, ceu ex profundiſſimo expergefacti ſomno, aut à morte reuocati in vitā, redeunt ad ſeſe & miras fabulas, mira commenta recitant. Ἐκστατικοὶ.

TH. Antiquitas reuera animas eximi corporibus diuinitus, circumducique, vt beatorum & condemnatorum ſedes, & cœleſtis machinæ fabricam, aliaque his ſimilia ex hominum conſpectu abdita perluſtrarent renunciarentque, quæ vidiſſent, cæteris talium rerum ignaris: moneri etiam docerique diuinitus, de multis ad ſalutem & incolumitatem generis humani pertinentibus, de præmiis iuſtorum, de pœnis impiorum & pœnarum differentiis: deinde, confecto curriculo, quod dii

conceſſiſſent, reponi in ſuos carceres, ſtulto errore de relationibus & confirmationibus eorum, quibus tale aliquid acciderat, perſuaſum habuit. Ex horum fabuloſis narrationibus nata puto figmenta Poetarum, de campo Elyſio, de diſtinctis animarum ſedibus, de cruciatibus & torturis impiorum, de præſtantium virorum læta & ſuaui conuerſatione.

PH. Medici ἔκστασιν, *exceſſum ſiue emotionem mentis*, Melancholiæ ſpeciebus cõnumerant, dicuntque, ex copia & vehementia humoris Melancholici, cum inundantis, tum imbuentis atque immutantis craſin cerebri & ſpirituum, fieri quendã velut ſeceſſum animæ in ſeſe, demerſumque, aut intentionem atque applicationem acriorem in aliquam imaginationem, adeo vt & ceſſet ipſa, ſeque amoueat, quaſi à corporis adminiſtratione vacatura inſtituto cogitationum operi, & corpus derelictum à gubernatore exanimetur, ſuasque etiam obire & exercere functiones deſinat, ſolo cerebro excepto, quod à Melancholico humore obſitum ſtimulatumq; phantaſias fingat ac formet. Cogitationes vero, in quas defigitur atq; inuoluitur, reſpondere naturæ humoris Melancholici. Si enim ea atra bilis, quæ in cerebrum penetrat, ex ſanguine ſit aduſto, aut diluatur ſanguine puriore, naſci inde phantaſias, de rebus lætioribus, conuiuiis, coniunctione, & conſuetudine cum diis & præſtantibus viris, obuerſarique animo loca amœna, culta & varie exornata, & perfundi mentem lætitia atque opinionem accedere, vt adeſſe & perfrui rebus cogitatis videatur. Si ex aduſta ſit bile, aut cum ea confuſa, hanc tetras parere θεωρίας, *contemplationes, ſeu mentis agitationes*, de cædibus, ſuppliciis, torturis, vſtulationibus, volutatione in aere, aut tranſitu per flagrantia loca & ignes, atque aliis huiuſmodi. Si ipſa ſola atra bilis in cerebrum irrepat, eam ciere imaginationes de occurrentibus aut inſequentibus, & vitæ periculum intentantibus ſpectris, aliisve inuſitatis & abominandis ſpeciebus, variaríque has & miſceri multipliciter, pro cõmixtione temperationeq; atræ bilis, cum cæteris humoribus. Proinde anima in exſtaſi è corpore non excedit.

EQ. Non exit anima è corporibus ἐκστατικῶν, & circumuolitat hinc inde, Mundi angulos perreptans atque inſpiciens, diuino ductu, vt cenſuit antiquitas: neque ſolus Melancholicus humor in cerebri ſeſe corpus ingerens, animam à corporis auocatam gubernatione talibus phantaſmatis implicat: nec relicta gubernatione corporis redit in ſeſe: ſed texit ſeriem illarum cogitationum diabolus, & hanc variat mira arte & ſcite, repetitis præteritis, hisque annexis præſentibus, & aſperſis etiam quibuſdam admonitionibus de futuris, ne in ſuſpicionem fabularum anilium, aut temere cogitatarum ineptiarum veniant: atque vtens occaſionibus, quas τὰ μελαγχολικὰ πάθη, *melancholica affectiones*, præbent, eas ipſas animabus abductis à ſocietate corporis, & occupatis inſinuat aut obiicit, inducta ſimul perſuaſione, vt ſe reuera reliquiſſe corpora, & coram ſpectaſſe, quæ diabolus effinxit & indidit, imaginentur. Corpora vero exanimis ſimilia ſeu reuera, ſeu de circumdata ab ipſo ſpecie, fouet interea, cordique aerem refrigerationi neceſſarium afflat.

Non enim ipſis ἐκστατικοῖς vita tanto tempore abſque ſpiratione ſufficeret, ſed ſtrangularetur ſuffocato corde, niſi id foueretur afflatis halitib. frigidiuſculis molliter per aliud aliquod ventilabrum præter pectus & pulmonem, quæ membra talibus fere quieſcunt. ſiquidem intercluſa modice atq; impedita reſpiratione, mox angi & laborare; deficiente prorſus, ſubito extingui cor cernimus.

TH. Facit hæc Satan, vt pleraque falſa & inſolenti imitatione τῶν ὁπλάστων καὶ

ἄπνα

ἀποκαλύψεων, *viſionum & reuelationum*, quibus vſum ad Prophetas ſanctos, & Apoſtolos Spiritum ſanctum ſacræ literæ demonſtrant, & vſurum ad electa Eccleſiæ mẽbra Ioel Propheta vaticinatur, inquiens, *Filii veſtri viſiones videbunt*. Certat enim ex ſuperbia & ambitione cum vero Deo, inſidiatur gloriæ Dei, nec vlla in parte eo videri vult inferior. Sed ſecernere ὁράματα, *viſa*, diuina à diabolo inſpiratis aut offuſis, planum eſt & facile Eccleſiæ. Illa enim vel clare perſpicueque menti illuceſcunt, vel ſi figuris adumbrantur, ab ipſo Spiritu ſancto, qui confert dona interpretationis, explanãtur & congruunt perpetuo traditis antea, ac diuina auctoritate conſtitutis doctrinę metis ac regulis de vero Deo & vero Dei cultu, veraq; ſunt, non commentitia: iis etiam quibus exhibentur, ſemper euidentia adiunguntur cœlitus teſtimonia, quæ certo confirmant, non ex ipſis naſci, aut à natura commoueri ea, ſed iniici aut proponi diuinitus. Ita κατ' ἔκστασιν, *mentis à corpore exceſſu*, in Actis reuocatur Petrus ab opinione de obſeruandis diſcriminib. ciborum, quę viſio conſentiebat cum Prophetiis multo ante prolatis, de tota politia Iudaica abolenda. Hæc vero (diabolica ſcilicet) aut inexplicabilib. ſunt nodis irretita, aut ob lubricam flexibilitatem, in omnes torqueri ſenſus poſſunt, aut falſum ſtatuũt, vtcunque ſe veritatis ſpecie oſtentent & inferant, perpetuoq; à cœleſti doctrina diſcedunt ac diſſonant, & requirunt illi repugnantia, vel palam, vel occulte, aliquo fuco, furoreque percitis fere aut mente alienatis & captis obliuione ſui, occurrũt. Certo enim conſilio, nimirum, ne cognoſcatur & proferatur, cum dolus qui ſubeſt, tum auctor ipſe, dementat eos diabolus, quos ad talia miniſteria vſurpat, vt prorſus ſui nec ſint compotes, nec gnari, ſed velut καταδουλωθέντες, *in ſeruitutem redacti*, ea mente agitent, in ea intueantur, quæ diabolus præformat: ea proloquãtur atque enuncient, quæ idem ipſe ſuppeditat: ex ſeſe nihil faciat, niſi quantum ipſe permittit.

Eſt igitur ἔκστασις diabolica aliud nihil, niſi ludibrium diaboli, reuocatione ἐκστατικῶν, *exſtaticorum*, ad ſeſe, ac reſtitutione ceu ex morte in vitam; conantis effingere opus reſuſcitationis mortuorum, quod ſolius omnipotentiæ diuinæ opus eſt, diabolo inimitabile: ſcilicet, vt hoc præſtigiarum genere fidem faciat his, quæ Ecſtatici ad ſeſe reuerſi enumerant, & omnipotentiæ diuinæ gloriam ac maieſtatem eleuet & obſcuret.

PH. Exſtaſin ſiue raptum poteſt diabolus in homine efficere, ligando vel ſoluendo ſenſus exteriores; idq; duobus modis. Prior eſt, quando illos tramites obſtruit, quibus à cerebro ſpiritus ſenſitiui ad exteriores ſenſus penetrant, velut cõtingit ſomniantibus. Poſterior, quando eoſdem ſpiritus ſenſitiuos ab exterioribus ſenſibus ad interni ſenſus organa attrahit, ibiq; retinet, ne ad externorũ ſenſuum organa queant deſcendere. Ita enim contingit, vt in raptu ob nimiã internarum virium ſenſitiuarum applicationem, & ſpirituum ſenſilium ad interni ſenſus organa confluxum, adeo impediantur ſenſuum exteriorũ munia: vt corpus viuum cadaueris mortui & immobilis ſpeciẽ præ ſe ferat. Hæc raptus naturalis cauſa vera diaboli vires non excedit, talesq; ſunt Sagarum & magorum exſtaſes: quibus, cum vno in loco maneant ſoporati, variis tamẽ in locis ſe fuiſſe, & varia peregiſſe, decepti ſæpe arbitrãtur. Tale eſt ꝙ Olaus de magis Lappiis narrat *l. 3. c. 18. Septentr. regn. deſcrip.* hoc modo: Si quis peregrinus cupiat de ſuorũ conditione certi quid cognoſcere, præſtãt vt intra 24. horarũ ſpaciũ reſciſcat, quid cũ illis agatur, vel ſi trecẽtis milliarib. abſint, hoc modo: Incãtor, poſtꝙ vſitatis ceremoniis deos ſuos cõpellauit,

uit,ſubito collabitur & exanimatur, quaſi extincto illo reuera excedat à corpore anima. Neque enim aut ſpiritus in eo reliquus eſſe, aut reſtare cum vita ſenſus aliquis, aut motus videtur: ſed vt adſint ſemper aliqui oportet, qui proiectum & exanime corpus cuſtodiant; quod cum non fit, dæmones abripiunt. Horis viginti quatuor elapſis, reuertente ſpiritu, ſeu è profundo ſomno cum gemitu expergiſcitur exanime corpus, quaſi reuocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Poſtea ſic reſtitutus ad interrogata reſpondet, &c, vt fidem faciat percontatori, recenſet aliquid, quod agnoſcat ille, & certo ſciat in ædib. ſuis aut cognatorum fuiſſe. Hæc in rei veritate ſe ita habere, plures alii Olao atteſtantur. Sed in hoc raptus magici ex ſimilibus exemplis, cauendi multi errores, quibus ambiguæ illæ Olai locutiones non parum ſuffragantur. Errant imprimis, qui cum Cardano quotieſcunque collibuerit, naturali ſua vi & arbitrio voluntatis rapi ſe iactitant.

TH. Noui ego, & mecum norunt mille adhuc ſuperſtites, virginem Deo deuotã, ex iis quas Beatas illic vocant, quæ Burgis in Caſtella, anno 1505. ſuperſtes erat, & ſtatim percepta Euchariſtia, vix ea in os ſumpta, in diuturnum raptum eleuabatur; adeo vt nec admotas & adactas in pedes aciculas ſentiret: quæ, vt erat humanæ gloriæ auerſatrix, & ſancta eſſe, quam dici malebat aut videri, ardentiſſime ſolebat Deum precari, ne quid illi huiuſmodi coram aliis accideret: & ad ſe reuerſa, erubeſcentiæ plena atq; pudoris, quã poterat celerrime ſe domũ in conclaue proripiebat. Nõ eſt ergo in noſtra poteſtate, & proinde nec nobis eſt voluntarium ſic mente abalienari: neq; id poterit noſter intellectus quantũuis id nos vehementer velimus. Hæc non tam eſt actio quam paſſio intellectus. Cum hic anima ſe proprie & primario gerat more patientis, ſecundario & minus proprie more agentis.

EQ. Frigidam frigidæ ſubinde ſuffundit diabolus. Solet namque diabolus naturalibus hominũ morbis inclinationibusq; ſæpius ſeſe adiungere, eorumq; abuti procliuitate. Serpit hoc malũ diaboli (ait D. Auguſt. *lib. 18. quæſtio.*) per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accõmodat ſe coloribus, adhæret ſonis, odorib. ſe ſubiicit, infundit ſe ſaporibus, & quibuſdã nebulis implet oẽs meatus intelligentiæ, aliquãdo crudeliter torquens dolore ac metu, aliquãdo iocoſe diſtrahens vel ſubſannans ludicris. Memorabile eſt, ꝙ à Timęo Locro cõmemoratur: Agrigenti, inquit, domus fuit, cui cognomẽ τριήρη, ab euentu tali. Adoleſcentes aliquot (*Taurominitani*) illuc cõuenientes conuiuiũ hilarius agitabant. Mox vti aſſolet, cũ incaluiſſent vehemẽtius, ita decuſſi mente ſunt, itaq; externati; vt in triremi ſe opinarentur cõſtitutos, mari que altius vndabundo hyemem ingruere atrocẽ. Proinde velut naufragium veriti, tanquam egeſtis, quæ intus forent, nauigium facturi leuius, vaſa omnia, & quicquid mero feruidis occurrebat, in viam ſeu in mare, feſtinantius iactare adorti ſunt, accurrentibus hinc inde qui proiecta diriperent. Inſequenti die vbi adfuere magiſtratus factum arguentes, cum illi necdum ſatis edormiſſent, reſpondere, ſe metu mortis præoptaſſe, quæ in naui forent diſperdere, quam fluctib. deuorari. Admirantibus mentis ſtuporem vniuerſis, qui inter eos videbatur natu grandior: Ego, ô viri Tritones, præ formidine infra thalamos me coniiciens in imo iacui. Cumq; amplius delirare animaduerterentur, dimittuntur ab ignoſcente magiſtratu commoniti modo grauius, cauerent in reliquum inuitationem eiuſmodi brutalem. At illi, velut gratiam fatentes: Si, inquiunt, ſeruati ex tam procelloſis vndis portũ fuerimus aſſecuti, inter marinos Deos vobis (ô Tritones) vt ſeruatoribus in patria ſtatuas ſurrigemus. *Sic Cælius Rodigin. ſed ex Athenæo.*

PH. Multa huiuſmodi per naturam contingere non eſt dubium. Sic oculorum ſuffuſio facit videri volitantes ante oculos quaſi muſcas vel ſaltitantes formicas, non ſine ſtudiorum incommodo, à multis iam annis experior. Sic Hydrophobi aquam fugiunt, eo quod putant, ſe in illa videre canem, à quo admorſi fuere. *Paul. Ægineta lib. 5. cap. 3.* Abenzoar *lib. 1. cap. 1. tract. 8.* meminit morbi dicti *balabol*, quo qui affecti, ſingula putant ſe videre gemina. Arcuatis cuncta apparent lutea. Refert Ariſtoteles de quodam qui ſuammet imaginem ſiue ſimulacrum, in aere ſibi, quaſi in ſpeculo, propter oculorum vitium, ſemper obuerſari exiſtimabat. Idem teſtatur, eum, qui diu in ſolem oculos intenderit, & oculos alio celeriter auerterit; primo ei cuncta iri viſa gilua, mox rubea, & tandem nigra, donec alteratio illa viſus recedat. Auditus etiam læſus decipere conſueuit, vt fit in iis; qui morbum imaginoſum (ſic vocant) patiuntur. Cuius ægritudinis viri docti duas ſtatuunt ſpecies, vnam notiorem; cui nomen *φρενίτις*, quando phantaſmata obiiciuntur animo, viſili imagine, de qua ſpecie Corneiius Celſus, & Cælius Aurelianus conſulendi; & pertinet ea ad phantaſiæ vitium. Altera ſpecies eſt *κορυφαντιασμὸς*, qui viſui tollit ſomnum, auribus indit vitium, quo ſibi audire tinnitus & ſonitus videntur.

Guſtus quoque vitiatus ægros mirè decipit; vt & odoratus, Polypo, Grauedine, ſeu *κόρυζα*, & miro illo catharro, qui anno regnabat in Caſtella, 1581. & multos abſumebat, læſus. Verum crebrior & maior deceptio manat à phantaſiæ corruptela; quæ aliquando coniuncta eſt cum Phrenitide (ſic vocatur ea quæ cum febri vehementi eſt;) aliquando cum Mania (hæc febris expers eſt, & diuturnior;) aliquando leuicula tantũ eſt febris, nec ad Phrenitim ſufficiens. *Celſ. lib. 3. c. 18.* Theophilus medicus cætera prudens, opinabatur cum febriret, prope lectulum tibicines, & cornicines aſſiſtere, & continue auribus eius cantum inſonare: idque iam ſanus, accidiſſe ſibi pertinaciter contendebat. *Galen. lib. de differ.*

TH. Senſuum alterationem vitiumque, falſo viſorum, vel alio ſenſu perceptorum ſpectrorum, cauſam non raram eſſe, docet Leloyerius *cap. 8.* exemplo ebriorum, de quibus optime D. Ambroſius *Lib. de Helia & ieiun. cap. 16.* Hinc (ait) vanæ imagines ebriis, incerti viſus, inſtabilis greſſus: vmbras tranſiliunt ſæpe, ſicut foueas. Nutat his cum facie terra, ſubito erigi & inclinari videtur; & quaſi vertatur, tenentes in faciẽ ruunt, & ſolũ manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi. Murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alii riſu ſoluuntur incondito, alii inconſolabili mœrore deplorant, alii cernunt irrationabiles pauores; vigilantes ſomniant, dormientes litigant. idem, terribilia nempe viſa apparere ebriis, Plinius prior affirmarat.

EQ. Etiam leuioris farinæ homines ſæpenumero natura adiutrice ſimplicioribus imponunt, multaque nefanda atque turpia ſæpius his mediis perpetrant. Ad hanc claſſem magis proprie pertinent artificioſæ voces quorundam, quibus cum ſint præſentes, voces ſimulant abſentium; vel cum ore loquantur, ex ventre verba videntur proferre, ſicque voces dæmonum vel angelorum mentiuntur: Item qui per tubos noctu loquentes, angelorũ vel animarum voces ſimulant; quale quid de Bonifacio octauo circumfertur. Item qui ſimulant ſe animas maritorum defunctorum, & ſic ſuadent viduis vt ſibi nubant. Noui, qui hoc Louanii factitarat: & de alio qui Andegaui, narrat Leloyerius *cap. 7.* Sic apud Boetium Scotiæ quidam rex Pictos, à quibus erat victus, vicit. Noctu ad Principes exercitus ſui dormien-

mientes, immiſit ſeruos indutos ſquammis lucentibus, & manu tenentes haſtas ex ramis putridis noctu lucere ſolitis, qui illos ad pugnam fortiter ineundam hortarentur, ſe à Deo miſſos Victoriæ ſponſores. Angelos illi credidere, & animoſe Pictos aggreſſi ad internecionem ceciderunt. Sic nonnulli vſi cancris vel teſtudinibus, iiſque cum candelulis affixis, in cœmiteriis, non ſemel ignitorum ſpectrorum ſpeciem præbuere. (Narrat Æſchines orator, Cimonem Athenienſem ſe Scamandrum finxiſſe, vt vitiaret Callirhoen. Tale quid narrat Ioſephus factitatū à Mundo, vt deciperet Paulinam, fingente ſe Anubim, *Ioſeph. lib. 18. antiq. cap 4.* Tale quid à Tyranno Sacerdote idolorum excogitatum, qui mentiebatur Saturnum, vt libere matronas nobiles mœcharetur, nos docet Ruffinus *lib. 11. hiſt. c. 25.*

PH. Multa etiam in natura fiunt admiranda, de quibus ratio vera reddi nequit. In Solino Polyhiſt. legimus, Democritum Abderiten, ad probandam occultam naturæ potentiam, in certaminibus contra Magos, vſum fuiſſe lapide, qui alibi quam in Corſica non inuenitur, & Catochites appellatur: hunc impoſitas manus detinere ait, ita ſeſe iunctis corporibus annectentem, vt cum ipſis hæreat, à quibus tangitur. Sic non abſque ratione quæri poteſt, quare à ſolis corylorum ſurculis bifidis, & non item ab aliis arboribus vel fruticibus, quæ in iiſdem proueniunt locis, venæ auri argentive feraces detegantur, inclinante ſeſe eo virgula, qua ſub terra venæ feruntur atque latent. Quis præterea vnquam abſque hæſitatione veras & ſolidas rationes afferre potuit, cur ſanguis ex interfecti cadauere, vel membris inde abſciſſis, præſente homicida, etiam diu poſt perpetratam cædem fluat. Quis obſecro explicare poterit, quare tam ſubito turbines & procellæ oriantur ventorum, quum ſeipſum deſperabundus aliquis infelici reſte ſuſpenderit. Quis porro recte perſcrutatus eſt, quare Magnes ab vno latere interdum ferrum attrahat, ab altero repellat, qui tunc Theamedes dicitur: verum ſi allio illinatur, aut fimo tegatur vires ſuas attrahendi vel repellendi tam diu amittat, donec vino abluatur; ſeſeque in ſingulis aut verſus meridionalem, aut verſus ſeptentrionalem plagam obuertat. Quis etiam crederet abſque ſuperſtitione, ſi non id experientia teſtaretur, in alueariis mortuo patre aut matre familias, ſi non, comperta morte eorum, ſtatim in alium locum transferantur, plerumque apes omnes emori? Hoc enim iis accidere memini, quos compertum habeo, neutiquam ſuperſtitioſos fuiſſe. Eodem modo ſcimus, quaſdam illuſtres & nobiles familias eſſe quæ habent certa indicia; ea præcedunt, ſi vnus ex iis (ſiue domi ſuæ, ſiue procul, etiamſi apud antipodas eſſet) graui morbo aliave calamitate affectus eſt, vel diem ſuam obiit. Inprimis autem id Marchiones Eſtenſes, nunc Principes Ferrariæ, longo tempore Gemmulæ, in quo monaſterio Beatrix Atheſtina ex eorum familia ſepulta fuit, obſeruarunt. Etenim quoties aliquid noui, familiæ Eſtenſi imminebat, toties multis ante diebus in ſacello eius exaudiebatur ſtrepitus prægrandis, & corpus eius, quod de more ſupinum in ſepulchro iacebat, in alterum reuolutum latus reperiebatur. Eius corpus vel cineres, Ferrariam tranſlati ſunt in quoddam monaſterium, in quo futuros caſus non minus quam antea oſtendit. Obiit Anno Domini 1226. 6. Id. Maii. Memorabile præterea eſt, quod Balæus de Sylueſtro refert: Sylueſtri, inquit, ſepulchrum oſſium colliſione & ſudore emiſſo, ab eo tempore ſemper dicitur Pontificum mortem denunciaſſe.

EQ. Habent etiam nonnulli Germaniæ Principes præſagia & veluti notas quaſdam peculiares, quæ ante vel circa obitum ipſorum apparent & audiuntur, veluti

Digitized by Google

veluti rugitus leonum & canum latratus inconſueti, tumultus nocturni in arcibus, intempeſtiui ſonitus in horologiis, & alia indicia præternaturalia. Sic Principem recenſentem audiui, eſſe in ſua ditione fontem alioqui perennem, ſed quando ſcaturigo eius decreſcat, id certiſſimam portendere annonæ caritatem: Sin omnino exareſcat, famem. Sed qualis obſecro fons olim fuit prope Glomutium, hodie Lumizium, oppidum Miſniæ? De quo ita ſcribit Dietmarus, ſicut refertur à Petro Albino in Chronico Miſnenſi: Glomuzi, inquit, eſt fons, non plus ab Albi quam duo miliaria poſitus, qui de ſe paludem generans, mira, vt incolæ pro vero aſſerunt, oculis approbatum eſt à multis, ſæpe operatur. Quum bona pax eſt indigenis profutura, ſuumque hæc terra non mentitur fructum; idem tritico & auena ac glande refertus, lætos vicinorum ad ſe crebro confluentium efficit animos. Quando autem ſæua belli tempeſtas ingruerit, ſanguine & cinere certum futuri exitii indicium præmonſtrat. Eadem ibidem ex Eraſmo Stella de hoc fonte recenſentur, vbi additur, felicitatem anni portendiſſe glandes, hordeum & frumenta, vndis innatantia: bella ſanguineum colorem aquæ: peſtem cineres. Hucq; veniſſe agminatim Vandalos Sorabos quotannis, ibique idolis ſuis ſacrificaſſe & exploraſſe fertilitatem futuri anni: hancque idolatriam duraſſe vſque ad tempora Henrici Imperatoris, qui Chriſtianam fidem in illas regiones primum introduxit. In monaſteriis quoque non raro accidit, vt ſpectra monachorum & monialium, quibus mors imminet, conſpiciantur in templis, vbi ſedilia ſua peculiaria habent, trunco capite. Noui quoque nobiles, qui habent indicia certiſſima mortis, ſi fons peculiaris, alioquin limpidiſſimus, abſque cauſa turbatur à vermi, alioquin incognito. Alia nobiliſſima familia notas fatales habet, ſi terra prope eius arcem vel pars agri in voraginem ſubſidit. In Bohemia ſpectrum veſtitu fæmineo lugubri, illuſtri familiæ in arce quadam apparere ſolet, antequam vna ex coniugibus Dominorum illorum decedit è vita. Et quis eiuſmodi generis ſingula enarrare poterit?

TH. Fatendum omnino eſt, in natura innumera abſtruſa & nobis incognita eſſe (habet namq; ea ſcientiarum theſauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri poſſunt) ex quibus non minus quam ex iis, quæ conſpicua & manifeſta ſunt, conditoris omnium rerum immenſa ſapientia quandoque elucet: is enim quando vult, poteſt facere quod nō eſt, & mutare quod eſt. At econuerſo in nonnullis manifeſto apparent impoſturæ & illuſiones diabolicæ, quibus homines incautos decipere & illis imponere ſolet. Hinc fit, vt vulgus plerumque opera quæcunque magna & inſolita magicis artibus aſcribere ſoleat, quorum cauſas non intelligit. Etenim in herbis, lapidibus & aquis, ac reliquis naturalibus rebus mirificas ineſſe virtutes, hominibus quidem ignotas, quas tamen dæmones cognoſcentes, citiſſimo motu afferre poſſint quocunque velint, ad inſolentiſſimos effectus demonſtrandos, late & erudite tradit Dominicus Soto *de iuſt. & iure lib. 8. quæſt. 3. artic. 2.*

PH. Intempeſtiuum atque inſolens adeo omnia perſcrutandi deſiderium quo communiter afficiuntur homines primum fuit incentiuum, vt ſeſe poſtea ſtudiis atque operis magicis manciparent. Fuit alioqui ſtudium Magiæ (illius nempe naturalis,) magorumque adeo appellatio, apud antiquos Perſas, ampliſſima & honeſtiſſima; deligebanturque, ex eorum cætu, qui regibus præſto erant in gubernatione, eoſque tum moderabantur monebantque ſi quid opus eſſet, tum inſtrue- *De Magia*

bant conſiliis. Et fuiſſe etiam, in eo numero, viros naturæ, & ſacrarum hiſtoriarum & Prophetiarum peritiſſimos, vel inde coniici poteſt, quod momentum locumque nati Filii Dei ex Prophetiis, quas in illo regno, & Babylonico Iſraelitæ, captiuitatis tempore, ſparſerant, ſtellæ monitu agnoſcunt. Quam quidem ſtellam non caſu illuxiſſe, neque ex materia Phyſica, naturæ ordine inflammatam, exarſiſſe, ſed accenſam diuinitus, vt natiuitatem Filii Dei deſignaret, ipſoſque deduceret ad locum, in quo erat Chriſtus, intelligunt.

Sed vt fit vbiq;, & omni tempore, cum extincta aut attenuata luce cœleſtis doctrinæ, commenticia dogmata inualeſcunt, & Diabolicæ euincunt, ac radices agunt præſtigiæ: ſic in illo Regno, cum Magi initio deprauaſſent, vtramq; doctrinam, cœleſtem & Philoſophicam, ante & poſt Danielis ceterorumque piorum tempora, commentis deſumtis ex Chaldæorum libris & ex ſeſe genitis inſtituiſſent nouas religiones, contaminaſſent Philoſophiam anilibus fabulis: cum relicta naturæ vera contemplatione, ſectarentur & captarent neſcio quæ ſigna, & plura comminiſcerẽtur, atq; inde diuinandi artem extruerent, & Diabolus, his occaſionibus, tum adiungeret ſe illis, tum ſuperſtitiones, & rationes ſcrutandorum futurorum cumularet, quas pii & ſancti in illo populo grauiter reprehendebant ac condemnabant; factum, vt Magorum nomen, à Sacerdotibus & Philoſophis ſanioribus, deuenerit ad eos, qui fœdera faciunt cum Diabolis, ſeque illis obligant quocunque modo, acceptis viciſſim talibus ſponſionibus ab ipſis, vt vel ſponte, certa aliqua ſpecie ſe alligent aut includant cryſtallis, ſpeculis, annulis, & aliis iſtiuſmodi, excitique compareant, vel ſolennibus ritibus verbiſque conceptis, diris & execrationibus euocati, aſcititia ſeſe & conſpicua imagine oſtendant, ad quæſitaque, vel voce reſpondeant, vel picturis, vel alio modo.

EQ. Plauſibiles maxime ſunt familiares illi ac domeſtici Spiritus mali, quos ex pacto ſibi ac fœdere aſciſcunt vates, prænuncios futurorum aut ignotorum, quæ inquiruntur, indices, aut etiam Magiſtros opinionum, ac Rectores prauios, aut præſidiarios ſuccenturiatos, diſputaturis aliquid aut commentaturis in quocunque doctrinarum & diſciplinarum genere: inter quos acumine, argutiis, & inuolutæ ſophiſtices, ſed ſpecioſæ, perplexitate antecellere aliis feruntur Spiritus Siculi. Tales enim ſi adipiſcantur, facile ſe Antagoniſtas ſuperaturos confidunt. Suggeri illis hominibus minime dubium eſt à talibus ſpiritibus multa de iis rebus vel artibus, quas exquiſite norunt. Multa reipſa ſæpe vaniſſima, ad ſpeciem veri tamen ingenioſa, ſed ſophiſtica ſubtilitate componi, ſicut aliis artes malas & conſilia pernicioſa, facie prima præclara & ſalutaria ſubiiciunt. Præſtigiæ tamen & impoſturæ tantũ ſunt, quales ſunt argutiæ Auerroiſticæ in Philoſophia, quæ non, vt dona diuina excellentium artificum, artes condunt & excolunt: nec in eis veritatem diuinam illuſtrant ac ſtabiliunt, ſed illas deprauant ac labefactant: hanc dubiis implicant & obruunt. Illa, quæ à Deo ſunt in excellentibus ingeniis rectis, & naturis Heroicis, Diabolo *ἀμίμητα, non imitabilia*, ſunt.

TH. Præcipua ergo efficiens cauſa iſtarum artium eſt ipſe Diabolus, proxima eſt humani ingenii ex originali labe detorta indoles; quam feſtiui Apologi frondibus velatam nobis protulit, perquam ſalſe, Cælius Calcagninus *Libello de Amatoria Magia*, cuius verba non piget adſcribere: *Vanitas*, inquit, olim iuncta *miraculo* furtiuo concubitu genuit *Magiam* ſecundem cognomine; reformidanſque ne forte *Veritas*; cum qua perpetuas inimicitias gerit, à qua etiam paribus ſignis congreſ-

ſa ſæ-

ſa ſæpius profligata eſt; ſuum partum enecaret, illum *impudentia* ac *timori* iunctis connubiali fœdere commendauit: at illi in ſinu *incomprehenſibilitatis* è veſtigio collocarunt, mandaruntque furtim, & ſub *præſtigiarum* crepundiis educandam. Quæ mox in grandiorem ætatem adulta, iamque pinnulis præmunita euolauit in *fatuorum arces*, ibique nidulans *credulitatem* peperit. Quæ, vtpote parentis beneficiis grata, illam mutuo enutrit & quaſi ἀντιπελαργίζει, alioqui breui interituram. Hæc ille, pari acumine & veritate. Pergamus nos quoque pro *Veritate* confligere, & *Vanitatem* expugnare, & fugatis *timore* ac *impudentia*, labyrinthum illum *incomprehenſibilitatis* (quis enim, quæ nihil ſunt, vel intelligat vel comprehendat:) Theologiæ veræ filo, permetiri, & *præſtigiarum crepundiis* in lucem prolatis, tandem *fatuorum* hanc *arcem* demoliri, & è nidulis ſuis *credulitatem* adeo pernicioſam profligare; quod vtinam Deus Opt. Max. nobis largiatur.

EQ. Annon autem ex Porphirii aliorumque traditione Magia recte diuidi poteſt in *Albam*, quam θεουργίαν dicunt, ac licitam eſſe cenſent; & Nigram, quam γοητείαν eamque illicitam eſſe dicunt.

TH. Nullam ego agnoſco Magiam albam. Eſt quidem ſpecierum Magiæ diuerſitas & varietas, omnes tamen prodigioſæ ſunt ac nigræ, proindeque diuinis pariter atq; humanis legibus vetitæ, nefandæ atque ignibus plectendæ. Omnesq; adeo operationes magicæ velut baſi innituntur pacto per magos cum dęmone inito, ita vt quotieſcunque collibitum mago aliquid efficere adminiculo artis ſuæ, expreſſe vel implicite teneatur à dæmone poſcere, vt ex condicto concurrat.

PH. Meminerunt multarum ſpecierum hiſtoriæ, quæ quidem non rectius diſtinguuntur, quam varietate ſpecierum, quibus ſe Diabolus oſtendit, aut miniſteriis certis ex pacto addicit.

Magorum enim aliqui, familiares ſpiritus perpetuo ſecum circumferunt, alias aliis ergaſtulis vinctos & cõcluſos, vt ipſi iactitant: aliqui annulis, aut thecis: nonnulli ſpeculis, aut cryſtallis. A ſpeculis eſt, quod vocant ſpeculum philoſophorum: hos Spiritus vetuſtas παρέδρυς, *aſſeſſores ſeu conſiliarios*, vocauit: Aliqui, cum opus eſt, accerſunt & alliciunt ex pacto & conuento. Præ omnibus maxime deteſtabile eſt illorum ſcelus, qui ſe ex pacto ſuccubis & incubis Dæmonibus commiſcent. Non ab Ethnicis tantum vſurpatum: ſed adhuc multis gentibus (quod relatu turpe & abominabile eſt) vbi cœtus eſt Eccleſiæ Chriſti & ſonat vox doctrinæ cœleſtis, notum ac familiare: Succubis Dæmonibus ſe muliebri ſpecie viris ſubiicientibus; Incubis mulieres viri facie ineuntibus. Nec imaginatione & phantaſia id fieri, ſed opere & ſenſu conuincunt illorum qui peregerunt talia, confeſſiones & aſſeuerationes.

Νεκυομαντεία, *necyomantia*, à manibus ex Orco accitis extractiſque futura ſciſcitatur. Νεκυομάντεις, *vates manium elices*, erant vates ipſi, qui, ſacrificiis ſolenni ritu inſtitutis & peractis, diris atq; execrationibus, ab inferis manes educebant, cumque exiiſſent ac comparuiſſent, percontabantur. Vnde ψυχαγωγοὶ & ψυχοπομπαῖοι *animarum ſeu manium euocatores*, hi nominabantur: & opus ipſum ἐπίκλησις τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, *euocatio humanarum animarum*.

Redire enim ritibus illis concitatas allectaſque credebant animas tum, cum euanidis & vmbratilibus earum imaginibus Dæmones induti proſilirent. Loca vero, ex quibus erumpebant, νεκυομαντεῖα & ψυχοπομπαῖα, quod tranſitum animabus præberent, vocabantur.

EQ. Plato animas præſtantium virorum, qui vel Philoſophiam excoluiſſent, vel ſeriis virtutum ſtudiis atque exercitiis vitam traduxiſſent, & ſubiiſſent pericula, ſuſtinuiſſentque certamina, pro defenſione iuſticiæ, & pro Rebuſpublicis: Eas(inquam)Plato diſputat laxatas atq; explicatas corporum vinculis, recta ſubuehi in cœlum, doctrina & recte factis, velut alis: Reliquorum, qui turpitudini dediti fuiſſent, ac luxuriæ, omninoque vitam à virtute alienam egiſſent, ſeque multis variorum vitiorum ſordibus aggrauaſſent, onere ſordium, etiam cum enitantur ſurſum, reprimi, terræque affigi, & vagari circa ſepulchra, ſuaſque deplorare miſerias tantiſper, donec & meritas luant pœnas, & contractas expient, atque expurgent ſordes. Has apparere quandoque, ac conſpici, nonnunquam gemitus exaudiri earundem, atque eiulatus.

TH. Nos vox diuina docet, non extingui animas cum corporibus, ſed ſeparari ac manere ſuperſtites, & electas transferri in Paradiſum, id eſt, locum beatis comparatum, vt fruantur lætitia æterna: impias relegari, & detrudi in infernum, id eſt, condemnatorum ſedem, vt experiantur & ſubeant ſtatuta ipſis ſupplicia & cruciatus: etſi, vbi illæ ſint ſedes, non demonſtrat. Verum, ſi ſunt aliquid, vt ſunt, alicubi vt ſint, neceſſe eſt. Nec disiunctæ ſemel à corporibus, & collocatæ in definitas ſedes, redeunt, ſi reuocentur, Magorum obteſtationibus aut adiurationibus, vt perſuaſum erat Ethnicis: ſed aſciticia ſe illarum imagine oſtentant Dæmones. Non Samuelis reuertitur anima, à Pythoniſſa iuſſu Saulis excitata: Iuſtorum enim animæ in manu Domini ſunt. Quare retrahere & producere eas, cum vult, Diabolus nequit: ſed illius ſpecie ipſe comparet, & prædicta à Samuele antea repetit. Ergo *νεκυομάντεις, vates qui per manes euocatos reſponſa edunt*, non à mortuis ipſis, ſed Dæmonibus, illorum habitu veſtitis, reſponſa accipiebant, quæ ſi illi integris & expreſſis mortuorum corporibus conſpicerentur, *νεκυομαντεῖαι, mortuorum vaticinia*: ſi tenues, obſcuras, & euanidas ſibi circumfunderent vmbras, *σκιομαντεῖαι, vmbrarum vaticinia*, nominabantur.

EQ. Fuerunt *νεκυομαντεῖα*, id eſt, loca vbi manes euocati reſponſa ederent, non multo pauciora oraculis. Apud Lucanum, Erichthone venefica Theſſala mortuum euocat, qui ſexto Pompeio exitum Pharſalicæ pugnæ denunciat. Habuit & Phygalia Arcadiæ ciuitas ψυχαγωγὺς, euocatores manium, à quibus ſciſcitari occulta & futura vſitatum fuit.

Lipara tumulus.

Ariſtoteles narrat inter Æolias iuxta Italiam inſulas, Liparam tumulum habuiſſe, ampla ac profunda voragine hiantem, ad quem tuto noctu non accederetur, & ex quo cymbalorum ſonitus boatuſque crotalorum, cum inſolitis atque inconditis cachinnis, exaudirentur. Eo aliquando acceſſiſſe iuuenem ebrium, & ad ſpecum obdormiuiſſe, ibique tertio poſt die à quæritantibus repertum, ac pro mortuo ſublatum eſſe: Cumque paratis exequiis, funus efferendum eſſet, ſubito experrectum, quæ vidiſſet, quæque perpeſſus eſſet, magna cum admiratione commemoraſſe.

Hecla mõs Islandiæ.

Eſt & in Islandia mons Hecla, qui immanis barathri, vel inferni potius profunditate terribilis, eiulantium miſerabili & lamentabili ploratu perſonat, vt voces plorantium circumquaq; ad interuallum magni miliaris, exaudiantur. Circumuolitant hunc coruorum & vulturum nigerrima agmina, quæ nidulari ibidem, ab incolis exiſtimantur.

Heclæ fon

Erumpunt & ex eodem monte fontes duo, quorum alter aquarum frigidita-te, al-

te, alter feruore intolerabilis excedit omnem elementarem vim. Vulgus incolarum deſcenſum eſſe per voraginem illam ad inferos perſuaſum habet inde, quod fere cum prælia committuntur alibi, in quacunque parte orbis terrarum, aut cædes fiunt cruentæ, commoueri horrendos circumcirca tumultus & excitari clamores atq; eiulatus ingentes, longa experientia didicerunt. *tes miraculoſi.*

PH. Annumerantur Magiæ ſpeciebus, & hæ diuinationes, *λεκανομαντεία, γαστρομαντεία, κατοπτρομαντεία, κρυσταλλομαντεία, δακτυλιομαντεία, ὀνυχομαντεία, ὑδρομαντεία, ἀερομαντεία: id eſt, diuinatio ex inſpecta pelui, diuinatio ventriloquorum, è vitro, diuinatio ex ſpeculo, diuinatio per cryſtallum, diuinatio ex annulo, diuinatio ex vngue, diuinatio per aquam, diuinatio ex iis, quæ in aere apparent*, & ſimiles. Petuntur enim ex iis notis figuriſve, quas Dæmones in certis ſubiectis, vel conſpicua ſpecie incluſi illis, vel nuſquam apparentes, efformant ac velut pingunt, aliove modo exprimunt tum, cum ea Magi conſiderant & obſeruant, accepturi inde reſponſa ad interrogata. Nec cernuntur aut intelliguntur artificioſe conformatæ notæ illæ, niſi ab his ſolis, à quibus conſpici eas vult: cæterorum ſenſus effaſcinat, vt nihil eorum, quæ fiunt, animaduertant. Quandoque ne quidem à Magis ipſis, quibus à Diabolo donum intellectus & interpretationis illarum præſtigiarum tributum eſt, deprehenduntur. *Magiæ ſpecies.*

Λεκανομαντεία, diuinatio ex inſpecta pelui. Aſſyriis, Chaldæis, & Ægyptiis in vſu fuit. In peluim aqua repletam imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, lapideſque precioſi characteribus certis ſignati: & poſtquam conſueta eſſent verba pronunciata, quibus Dæmon aduocabatur, proferebatur quæſtio: his peractis tenuis atque exilis vox, inſtar ſibili, ex aquis emergebat, referebatque, quæ expoſcebat quæſtio.

Γαστρομαντεία, ventriloquorum diuinatio, hoc differebat à priore, quod non voce, ſed picturis reſponſa expediebat. Statuebantur vaſa vitrea, rotunda, aquis conferta limpidiſſimis, & circum collocabantur accenſi cerei: cumque euocatio Dæmonis occulto murmure abſoluta, & quæſtio recitata eſſet, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accurate diligenterque intueretur ac circumſpiceret, rogaretque, imperaret & flagitaret reſponſa. Ea tandem imaginibus, quæ, per terſam politamque ſpeculorum ſuperficiem ex aquis, quadam *διακλάσει refractione*, refulgebant, Diabolus exprimebat.

Fuit autem, & eſt nunc quoq; alicubi apud profanos vſitata valde *ἡ τῶν ἀδιαφθόρων παίδων ἐπόπτευσις, puerorum impollutorum inſpectio*, hanc requiſiuiſſe Diabolum, certum eſt, non quod delectetur caſtitate, ſed vt caſtos & innocentes animos natura, pollutos ac profanatos in ſuos vſus, ac miniſteria ſua præparet atque expediat, quorum ſimplex ætas & improuida, prius in laqueos cadit & irretitur, quam cauere diſcat.

Κατοπτρομαντεία, diuinatio ex ſpeculo, ex nitidis terſiſque diuinat ſpeculis, in quibus quæſitarum rerum imagines effictæ redditæve à Diabolo renitere videntur. Vſus ea Didius Iulianus Imperator, & pleraq; Diaboli monitu præuidiſſe, quæ acciderunt, ſcribitur. Pauſanias meminit fontis cuiuſdam, qui fuit Patris Achaicis, ante Cereris templum. In eum quando, qui ex morbis, de vita periclitabantur, ſpeculum tenui alligatum funiculo immittebant, ſeque contemplabantur, ſi effigiem

giem cadaueris conſpexiſſent, extinguebantur:ſi hominis viui & valentis,conua-leſcebant,& ſanitatem recuperabant.

Non diſſimilis præcedenti eſt κρυσταλλομάντεια, ſiue diuinatio ex cryſtallo, niſi quod hæc in cryſtalli fruſtis fiat annulo incluſis, vel vaſculo alteri, vel etiam nudis, & in cylindrum aut obelum conformatis; quibus etiam fingit ſe dæmon inhabitare. Quendam Noribergæ anno 1530. ferunt in cryſtallo theſauros vidiſſe, à dæmone oſtentatos: quos cum poſtea quodam ante vrbem loco effoſſo quæreret, adhito familiari vno ſpectatore, & iam in ſpecu arcam vidiſſent, atque ad eam cubantem atrum canem; magus ſpecum ingreditur arcam aperturus canemque abacturus, ſed Cerberi offam ſecum non attulerat. itaque ille cacumen ſpeluncæ quaſſauit, & miſerum ruina obruit; qua & Specus terra oppleta. Vir quidam patrum memoria Græcarum literarum, Latinarumque peritus, & felix, ſi illotis manibus fidei myſteria contrectare non præſumpſiſſet, eruditum commentarium in Germania edidit *de dæmonum natura*, cumque libello Plutarchi de defectu oraculorum præfixit, ex eo petita eſt, verbis ipſius, ſequens narratio: Conſulti aliqui, de rebus (ait) ignotis, in cryſtallis conſpiciunt ea manifeſto, de quibus quæſitum fuit. *& poſtea.* Fuiſſe aiebat ſibi notum vnum ex præcipua familia Norinbergæ. Eum quodam tempore veniſſe ad ſe, & attuliſſe in ſerico panniculo inuolutam gemmam cryſtallinam, figura rotundam, & dixiſſe: donatam ſibi illam fuiſſe à quodam ignoto, qui ſe ante multos annos de hoſpitio compellaſſet; forte in forum conuentum, quemque ipſe in domum ſuam adduxiſſet, & triduo habuiſſet ſecum. Fuiſſe autem ab illo diſcedente & relinquente munus hoc, ad ſignificationem grati animi edoctum ſe, cryſtalli vſum talem: ſi qua de re certior fieri vellet, vt promeret cryſtallum, & puerum marem caſtum iuberet aſpicere, & ex eo percunctaretur, quid cerneret? Fore enim, vt de apparentibus puero viſis omnia quæ requireret, indicarentur. Atque affirmarat hic, ſe nulla vnquam in re fuiſſe deceptum, & mirabilia de puerorum indiciis reſciuiſſe; cum cæterorum nemo quiſquam aliud, quam nitidam & puram gemmam intuendo videret. Quodam tamen tempore,cum grauida ipſius vxor puerum marem geſtaret in vtero, illi quoque ſpecies in cryſtallo oblatas. Primo autem omnium formam viri ſeſe exhibere ſolitam illo habitu, quo tum communiter vterentur. Et ita deinceps aperuiſſe, de quibus interrogatum eſſet, cætera,explicatiſque cunctis, illam rurſus viri figuram diſceſſiſſe, & euanuiſſe reliqua. Diſcedentem autem eam, quam diximus, figuram viri, viſam ſæpe vrbem perambulare, & ingredi templa. Fuerat autem fama paſſim diſſipata de illis indiciis, vt negantibus aut diſſimulantibus ſuum delictum aliquod, vulgo minarentur, ſe relaturos de eo ad illum ſe in cryſtallo oſtendentem virunculum. Quin etiam compertum eſt,fuiſſe à doctis quibuſdam,de dubitationibus ſuis in litterarum ſtudiis aliquando neſcio quid propoſitum,& in cryſtallo lectum. Sed his & aliis huiuſmodi compluribus commemoratis dixit Spenglerus, hunc aliquando ad ſe veniſſe cum tali oratione:arbitrari ſe tempus eſſe vt à cryſtalli tali vſu tandem abſtineret. Nam & ſibi iam perſuaſum,eo ipſo non leuiter peccari,& animi perturbati cruciatus grauiſſimos, ſe diu ſane perpeſſum eſſe: itaque ſe decreuiſſe deinceps nihil cum illo experimento velle negotii habere: & tradere nunc ipſi quod accepiſſet, de quo meminiſſe poſſet,quid ei ſæpe demonſtraſſet,neque neſciret,qui rumores in ciuitate percrebuiſſent. Permittere autem, vt faceret de eo quod collibuiſſet. Tum Spengle-

Spenglerus collaudato eo, accepiſſe ſe aiebat cryſtallum, & in minutiſſimas partes contudiſſe, & vna cum ſerico inuolucro in latrinam abieciſſe.

TH. Bene, profectò bene, nec aptius potuit: vtinam ſic omnes hæc, & ſimilia ſuperſtitionis arma abolerent. Nec verendum quidquam eſt cuiquam, ne forte ſe dæmon vlciſcatur, impune hoc omnibus, qui cum fide fecere. Mihi ipſi (inquit Delrio) cum anno 1578. iudicis adhuc miniſterium obirem, inter rei cuiuſdam Licentiati annotatas à fiſco chartas, præter libellum Magicis plenum characteribus, oblata ſimul capſula, ſandapilæ more efformata, & in ea virunculus Mandragoreus, ater & ſitu pedoreque obſitus, largo capillitio, ſed imberbis: hunc, vulgo putant, ad diuinationes, lucra, & alia multa mire efficacem: accepi librum, capſam, & fictitium cadauer, hoc etiam primum laceraui abruptis auulſisq; brachiis. Dictitabant qui aderant, magnum mihi & domui periculum imminere: riſi, & abire qui metuerent, iuſſi: abeuntibus; in focum, qui aderat, conieci: nec aliud quam vſtæ radicis nidorem percepi.

TH. Succedit Δακτυλομάντεια, quæ diuinat annulis ad certam cœli poſituram conſtructis vel incantatis, & ſuper tripodem ad certa verba motis: deſcripſit Ammianus *libro 29.* vel annulis incantatis, qualis fuit annulus Gygis, quo (teſte Herodoto) fretus Candaulem interemit: tales duo illi Phocenſium tyranni, de quo Clemens Stromateus; qui ſonitu ſponte edito eum commonebant commodo rerum gerendarum tempore; qui tamen inſidias conſpirantium ſic euadere nequiuit. Fuit huiuſmodi annulus exitio cuidam Hieronymo Cancellario Mediolanenſi; vt & alteri, qui cum eum in ignem proieciſſet, ſed mente non bona, ſtatim à dæmone correptus, & in furorem actus fuit. Princeps quidam hoc æuo, alium emerat aureis viginti: promiſerat venditor ſemper, dum geſtaret, aleæ & chartarum luſum fore lucroſum. It, ludit primo, cedit non infeliciter: redit ad fritillum, ſed magna cum nummorum iactura. Sic ſe deluſum videns, quem emi non oportuerat annulum confringi iuſſit.

Occurrit etiam ὀνυμάντεια, ſiue ὀνυχομάντεια, id eſt, diuinatio ex vngue, in hac oleo ac fuligine impolluti pueri vnguem illinebant, & vngue ſolem verſus obuerſo, certum quid ſubmurmurantes, videbant quæ cupierant. Hodie vlterius progreſſum malum. Queuedum quendam Veteranum militem Hiſpanum noui, bello & armis quam pietate clariorem; qui, quo tempore Dux Medinę Cœli ex Gallæcia ſoluebat, Belgium petens; Bruxellis, non vni in vngue ſuo claſſem è portu Corunnæ ſoluentem, & paulo poſt procellis vehementer afflictam velut in ſpeculo clare oſtendebat. Hic ille, qui vulnera quoq; ſolis verbis ſanabat aliorum; ſua ſic ſanare ipſe, vel aliis ſananda permittere detrectabat.

Eſt Κοσκινομάντεια vſurpata veteribus (vnde & Adag. *cribo diuinare*) cribrum imponebatur forcipi, forcipem binis digitis comprehendebant & eleuabant, & præmiſſis verbis conceptis, ſubdebant nomina eorum, de quibus ſuſpicabantur eos furtum vel aliud occultum crimen patraſſe: reum vero iudicabant illum, quo nominato cribrum tremebat, nutabat, mouebatur vel conuertebatur: quaſi qui digitis forcipem tenebat, arbitratu ſuo cribrum mouere non potuerit. Quod formulam Pictorius proponat verborum pronunciandorum, fecit inconſulte, quod ea ſit vſus ter, & euentum certum prædicet, fecit impie, & mentitur pollicendo.

Ad eundem vſum erat ἀξινομάντεια, qua ſecurim rotundo infigebant palo, &

ex eius motu furem deprehendebant. Quando autem ſucceſſus futuri diuinatio petebatur, tunc gagatem lapidem ſecuri imponebant, vt Plinius refert *libr. 36. cap. decimo nono.*

Κεφαλαιομάντεια: faciebant aſini capite ſuper prunas aſſo, Germanis priſcis in vſu fuiſſe volunt. Longobardi poſtea vſi capite caprino, cui diuinum honorem habebant. Vehementer ſuſpicor, prius illud de Arcadico pecore genus olim ab improbis Iudæis interdum diuinationi impenſum; hincque factum, vt Apion, & reliqui Ægyptii, & illos ſecutus Tacitus, calumniarentur, eos pro Deo caput aſininum coluiſſe.

Κλειδομάντεια, per clauem; cui circumdabant chartulam inſcriptam nomen ſuſpecti, deinde clauem alligabant ſacræ ſcripturæ codici, hunc virgo ſuſtentabat, & verbis certis murmuratis, chartula ad nomen criminoſi vertebatur, mouebaturq;.

Eſt etiam horrenda quædam magiæ ſpecies, qua oculi nefarie excuti poſſunt, id quod Germanus quidam Iuriſconſultus his verbis tradidit: ex oculo quoq; excuſſo hodie fur cognoſcitur. Primum leguntur Pſalmi cum Letania, deinde formidabilis ſubſequitur oratio ad Deum Patrem & Chriſtum, item exorciſmus in furem: hinc in medio ad oculi ſimilitudinem veſtigio, figuræ circularis nominibus barbaris notatæ, figitur clauus æreus triangularis, conditionib. certis cõſecratus, incutiturq; malleo cypreſſino; & dicitur, Iuſtus es Domine, &c. tum fur prodetur. Roſtochii quidam pecuniam in quodam loco ſepoſuit. Cum autem eam poſtea inuenire tam cito non potuiſſet, fabrum conuenit, ab eoque petiit, vt oculus furi excuteretur. Quo facto ſtatim ipſe dominus, qui fabri diabolica opera vſus eſt, oculum amiſit.

TH Iuſto Dei iudicio iſte incidit in foueam quam fecit, & merito pertulit, quod tam iniuſte per artem peſſimam, malum alteri moliebatur.

EQ. Guſtronii quoq; quidam cochlium argenteum amiſerat: cum autem furem ex oculo quoque excuſſo cognoſcere cuperet, fabrum adiit, ab eoque petiit, vt ſua arte magica furem oculo priuaret; quod & factum eſt, & ſtatim filiolus illius, qui cochlium in quendam angulum coniecerat, oculum amiſit.

PH. Sed & aliud diuinationis diabolicæ genus reperio in Indorum hiſtoriis, in iis, quæ de Floridenſium rebus geſtis agunt: aſpidomantiam vocare poſſumus. Narrãt ſequẽtia de Rege Holata Outina, cũ exercitu ſubſiſtere iuſſo, ſenem magũ centum & viginti annos ſuperantem aduocaſſe, & quo in ſtatu res hoſtium forent pronunciare iuſſiſſe. Tum magus locum in medio exercitu parauit, & conſpecto Ottignii quod puer eius geſtabat ſcuto, petere illud iubet; impetratum illud collocat, orbe quinque pedum diametri circum illud ducto, additis quibuſdam characteribus & notis, tum in ſcutum genibus flexis pedum calcaneis inſedit, ſic vt nulla parte humum tangeret: & neſcio quid ſubmurmurans varios geſtus exprimebat, tanquam in vehementem aliquam orationem incumberet: qua ad quadrantem horæ producta, illico tam horrendus apparuit, vt humanam effigiẽ amplius non exprimeret: nam ita omnes artus contorquebat, vt oſſa diſſolui exaudirentur, denique præter naturam multa faciebat. His peractis momento in priſtinum ſtatum rediit, laſſus tamen admodum & quaſi attonitus: deinde circulo egreſſus Regem ſalutauit, ipſique indicauit hoſtium numerum, & quo loco illum exſp[illegible]nt.

[illegible]n ex omnib. magiæ ſpeciebus nulla fuit fœcũdior impoſtura, quam ea,

quæ

quæ fiebat per aquam, ὑδρομαντεία dicta, id eſt, diuinatio per aquam. Hæc Andronico Imp. in pretio fuiſſe traditur: hic enim cum multiplicibus, propter crudele edictum, de necandis coniuratorum propinquis, odiis ac malis ſe videret obſeſſum; ad futura per noxiorum dæmonum cultum noſcenda ſe conuertit, ſeque totum (inquit Choniates) permiſit iis, qui futura ex aquis, quaſi per caliginem conijciunt, & imagines futurarum rerum, velut ex vmbra ſolarium radiorum, conſectantur. Ac ipſe quidem iis nocturnis ſacris intereſſe noluit, metu famæ, vt arbitror: ſed illud Hagiochriſtophoritæ Stephano mandat. Is Setho adhibito, qui ab ineunte ætate talibus oraculis deditus, oculos propterea Manuelis Imp. iuſſu amiſerat, certo ritu percunctatur: quis poſt Andronicum ſit imperaturus? Malus genius in aquis primas nominis Iſaacii literas exhibuit, ſed ordine conuerſo *Si* pro *Is*. idque ſecunda reſponſione addidit fore, *intra exaltationem crucis*. atq; ita plane accidit poſtea; intra illud tempus, iuſſu Iſaacii Angeli occiſo Andronico. Modum illius diuinationis Nicetas addit ſe ignorare, nec ſcire velle; ad fugam tamen ſuperſtitionis ſcire, non eſt inutile. Inuenio ſpecies eius varias: vna fiebat per annulum de filo ſuſpenſum in aqua, & vaſculi latera conſtitutis ictibus pulſantem: alia coniectis in aquam ſtatiuam tribus lapillis, & obſeruatis gyris, qui trifariam inuicem implexi, circa lapillos diffundebantur. III. Ex agitatione varia pelagi, quam olim Siculi & Eubœenſes, hodie multi nautæ notant. Hinc Chriſtianorum quorundã Orientalium nata ſuperſtitio, qui quotannis mare quaſi animatum baptizant. Huc fere pertinet, quod Princeps Venetorum annulo in mare iacto quotannis Adriaticum ſibi deſpondet, quanquam dominationis hoc potius indicium, non magiæ argumentum eſt. Fitque hoc in memoriam naualis victoriæ, qua duce Sebaſtiano Ziano vicere filium Federici Ahenobarbi Othonem, captumque obtulere Alexandro Tertio Pontifici, qui Venetias profugerat. Tum enim Ziano Pontifex annulum de manu ſua detractum obtulit, dicens; auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi ſubiicies; & quotannis tibi poſteriſque eo die, quo hanc victoriam, pro Eccleſiæ defenſione obtinuiſti, deſpondebis mare; vti ſciant omnes, maris tibi dominium conceſſum, quia Sedis Apoſtolicæ tuendæ curam & ſtudium fideliter ſuſcepiſti: Sit hoc tibi quaſi pignus benedictionis, & ſecundæ ſortis in futurum. *narrat Philamontius lib. 1. Peregrinat. ſua c. 34. Prior illo Sabellicus Decad. 1. lib. 7.*

IV. Ex aquæ colore fuit, & imaginibus in ea apparentibus, ſic tradit Varro belli Mithridatici euentum, multis verſibus præſignificatum fuiſſe. Ad id olim fontes quidam fuere particulares, vnde & πηγομάντεια vocata: tales ex Xenagora docet Macrobius fuiſſe crateres Palicorum in Sicilia: talis in Ægypto ciſterna in templo Aphaceno, de qua mirabilia memorat Zozimus. Videtur huc referenda Celtarum veterum, hoc eſt Germanorum ſuperſtitio; qui recens natos Rheno flumini commendabant ea mente, ſi ſpurii forent abſorbendos, ſi legitimi, innoxios ſupernataturos, iuxta illud Claudiani:

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

V. Statuebatur cyathus aqua plenus, & verbis immurmuratis obſeruabatur; nũ aqua ſponte efferueſcens effunderetur. Sextus modus eſt Feſſanus: ibi aquã in vitreum catinum effundunt, eique olei guttulam admiſcent, & ſic in aqua tanquam in ſpeculo mira cernere ſe opinantur. Septimum indicat Clemens Alexandr. cum ſcribit, mulieres Germanas ſolitas ſonum, vortices, ac circumuolutiones amnium

 notare,

Digitized by Google

notare,& inde futura prædicere. Denique non ſunt alieni ab Hydromantia, qui hodie adhuc in Italia, ad furtorum auctores detegendos, trium ſuſpectorum nomina totidem pilulis inſcribunt, & eas in aquam coniiciunt. Cæterum tempore D.Bernardini Senenſis ſupererant adhuc veſtigia παγομαντείας. Nam qui eius vitam compoſuit, ei contemporaneus ſcriptor, de Aretio agens iſta prodidit; extra mœnia vrbis eius fons antiquus fuit, iam olim temporibus illis, quibus idololatria regnabat, impuris dæmonibus dicatus. Solebant eo ciues Aretini, & alii circumquaque vicini tanquam ad oraculum Apollinis confluere, reſponſa petentes ad occultas quæſtiones ſuas & morborum ſuorum curationes. Id vero animaduertẽs Bernardinus, verus Chriſtianæ religionis cultor & amator, aduerſus hunc dæmonum cultum fortiſſime ſeſe erexit, & primo quidem concione ad populum habita & abſoluta, magnopere omnium confirmatis animis hortatus eſt eos ſequi ſe, ad demoliendam impuriſſimorum dæmonum habitationem, prorſusq; abolendam. Mox vero arrepta ſecuri vel malleo, cum populo egreſſus eſt ad fontem: cumque ad fanum dæmonis perueniſſet, primus ipſe ictibus cœpit contundere, euertitque aram, & fontem lapidibus penitus obturauit.

Huius generis ſunt & plura alia Ethnicorum oracula, quæ ſimiliter ex aquis petebantur. Non procul ab Epidamno Laconum oppido, fuit Iunonis vocata palus, in quam placentæ frumentaceæ iniectæ, ſigna dabant ſecundorum vel aduerſorum euentuum. Si enim acceptas merſasque placentas palus retinuiſſet, proſpera; ſi innatantes non admiſiſſet, ſed velut indignata reieciſſet, triſtia portendi, experientia docuerat.

Aliud fuit oraculum Apollinis Thyrxei, proxime Cyaneas ad Lycum. In fontẽ enim, qui templo vicinus erat, ſi quis prçfatis precibus intuebatur, quæcunque requirebat, cognoſcebat.

Mirum quiddam & de fonte Paliſcorum in Sicilia, commemorat Ariſtoteles, ad quem iuraturi ſi acceſſiſſent, eaque quæ iureiurando affirmare voluiſſent, inſcripta tabulis & obſignata in fontem deieciſſent, fluitabant tabulæ, nec mergebantur quando vera continebant: ſi falſa haberent, dolove malo ſtructa, mox ſubſidebant delatæ ad fundum, flammaq; exiliens, periurum correptum exurebat.

Ἀεϱομαντεία, *diuinatio ex aere* vel ſpectrorum, quæ in aere apparebant, monitu futura edicebat, vel aliter augurabatur. Conuoluta mappa imponebatur capiti, in hanc cyathus aqua plenus ſtatuebatur, cuique ſuſurro, quod exigebatur, recenſebatur. Ad ea verba ſi aqua cyathi efferbuiſſet, approbari cõfirmarique, quæ inquiſita erant cenſebantur.

Sed enumerationem artium diabolicarum permitto illis, qui eas & norunt, & artificis ac magiſtri ſui opera, ductu & conſilio exercent, perpetua ſua plurimorũque aliorum cum pernicie, quos in ſocietatem immanium ſuorum ſcelerum adducunt.

EQ. Ita eſt. Multorum, imo omnium illorum niſi reſipiſcant ſerio, qui enumeratas eiuſmodi vel vnam, vel aliquas vel omnes magiæ ſpecies vſurpant, certa ſubſequitur pernicies; dum non ipſos tantum Magos interdum diabolus aufert, & vitæ aſpectuique ſubtrahit, ſed etiam eos qui curioſe conſulunt, ſi non omnino è medio aufert (quod tamen quandoque ex Dei permiſſu facit) ita tamen eos affligit, vt non raro mente prorſus abalienentur. Breuiter: alterutrum plerunque diabolus pignoris loco aufert. Recenſebo aliquot exempla. Habebat

Digitized by Google

Louanii Cornelius Agrippa commenſalem nimis curioſum. Semel profectus aliquo Agrippa, vxori, quam poſtea repudiauit, claues muſei ſui tradidit, addita prohibitione, ne quem ingredi ſineret. Inconſultus iſte adoleſcens oportune, importune non deſtitit mulierculam deprecari, ſibi copiam ingrediendi vt faceret, donec impetrauit. Muſeum ingreſſus, incidit in libellum Coniurationum, legit: en illi pulſatio ad ianuam; turbatur: ſed pergit legere. Pulſat iterum neſcio quis; &, nihil reſpondente rudi harum rerum iuuene, dæmon ingreditur; quærit, cur vocatus? quid fieri iubeat? ſtatimque intercludit fauces dæmon. Sic miſer luit pœnam nefariæ curioſitatis. Redit interea domum archimagus; videt exultantes ſuper eam dæmones; vtitur ſolitis artibus, adſunt vocati, narrant rem vt geſta. Ille homicidæ iubet, cadauer ingredi, & per forum (vbi cæteri ſolebant ſtudioſi frequentius conuenire) aliquoties obambulare, tandemque corpus deſerere. Ambulauit ille ter quaterve, tum corpus concidit, diffugiente eo qui regebat. Creditum diu, hunc ſubita correptum morte concidiſſe: ſed indicia ſuffocationis initio rem ſuſpectam fecere; poſtea tempus omnia diuulgauit, & Agrippa, quas pectore occuluerat hæreſes, in Lotharingiam profugus, cœpit euomere.

Nota eſt etiam hiſtoria Magi Germanici, qui cum ſpecum ingreſſus eſſet, vbi theſaurus reconditus, ſocio in veſtibulo manente, vidiſſetque arcæ incubantem nigerrimum canem, nihilominus cupiditate metum pellente, porro progreſſus, ruente terra in ſpecu fuit tumulatus.

Cum Bohemiæ regnum tumultu ac cædib. ꝓpter enatas hæreſes cōcuteretur, temporeq; nocturno verſus vallem quandam clamores ſæpius audirentur, virique equeſtres coloribus variis induti ſubinde viſerentur. Fuerunt tunc duo armigeri, audaces ſatis in caſtro non multum diſtanti à loco monſtrorum; qui omnino ſcire volentes, quid veritatis ſibi viſa portenderent, nocte quadam verſus vallem, vbi ſolita videri conſpexerant, iter arripiunt. Antequam autem iis appropinquare auderent, compunctus vnus, dixit alteri: Sufficiat nobis iſta vidiſſe, ego iis non approximabo, dictum eſt veterum; Cum talibus nullum debere iocari. Quem alter velut pauidum, increpans, equum pupugit, & cum eo congreſſu omnibus antedictis exercitibus appropinquauit: de quibus vnus egrediens caput illi amputauit, & ad ſuos rediit: quo viſo ille, qui timidus ſubſtiterat, fugam iniit & funeſta noua nunciauit. In craſtino autem truncatus reperitur, & caput quidem in valle, vbi acies viſæ fuerant, nullius autem hominis vel equi veſtigium repertum eſt; ſed tantummodo, in lutoſis locis, ſigna quædam & veſtigia auium viſa ſunt.

Concurrerant in aulam Anglicanæ Reginæ duo Magi, iucundum exhibituri ſpectaculum, paciſcuntur ſingularem, vna in re ſibi inuicem parendi, neceſſitatem. Prior iubet alterum per feneſtram deſpicere, quod cum facit, enatis ſubito ceruinis ex capite cornibus, cunctorum ſannis & ludibriis diu fuit appetitus. Quare, quam impotens iniuriæ, tam cupiens vindictæ atrocioris, pingit carbone humanam in pariete effigiem; tum priori mago imperat, ſubire effigiem illam, & parietem ceſſurum ingredi; mortem ſibi cernens præſentem horrere hic, & deprecari. Vrgere alter conuenta, ſubit ergo coactus, & viſus corpori paries locum dare ingredienti: ſed ingreſſus nuſquam poſtea comparuit, videlicet ſuperior dæmon eum occiderat, & corpus in deſertum, vel ſpeluncam alicubi abdiderat.

Præſtigiator quidam nobilis, in diuerſorio publico in N. Hoſpitis famulū, ita petentibus reliquis conuiuis, decollauit: cum autem ei rurſus caput imponere

vellet, animaduertit adeſſe alium Magum, qui eum in hoc propoſito impediret. Rogat hic eum, ne hoc faceret. Verum cum admonitioni repetitæ alter non pareret; præſtigiator in menſa lilium creſcere fecit, cui cum caput & flores amputaſſet, concidit ſtatim abſque capite de menſa Magus ille, qui alterum impediuerat, & pſtigiator abſq; vllo impedimento famulo caput impoſuit è veſtigio, & ex hoſpitio vrbeque, ne à Magiſtratu propter commiſſum homicidium, deprehenderetur, aufugit. Hic præſtigium fuit in ſimulata capitis primi abſciſſione, & etiam repoſitione; item in lilii productione & detruncatione. Certamen fuit inter magorum dæmones, quorum inferior ſatis fortis erat, ad impediendum vim præſtigii; potentiori tamen coactus (non opinor inuitus) cedere in clientuli ſui nece, qui vere interemptus.

Johannes Franciſcus Picus Mirandula, memoriæ tradit, Magum quendam, vt ipſe à ſociis adhuc viuis audierit, à dæmone viuum ablatum nusq̃ comparuiſſe, dũ curioſo cuidam & maleſano Principi, Troiæ expugnationem repræſentare, quaſi in ſcæna pollicitus eſſet, Achillemq; & Hectorem introducere præliantes.

De Zoroaſtre etiam ſcribunt Hiſtorici, quod aſtris multum & frequenter intentus, cupiens apud homines Deus haberi, velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producere, & hominib. oſtentare cœperit, quo rudes in miraculi ſtuporem traherentur, deſideransq; hanc de ſe augere opinionem, ſæpius iſta molitus ſit, vſque adeo, donec ab ipſo dæmone, quem oportunius frequentabat, ſuccenſus, igni crem aretur.

PH. Mira etiam ſunt, quæ in hiſtoria Bohemica Dubranii Epiſcopi Olmucenſis, *lib. 23.* legimus. Ita enim ſcribit de Wenceslao, filio Caroli IV. Cum filiam ducis Bauariæ Sophiam vxorem duxiſſet; nouus ſocer, vbi generũ ludicris ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognouit, plenum præſtigiatorum plauſtrum ſecum Pragam aduexit. Ibi dum præſtãtiſſimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores Zyto, Wenceslai Magus, ore vſque ad aures dehiſcẽte, accedensq; propius artificem Palatini cũ omni apparatu ſub todeuorat, ſolos dũ taxat calceos, quia luto obliti videbãtur, expuens, ſeceſſumq; inde petens, ventrẽ inſolita eſca grauem in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiatoremq; adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit paſſim deridendum, adeo vt cæteri quoque eius ſocii à ludo deſiſterent.

EQ. Sed quem finem fabula hæc ſortita fuit? Tragicum valde & miſerandum. Sic enim in allegata hiſtoria, poſt aliarum multarum ludificationum & præſtigiarum ab ipſo Zytone editarum enumerationem, immediate ſequitur: *Cæterum Zyto impoſtor ad extremũ à Cacodæmone ſuperſtes, cum corpore & anima de medio hominum ſublatus fuit, iniecitq; Wenceſlao curam, de religioſis deinceps ac magis ſeriis rebus cogitandi.*

PH. Fiat ſane hoc cum ipſorum præſtigiatorum periculo, quippe quibus volentibus, iuxta communem regulam, non fit iniuria, ſpectatoribus tamen præſtigiarum, vtpote quorum intereſſe non agitur, nihil exinde incommodi aut infamiæ ſuboritur.

TH. Faciens & conſentiens eodem recidunt. Neque vnquam mihi quis perſuadebit, huiuſmodi ſpectatorũ applauſum vacare damno, nullamq; exinde ipſos infamiæ notam contrahere. Non n. eſt dubium, quin ſubdole & ſerio, etiam in reb. quæ ludicræ nobis videntur, mille artifex ille ſaluti & incolumitati hominum inſidietur. Vtut tamen nullum exinde præſens damnum huic vel alteri emergat, debet

tamen

tamen quilibet vir cordatus ac grauis cogitare, quam non conueniat muneri atq; officio ſuo, huiuſmodi ludicris vacare, atque inde inconuenientem admodum laborum ſuorum recreationem captare. Eſtq; indicium animi leuis & peruerſe impii, ſi qui huiuſmodi delectatiunculis in ſpeciem innocuis ſeſe aggregāt, patulasq; ac promptas aures, oculos ac mentem præbent, non enim interea perpendunt, quod immemores ſacri fœderis cum Chriſto initi, cum hoſte acerrimo, (qui vel inſtar leonis rugientis circumambulando, vel ſicut feles, quæ magno ſilentio & leuibus veſtigiis auiculis obrepunt, inſidiando, prædam indefeſſus ſectatur) cum hoc inquam hoſte acerrimo ſalutis ſuæ quaſi colludant, & ex caſtris Chriſti, vt perfugæ, ad Satanam, velut induciis factis, tranſeant. Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie ſtare, & intētis acriter animis ad vnius hoſtis inſidias vel apertos impetus vigilare; qui nos, ſicut periti & exercitati duces ſolent, variis artibus captat, pro cuiusq; moribus & natura ſæuiens. Vnde Chryſoſtomus *Homil. 34.* dicit: *Si gentes non habes, quæ te perſequantur, habes Principem gentium diabolum, qui hominem perſequi nunquam ceſſat.*

PH. Occurrit mihi iam cuiuſdam Ioannis Fauſti, (ſed profecto infauſtiſſimi) Cundlingenſis, præſtigiatoris & Magi patrum noſtrorum memoria inſignis, (qui Cracouiæ magiam, vbi ea publice olim docebatur, didicerat) factum, atque id quidem ridiculum, vere tamen diabolicum. Is itaque, cum aliquando apud notos quoſdā diuerteret, qui de ipſius præſtigiatricib. actionibus multa audiuerant, ii ab eo petierunt, vt ſpecimen aliquod ſuæ magiæ exhiberet. Hoc cum diu recuſaſſet, tandem importunitate ſodalitii, neutiquam ſobrii, victus, promiſit ſe illis exhibiturum, quodcunque expeterent. Vnanimi igitur conſenſu petierunt, vt exhiberet illis vitem plenam vuis maturis: Putabant enim propter alienum anni tempus (erat enim circa brumam) hoc illum præſtare nullo modo poſſe. Aſſenſit Fauſtus, & promiſit, iamiam in menſa cōſpectum iri id quod expeterent: ſed hac conditione, vt omnes magno ſilentio immoti præſtolarentur, donec illos iuberet vuas decerpere: ſi ſecus facerent, inſtare illis periculum capitis. Hoc quum ſe facturos recepiſſent, mox ludibriis ſuis huic ebriæ turbæ ita oculos & ſenſus perſtrinxit, vt illis tot vuę mirę magnitudinis & ſucci plenæ in vite pulcherrima apparerent, quot ipſorum adeſſent. Rei itaque nouitate cupidi, & ex crapula ſitibundi, ſumptis ſuis cultellis expectabant, vt illos iuberet reſcindere vuas. Tandem cum iſtos leuiculos aliquandiu ſuſpenſos in ipſorum vaniſſimo errore tenuiſſet Fauſtus; ſubito in fumum abeunte vite, vna cum ſuis vuis, conſpecti ſunt ſinguli tenentes loco vuæ, quam vnuſquiſque apprehendiſſe videbatur, ſuum naſum, oppoſito ſuperne cultello, ita vt ſi quis immemor præcepti dati, iniuſſus vuas ſecare voluiſſet, ſeipſum naſo mutilaſſet.

TH. Et recte quidem illis accidiſſet, dignique fuiſſent alia mutilatione, qui non ferenda curioſitate ſpectatores & participes eſſe ſatagebant illuſionum diabolicarum, quibus ſine grauiſſimo periculo, vel potius piaculo, intereſſe Chriſtiano homini non licet.

PH. Huiuſce generis hiſtoriam recitat Bodinus *in præfat. librorum de dæmonomania.* Cum enim temerarios quoſdam inſana cupido inceſſiſſet, actus quos ſpiritus mali cum ſagis inirent, coram cognoſcendi, proinde cum experiri placuiſſet, vni ſe ſagæ ducendos permiſerunt. Itaque abducti, cum ſeorſim in locum aliquem ſtarent, res quidem abominandas proſpectarunt: fidem nimirū dari diabolo

ſaltari,

ſaltari, coiri: ſed tandem diabolus, qui eos à ſe non videri finxerat, tam ſtrenue verberauit eos, vt poſt dies quindecim morerentur. Atque ita perniciem ſibiipſis accerſiuerunt.

TH. Digna profectò ſunt hæc curioſitatis impiæ & ſceleratæ præmia. Siquidem ſpiritus tenebricoſus & impoſtor, quem ſcimus eſſe ab origine rerum mendacem & homicidam, non poteſt odium ſuum atrociſſimum erga genus humanũ, licet ſe ſimulet eſſe interdum placatum, manſuetum, nonnunquam etiam angelum lucis, prorſus celare, quin vngues ſuos figat, & aliquo modo nocendo ſeſe prodat. Docent enim nos ſacræ literæ, quod diabolica natio exciderit veritate & gratia, ſitque immobilis ad bonum. Nec vnquam bene facit Satan, niſi vt grauius ex eo redundet malum. Eſtque omnino falſa perſuaſio multorum, poſſe videlicet Dæmones à Magis ligari in phialis, ſpeculis annulisve. Semper enim vel ſuperior atque potentior eos illic cogit adeſſe, vel ipſi ſponte ſua & ex pacto adſunt, ibique ſe continent. Suntque hac de re aureis digna literis verba Henrici de Haſſia *in Gen.* Ipſe (inquit) ſimulat ſe captum, vt te capiat; vinctum, vt te vinciat; ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat; incluſum, vt contra te finaliter concludat; fingit ſe tua arte, vel imagini vel lapidi alligatum, vt funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat. Cæterum quam periculoſum ſit, huiuſmodi captiuos carcere incluſos penes ſe habere, conuincitur variis exemplis; ſuffecerit vnum commemoratum à Iohanne Niderio his verbis: In minori Baſilea paulo ante præſens generale concilium, domicilium habuit quidam vir de mala vita, & forte de maleficiis ſatis ſuſpectus: filiam hic habuit, q̃ in domo iuueni cuidã nuptui tradidit; & tandem ſenex pater ægrotare cœpit; & ad filiam & filiaſtrum demõſtrato quodam ſcrinio dixit: hoc vaſculũ non moueatis, alioqui pœnitentia ducemini, ſed in loco ſtare permittite, vſque poſt meum deceſſum, & ita in breui vetulus expirauit. Tranſacto autem tempore plurimo, nec filia nec eius maritus magnipendit patris iuſſum: ſed de domo priore in aliam domunculam ſe transferentes, ſcrinium, quod ſatis modicum fuit, portauit extra domum verſus nouum hoſpitium, ſed in ipſo itinere tanti ponderis eſſe cœpit, vt in ipſo viriles artus deficerent, & exinde vxorem pro adiutorio inuocauit. Hæc autem vxor, an poſtea in domo ſcrinium aperuerit, vel quo alio modo incaute ſe circa vas habuerit, obliuioni tradidi. Vnum conſtat, quod in domum nouam cum infantulo quem genuerant parentes prædicti venerunt: & ecce ſubito vxor, velut rabida ſuper cunas irruit cum necare volens; quod maritus intuens, vi vxorem inuaſit, & eam à dæmone obſeſſam eſſe didicit: qui cum exorciſaretur, minatus eſt dæmon, ſe non exiturum, niſi eam necaret, & ita factum eſt ſuper exorciſtæ manibus. Altera die maritus per viã ſtratæ incedens publice, caſum lapidis recepit inopinatiſſime de ſuperiore parte cuiuſdam canalis cadentis, & in facie cooperatione, vt videbatur dæmonis, percuſſus eſt tam deformiter, vt vix homo videretur eſſe.

Vſque adeo periculoſa eſt, vel minima rerum magicarum attrectatio. Eſtq; inſuper condigna hæc temeritatis humanæ pœna. Cum enim ſciamus, nihil expectandum à dæmone boni vel vtilitatis; nihil boni conferre in homines, niſi maiori permixtum malo: nihil docere, niſi mere curioſum & futile; non obſequi, niſi vt perdat, & æterno exitio inuolutos diræ ſuæ ſubdat tyrannidi; Neque tamen ab infando illo: *Noli me tangere,* leuiter curioſi homines deſiſtant, mirũ non eſt, ſi pœna diuinitus denunciata in ipſorum caput redundat.

EQ. Hinc nimirum variæ illæ dæmonum illuſiones atque apparitiones diræ ac tragicæ enatæ fuerunt, quas omnes ac ſingulas in perniciem hominum molitus Satan, quas euentus triſtes vtplurimum confirmant.

De Lupoldo huius nominis, duce Auſtriæ, fratre Friderici III. narrant hiſtorici, quod quum cacodæmonis opera fratrem ex cuſtodia Ludouici Bauari liberare anxie cuperet, ita à ſpectro perculſus fuerit, vt paulo poſt diem ſuum obierit.

PH. Horrore non vacat, quod Gaguinus Hiſt. Francorum ſcriptor literis prodidit; Philippo Bello rege, quendam laicum ſiue conuerſum (vt vocant) monaſterii vallis Sarnariæ, nomine Adamum paulo ante natalitia feſta, ſummo mane ad monaſterii negotia peragenda, vna cum famulo ſe in viam dediſſe equitem; ei ſe in via offert arbor ingens gelu & pruinis obſita, ad ipſum properans, quaſi conferre gradum & corpus cupida, equus expauefactus caput retrorſum flectit, & viam remetiri, quam peregerat, conatur. Adamus ingenti labore iumentum retinet, & calcibus porro cogit: propinquior vt arbori fuit, illa confeſtim euanuit ex oculis, odore tetro atque ſulphureo relicto. Argumentum inde ducit Adamus, dæmonicum eſſe ſpectrum, ſeque Deo precibus commendare ſatagit, nec iter intermittit. Paulo poſt reſpiciens, videt nigrum quendam virum equo inſidentem ſpadici ſe ſubſequi: cui ſubiratus; Quomodo (inquit) infelix & damnate audes me his technis aggredi? An neſcis fratres meos, qui domi ſunt, pro me, ſaluteque mea ſupplices ad Deum preces fundere? Abi, quantum potes; nulla tibi mei curatio, nihil in me poſſides. Abit malus: ſed ecce mox redit, ſimilis viro gracili & protenſum habenti collum. Adamus tot moleſtias pertæſus, gladium, qui ad ephippium ligatus, ſtringit, & enſe ter quaterve per aerem vibrato, aereque propter celerem diuiſionem ſibili ſonũ edente, conatur abigere ſpectrum. Hoc vero ſubito perſonam mutat; & ſiſtit ſe ſtatura mediocris viri, cui caput cappa, & ſcapulario monachi corpus ornatum, oculi ſcintillantes inſtar chalybis vel æris radiis ſolaribus oppoſiti. Adam punctim aliquoties hoſtem petit, ſed irritis & caſſis ictibus, aereque cedente. Tum maiori deſpectu & irriſione, dæmon induit formam aſini. Perterritus famulus, hero ſuadet, gladio circulum in terra ducere, & in circuli medio crucem Dominicam efformare. Adamus conſilium exſequitur; verum veterator non deſinit. Mutat auriculas aſini in cornua, & ſic minabundus erumpere in circulum ſe velle ſimulat. Denique luſus iam ſatur, in rotam ſe vertit, & ſeipſum voluens monachum inuadit, ſuperque illum continua latus rotatione (ſic videbatur) tranſit circulum, & monacho prorſus illæſo conſpectum fugit. Fidem rei fecere, longa famuli terrorem conſecuta ægritudo, & diuturnus fætor veſtium Adami, & raucedo eiuſdem atque difficilis reſpiratio, à quibus ægre conualuit: equi denique ſubita mutatio: qui ex manſueto & cicure, poſt viſionem hanc ferox, ſternax, calcitroſuſque eſſe cœpit.

TH. Omnino machinari multa, & conari, atque etiam perficere Diabolum, vel Manium, vel ſpectrorum qualiumcunq; aſciticia ſpecie non eſt dubium. Contra quæ nos defendi petamus, cuſtodia & excubiis ſanctorum Angelorum, & ipſi vniuerſa talia Diaboli deteſtemur ac fugiamus artificia, & teneamus de animabus defunctorum doctrinam traditam in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, quæ affirmat, animas pie defunctorum eſſe in manu Dei, neque quenquam eas exinde eximere poſſe. Sed neque impie defunctorum animas ita eſſe in manu Diaboli,

vt eis pro libitu abuti, easque hinc inde traducere poſſit. Diſerte nimirum prohibet vox diuina, quærere veritatem à mortuis. *Deut.18.* dicitur: Non inueniatur in te conſulens mortuos, qui hoc facit, abominabilis eſt Deo tuo. Etiam non vult Deus expectare patefactiones aliquas à mortuis, ſed niti & inſiſtere illi verbo, in quo & ſeſe & ſuam voluntatem expreſſit atque expoſuit nobis. Abolet Moſes *Deut.18.* apparitiones, viſiones & ſomnia, cum ad Chriſtum exhibitum nos deducit, inquiens: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipſum audies, vt petiuiſti à Domino Deo tuo. Qui autem verba eius, qui loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor ero. Chriſtus clare abducit animos à patefactionum expectatione, & ad vocem Euangelii ſonantem in miniſterio conuertit, cum inquit: Habent Moſen & Prophetas. Eos conſuli, quum conſcientiis anxiis & perturbatis conſolatione, dubiis informatione & explicatione opus eſt, & in hoc animos vult acquieſcere, non ſcrutari vlterius abſtruſa ab oculis noſtris & recondita, aut nō ad nos pertinentia. Item *Eſai.8.* Nunquid nō populus à Deo ſuo requiret viſionem, pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina.

EQ. Miſera omnino eſt cadauerum humanorum conditio, quod induere ea diabolus ac per eadem proloqui, muniaque corporis viui obire atque exequi poteſt, quinetiam non raro cadaueribus beſtiarum deludit homines, vt videre atque amplecti ſe formoſiſſimos quoſque exiſtiment. Narrat Guil. Pariſienſis, diabolum aliquando aſſumpto beſtiæ cadauere deluſiſſe militem; qui cum putaret formoſa ſe potitum virgine, inuenit ſe in amplexu cadaueris belluini tabe ſoluti, fœtidiſſime iacentem.

PH. De puella quadam mirum eſt quod narrat Phlegon *in lib. de mirabilibus & longæuis.* Philinnium, inquit, Damoſtrati hoſpitis & Charitus filia Machatem hoſpitem amare cœpit. Indigne id ferentibus parentibus, mœrore mortua, & publice fuit funerata. Sexto poſt obitum menſe, quum eo reuertiſſet Machates, ingreſſa ad illum Philinnium hoſpiti ſe poſt longa colloquia commiſcuit non ſemel illo veſperi; quo, & cum eo cœnam ſumpſit; & annulum ferreum, & poculum inauratum à Machate dono accepit, ipſi viciſſim annulum aureum & faſciam pectoralem dedit. Nutrix dum pergit ſedula, ne quid hoſpiti deſit, ſatagare; videt cum eo in lectulo iacentem alumnam. Læta parentibus id indicat. Illi ſtupentes accurrunt, & altero die vtrumque deprehendunt, & cum eiulatu dormientem cum hoſpite filiam amplectuntur. Sed toruis in eos intuens Philinnium, ô vos crudeles (ait) in filiam parentes! ergone vos inuidiſſe mihi meo Machata, paterna in domo vel triduum ſolidum frui! Magno vobis dolore hæc, ſiue curioſitas, ſiue duritia ſtabit. Renouabitis dolores præteritos, & filiam iterato ſepelietis. His dictis, expalluit & concidit cadauer mortuo iterum ſimile, ſeu potius (vt erat) mortuum. Concidere ſimul oppreſſi mœrore parens vterque. Re populus & Magiſtratus intellecta, iubent ſepulchrum aperiri: vacuum id corpore repertum. Erant in eo duntaxat annulus ferreus & ſcyphus auratus, dona Machatæ: ſed in cubiculo & lectulo, inuentum cadauer Philinnii; & Hilli cuiuſdam auguris conſilio, vt prodigium eiectum extra vrbis limites, auibus ac feris deuorādum. Ipſe Machates à ſpectro videns ſe deluſum, ſibi paulo poſt manus, ignominiam non ferens, conſciuit.

EQ. His nimirum delitiis ſuos Satan perfundit cultores, quas vel abiectiſſima

beſtia

Digitized by Google

beſtia auerſaretur. Anne vero vnica, eaque humana, ſemper forma ſe exhibet?

PH. Sicut mille artifex, ſic etiam milleformis eſt, milleque adeo, imo plures poteſt induere formas, prout illæ ad decipiendum ſunt accommodæ. Certas quidem animalium formas induere illum non poſſe, vulgo creditur, columbæ nimirum atque ouiculæ vel agni: forte quod agnus verus ſit Chriſtus & paſtor verus bonusque, & in columbæ ſpecie ſpiritus Sanctus ſit ſolitus apparere; & quia hæc animalia ſunt doli & damni dati expertia. Cæterum alia ſolet induere animalia, in quibus eſt, quod merito reprehendi poteſt. Sic hircum ſeu capram induit, quia hircorum qui à ſiniſtris ſunt locandi, eſt caput, & quia hoc animal laſciuum ſuperbumque eſt: ac ſane hac vt plurimum forma adoratur. Quando vero vult familiaritatis & fidei ſpecimen præbere, tum catti vel canis ſumit effigiem. De cattis quotidiana lamiarum confeſſio fidem facit; de cane, Cornelius Agrippa & Simon Magus, tales nacti paredrios. Si quis aliquo deuehendus, equum induit: ſi per locum anguſtum vel rimam ſubiturus, vel cuſtodibus illuſurus, veſpertilio, muſculus vel muſtela fit. Si qui præſentes ſint colloquium impedituri, vel quos velit latere, muſcam induit, & partes auribus vicinas occupans, quæ vult, inſuſurrat; ſi vt gregem laceret, vel ſæuiat in animantes hominesve, induit lupum; ſi quos terrere velit aut turbare, vt gallus gallinaceus magnus & ferociens Pachomio, vt coruus aut vultur S. Romualdo, vt vulpecula Hilarioni, vt canis Dunſtano, vt ſerpens Leonardo Corbeiacenſi, vt draco D. Margarethæ, & Ferd. Gunzaluo, Caſtellæ Comiti eiusque exercitui. Si ad malum, ſpecie boni, velit inducere, apparet forma Chriſti, vt D. Martino apud Seuerum, vel in forma Dei, vt Theodoræ viduæ, vel in forma angeli, vt D. Iulianæ. Et quia ad omnia fere idonea eſt humana forma, hanc vt plurimum effingit, quamuis non eodem modo. Roberto Abbati apparuit in forma ruſtici præcincti, nudis longisque tibiis, ferentis à tergo ſportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Maximo Rhegienſi apparuit, vt nauis & nautæ recens appulſi; Euagrio, vt clericus hæreticus; Macario, ſemel vt meſſor, ſemel vt pharmacopola; Nathanaeli ſemel vt agazo agens aſinum, ſemel vt ſeruus lorarius; quæ Marulus & Sabellicus ex vetuſtioribus teſtantur. Appelli apparuit, vt pulchra & compta, & illecebroſa mulier: ſed hic prudenter eum ferro, quod verſabat, candente abegit. *Soſom. lib. 6. cap. 28.* Sed quantumuis ille velit, pulcherrimam hominis ſimilitudinem repræſentare: tamen quæ Dei bonitas eſt, vel eo inuito fieri videmus, vt qui non obeſæ nimium mentis ſint; ſemper, ſi attendant, fucum queant deprehendere. Aut enim ſe oſtendunt dæmones humano corpore atro, illuuioſo, ſqualido, fætente, tetro ac formidabili: aut ſaltem obſcuro, nigro, fœdoque vultu; naribus vel deformiter ſimis, vel immane aquilis; oris rictu ſparſo, profundoque, luminibus valde abditis flammantibusque, manibus pedibusque obuncis ac vulturinis, ſtrigoſis brachiis cruribusque, & admodum villoſis, caprinis etiam vel aſininis tibiis; vno vel vtroque pede bifido corneoque, interdum & ſolidungulo; interdum mutili pede altero vel vtroque: demum ſtatura corporis nunquam iuſta ac decora, ſed cui ſemper adſit aliquid inſolitę notæ, & deformitatem prauitatemque dæmonis prodentis; vult enim Deus ſemper adeſſe aliquid, quo detegitur impoſtura Diaboli, ne quam mortales ignorantiæ iuſtam excuſationem prætexant. Ob quam cauſam quoque non poſſunt loqui ita exacte, ſed producendo ſonum in aere humanæ

Digitized by Google

voci ſimilem & adſtantium auribus inſonantem; vt notat Gregoras, ad eum ferme modum, quo quis artificioſe quopiam inſtrumento; puta tibia vel tuba; ſonum vocis humanæ exprimat: vel quo modo cauæ valles exceptam ac repercuſſam vocem, articulate admodum reciprocant: vel, vt criſpi numeratione pectinis, organa pneumatica in varios accentus ac tonos ſonum diſcriminant. Sic etiam (quod notandum: nam & hinc fucum queas deprehendere) vtuntur voce ſtridula, ſubſibilante, confuſa, obſcura, debili, puſilla, & quaſi ex dolio, vel per teſtam rimoſam.

PQ. Quia Diabolus ad nutũ atq; placitum magorum ſeſe accõmodat, talesq; repræſentat formas, quales ipſi Magi præoptant. Eſtne igitur inter eos mutuus contractus. Non enim videtur Diabolus ſpontaneum ſed ex pacto potius pręſtare obſequium?

PH. Sponte quidem obſequium ſuum offerunt dæmones, ſed ex conducto tamen præſtant. Graui namque hominem odio proſequuntur; quare non putãdi gratis obſequium offerre, ſed viciſſim aliquod operæ ſuæ pretium ſtipulari. Talis autem eſt mutua hæc ipſorum conuentio & ſocietas, qualis eſt duornm latronum, quorum alter palam in ſylua vagatur, alter clam in ſubſeſſis latitat; excitatusq; certo ſibilo vel ſigno prioris, viatorem poſterior doloſa ſagitta transfigit, priore id ſępe nec vidente, nec gnaro quo necem telo intulerit, in miſeri tamen necem conſentiente: priori magus, poſteriori dæmon ſimilis. Satis etiam idonea rei declarandæ ſimilitudo eſt, quæ petitur à potentib. vindictæ auidis, qui manu promptos ſicarios ſibi adiungunt; quibus conſtituto ſigno innuunt quos & quando velint interfici. Cæterum multa admodum promittit in huiuſmodi nefariis contractibus Satan; verum admodum etiam mentitur: Etſi enim, vt inquit Pſellus, dæmones diuitias & gloriam promittunt, nihil tamen ex ſe tradere poſſunt: quippe cum imperium nullum habeant, ſed viſa tantum quædam inania ſuis cultoribus afferunt, varia prorſus & inſtabilia, quæ tamen impii diuina eſſe ſpectacula putant. Certum vero eſt, theſauros, diuitias & pecuniam atq; res pretioſas in manu Dei eſſe, eiusq; largitate ea omnia ad homines, qui illi placent, emanare. Ita enim Haggæus Propheta *cap. 2.* introducit Deum loquentem: *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.* Eodem modo Eſaias Propheta *cap. 45.* ita Deum Cyro regi dicentem inducit: *Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum.* Et Salomon Eccleſ. 5. hæc tanq̃ dona Dei agnoſcit: Etiam, inquit, quod cuipiam dedit Deus diuitias & opes, & cui dominium conceſſit, vt ex illis comedat & ſumat portionem ſuam, & lætetur labore ſuo, hoc eſt donum Dei.

EQ. Mirifice ludit Diabolus theſaurorum exhibitionibus, atque vt plurimum exitu ac fine tragico. Extat apud fidei probatæ hiſtoricos, homines decem olim Magdeburgi ruina turris oppreſſos eſſe, cum ad theſauros, quos docuerat Satanas, reperiendos effoderent. Georgius Agricola in libro de Spiritibus ſubterraneis ſcribit, Annæbergæ, in ea fodina, quæ dicitur corona roſæ, Spiritum ſpecie equi duodecim homines occidiſſe, & feciſſe, vt fodina plena argenti cederent, quam Magi ope Satanæ repererant.

A quodam Lugdunenſi, inquit Bodinus, accepi: in æde S. Mariæ virginis Lutetiæ Capellanum fuiſſe, qui ſociis magica arte Arcolii prope Lutetiam theſaurum retexit: ſed cum ciſtam, in qua erat conditus, habere cogitarent, eam fuiſſe exportatam turbine, in ipſum vero muri partem corruiſſe, ex qua toto vitæ ſpacio claudi-

Digitized by Google

claudicans factus eſt. Et ſacerdos Noribergenſis cum ope Satanæ theſaurum inueniſſet,& iamiam ſcrinium aperturus eſſet,ruina domus extinctus eſt.

Ex Lugdunenſi quoq; pragmatico audiui, ipſum de nocte cum ſociis abiuiſſe, vt enunciatis coniurationibus theſaurum peruestigarent, cumq; cœpiſſent fodere,velut hominis,qui rotæ impoſitus fuerat, vocem audiuiſſe, horribiliter inclamantem ad fures:ſic in fugam fuiſſe verſos.Spiritus vero malignos eodem momẽto perſequentes cæcidiſſe ipſos ad eam vſq; domum vnde prodierãt, & tanto ſtrepitu eam ingreſſos eſſe,vt tonare hoſpes cogitauerit: atq; ex eo tempore iurauit ſe theſauros nunquam peruestigaturum eſſe. *Bod.nus.*

Leonardus quidam Baſileæ circa annum Chriſti 1520.ſarctoris F. ingenio ſimplex,voce balbus,Lienimãnus vulgo dicebatur. Is neſcio qua arte cryptam illam, quæ Auguſtæ Rauracorum patet,ingreſſus,& vltra quam vlli alii nũquam potuerint,progreſſus,miranda quædam ſpectra referebat. Cereo conſecrato accenſo, in cryptam deſcendens,primo per ferream portam ſibi tranſeundum aiebat, inde ex vna concameratione in aliam,atq; etiam in hortos pulcherrime virentes. In medio aulã magnifice ornatam ſpectari,& virginem pulcherrimam pubetenus,aureo diademate caput cinctam,capillis ſolutis, inferne in horridum ſerpẽtem deſinentem,à qua manu ad ferreum ſcrinium duceretur.Scrinio duos moloſſos nigros incubare,& terribili latratu accedentes arcere. At virginem mirabundæ ſimilem eos compeſcere. Tum clauium faſce,quem collo alligatum geſtaret, ſoluto, arcam recludere,& omnis generis numiſmata aurea, argentea,ærea depromere; quorum non pauca liberalitate virginis ex ipſa crypta ſe retuliſſe oſtendebat. Addebat,virginem dicere ſolitam,diris imprecationibus ſeſe,cum Regio orta eſſet ſtemmate, iam olim deuotam,in tale monſtrum mutatam fuiſſe,neque aliam ſalutis recuperandæ rationem ſupereſſe, quam ſi ab illibati pudoris adoleſcente ter deoſcularetur. Tunc enim formam priſtinam ſibi reſtitutum iri, & dotis nomine theſaurum omnem,qui in eo loco lateret,liberatori ceſſurum. Affirmabat quin etiam,bis ſeſe virginem deoſculatum, bis tam horribiles geſtus in ea præ nimio gaudio ſperatæ liberationis obſeruaſſe,vt ſibi,ne viuus ab ea diſcerperetur, metuẽdum foret. Accidit interea,vt à quibuſdam nepotibus in ganeum deductus,ſcorto ſeſe miſceret. Quo crimine cum ſeſe polluiſſet,nũquam poſtea aditum ad cryptam reperire potuit,nedum ingredi. De qua re miſellus ſæpe etiam cum lachrymis cõqueſtus fuit. Phantaſma hoc diabolicum fuiſſe,quis non videt? at certe tamen vetuſtiſſima numiſmata Romana,quæ ex cauerna illa retulit,& multis ciuium noſtrorum vendidit,indicium faciunt,latere fortaſſis in ea crypta theſaurum,quem auarus quidam dæmon cuſtodiat,non ſecus atque in aurifodiuis cacodęmones ſtrangulatores interdum metallicæ operæ magno ſuo cum malo experiuntur. Et ne quis hæc fabuloſa putet,teſtes adhuc viui ſuperſunt,qui ex ore Lienimanni hæc habuere. Poſt illum ciuis quidam Baſilienſis in ſumma annonæ penuria, vt familiam commodius aleret,ſpe numiſmatum eruendorum in eandem cryptam deſcendit. Verum aliquouſque progreſſus,cum præter oſſa quædam humana nihil aliud inueniſſet, maximo horrore correptus,concitatiſſimo gradu è ſpecu rediit, ſpe ſua fruſtratus. *Ioan.Stumpff.in Chron.Heluet.*

TH. Neminem ego hactenus ex theſauris ex terra erutis ditatum, quod quidem ego ſciam,memini. Proinde vana eſt omnis,quam de theſaurorum effoſſione adeoq; diuitiarũ abundantia venditat promiſſio;indeque cæteræ ipſius ſpõſiones,

Digitized by Google

quæ in nefariis illis contractibus interuenerunt, facile æſtimandæ. Atque ex effectibus quoque ipſis conſtat, quam vana ſint ludibria. Sic de Paſete mago proditũ eſt, ipſum repente conuiuium ſumptuoſum exhibuiſſe, rurſus autem, vbi libuiſſet, omnia euanuiſſe, quin etiam eos, qui ſibi viſi fuerunt, egregie in conuiuiis ipſius ementitis potaſſe, ieiuno omnino ſtomacho domum quiſque ſuam rediiſſe: ſolitũ quoque res emere & pretium numerare, verum mox nummos clam à venditore ad emptorem rediiſſe. Talia pleraque ſunt, quæ de Simone mago legimus apud D. Clementem Romanum, *lib. 2. recognit. & lib. 6. conſtit. Apoſt.* cum ex aere nouum hominem creaſſe, quibus volebat inuiſibilem factum; ſaxa quaſi lutũ penetraſſe; ſtatuas animaſſe; in igne poſitum non arſiſſe; duas, velut Ianum, facies habentem ſe oſtendiſſe, in ouem aut capram ſe immutaſſe; in aerem ſublatum volaſſe; aurũ plurimum exhibuiſſe repente; reges facere eoſque deiicere potuiſſe; falci præcepiſſe, vt ipſa iret & meteret, eamque iuiſſe & decuplo plus cæteris meſſuiſſe; eundem, cũ eſſet aliquando Selene meretrix in turre quadam, & accurriſſet multitudo ingens ad eam videndam, turrimque circumcinxiſſet aſtantium corona, feciſſe vt illa per cunctas feneſtras turris illius omni ſimul populo proſpicere & procumbere videretur; deniq; quod pueri incorrupti violenter necati animam adiuramentis euocaſſet, eiusq; adiutorio talia patraret. Hæc Clemens. Addit nonnulla Anaſtaſius Nicenus *q. 23. in ſac. ſcript.* Statuas (inquit) faciebat ambulare, & in igne volutatus non vrebatur, in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat: ſerpens fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur: duas habebat facies, in aurum cõuertebatur, in conuiuiis exhibebat ſpectra omnis generis: vaſa quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquam quæ ſua ſponte mouerentur ad miniſterium iis, qui portabant, nõ viſis: efficiebat vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat eſſe animas defunctorum. Huc ſpectat illud Nicetę Choniatæ de mago per quem factum, vt cuncta ſua vaſa remex frangeret. Memoriæ etiam occurrunt præſtigiæ Zytonis Bohemi: hic artem ſuam oſtentans, nunc ſua, nunc aliena facie ſtaturaque, item in purpura & ſerico, ac confeſtim in lana ac panno ſordido, regi ſe offerebat; ambulantiq; in terra, ipſe tanquam in aqua adnauigabat: aliquoties equis rhedariis vectum, gallis gallinaceis ad epiredium ſuum alligatis, ſubſequebatur. Conuiuas præterea Regis varie ludebat; interdum manus illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in vngulas equorum transformans. Et aliquoties fronti illorum cornua ceruina latiſſima adiiciens, quoties videlicet è feneſtris ad ſubitũ ſpectaculum proſpicerent, ne rurſus caput & ora ad menſam referre poſſent. Atque vt oſtenderet, ſe pecuniam quoque pro vſu ſuo facile conflare poſſe, triginta ſues bene ſaginatos, ex manipulis fœni effingit, illosq; paſtum proxime Michaelis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, proponitque vænales, quo piſtor voluit precio, hoc tantum emptorem monens, ne gregem nouum ad flumen lotũ compellat. Qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, ſuibus ſubmerſis. Ergo diu venditore quæſito, atq; in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedib. in ſcamno recubabat, dum ſtomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice auellit: clare Zytone quiritante & obtorto collo emptorem ad iudicẽ trahente. Quid faceret piſtor, in manifeſto deprehenſus, vt ſibi videbatur, facinore, niſi vt damnum damno adderet, atq; de hac inſuper iniuria cum Zytone decideret? Hactenus Dubrauius *lib. 23. Philoſoph.* Ergone omnia omnino diaboli opera meras eſſe præſtigias exiſtimas?

TH. Pepo

Digitized by Google

TH. Pepo ſit,non homo, qui omnes dæmonum effectus dicat eſſe præſtigiatorios. Nullum enim, vt cum Dionyſio Athenienſi loquar, donorum naturaliũ peccando amiſit. Vnde fit, vt & vires naturales habeat valentiſſimas, diuturnã & multiplicem experientiam, eſſentiæ & qualitatum rerum quarumlibet cognitionẽ exactam, ita vt multa vere in effectum ſæpenumero producit. Sæpius tamen etiã fallit, quia mẽdacii pater eſt: ideo ſæpe præſtringit oculos, aut ſenſib. aliis illudit vana obiecta imagine, nec raro Deus impedit, ne, quod in magorum gratiam facere vellet ac poſſet, id vere faciat: quod cùm cernit, ad præſtigias confugit, ne impotentia ipſius detegatur, Quando autem & Deus permittit, & dæmon verum vult effectũ producere; ſi is vires ipſius non ſuperet, nihil profecto prohibet, quo minus verũ effectum producat. Etenim cauſæ naturales verum effectum gignunt, vti illis poteſt diabolus & actiua paſſiuis adplicare: poterit igitur tum effectus veros producere. Profiteorque adeo magnam eſſe cacodæmonum potentiam, qui permittente Deo, non ſolum mirificas imagines & formas hominib. præſentare eosq; terrere ſolent, ſed etiam nonnunquã homines & res corporeas de loco in locum transferre. Sic Turcæ mediante diabolica potentia, in hodiernum diem ſuis incantationib. fugitiua mancipia retrahere perhibentur. Nomen enim ſerui in ſchedula ſcriptum ſuſpendunt in eius cubiculo; mox diris verbis & deuotionibus illius caput impetunt, deinde fit vi dæmoniaca, vt fugiens putet ſibi in itinere vel leones, vel dracones incurrere, vel mare, vel flumina contra ſe exundare, vel omnia tenebris nigreſcere, iiſque terriculis repulſus in ſeruitutem priſtinam, morte duriorẽ redit. Simili magica incantatione olim, teſte Plinio, Veſtales Romanæ, nondum egreſſa vrbe mancipia fugitiua retinere ſolebant. Imo cum ſint ſpiritus tenues & incomprehenſibiles, inſinuant ſe nonnunquam corporibus hominum, & occulte in viſceribus operti valetudinem vitiant, morbos cient, ſomniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere, vt recte Lactantius *de origine rerum lib. 2. cap. 14.* monet. Tametſi vero experientia docuit, ſagas quaſdam & veneficas, vt ſpiritus iſtos immundos ad ſe alliciant, nonnunquam ſe perungere ſolere vnguento ſoporifero, deinde ſe coniicere in lectum, vbi ita profunde dormiunt, vt nec aciculis nec ignibus poſſint expergefieri. Interim illis diabolus ita dormientibus multa proponit ludicra, conuiuia, choreas, & omne genus voluptatum, ita vt illis accidat, ſicut Galenus de inſanis & atra bile percitis, & de his, qui mortis vicinitate alienatæ mentis ſunt, ait, quod res, quas extra ſe videre arbitrantur, intra ipſorum ſint oculos. Etſi, inquam, experientia docuit, quod multi manẽtes vno in loco, opinati ſunt, ſeſe hinc inde vagari: tamen non raro accidit, vt permittente Deo, dæmones homines auferant in nemora aliaque loca, ibique illis huiuſmodi ſpectacula proponant. Nam Simon Samaritanus magus (qui ſub Claudio Cæſare ſtatua donatus eſt, cum hac inſcriptione: *Simoni mago Deo*, vel: *Simoni Sancto Deo*, vt Tertull. Iuſtinus Martyr & Euſebius ſcribunt) per aerem dæmonibus vectus vagari potuit, ſed ad preces diui Petri repente ex alto corruit, miſereque periit. Ob hanc rem eum à Nerone, qui hunc magum magnifaciebat, ſupplicio affectum eſſe, Cedrenus tradit.

Diodorus etiam Siculus, quemadmodum Thomas Facelli refert, qui magica arte imbutus, Catanæ olim floruit, potenti carminum ſuorum vi longiſſimis à ſe ſpatiis diſſitos homines repẽte ad ſe attrahere poſſe videbatur. Catanẽtes præterea adeo

adeo crebris laceſſebat iniuriis,& contumeliis dehoneſtabat, vt vaniſſimæ credulitatis laqueis circumuenti ad cultus ei pendendi ſtudium concitarentur. Qui cum capitis reus cruci tradendus eſſet,eliciorum carminum præſentiſſima arte è Catana Bizantium,cuius imperio eo tempore Sicilia ſuberat, & rurſus Bizantio Catanam, lictorum manibus dilapſus, paruo temporum interſtitio per aera ſe deuehi iuſſit. Quibus veneficiis adeo populo factus eſt admirabilis, & eo tandem perſuaſit,vt in ipſo quandam numinis potentiam eſſe rati,errore ſacrilego,cultum ſacrũ ei exhiberent. Qui tamen tandem à Leone Catanenſi Epiſcopo diuina virtute ex improuiſo captus,frequenti in media vrbe populo, in fornacem igneam iniectus, incendio conſumptus eſt.

PH. Vera igitur dæmones poſſunt facere ac præſtare miracula, miraculi enim non minimi ſpeciem habet,de loco ad locũ aliquem tráſferre, & ſi quæ ſunt, quæ præter communem naturæ curſum ab ipſis fiunt.

TH. Sane miraculorum editionem olim ſibi magi vendicarũt,nam apud Clementem Romanum Simon Samarita gloriatur,nihil nõ quod velit, ſe facere poſſe,ſibique obtemperare omnia. Vnde recte Porphyrius *lib. de ſacrif. in cap. de ſpeciebus dæmonum* ſcribit;quoties ſuorum prodigiorum machinas dæmones adhibent, multa eos à naturæ conſueto ordine alieniſſima efficere. Ex his tamen non ſequitur,poſſe dæmones miraculum efficere,miraculi vocabulo ſtricte ac proprie ſumpto,vt Theologi ſolent,pro effectu nimirum præter & ſupra naturæ creatæ vires, verbi gratia: Cœco nato viſum reſtituere,mortuos ſuſcitare. Quando autem effectus reſpondet viribus creaturæ;verbi gratia: ciere pluuias ac ventos,à febri ſanare,&c.iſta non proprie dicuntur miracula, ſed tantum miracula ſecundum quid, ſeu reſpectu noſtri,vel mira aut mirabilia. Notæ vero, quibus mirum à miraculo diſcernitur ſunt iſtæ. I. Si effectus ſuperet vires rei creatæ & naturam, miraculum erit. II. Si effectus non habent propoſitum finem bonum, puta ſalutem ſpiritualẽ vel corporalem,vtpote curioſitatem vel quid aliud bonis moribus aut veræ fidei repugnans. Proinde,ſi effectus magicus eiuſdemodi ſit,vt potentiã dęmonis ſuperet(quales ſunt,qui ſoli diuinæ omnipotentiæ reſeruantur) tunc effectus cenſeri debet præſtigiatorius. Dico igitur ſemel pro ſemper; Miracula proprie dicta nulli magi poſſunt edere;idque ex eo conſtat, quod facere miraculum, eſt potentiæ infinitæ,& ideo diuinitati reſeruatum,omnis vero creaturæ potentia naturæ cancellis limitatur,alioquin non haberemus efficax argumentum probandæ veritatis fidei,cum tamen ipſe Saluator noſter hoc argumento probauerit,excuſari nõ poſſe Iudæorum incredulitatem,propter manifeſta miracula coram ipſis edita: Si opera (inquit) non feciſſem,quæ nemo alius fecit,peccatum non haberent. *Ioh. 15.*

EQ. Sed tamen fatendũ eſt,difficilimum eſſe homini intelligere,quouſq; ſe diaboli poteſtas extẽdat,teſte etiam ſermone Prophetico: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei,qui factus eſt,vt nullum timeret*, Iob 41. Ex multis vnicum adducam exemplum plenum admirationis,narratũ ab Ant. Torquemada,quibuſdam regni Neapolitani locis,quando fœminæ enituntur, puero naſcituro præire vnum vel plures ranunculos ſiue rubeculas;quorum ſi quis terrã contigerit (ſtatim vero incipere ſaltitare huc illuc) confeſtim puerperã emori. Quapropter ſolere ſtoreis inſterni totum ſolum,& parietes vndequaq; aulæis conueſtiri,ne funeſti anteambulones iſti,dum cadunt ex vtero,vel ſubſiliunt,terrã contingant. Ideo etiã obſtetrices lebetes penes ſe habere ſolitas,vel poculum aliud aqua plenum, in quod animalcula

malcula hæc coniiciant,& probe obturatum deferre ad fluuium,ibiq; demergere.

TH. Si ſit hoc,vti compertum fama refert Torquemada,fieri id puto dæmonis artificio,qui has ranas mentitur, & ad malefici cuiuſpiam petita puerperã interimit,Deo id iuſtis de cauſis permittente:ſine hoc permiſſu nihil eũ poſſe hinc manifeſtum ſit,quia non modo non potuit,quod erat optatiſſimum, arbitrio ſuo Iobum lædere,ſed nec perfidum Regem mancipiũ ſuum decipere,imo nec porcos inuadere.Hinc factum,vt cum Neroni Imp.nec ingenium, nec opes,nec volũtas, nec ſtudium,nec præceptores deeſſent:nunquam tamẽ per illum diabolus magiæ vel vnum experimentum edere potuerit,ſicq; Nero Magicem contempſerit.Sane nullum eſt adeo vaſtum corpus,vt id dæmones loco mouere nequeant, dummodo tamen ea ratione ordo vniuerſi non turbetur. Quare nec integrum elementũ loco mouere,nec cœlorũ curſum mutare vel impedire poſſunt.Mouere vero corpora locali motu poteſt dæmon velociſſime,at non niſi permiſſu Dei, quippe quo renuente & prohibente,omnis ceſſat ipſius poteſtas. Recenſebo vnicum eius rei exemplum ex Euſebio. Cæſareæ,inquit, Philippi, quam Phęnices Paneada vocant,fertur victimam quandam in fontes;qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt,ex quibus Iordanes prorumpere dicitur,in quadam diei feſti Gentilium ſolemnitate mactatam coniici: atque eam dæmonis vi ac poteſtate mirandum in modum ab eorũ aſpectu euaneſcere miraculumq; videri præſentib. valde memorabile. Quibus dum gerebantur Aſtyrium quodam tempore forte interfuiſſe, ac cum videret tam multos illius rei admiratione obſtupefactos,eorũ erroris admodum miſertum eſſe:deinde ſublatis in cœlum oculis Deum omnium moderatorẽ per Chriſtum ſupplicem precatum,vt dæmonium illud,quod populum tanto errore cæcauiſſet,comprimeret,ipſum à fraude ac fallaciis quas hominib. ſolet intẽdere,coerceret.Hoc modo cum Deum orauiſſet, repentino victimam fontib. ſupernataſſe;atq; rem illam,quam tantopere admirari cõſueuerant, in nihilũ interiiſſe, vſq; adeo,vt nullũ in poſterũ ex eo loco ex ea omnino ederetur miraculum.

PH. Quæcunq; dæmones efficiunt,natura adminiſtra efficiunt;quæ tamẽ naturæ ſolius operatio nunq̃ feciſſet, niſi dæmones illã artificioſa applicatione iuuiſſent;atq; hac ratione cauſæ naturales à dæmonib.applicatæ ſuis ipſarũ ꝓpriis viribus quodãmodo pręſtãtiora dant effecta.Sicut coquus(abſit inuidia cõparationi) cum ſuaue edulũ cõcinnat,mediãte arte,arte per ignẽ id excoquit, licet ignis naturaliter operetur,ꝙ ſolus ignis, niſi tali eſſet arte applicatus, nunquam feciſſet; neq; tamen coquus quicquã igni confert,niſi modum & conditionẽ, ſine qua nõ.

EQ. Fiunt etiam ab hominib.ingenioſis per naturã multa,quę etiam naſutiores magica quandoq; eſſe exiſtimant, exempli gratia, per artem perſpectiuæ certa quadã diſpoſitione obiecti in ordine ad oculũ videntis, cum nimirũ lineæ cõfuſo ductę ordine,vt ſit manifeſtum,quando quis directe ex aduerſo illas videt,aſpiciẽti per foramen vel rotata tabula,ſpeciẽ exhibẽt artificioſæ alicuius picturæ.Sic volunt Doctores grauiſſimi,iuncos & paleas humi ſtratas,ſi lucerna de cera & corio ſerpentis ſulphurato accenſa inferatur,videri ſerpentes ſalitantes. Sic ſi aceto cõmiſceatur ſal,& lineus pannus id acetũ bene imbibat, poſtmodum vero ſuppoſita candela inflãmetur pannus,ſpecies quæ diffundentur per medium hac flamma illuminatũ,formidabiles admodũ facies præſentium exhibet. Item ſi de ſemine aſinino & cera ſit candela,quæ ſola in conuiuio lucet,omnes(ſi fas credere Pariſienſi Antiſtiti)conuiuæ videntur onocephali.Sic ſi medium circa ipſum obiectum inſpiſſatur,

ſpiſſatur, mutatur obiecti aſpectus: vt quando denarius iniectus in ſcutellam aquę plenam, videtur maior, & iacens in fundo apparet in ſuperficie. Eodem pertinet ſi vapores intermedii aeris condenſentur, vnde contingit vt luna, multimodis minui & mutari videatur; & vt putemus à gallinaceo trahi trabem, cum reuera feſtucam trahat. Sic ſi moto aere medio ſimul ſpecies mouentur, fit (exempli gratia,) vt nauigantibus videantur ad nauigii motum arbores moueri. Nonnunquam contingit falli ſenſum ex varia cõformatione vel multiplicatione ſpecierum ſenſilium: quod contingit aliquando ex forma inſtrumenti per quod videmus, v. g. quando vnicum conſpicillum plures nobis vnius obiecti figuras exhibet: aliquando ex inſtrumentorum collocatione ac ſitu, vt ſi plura ſpecula diuerſis locis diſponantur, poterunt tot de loco in locum ſpecies multiplicari, vt quæ in vno loco fiunt, in alio appareant, & intuitiua rei præſentis eſſe viſio videatur. Denique deceptio ex parte organi non minus varia eſt. Naſcitur 1. Mutato ſitu organi: vnde facit rem quæ vno in loco eſt videri eſſe in alio, vel geminam quæ vnica eſt. Sicuti ſi digitum mittas inter oculum & concauitatem cui oculus eſt incluſus, digitoque compreſſo eleues vel deprimas oculum, facies vt res ſimplex gemina videatur. 2. Si humores agitentur vel perturbentur, res aliter ac ſunt conſpicientur, vt contingit ebriis ac furioſis qui credunt,

Duplicem ſolem & geminas ſe cernere Thebas.

PH. Huc referendæ ſunt ludificationes Zedechiæ Iudæi qui fuit tempore Ludouici Pii, & hominem in aere iactabat, & in membra diſcerpebat & ea recollecta adunabat, currum etiam onuſtum feno cum equis & agitatore coram toto populo abſorbebat.

TH. Nihil magici interueniſſe in hac Zedechiæ ludificatione haud facile mihi quis perſuaſerit; alioquin enim q̃libet vel leuiter ingenioſus talia præſtare poſſet.

EQ. Ita eſt. Superat namque cauſarum naturalium applicatarum actiuitatem. Atque huius generis etiam ſunt quæ iam dicam; Vt quando Magi poſito in camera arcu de certo ligno, & ſagitta alterius ligni, & chorda certi fili, ſagittam eiaculantur; & ſic faciunt apparere in loco flumen enatum tantæ latitudinis, quantæ fuit ſagittæ iactus. Sic tum, cum videntur lacerare & vorare equum, qui mox ſanus ſiſtitur: item in illo facto Magi, quod narrat de ſimulato ſerpente Nicetas: Cum ex editiore palatii Conſtantinopolitani loco Michael Sicidites nauiculam vidiſſet, qua ollæ & patinæ vehebantur, carmine Magico effecit, vt nauta exſurgeret & vaſa non prius ferire deſiſteret, quam in puluerem redegiſſet. At paulo poſt barba prehenſa lamentari, amotaque caligine, ſe vt ira numinis agitatum deplorare. Rogatus, cur merces ſuas ita tractaſſet? cum dolore narrabat, ſe remis intentum, horribilem ſerpentem ſuper vaſa porrectum, oculis inconniuentibus in ſe conuerſum inſtar deuoraturi, vidiſſe, qui prius volutari non deſtiterit, quam fictilia confracta eſſent. Inde ſubito ex oculis euanuiſſe. De Eonis hæretici & Magi præſtigiis teſtatur Guilh. Neubrigenſis, ita oculos hominum faſcinaſſe, vt videretur magnam virorum turbam penes ſe habere, & regiis deliciis ciborum, & apparatus ſplendidiſſimi abundare.

TH. Legi exemplum lepidum & feſtiuum, vt quod honeſtæ voluptatis gratia, recitabo. Tempore Sigiſmundi primi Regis Poloniæ, Iacob Melſtinki prætor oppidi Brczini, leuitate quadam animi, auctoritatem nomenque Chriſti ſibi adſciuit, Petrumq; Zitorski Cracouienſem, cæteroſq; ſibi ſimiles latrones duodecim elegit,

legit, ſingulisq; nomina Apoſtolorum impoſuit, ſe vero Ieſum Chriſtum appellauit. Qui per villas vbiq; ambulantes prodigia morionum & præſtigiatorum more exercebant, ſycophantasq; alios & latrones, velut mortuos ſubornātes ſuſcitabant; piſces in paludes lutoſas primo impoſitos, vbi nunq̃ eos naſci poſſibile erat, in nomine Chriſti ſuis manib. capiebant; panes in fornaces imponebant, in nomineq; Chriſti ſui; cū illic ante nō eſſent, depromebāt, cū ingenti ſimplicis vulgi admiratione. Quodam tempore ad Ceſtochouiam monaſterium, D. Virginis imagine celebre, cum ſuis Apoſtolis venit: cumq; illic aliquot diebus morarētur, vnum ex ſuis quaſi obſeſſum à dæmone ſubornauerunt, cuius opera victum acquirebāt. Ille enim per hoſpitia ambulans carnes de coquina rapiebat, in ſuoſque proiiciebat, qui cruce illas munientes carnes comedebant. Cumq; ingens illic eſſet cōcurſus populi ad D. Virginis imaginem, ſycophantæ illi obſeſſum ſuū ad altare ducūt, duplici veſte indutum, in cuius intercapedinem neceſſaria imponere poſſet, lapillos vero intra induſium ei impoſuerūt: cumq; ad altare deduceretur, ille è manib. deducentium furibundus ſeſe proripiens, in altare donariis onuſtum irruit, pecuniasq; rapiens in veſtis duplicatæ intercapedine eas abſcondit. Monachus ab altari diuino intermiſſo officio aufugit, cæteri Monachi accurrentes cingulū eius ſoluunt. Ibi lapilli duntaxat in terram ceciderunt, pecunia vero in veſte duplicata remanſit. Monachi pecuniam arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorciſmis eam in priſtinam formā transformare nitebantur: ſed cum lapilli permanerent, Monachus librum ſacrum indignabundus in terram ꝓiecit, dicens: ſimilē dęmonem nunq̃ habuimus, abite cum eo ad omnes diabolos: ſycophantæ illi cum pecunia recta in Sileſiam fugerunt. Ibi apud matronam nobilem in quodam pago diuertentes, cum illa viro abſente eos recipere nollet, ſaltē mappam vel telam ad ſacrificandum petierunt. At mulier faſciculū telæ illis obtulit. Tunc illi, hanc nobiſcum accipiemus, & Chriſtus tibi benedicet, vt tibi linum abundantius creſcat. Oſtende aliam ſi habes, quā cum ſimiliter accipere vellent, mulier recuſauit, maritum timens. Illi aūt fruſtulum fomitis cum igne in telam clam inuoluētes, mulieri reddiderunt. Itaq; ciſta à tela, à ciſta vero domus accenſa conflagrauit. Viro domū reuerſo, vxor ob Chriſtum cum Apoſtolis male tractatum hoc ſibi iuſte contigiſſe dixit. At vir ira excandeſcens, latro hic (inquit) nequiſſimus & non Chriſtus fuit. Itaq; cum vicinis eos inſequit̄, & in quadā villa aſſequitur. Tū Pſeudochriſtus ad illū, q vocabat̄ Petrus, dixit: Iā mea paſſio Petre, calixq; quē bibiturus ſum, appropinquat. Cui Petrus, & mihi, vt video, Domine imminet. Ille vero dixit; Petre, ego aliter nō poſſum, niſi per feneſtrā, hinc euadere. Tū Petrus, & ego te, quoad viuā, nō derelinquā, ſed quocunq; fugeris ſequar. Ergo ꝑ feneſtrā aufugit: cęteri quoq; Apoſtoli, qua potuerūt, euaſerūt. Ruſtici eos ſecuti baculis fuſtibusq; cædere, dicētes, Propheti ſa nobis Chriſte cū tuis Apoſtolis, qua in ſylua baculi iſti creuerint. Ergo plagis emendati vitā ſuam poſtea emendarunt, dicentes: Difficile eſt nobis Chriſti paſſionem, Apoſtolorumq; tormenta ſubire. Sic Poloniæ Chronica.

EQ. Circulatorē adſpexi equeſtrē, ſpathā pacutā mucrone infeſto deuoraſſe: ac mox cunctē inuitamēto exiguæ ſtipis venatoriā lanceā qua parte minatur exitiū, in ima viſcera cōdidiſſe: & ecce pone lanceæ ferrū, qua bacillū inuerſi teli ad occipitiū per inguen ſubit, puer in mollitiem decorus inſurgit, inq; flexibus tortuoſis eneruam & exoſam ſaltationem explicat, cum omnium qui aderamus admiratione.

PH. Talia haud dubie dæmon perficit, ſpecieb. falſi obiecti in oculos immiſſis, per medium aerem iis imbutum.

 TH. Si-

TH. Simon magus effecit, vt ſtatuæ ambularent, idemq; in igne proſiliens, non tamẽ vrebatur: in aera ſubuolabat; ex lapidib. panes faciebat; alias atq; alias in formas migrabat; facies aliquando binas habebat; in columnam conuertebatur; efficiebat, vt ianuæ clauſæ ſua ſponte aperirentur, vaſa domeſtica ſponte moueri ad vſus humanos viderentur; vmbræ ipſum multæ præcederent, quas mortuorũ animas eſſe dicebat. Cum aliquando à Cæſare perquireretur, terrore perculſus alteri forma relicta fugit. Habuit canem alligatũ catenę in domus limine, deuorans eos, quotquot ad Simonem iniuſſi adire conarentur. Canis vero Petrum intrare iuſſit, & humana voce Petrum adeſſe nunciauit.

EQ. Apuleius multorum teſtimonio magus, ſcribit admiratione digniſſima, de caupona quadam, quę amatorem ſuum, q̀ in aliam temeraſſet, vnico verbo mutauit in feram caſtorem, q̀ ea beſtia captiuitati metuens, ſe ab inſequentib. repræciſione genitaliũ liberat: vt illi quoq; ſimile, quod venerẽ habuit in aliam, ꝓueniret. Cauponem quoq; vicinum, atq; ob id æmulum, deformauit in ranam: & nunc ſenex ille dolium innatans vini ſui, aduentores priſtinos in fece ſubmiſſus officioſis ronchis raucos appellat. Aliũ de foro, quiddã quod aduerſus eam locutus eſſet, in arietẽ deformauit, & nunc aries ille cauſas agit. Eadẽ amatoris ſui vxorẽ, quod in eam dicacule probrũ dixerat, iam in ſarcinã imprægnationis, obſepto vtero & repigrato fœtu, ꝑpetua prægnatione dãnauit: &, vt cuncti numerant, octo annorũ miſella illa, velut elephãtẽ paritura diſtẽdit. Sed de fœminis ſagis paulo poſt vberi⁹.

TH. Nugæ ſunt ac fabulæ ea, q̃ Apuleius in aſino ſuo aureo recenſet. Veruntamen, vtut grandis diaboli ſit in natura perq; eam poteſtas, ordinem tamen naturæ mutare nequit, ſed nec poteſt ꝓducere immediate vllam formam ſubſtantialẽ vel accidentalem, non poteſt aliquid creare proprie loquendo: non poteſt ex re qualibet naturali facere quamlibet: non poteſt in rerum naturã inducere vacuum, nec infinitum vllum actu; nec à ꝓuocatione ad habitum regredi, nec corpus de extremo ad extremum transferre, non tranſmiſſo medio, nec corpus longe à ſe diſtans localiter mouere, quia neceſſe eſt vt mouens ac motum ſimul ſint in loco; nec in inſtanti vel quantalibet celeritate corpus mouere aut transferre, quia vis eorum motiua certis eſt finibus limitata: nec poteſt impedire proxime & directe actionẽ agentis naturalis, quod habet omnia ad agendum requiſita.

PH. Directe quidem non poteſt, ſed tamen indirecte & mediãte aliquo artificio aut medicina; id quod etiam homines ipſi quandoq; poſſunt, adhibita nimirũ cauſa contraria, quæ alterius cauſæ vim exeri impediat, verbi gratia, ſi mantile de mollibus lapidum filis ex Caryſto petitis & inſtar telæ contextis, in flammam cõiiceretur, id non modo nõ ambureretur, ſed ſplendidius nitidiuſque exiret: item, ſi adamantem admoueas, impedietur magnes ne ferrum attrahat. Sic diaboli aſtu factum, quo minus flãma exureret capillos Iuli, de quo Virgil. *lib. 2. Æneid.* aut Seruii Tulli, aut L. Marcii, aut tunicam ſerui Anagnini.

EQ. Forſitan Satan in momento ignem ſubſtituit, quem fatuum dicunt; qualis interdum apparet inter equorum aures, vel ſupra verticem, hominum vino, ira, vel alia ex cauſa efferueſcentium, item iuxta ſepulchra, buſtuaria, vel patibula, quoniam ex corporibus viſcoſæ exeunt exhalationes, quæ motu illo inflammantur.

Cur vero his non vſtulentur equorum aures, vel hominũ capita, cauſam putarim, quod ex ſententia veterum philoſophorum ignis duo ſunt genera (ſeu partes potius)

potius) flamma & pruna: prunæque proprium ſit, vrere ac non lucere; flammæ vero, lucere & vrere, quando perfecta eſt flamma; quando vero imperfecta, tunc tantum poſſit lucere, vim vrendi non habeat.

Confirmat, quod narrant ad aquas Scantias flammam exire, quæ inualida ſit quando tranſit, nec longe in alia materia queat durare: & ſuper hunc igneum fontem, quæ illum contegit fraxinus, illam æternum virere: quod non foret, ſi hæc flamma vera perfectaque foret. Talis etiam albus ille ignis, qui poſt tempeſtatem nautis apparet, & ſuper malum nauiumque armamenta ſidens, nihil adurit; Gentilibus Dioſcurorum ſeu Caſtorum alba ſtella dicitur. Quod vero legimus de erraticis flammarum globis humanam edentibus vocem, & de reſecto cadaueris cum humero coſtiſque brachio dextro in vſum luminis nocturni, cuius extremi digiti flamma ſulphurea ac violacea tantiſper arſerunt, dum ſtriges veneficium ſuum abſoluerunt, admiratione dignissimum.

PH. Etiam natura ipſa non caret myſteriis, quæ indagare non poſſumus: quale eſt, quod in Æthnæ cacumine niues illæſæ permanent, ſcitque vaſtum illud incendium niuibus ſeruare fidem, & lambit contiguas innoxia flamma pruinas; vt Claudianus canit. Verumenimuero, etſi impotentia dæmonum in multis rebus perſpiciatur, fatendum tamen etiam eſt, potentiam, ex aduerſo, ipſorum in quamplurimis inſcrutabilem elucere; qualis eſt, quod terræmotus efficere poſſunt: nempe immiſſo quopiam vehementi ſpiritu in cauernas terræ, vel vehementer agitato aere, qui in terræ viſceribus eſt incluſus. Non id poetæ tantum aſſeruerunt ventis magos imperare: ſed & Philoſtratus dum ſcribit Apollonium apud Brachmanas duo dolia vidiſſe; quibus apertis imbres & venti erumpebant, clauſis ſerenitas & tranquillitas aeris redibat. Sopater quoque Philoſophus, affectus vltimo ſupplicio fuit, quod accuſaretur carmine magico ventos vinxiſſe, ne annona Byzantium inueheretur.

Huic affine eſt, quod poſſunt tempeſtates ſedare, poſſunt excitare fulgura & tonitrua, grandines & imbres & ſimilia meteorologica ciere, & in agros, quos vult immittere. Inſuper vt tempeſtates; ſic etiam tenebras excitare poſſunt, legi apud Marcum Venetum. Tartaros adeo pollere dæmonum præſtigiis, vt tenebras cum velint, & vbi velint inducant: ſemelq; à latronibus hac arte ſe circumuentum vix euaſiſſe. Haitonus quoq; narrat, prælio inclinatam Tartarorū aciem, à vexillario Mago, qui præcantatione tenebras hoſti obſcuriſſimas offudit, reſtitutam viciſſe.

Quinetiam poſſunt aerem & aquam certis in locis corrumpere & tabificam lethalemq; reddere: quia poſſunt iis tetrum odorem conciliare, qualis eſt Italiæ Auernus, aut Iudææ mare mortuum. De aqua id facilius eſt creditu: de aere probatur, quia licet aer continuo fluat, vim tamen habet imbecillam ad reſiſtendum, ſed leui momento frigeſcit ac caleſcit, ſic enim idem in autumno mane frigidus, meridie calidus, ſero tepidus, qui tam mollis ad calorem, cur durior ad odorem tetrum? Poſſunt etiam fluuios ad tempus ſiſtere, fontes venis exiccatis durare, ſcopulos & ſaxa nouis fontib. terra productis diluere, aquas dirimere & in caput repellere, vt retrofluere videantur, quod ſuis temporib. accidiſſe Plinius fatetur. Deniq; poſſunt per mineralia quędam meteorologica opera facere, quæ etſi videantur prodigioſa, ſunt tamen naturalia, vt congregare in cauernis montium mineralia aluminoſa, & nitro commixta ſuccendere, & ſic ſubitam excitare nubem, quæ ad mediā aeris regionem eleuata, ibi tandem in imbrem reſoluatur.

EQ. Pluuiam Cianitæ Indi ridiculo ritu ſic procurant, vt in epiſtolis Peruanis noſtrorum, anni 1590. & 1591. narratum his verbis excerpſit Caſpar Spitillus: Quando pluuia indigent, magus quiſpiam magna vocis contentione & acceleratione clamat, vt omnes ad montem cōcedant, quo poſtq̃ peruenerunt, vt quilibet conſueto more à cibis abſtineat. Eſt autem eorum hoc ieiunium, vt à ſale, pipere, cibis coctis contineant: quo vbi factum eſt, voce intēſa & clamore ſummo ſtellas inuocant, aquamq; precantur, & ad terras caſtellumq; paganum ſeſe vertunt, potionem quandam manib. tenent, q̃ vbi nobilis alicuius adoleſcentulæ manu porrectā ebiberint; ita à ſenſib. abducuntur, mentisq; impotes fiunt, vt mortui videantur: ſed vbi in ſe redierint, mel aqua & maizo miſcent, quib. permixtis nubes aſpergũt. Die ſequenti nobilem aliquem aut conſpicuum & venerādum quempiam ſenem in lectum deponũt, ſubiecto lento igne, atq; vbi ſudare cœperit, ſudorem vaſe excipit Magus, anſerino ſanguini admiſcet, atq; ex radice expreſſæ aquæ rurſum in aera iactat, nubes vt tingat, rogat per ſudorem, ſanguinem & aquam, vt deſideratā pluuiam largiantur. Quod ſi caſu eo die quo ſunt ſuperſtitioſi, pluat, gratias agunt ſtellis, magumq; multis munerib. ornatum efferunt. Tanto nimirum Diabolus faciliusſtat pacto, quando pluuia vel grando in perniciem aliorum depoſcitur, vt vix vnquam fallat: quam quando in commune bonum, quod hi poſcunt Indi, quos vt plurimum ludificatur: cum tamen non minus eorum Magi, quam noſtri ſortiarii vi pacti operentur. Recentiora exempla nuperi ſcriptores protulerunt: addam duo, vnum lepidum; horrendum alterum. In ditione Treuerenſi ruſticus fuit, qui cum filiola ſua octenni, caules plantabat in horto: filiolam forte collaudauit, quod apte hoc munus obiret: illa ſexu & ætate garrula, ſe noſſe alia facere, magis ſtupenda iactat; pater quid id foret ſciſcitatur, ſecede paululum, inquit, & in quam voles horti partem ſubitum imbrem dabo, miratus ille; age ſecedam, ait: quo recedente, ſcrobem puella fodit, in eam de pedibus (vt cum Hebræis loquar pudentius) aquam fundit, eamque bacillo turbidat neſcio quid ſubmurmurans. Et ecce tibi ſubito pluuiam de nubibus in condictum locum. Quis (inquam obſtupefactus pater) te hoc docuit? mater, reſpondet, huius & aliorum ſimilium peritiſſima. Zelo incitatus agricola, poſt paucos dies, inuitatum ſe ad nuptias ſimulās, vxorem cum gnata, feſtiue nuptiali modo exornatas in currum imponit, in vicinum oppidum deuehit, & iudici tradit maleficii crimen ſupplicio expiaturas, hoc mihi fide digniſſimorum virorum narratio ſuggeſſit.

Sequens exemplum Iouianus Pontanus memoriæ mandauit: Ferdinandus Neapolitanorum rex Marcos oppidum, arci Montis Draconis ad Maſſicorum montium exitum ſitæ ſubiectum, Andegauenſium factioni fauens, arcta obſidione premebat, & defectu aquarum prope ad deditionem compulerat: cum quidam impii ſacerdotes magicis artibus imbres elicere auſi ſunt. Inuenti enim ex oppidanis atque obſeſſis ſunt; qui nocturnis tenebris deceptis caſtrorum vigiliis, per aſperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahētes ſecum imaginem affixi ad crucem Chriſti, maledictis illam prius ac diro proſecuti carmine, poſt in mare execrabundi immiſerint, cœlo, mari, terriſque tempeſtatem imprecati. Quo etiam tempore ſacerdotes quidam mortalium omnium ſceleſtiſſimi, dum ſatisfacere profanis militum artibus ſtudent, ritum nefarium ſecuti (quo, vt dictum eſt, in huiuſmodi elici imbres putantur) aſino pro ædis foribus conſtituto, tanquam agenti animam, cecinere funeſtum carmen. Poſt diuina Euchariſtia in illius os

palatum-

palatumque imecta, conclamatum aſinum funereis cantibus, viuum tandem ibidem pro templi foribus humauere. Hic vero vix dum perfecto ſacro, obnubeſcere aer, ac mare agitari ventis cum cœpiſſet, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cælum micaret ignibus, nunc lux omnino criperetur, tonitru cœlum terræque horreſcerent, volitarent euulſæ ventis arbores, diſciſſaque fulminibus ſaxa complerent auras fragoribus: prorupit tanta è nimbis pluuia, imbresque tam validi, vt non ciſternæ modo colligendis aquis ſatis non eſſent, ſed arentia ſaxa, rupeſque exuſtæ ſolibus, torrentes vndequaque prolapſos diffunderent. Ita rex, qui ſola in ſiti potiundi oppidi ſpem collocauerat, fruſtra ab ea habitus, ad Sauonem vetera in caſtra rediit.

PH. In externis quoque ſeu naturæ bonis, quantum valeant dæmones, ipſorumque mancipia: Magi nimirum, infinitis iisq; infelicibus experimentis cognitum eſt.

Nemo dubitat greges & armenta poſſe eos perimere: quod faciunt ſparſo, affricato, vel aliter exhibito veneno: interdum & motu locali, quando dæmon beſtiarum ſubit corpora, eaque præfocat, præcipitat, vel diſcerpit: nonnunquam & laudatione ſola, dæmone interea clanculũ perniciem adferente. Nec aliter admittendum quod Gellius ſcripto prodidit, eſſe quaſdam in terra Africa familias hominum, voce atque lingua effaſcinantium: qui, ſi impenſius forte laudauerint pulchras arbores, ſegetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes paſtu atque cultu opimas, emoriantur repente.

Hinc etiam apud nos conſuetudo inoleuit (quod Ariſtot. *20 ſect. Problem. 34.* teſtatur) vt aliquid laudaturi, præfemur, ne verba noſtra nobis obſint, vt Deus id conſeruet. *Gellius lib. 9. cap. 4.* Eſſe eiuſdem generis in Triballis & Illyriis, adiicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque, quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis, idque malum facilius ſentire puberes. Notabilius eſſe, quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Huius generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bithyæ, prodit Apollonides. Et in Ponto Thibiorum genus, multosque alios eiuſdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem: eoſdem præterea non poſſe mergi, ne veſte quidem degrauatos. Haud diſſimile iis genus Pharnacum in Æthiopia prodit Damon, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat.

Poſſunt etiam meſſes & fructus alienos pellicere & alio traducere; vt narrant multi, nec mirum, cum id ſolo motu locali perficiatur à dæmone.

Facilius poſſunt quælibet fruges, terræq; fructus perdere, & agris ſterilitatem inducere. Magi malo carmine dæmonem accerſunt, ille fruges mox perdit & anni prouentum.

Poſſunt etiam igne domos abſumere, vt contigit integro oppido Scilhtuchio, quod in Sueuia anno 1533. fuit à quadam ſaga concrematum.

Poſſunt etiam alienę famæ nocere multis modis; primo dęmoniacis præſtigiis & ludificatione ſenſuum; vt Cenomanenſis ille Triſcalinus; qui inſimulauit parochum geſtati ſub brachio chartarum luſoriarum pro breuiario manipuli; quod & ipſi parocho perſuaſit, fecitq; vt rubore ſuffuſus, volumen abiiceret. Deinde poſſunt aſſumpta hominum innoxiorum figura in conuentib. ſuis alibi ve comparere, q̃ fraudem tamen Deus mox aperire ſolet. Deniq; famam poſſunt lædere, peccata occulta reuelando vt ſolent energumeni; vel falſo inſimulando aliquem de aliquo crimine.

Poſſunt

Poſſunt etiã exhibere conuiuia, vel phantaſtica plane, vt arbitror fuiſſe Brachmanum apud Philoſtratum, & Paſetis apud Suidam, & exhibebat ſuperioribus annis Scottus Parmenſis, ex cuius epulis ſaturi, vt ſibi viſi, conuiuæ, mox fame vera cruciabantur: vel ex veris cibis; quos cum dæmon præbet ſagis, vt plurimum morticina ſunt, mali guſtus & odoris tetri, nimirum diuina ſapientia, raro permittit vt ſuaues cibos apponat: ne gumiis hæc ſit ad ineſcandam efficax illecebra, ſal, vt plurimum deeſt, ſæpe panis, forte an vt diuinis myſteriis orgia inſtituat contraria: nam in veteri teſtamento panes propoſitionis quotidie coram Domino ponebantur; & omnis victima atque oblatio ſalibatur.

Poſſunt etiam quando Deus ſinit, captiuos carceribus & vinculis eripere, motu locali tantum ad hoc opus eſt & perfractione; quod cum homines valeant; cur non & dæmon?

Mihi etiam dubium non eſt, poſſe magicen per dæmones præſtigiis, & induſtria varia; qua (vt & robore) plus cunctis mortalibus pollent; & vrbes obſidione liberare & expugnandas præbere, & in prælius victoriæ cauſam eſſe; non deſunt exempla, nec ratio repugnat: cum hominibus non raro laus victoriæ merito adiudicetur. Ollerus magica arte apud Suecos armis clarus euaſit, adeo vt diuinitatis opinionem ſit adeptus, auctore Saxone Grammatico *l.b. 3. Dan.* qui de Oddone Danico pirata ſic ſcribit, *lib.3.* abſque carina altum pererrans hoſtilia ſæpe nauigia concitatis carmine procellis euertit, negotiatoribus infeſtus, clemens agreſtibus. Inito cum Normannis conflictu, ita vt carminum hoſtilem hebetauit aſpectum, vt diſtrictos Danorum enſes eminus radios iacere putarent: cominus vero ne ferrum quidem vagina extractum viſu excipere poterant: victa quippe fulgore acies præſtigioſæ coruſcationis impatiens erat.

Haguinus Noruegiæ Princeps contra Danos pugnaturus, imbris maleficio ita hoſtium vertices inuſitatis grãdinis ictibus conuerberauit, vt eorum oculi veluti quibuſdam membrorum ſpiculis laceſſiti, proſpiciendiq; penitus facultate defecti, grauiorem ab elementis pugnam quam ab hoſte ſentirent. Biarmenſes polo arctico viciniores in Septentrione cõtra potentiſſimum regem Reguerum pugnaturi, carminibus horrendam tempeſtatem Danis immiſerunt, eoſdemq; mox feruentiſſimo calore torruerunt. Ita anceps geminæ intemperantiæ malum hoſtes vita & victoria ſpoliauit. *Olaus lib.3.cap.19.*

Oddonem Danicum Piratam maximum, tradit Olaus in hiſtoria Septentrionalium, abſque carina, altum pererraſſe mare, & hoſtilia ſæpe nauigia, concitatis carmine procellis euertiſſe: at poſtremo peritiore hoſte circumuentum, gurgite ſubmerſum eſſe, qui marinos vortices præſtigioſis carminib. olim calcare conſueuerat.

Othinus quoque Magus Hadingum Daniæ regem, magicis præſtigiis turpiter illuſum, atque longius à ſuis familiaribus auulſum, cum equo per vaſta maris ſpatia ad propria reduxit. Hadingus per amiculi eius rimas, ſub quo trepidus deliteſcebat, animaduertit, equinis freta patere veſtigiis. *Olaus lib.3.cap.19.*

De Tartarorum cõtra Polonos memorabili victoria Cromerus his verbis tradit: Poloni Tartaros anno Chriſti 1240. ad Legniciam commiſſo prælio grauiter vrgebant, & fugientibus inſtabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna vexillum inſigne, cuius pictura X. literæ figuram præ ſe ferebat, in cuſpide vero figura erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id vexillum cum ſignifi-

ſignifer vehementius quateret, fumum atque nebulam denſiſſimam & fœdiſſimã exhalabat. Ea nebula non modo aſpectum barbarorum Polonis adimebat, verum etiam odore teterrimo eos enecabat. Incantationibus id quibuſdam Tartari effecerant; quibus iuxta ac ariolationibus, diuinationibusque cæteris, cum alias, tum in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare ſoliti. Barbari, vbi Polonos trepidare ſenſerunt, cohortati ſeſe inuicem, impreſſionem in eos faciunt, perturbatiſque ordinibus magnam cædem ediderunt. Tantus eo prælio interfectorum Chriſtianorum numerus fuit, vt ſingulis ſingulę auriculæ à Tartaris præciſæ, nouem ingentes ſaccos explerent.

TH. Permittit iſta quandoque Deus peccatis profligatorum exigentibus.

EQ. Sane perantiqua hæc Magices bellica præſtigiamenta. Magicum induſium, Neceſſitatis nuncupatum, Germanis *Nothembdt*, à veteribus celebratur, quo induebantur, vt in bellis à quocunque telorum vel ſphærularum bombardicarum ictu & armorum iniuriis liberi perdurarent, & quoduis aliud corporis incommodum declinarent ſecuri. Eo quoque vſæ ſunt parturientes, vt citius tutiusque fœtum deponerent. Hinc nomen ſortitum eſt, quod in neceſſitate vſurparetur. Huius conficiendi hæc erat ratio: Nocte Natalis Chriſti, filum ex lino in nomine Diaboli notæ caſtitatis puellæ nebant, texebant, conſuebant. In pectore duo aſſuebantur capita, in quorum dextro longa propendebat barba, & velut galea erat impoſita, ſiniſtrum autem horridum, & corona ornatum, inſtar Dæmonis. Latus vtriusque muniebatur cruce. Longitudine à collo medium hominem contegit induſium cum manicis. Id apud eximiæ nobilitatis virum ſe vidiſſe, cui à milite patruo, milite ſtrenuo ceſſerat, ſcribit Wierus lib. 4. cap. 15. de præſtigiis Dæmonum, eoque olim frequenter Cæſares & Principes vſos eſſe. Et conſtat ex hiſtoriis, olim Epheſiis notulas quaſdam & voces magicas fuiſſe, quibus vtentes in omni certamine victoria potirentur. Et Suidas teſtatur, Mileſium quendam cum Epheſio in olympiis palæſtra depugnaſſe, nihilque in conflictu potuiſſe, quòd Epheſius in talo patrios illos characteres haberet: quod ſimulac animaduerſum à iudicibus, ademptas literas, & Epheſium, qui iam triginta defatigarat, ſuccubuiſſe. Polyænus etiam auctor eſt Chryſamnem veneficam arte ſua Cnopo victoriam de Erythræis peperiſſe: non tamen carmine, ſed venenatis tauri carnibus furorem hoſtibus immiſiſſe.

TH. Vt plurimum Deus nõ permittit victoriam in dæmonis poteſtate: ſæpe hic etiã ſuos mauult decipere veterator. Sic Ericus ille Rex Sueciæ ſummus huius cultor vanitatis, poſt tot victorias manus Oſtanis euadere nequiuit. In Suecorum hiſtoria legimus Hadingum ab Othino dæmone iuſſum cum Curetibus confligere prælio profligatum; potione quidem ab eo roboratum, ſed vincere non potuiſſe, donec à ſene quodam exercitus inſtruendi induſtriam aſſequeretur: fallaciſſimosque dæmones eum plurimis ac variis bellorum caſibus expoſuiſſe, nunc victorem efferendo nunc victum omni ope deſtituendo: ſic tandem ſeipſum ſuſpendio publice necari curaſſe victum mœroris magnitudine. Aliud quoq; memini ludibrii hac in re exemplum nobile. Vratiſlaus Lucenſis Dux (verba ſunt Æneæ Siluii) Vratiſlauiæ conditor, bellum contra Gremoziſlaum Boemiæ ducem, nepotem ſuum ſuſceperat, ibi mulierem fuiſſe tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratiſlaum in pugna caſurum, maioremq; populi partem cum eo interitu-

ram prædixit: poſſe tamen euadere iuuenem, ſi ſibi pareret. Adoleſcenti imperata facturum reſpondenti iuſſit, vt primum, qui obuius fieret, occideret, atq; vtraſque aures abſciſſas in pera reconderet: mox gladio inter priores equi pedes cruce in terra facta & deoſculata, fugam maturaret. Pugna in campo, cui Thuſco nomen eſt, commiſſa, cæſo Vratiſlao, adoleſcens, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit: ſed vxorem, quam valde amabat, interemptam reperit, carentem auribus, pectusq; confoſſam; ſic quas hoſti amputauerat aures, coniugis ſuæ fuiſſe, ſtupens triſtisque cognouit.

EQ. Digna merces conſultæ de victoria ſagæ. Fortaſſis & vxor venefica fuit, & ſe prælio immiſcuit, quod ſolitæ mulieres Boemæ: vel genus hic maleficii, per imaginem lethalem in prælio exhibitam, dæmone interea domi miſeram iiſdem vulneribus mulctante.

TH. Quare non minus ſapienter quam religioſe factum ab Innocentio Pontifice; qui vocatos ab Ethnicis è Thuſcia magos & promittentes ſe Romam Alarici obſidione liberaturos, vrbe curauit expelli, iudicans capi vrbem præſtare, quam magicis artib. eripi: ſicut ſe Larinam oppidum eripuiſſe gloriabantur. Non diſſimilis prudentia ſed iuſtitiæ diſtrictior vltio fuit in Allobrogũ Comite. Comitatus iſte ducẽ Andegauenſem ſimul caſtrum oui, quod Neapoli munitiſſimum vndiq; mari alluebatur, à Duce accerſitus conſilii gratia, num oblatio cuiuſdam acceptanda, nec ne. Magus iſte erat, & gloriabatur ſe hanc ipſam arcẽ artib. ſuis Carolo Pacifico (qui in eam tum ſe receperat) in manus dediſſe, paratum eadem techna Andegauenſibus arcem tradere. Præſtigiis ſe ex nube denſata pontem exſtructurum, & à continente in murorum arcis ſummitatem perducturum, ſic metu propugnatores ad deditionem prius à ſe compulſos fuiſſe; cauent tantum milites, qui ponte tranſituri, ne vel manu, vel brachiis, vel tibiis, aut armis crucis vllum ſignum conformarent. Tum enim pontem illum cum tranſeuntium interitu fumi inſtar diſſipandum. Comes iis intellectis, Ducem orauit, vti Magus ad ipſum mitteretur de re tota eum certiorem facturus. Venit miſer & eadem Comiti narrat, ſpondetq;. Contra Comes, nunq̃ ſe commiſſurum, vt tam ſtrenuis militibus, veteraniſq; belli ducib. exprobretur, Carolum Pacificum ab iis, ſine vetitis artibus, infamiaq; tanta, debellari non potuiſſe, ſibi ſpem in Deo, & virtute collocatam. Simul Magum carnifici traditum capite feriri iuſſit. Accidere hæc anno 1383.

PH. Sed & ad dignitates atq; honores promoueri quem arte magica poſſibile eſt. Nec mirãdum eſt, quod ſæpe poteſt ambitus, calumnia, ſymonia & ſimiles corruptelæ ad adipiſcendas dignitates, poſſe id etiam per artes magicas obtineri. Diabolus tamen vtplurimum etiam Magos decipit, inani dignitatis principatusve ſpe, & pro ſceptro palum, pro corona rogum vrendis largitur.

Idem iudicium eſt de diuitiis & theſauris, quos diabolus poteſt eruere, ſuaque ditare mancipia, ſiquidem id Deus permittat, quanq̃ admodum rariſſime. Nouit enim diabolus omnes theſauros abſconditos, & in mari ſubmerſas diuitias, auri atque argenti fodinas, vnionum & gemmarum latibula, & inde poſſet, nemine valente aut audente reſiſtere, quæ vellet, ſumere: longe quoque vafrius & occultius poteſt ex cuiuſuis ſcrinio vel ſacciperio nummos ſubducere, quam quiſquam mortalium: quare cum furunculi & crumenilegi id ſæpe faciant, proculdubio poterit & ipſe. Quod confirmant exempla variorum, quibus dicitur pecunias dæmon ſuppeditaſſe.

Illud

Illud tamen addo, ſolere Diabolum plerumque ſuos ludificare inani pecuniarum ſpe ac ſpecie; quod multis exemplis confirmat Remigius teſtis oculatus. Sic fert fama Faſtum & Agrippam Magos, cum iter facerent, ſolitos nummos ad oculum ſinceros in diuerſoriis numerare, quos qui receperant, poſt pauculos dies cornuum fruſta vel ſcruta viliſſima reperiebant. Sic cuidam infauſtæ, licet nobili matronæ Moſellanæ, quæ ob crimen ſortiarium paucis ab his annis apud aquas Confluentis flammis tradita, fiſcellam dederat plenam ſcutatis, vt apparebat: illa repoſuit in arcam: verum cum vti voluit, loco numiſmatum fimum repperit equinum. Alia huiuſmodi narrantur complura, gaudet enim decipere, & ad iracundiam homines irritare.

Et videmus etiam hoc hominum genere, quibus tam ſplendide diuitias, dignitates, gratiam Principum pollicetur dæmon, nihil eſſe vilius, egenius, abiectius, odioſius: ſi ante diuites erant, depauperantur; ſi pauperes, nunquam ditantur. Lucianus refert Apolloniam arte ſua theſauros ſolitum quærere; ſed nec Lucianus, nec Philoſtratus teſtantur vnquam eum conſecutum quidquam, vnde caput vnctius referret.

TH. Pertinet hoc etiam ad diuinam prouidentiam, & probam mundi atque eccleſiæ militantis gubernationem; quæ in nimis euidens, eam ob cauſam, diſcrimen deduceretur; quot enim allicerentur in exitium veris opulentiis, cum innumeri falſis alliciantur? ſi diabolus poſſet arbitratu ſuo quos vellet ditare; quæ eſt mortalium fere cunctorum auri ſacra fames, valde metuẽdum foret, ne ad dæmonolatriam homines fere omnes adigeret, maxime eos qui à recta fide deuiarunt. Impiis etiam hac ratione diabolus pecuniam, belli neruum ſuppeditaret: quare facile pios opprimerent, niſi Deus miraculo nouo ſubueniret. Merito itaq; ditandi homines poteſtatem atque arbitrium Deus ſibi reſeruauit.

Omnia dat Dominus, nec habet inde minus.

Dei eſt terra & plenitudo eius. Ipſe aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, ipſe dat cuique & improperat: in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Ipſe malos ditat, vt eius bonitatem agnoſcant & conuertantur, quod de Cyro & Nabuchodonoſor conſtat; ditat & bonos, vt recte vtantur, & in opera miſericordiæ expendant. Diabolus de ſuo, quod det non habet; & reuera maleficos vatiniano proſequitur odio, tantumque blanditur vt decipiat, & vt ad æterna perducat ſupplicia; quod vt citius obtineat, non raro ipſemet prodit contubernales, & iudici quaſi in manum tradidit, gaudet enim hominum, (quos odit, vt imaginem Dei) miſeriis, calamitate, & interitu. Hinc fit vt videamus eum homines lactare vana inueniendorum theſaurorum ſpe; & cum quærere, contra humanas etiam leges perſuaſerit, tum eos vel metu exanimet, vel crudeliter præfocet.

EQ. Andr. Theuetus narrat ab oculato teſte acceptum, de Græculo quodam Macriano, eum dum in Paro Inſula theſaurum quæreret, à terra abſorptum.

Vnum adducam admiratione non indignum: Circa annum Chriſti 1520. Baſileæ quidam ſartor ingenio ſimplex, voce balbus, incertum qua arte cryptã illam, quæ Auguſtæ Rauracorum patet, ingreſſus, & vlterius quam vlli alii vnquam potuerant progreſſus, miranda quædam ſpectra referebat. Cereo conſecrato acceſo in cryptam deſcendens, primo per ferream portam ſe tranſiuiſſe aiebat: inde ex vna concameratione in aliam, atq; etiam in hortos pulcherrime virentes. In medio

aulam magnifice ornatam ſpectari,& virginem formoſiſſimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam,crinibus ſolutis, inferne in horridum ſerpentem deſinentem,à qua manu ad ſcrinium ferreum deductus fuerit; ſcrinio duos moloſſos nigros incubare,& terribili latratu accedentes arcere. At virginem minabunde ſimilem eos compeſcere. Tum clauium faſce,quem collo alligatum geſtaret, ſoluto, arcam recludere, & omnis generis numiſmata, aurea,argentea,ærea depromere. Quorum non pauca liberalitate virginis ex ipſa crypta ſe retuliſſe oſtendebat. Addebat virginem narrare ſolitam diris imprecationibus ſeſe,cum regio eſſet orta ſtemmate, iam olim deuotam in tale monſtrum mutatam fuiſſe, neque aliam ſalutis recuperandæ rationem ſupereſſe; quam ſi ab illibati pudoris adoleſcente ter deoſculata fuiſſet, tūc enim formam priſtinam ſibi reſtitutum iri,& dotis nomine theſaurum omnem, qui eo loci lateret, liberatori ceſſurum. Affirmabat quin etiam bis ſeſe virginem deoſculatum,bis tam horribiles geſtus in ea præ gaudio ſperatæ liberationis obſeruaſſe,vt ſibi,ne viuus ab ea diſcerperetur, metuendum fuerit. A quibuſdam nepotibus in ganeum deductus, nunquam poſtea aditum ad cryptam inuenire potuit,nedum ingredi.

TH. Quis non deprehendit illuſionem? iuuenis ille mentis non bene compos,vel Magus; illa de genere Lamiarum, dæmon : oſculum petebat, deuoratura poſt tertium nō permiſit Deus; canes illi duo,alii dæmones vel veri vel fictitii theſauri cuſtodes,numiſmata quædam forte vera,& Deo permittente data.

EQ. Poſt annis aliquot alius ciuis Baſilienſis eandem cryptam ingreſſus,vt familiæ ſuæ paupertatem leuaret,nihil præter cadauerum humanorum oſſa inuenit, & ſubito correptus horrore, feſtinus egreſſus, intemperiis actus fuit, donec tertia poſt die miſere interiret. Paucos ante annos quidam Prior Margullinæ cum duobus ſociis foſſam quandam in ſpelunca Regis Salai prope Puteolos, theſaurorum cauſa ingreſſus,miſere interiit,nec amplius viſus, vt narrat Villamontius *lib. 1. Itinerarii ſui,cap. 23.*

TH. Optimo itaque iure Carolus Cornelium Agrippam,& duos alios nobiles, aula & regnis ſuis exulare iuſſit; eo quod illi theſaurorum per artem magicam, ſpem obtuliſſent. Ac ſane, ſi ab initio emergentium artium magicarum Magiſtratus cuiuſque ditionis, earum auctores ac Profeſſores exterminaſſent,tum non tam late ſerpſiſſent.

PH. Potuiſſent quidem facile per Magiſtratus artes huiuſmodi diabolicæ reprimi,niſi ipſi huiuſmodi ludibriis ac faſcinamentis ſeſe immerſiſſent. Nam ſi de primo atque antiquiſſimo harum artium præſtigiatricium auctore inquirimus Regem (nempe Zoroaſtrem)Bactrianorum reperimus auctorem. Is enim artes magicas inueniſſe, & de iis centum millia verſuum ſcripſiſſe traditur, teſte Plinio. Hunc quidam Mizraim Chami filium eſſe volunt, alii vero diuerſum,floruiſſe annis plus octingentis ante bellum Troianum, tempore Abrahami. Is autem, vt in Clementis Itinerario legimus,volens videri Deus,& aſtris multum intentus,velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis eliciebat, vt rudes in ſtuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipſo Dæmone,quem importunius frequentabat,ſuccenſus,ſplendido diſcipulorum commento,tanquam amicus Dei, vehiculo fulminis ad cœlum leuatus abiit. Quamobrem nomē poſt mortem ſortitus eſt Zoroaſtres, quaſi viuens aſtrum. Vixit Nini Regis temporibus,cum quo bella geſſit. Prædixit moriens, ſi cineres ſuos ſeruarent,Regnum eorum non interiturum. *Suidas.*

EQ. Fama

EQ. Fama eſt Perſen & Æram fratres, vno tempore, hunc in Ponto, in Taurica illum regnaſſe, immiti vtrumque truciq; ingenio. Hecate ex Perſe orta eſt, ſæuitia & feritate paterna nihil inferior: quæ cum virgo adhuc eſſet, ſagittis, quos libitum fuiſſet, transfigere ſit ſolita. Sed maius adhuc illi ſtudium in venenis conficiendis. Aconiti inuentum ad eam referunt quidam, vim naturamque veneni in hoſpitibus experiri cōſuetam. Mox patrem his artibus aggreſſa, vita ſpoliauit, cuius morte Regnum adepta, Tauricæ erexit templum Dianæ, ad cuius aram, vt hoſpites, ſiue terra ſiue mari adeſſent, crudeliter mactarentur, inſtituit: futurum rata, vt ſuū per hæc nomen in plures gentes fama diffunderetur. Nupſit hęc deinceps patruo, cui Circen, Medeam, & Ægialeum enixa eſt. Circe maternis artibus imbuta, & ipſa herbariam, venenaque tractauit, addidit etiam per ſe aliqua. Nupſit virgo Sarmatarum Regi, eoque veneficiis ſublato regno potitus eſt. Quo cum aliquandiu male eſſet vſa, crudeliterque nimis tractaret ſubiectas gentes, Regno pulſa, modico mulierum comitatu, deſertam in Oceano inſulam tenuiſſe dicitur. Sed maior omnino fama eſt, in Italiam eam veniſſe, conſediſſeque in Latii promontorio: Tū vero inſula fuit, ab eoque incolatu Circeiorum nomen adepta. Medea domeſticas artes & ipſa haud quidem aſpernata, medicis herbarum viribus, magicorumq; carminum ambagibus operam dedit: Sed ingenio multo mitior quam mater aut ſoror (quarum vtraque feritate truculentiaque fuit inſigni) cum arte multa, tum gratia qua plurimum apud patrem valebat, hoſpites eripiebat cædi deſtinatos. Tandem patri ſuſpecta, ad Solis templum in littore ſitum confugit. Argonautæ à Taurica in Pontum noctu delati, aduentus ſui cauſam Medeæ indicarunt: Illa imminens à patre periculum, crudelitatemque in hoſpites vt cauerent, admonuit. Communicato conſilio, Medea ſe adiutricem ad perficiendum certamen propoſitum pollicita eſt, Iaſon iureiurando data fide, vxorem ſibi illā, quoad vita ſuperſtes eſſet, futuram ſpopondit. Tum noctu Argonautæ, relictis templo cuſtodibus, cum Medea ad vellus aureum profecti ſunt. Cum iiſdem reuerſa in Græciam, Æſonem patrem Iaſonis iam ſenio confectum, ſuis artibus reduxit ad iuuentutem. Peliam Iaſonis patruum à filiabus necari curauit, aſtu ſane ſupra quam muliebri ac plane diabolico. Pollicita fuerat Argonautis, ſe Peliam dolis necaturam, Regiamque ſe illis ſine periculo tradituram, ſimul quæ actura eſſet, ſingulatim cū prædixiſſet, à Regia maritimæ ſpeculæ cuſtodibus ſignum perfectæ rei ſe daturam aſſeruit, fumum die, noctu ignem. Parata igitur caua Dianæ imagine, varia venenorum genera in ea abſcondit. Deinde capillos ſuos quibuſdam medicamentis canos reddens, ita faciem corpusq; rugoſum effecit, vt aſpicientib anus videretur. Sumpta deinde Dianę ſtatua, in vrbem profecta, omnes ad ſuperſtitionem commouit, tanquā ab Hyperboreis veniſſet, & Regis & ciuitatis bono. Cum ſinguli Deam ſacris venerarentur, vniuerſus tanquam debacchatus populus, Medeam in Regiam deduxit. Hæc res & Peliæ ſuperſtitionem iniecit, & filiæ in eum ſtuporem Medeæ præſtigiis deductæ ſunt, vt perſuaderentur, præſentem Deam felicitatem Regiæ præbituram. Aſſerebat enim, Dianam à Draconibus per aerem delatam, magnam orbis partem circumiſſe: vt autem perpetuo coleretur, elegiſſe omnium Regum piiſſimum. Mandaſſe inſuper ſibi Deam, vt ſenectam Peliæ quibuſdam pharmacis ablatam, in adoleſcentiam verteret, multorumque annorum vitam beatam diisq; acceptam præberet. Ad quæ verba cum Rex obſtupeſceret, iuſſit Medeam in ſeipſa, vt fides ei haberetur, quod dixerat, experiri. Illa petēs, vt pura ab vna ex filiab.

afferretur aqua, cum ſe in thalamo incluſiſſet, vnxiſſet corpus, herbarum virib. in priorem ętatem reſtituta eſt. Feciſſe quoq; aſſerunt eam quibuſdam incantationibus, vt draconum ſpecie Dea per aerem ab Hyperboreis vecta, apud Peliam diuertere videretur. Pelias plurimi Medeam faciens, diligenter filias obſequi eidem imperauit, quicquid circa ſui corporis curam mandaret. Sequente nocte cum Pelias dormitum iſſet, aiũt dixiſſe Medeam, neceſſe eſſe vt Peliæ corpus in vaſe æneo coqueretur. Quod cum acturæ eſſent virgines, vna experimento aliquo fidem verbis ſuis fieri poſtulauit. Aries aderat, multis annis domi nutritus, quem virginib. pollicita eſt, ſi illum prius decoxiſſet, in integrum ſe poſtea reſtituturam. Cum virgines annuiſſent, ferunt Medeam arietis decoxiſſe corpus, in fruſta diuiſum, ac medicamẽtis quibuſdam ex lebete agni ſpeciem eduxiſſe. Quo facto, fide Medeæ habita, reliquæ omnes patrem pulſando occiderunt. Sola Alceſtis, ob inſignem pietatem à genitore abſtinuit. Tum Medeam dicunt, ne Peliæ corpus aut inciderent aut coquerent, edixiſſe. Simulans vero prius votum Lunę eſſe faciendum, virgines ſuper culmen Regiæ cum lampadibus aſcendere ſecum iuſſit. Ibi Colchorum lingua longa ad terendum tempus oratione habita, ſignũ dedit Argonautis, rei conficiundæ tempus adeſſe. Ibi igne è ſpecula conſpecto, exiſtimantes Regem defunctum, curſu vrbem petentes, mœniaque ingreſſi, ſtrictis enſibus ad Regiam profecti ſunt, vigilibus qui obſtiterant interfectis. *Diod. lib. 4. c. 3.*

Vixit autem Medea cum Iaſone per decennium. At vbi Glaucam ſiue Creuſam Creontis Regis Corinthiorum filiam ſibi præferri vidit, nouæ nuptæ, diſſimulato odio, pallam venenis infectam muneri miſit. Quam quum illa induiſſet, ſubito flagrauit incendio, pariq; exitio perierunt Creon & eius Regia. Filios ex Iaſone ſuſceptos immaniter laniauit palam. Extincto præ mœrore Iaſone, Thebas fugiens, Herculem ab inſania liberauit. Inde à Draconibus in aerem ſubleuata Athenas deuolauit. *Hæc ex Diodoro lib. 4. c. 3. & Ouidio 7 Metamorph. & Sabellico.*

PH. Apollonius Tyaneus Philoſophus. Apollonii filius. Mater grauida dæmonem aſtantem vidit, qui diceret, ſe eum eſſe, quem illa geſtaret in vtero, Proteum ſcilicet Ægyptiũ. Hinc Protei filius eſt habitus. Floruit ſub Claudio, Caio, & Nerone, vſque ad Neruam, ſub quo deceſſit. More Pythagorico tacuit per quinquennium: poſt in Ægyptum abiit, inde Babylonem ad magos, inde ad Arabes, & ex omnibus illis locis celebres præſtigias collegit. Suidas. Vitam eius deſcripſit Philoſtratus. Voluit ſane aſtutiſſimus dæmon nebulonis huius præſtigiis, Chriſti Opt. Max. miracula in dubium reuocare, eidemque veluti antagoniſtam opponere. De eo magnus Anaſtaſius Theopolis Epiſcopus ita ſcribit: Quibuſdã in locis ad hunc vſque diem Apollonii opera ſtant, & ſuam habent efficacitatem: alia quadrupedibus ac volucribus damnoſis auertendis, alia ad inordinatos animum excurſus inhibendos, alia aliis rebus, quæ hominibus detrimentum afferrent, arcendis. Neque eo tantum viuo dæmones per ipſum tot ac talia egerunt, ſed ipſo etiam mortuo, ad monumentum eius perſeuerarunt, atque ipſius nomine miracula quędam ediderunt ad decipiendum miſeros homines, qui facile huiuſmodi rebus ſe à diabolo induci patiuntur. Quid enim dicam de Manethonis magicis operibus? qui tantus fuit iſtarum impoſturarum artifex, vt ſemper palam Apollonium irriſerit, vt non perfecta eius doctrinæ peritia inſtructum. Oportebat enim (aiebat) eum, ſicuti ego ſoleo, ſolis verbis perficere quæ vellet, non operum effectionibus ad ea vti. *Cedrenus in Hiſtor. compendio.*

TH. In

TH. In Creta etiam Moſes quiſpiam integro anno circuiuit, Iudæos excitans, ſeſe ipſos per mare, non aliter quam Moſes olim factitarat, traducturũ. Iudæi conuocant ſuos omnes, quoſcunque poterant. Die præfinita miſeros homines, comitante mulierum & liberorum multitudine, pſeudopropheta in præruptum locum eduxit, ibique eis prominentem in mari rupem commonſtrat ac ſuadet, vt in mare inſilientes, tantum ad eam natent, poſtea ipſos tutum iter habituros. Inſiliunt plurimi, faſcinati eius largis promiſſionibus, ſed alii merguntur & pereunt in aquis, alii à piſcatoribus caſu interuenientib. ex vndis extrahuntur. Ac plures ſecuti fuiſſent, niſi qui vix liberati fuerant, reuertentes ad reliquam multitudinem, periculum & interitum aliorum expoſuiſſent. Interea dum iſta geruntur, propheta euanuit. Itaq; non abs re iudicatum eſt, fuiſſe cacodæmonem, qui permiſſu Dei miſeram illam turbam ludificaretur, & multos morti traderet. *Socrat. lib. 7. c. 38.*

EQ. Sufficiant hæc de incantationum auctoribus. Et ſi placet, nunc ipſas incantationum ſpecies proſequemur.

PH. Pleræque incantationes prçuia certorum verborum pronunciatione peraguntur. Eouſq; enim progreſſus eſt hic diabolico faſcino introductus furor, vt exiſtimatum ſit, non ſolum mentione nominis diuini, & recitatione ſacrorũ verborũ, confici, quæ expeterentur, aut naturis rerum, vel nouas indui vires, vel priores eximi, infirmari aut vegetari, aut naturæ curſum mutari, aſtra cœlo detrahi, fulmina elici, ſerpentes feritate exui, venenoque beſtias mulceri, ferrum rumpi, aliaque huiuſmodi: verum etiam noua corpora aut ſubito creari, vt nubes, pluuias, ventus: aut ad certos cœli poſitus, ſed aut his verbis adhibitis, aut certis characteribus inſculptis, quorum ſit vis & efficacia maior pæne, quam creaturarum ipſarum, fabricare poſſe, adeoque characteres ſolos, inciſos alicui materiæ, illitosve & geſtatos plurimum pollere.

Complector aũt ἐπῳδῶν, *carminum ſuperſtitioſorũ ſiue incantationũ*, nomine, quicquid conceptis ac prolatis verbis, nõ ſoni tamen, ſed ipſorum verborum vi, impetrari aut effici falſo creditur. Nulla enim facultate verborum, nullo illius à quo eduntur aut conſecrantur, ſed faſcino ac præſtigiis diabolicis effectu fit ratũ, quod agitur ſeu reipſa & vere, ſeu ludibrio: Alterutro vtrorumq; modorum geri perficiq; res putetur, ſeu ipſo enunciatu immediate, ſeu per vim nouã in res medias adactam, quorum vtrumq; cum fiat, aut ex fœdere & ſocietate cum familiarib. ſpiritibus, palam præſentibus effigie quacunq, iis ſcilicet, quibus ſeſe dediderunt: Aut vel ex obligatione ſola cum his mutua, abſq; cõmercio manifeſto, vel ſine expreſſa obligatione pariter, & conſuetudine familiari, ex perſuaſu tantum impio ac falſo, qui eſt ab occulta & interna ſocietate atque efficacia diaboli, & colluſione in operis effectu. Illud prius, ꝙ domeſticos ſpiritus conſpicuos oculis, aut ex quocunque cõſortio alio familiaris, ſiue vt vates conſulit, ſiue vt architectos adhibet operi, ꝙ meditatur quis aut parat, magorũ eſt propriũ, è quocunque ſint ſexu: hoc incantatorũ proprium eſt. In illo dæmones ipſi vt cientur aut eliciuntur, ſic & cõparent in hunc finẽ, vt voce vel nota, aut quocunq; modo alio quæſita vel poſtulata expediant. In hoc vis omnis proficiſci & exilire è carmine vulgo putatur aut ſolo, ſed cum peculiari aliquo ſolemniq; ritu recitato, vel ſine hoc etiã, aut cum ſuperſtitioſa atq; impia obſeruatione circumſtantiarũ, tẽporis, locorum, perſonarũ, & ſimiliũ vſurpato, vt cũ magi cryſtallos aut ſpecula ab impollutis pueris inſpici volunt, aut cum plantas certis anni tẽporibus decerpunt, aut ad certos cœli poſitus fingunt imagunculas.

TH. Sa-

TH. Sapientiores Ethnicos nunquam ſenſiſſe, quod vis talis aliqua verbis inſit, ex Platone patet, qui prꝑſtigiatores illos ait perſuadere imperitis, à diis quod facultatem eam habeant, quos illecebris quibuſdam & alligationibus, & vt alibi carminibus ac deprecationibus obſequentes ſibi reddant. Galenus etiam quicquid eſt talium *μαγγανειῶν, impoſturarum*, vt falſas, *καὶ οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἰσχύσας, & nullam rationem artu medicæ habentes*, repudiat, omnes *τῶν περιάπτων* ſeu Amuletorum *ληρώδεις μεταμορφώσεις, nugatorias transformationes*, Nazianzenus de vtriſque quę ſit Eccleſiæ ſententia paucis explicat, *nihil tibi opus eſt amuletis & incantationibus, per quas diabolus vna ſurrepit.*

Incantationũ varii modi.

PH. Fuit omnibus temporibus magna incantationum varietas, quas alii aliis modis exercuerunt, vel ſimulacris, imagunculis, characteribus, corporibus ritu ſolemni effictis aut fabrefactis: vel rebus creatis, plãtis, animalibus, horumq; partibus, metallis, certo decerptis aut collectis tempore: vtriſque carmine conſecratis, id eſt, execratione diabolica deſtinatis vſui nefando & impio: ſed vt plurimum ad illorum organorum conſtructionem apparatum, aut vſum, vel ſacris Dei oraculis, vel blaſphemis diaboli vocibus deblateratis, à quibus vim omnem proficiſci ac pendere arbitrantur. Diabolo interea conſentiente, colludente, & vel reuera expediente, quæ incantator molitur, vel faſcino ac præſtigiis quædam illis ſimilia adornante. Verba ſunt alia impetrantis, alia depulſoris, alia commentatoris.

De Æmilia virgine Veſtali annotatũ eſt, quod, cum ignis ſacer extinctus eſſet, negligentia vnius ſociarum virginum, cui curam illius cuſtodiamq; demandarat, ipſa ſuam demonſtratura innocentiam, præfatis precibus impetrauit, vt lacinia, quam de veſte abſciſſam coniiciebat in aram Veſtæ, ſua ſponte exardeſceret.

TH. Præcipuum in hoc artificio ſcelus eſt, horribilis profanatio ſanctiſſimi nominis Dei, & abuſus pene deformis verbi Dei, quibus excuſantur & ornantur pleraque. Nõ eſt aliud tetrius & maius mendacium, & magis contumelioſum in Deũ, quam fingere ex recitato nomine aut verbo Dei, protinus corripi ea, quæ vſurpãtur, media noua vi effectrice, aut rerum ſeueriſſime prohibitarum à Deo, vt cędiũ, furtorum, læſionum multiplicium, aliarumq; huiuſmodi, aut operum, quæ ſolus omnipotentia ſua Deus efficit; qualis eſt commentum Cabaliſtarum, qui decem Dei veri nominibus & Angelorum, quorum meminerunt ſacrę literæ, ea, quæ magnifica ſpecie pollicentur, & diabolo iuuante, Deo permittente, quandoq; conficiunt, peragere ſe affirmant. Non eſt ſcelus maius, quam depoſita omni cogitatione de ſalute propria, abuti verbo Dei, ad præſtigias diaboli, in Dei contumeliam, tegendas, aut etiam pingendas, quod ex arcano ſinu Patris Filius Dei, immenſo victus amore generis humani, deprompſit ac promulgauit, miſerorum ac perditorũ hominum cauſa: vt hi, cum eſſent lapſu primorum parẽtum prorſus auulſi à Deo, omniq; gratia excuſſi, ex hoc ſe in gratiam repoſitos diſcerent, haberentq; certa & expreſſa teſtimonia voluntatis diuinæ erga ſeſe, quibus ſe in veris animorum conſternationibus, & ancipitibus diſtractorum ſenſuum animi fluctibus erigerent, & erudirent. De vero vſu Paulus concionatur Timotheo: *Tota ſcriptura diuinitus eſt inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad reprehenſionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt perfectus & abſolutus ſit homo Dei, ad omne opus bonũ inſtructus.* Item, *Euangelium eſt vis & efficacitas diuina, ſalutis efficiens in credentibus.*

Incantatorũ impietas deteſtãda.

Manifeſtum eſt itaq;, quod his in natura ordinatis vſibus creaturarum prorſus aduerſentur & repugnent commentitii abuſus incantatorum; qui, dum fingunt, admur-

admurmuraturarũ precum virtute vel inſeri, atq; infigi creaturis nouas vires, vel vim adferri Deo, vt cogatur præſtare ac perficere, quod parant ipſi & moliuntur, & contumelia Deum afficiunt ſumma, & horribiliter polluunt ac profanant Dei opera & inſtituta.

Eſtq; commẽtitium, quod incantatores de characteribus, hac illave figura delineatis ſculptisve, tum ſimulacris aliqua ſpecie expolitis, tum corporibus ad certos cœli poſitus, elaboratis, & imaginib. inſignitis, deque numeris formiſque elementorum, oracula ſeſe excudere iactitant. Id enim cõmuni ſenſui repugnat. Primum de characteribus certum eſt, perpetua ſibiq; conſentiente experientia, quãtitates nullas, nullaſq; figuras ſubſtantiis ab ipſa natura circumdatas efficaces eſſe: neq; inde accedere rebus aliud quicquam, quam quod hæ attributã ſingulis à natura, molẽ conſtituunt ac definiunt: illæ eandem conformant, ſpecie ſingulis conuenientе, ex prima ordinatione & propria, non eo tantum, vt hæc ſpecies externa diſtinguat naturas cognatas, ſed ob certos & rebus ipſis commodos vſus. Neq; enim caſu aut ex fortuito conſluxu cohæſioneq; & coalitu atomorum, in ſuas ſingula corpora coierunt formas, ſed magna ſapiẽtia formata membra *δημιουργὸς, opifex* naturę eo collocauit & coniunxit ordine, vt aptam & congruentem ſingulis figuram conſtituerent. Si igitur illarum figurarum nulla vis eſt, neq; *ἐνέργεια, efficacia*, quas natura molitur & rebus affingit: multo minus manu fabrefacti characteres agent aliquid: &, vt oſtendi antea, impium eſt & falſum, quod ſacra verba ea vi pollere comminiſcuntur, vt in chartas membranasve conſignata literis, ſolis literarum figuris aut voce prolata, ſono ipſo tanquam opere operato, propter hoc, quod ſunt verba Dei, ea præſtent, quibus opus eſt, aut perficiãt quæ inſtituuntur. Relinquemus igitur incantatorum & ariolorum præſtigias, quæ excogitatæ ſunt, non vt tales ſint, quales eſſe apparent; ſed vt obſcurent gloriam Dei & veritatem doctrinæ vtriuſq; ſacræ & Phyſicæ, atque occultent, & veſtiant veneficas artes diaboli.

Cumq; certiſſimum ſit, plenas eſſe incantationes horribilium blaſphemiarum, mendaciorum, præſtigiarum diabolicarum, aliarumq; rerum ſeueriſſime vetitarũ diuinitus, ſequamur vocem diuinam præcipientem, ne abutamur ſancto nomine Dei, neve incantationibus vel ſtudeamus vel vtamur: & cogitemus de iudicio Dei aduerſus incantatores, quod declarauit, cum inquit: Incantator *βδέλυγμα, res abominanda* eſt Domino Deo ſuo. Atq; eam ob cauſam execremur & fugiamus omnia illa artificia, quacunq; proponantur ſpecie, ſiue verbi Dei prætextu deferantur, ſiue cum precationibus palam ad diabolũ directis ſint exercendæ, quas cognoſcere promptius eſt: Etſi ne illæ quidẽ, quæ fuco virium effectionumq; naturaliũ & ordinatarũ celantur, facile fallunt aliquẽ, niſi quis ſponte & ſua volũtate decipi velit. *Verbũ Dei quomodo efficax.*

PH. Et ego quoq; ex animo execror quaſcunq; incantationes, quocunq; etiam colore velentur. Proſequamur tamen quoad id tẽpus atq; ipſa rei materies ferunt, quæ in iſtiuſmodi pręſtigiis diabolicis obſeruare operępretiũ eſt, id quod periculo eo magis vacabit, hoc nimirum fundamento ex verbo Dei per Dominum Theologum ſtructo, quo velut ariete omnia incantationum fulgura depelluntur ac diſſipantur.

EQ. Recurrendum eſt omnino ad Deum, ſi quem magi aut veneficæ incantationibus ſuis impetant, quippe qui omnes dæmonum conatus irritos facere, omneſq; adeo ipſius vires vel vnico nictu facile infringere poteſt. Anne ergo ob id

omnia remedia humana in eiuſmodi caſibus ſunt reſpuenda & negligenda?

PH. Quidam omnem vim naturalibus medicamentis adimunt, quibus nõ aſſentior, ſed neq; iis etiam, qui directã vim naturalem in dæmones concedunt. Dico igitur; Concurrente cum naturali agente, cauſa ſupernaturali Deo vel Angelo, agere res corporea poteſt in dæmonem, cumque pellere & etiam cruciare: verum tum agens primarium & directum eſt ſupernaturalis illa cauſa: ſecundarium vero & indirectum, eſt corporeæ rei vis naturalis, illi à Deo initio creationis inſita. Lapidibus & herbis vim aliquam tribuit Canon *dæmonium 26. quæſt. 7.* Radices varias commendat Ioſephus, & in his *Baaras*, ſed modus euellendi, & alia quædam, quæ addit, ſuſpectam rem reddunt, *lib. 8. antiquit. cap. 2. & lib. 7. belli Iud. c. 23.* Plinius dæmonum ludibriis arcendis pæoniam commendat, ſed nigram, *lib. 25. c. 4.* Veneficia depelli rhamni ramo ad valuas & feneſtras poſito, vt fama celebre ſcribit Dioſcorides *lib. 1. c. 100.* Verbaſcum valde commendat Apuleius *in lib. de virtut. herbar. c. 71.*

Quid? quod & in humano ſanguine vis aliqua naturalis indirecta ineſſe poteſt? vt menſtrua muliere agros circumeunte noxia vermina necari cenſuere Dardani ſectatores apud Columellam & Lud. Banairolus ſcribit, *Ennead. muliebri c. 2.* ſi menſtruo cruore domus alicuius poſtes inungantur, dæmoniacis magorum artibus & inſidiis aditum omnem præcludi: & apud Mich. Iſſelt ann. 1586. legitur, in Liuonia fuiſſe locũ, vbi nimbis, tonitruis, ac tempeſtatibus dęmonia truculẽter graſſabantur, niſi in lacum quendam innocuus infantulorum cruor à ruſticis infunderetur. Poſterius hoc aperte Satanicum; priori aliquid Phyſicum ineſſe poteſt, ſed indirecte agens. Recitabo ex Balduini Ronſæi venatione nonnulla, quæ, ſi naturæ genius faueat, ægrum poſſent forſan iuuare. De *lupo* ſic cecinit:

Nec roſtrum virtute caret, nam munere quodam
Naturæ arcano depellit faſcina dira;
Si prius exuccum fuerit: mos hinc fuit olim
Antiquis villæ portis præfigere.
Quid? quod dura cutis rigida ceruice reuulſa
Triſtia dicatur depellere faſcina poſſe?
Reſtat adeps pinguis celebrem Saturnia Iuno
Quem fecit populis, dum vincla iugalia curat,
Et linit obductos vittis hoc vnguine poſtes,
Ante venit ſponſus quam optata ad limina ſponſæ.
Hinc quondam iuuenes illi, innuptaque puella
Inſtituere luſus feſtos atque annua feſta:
Quod lamiis, ſtrigibusq; feris quoque ſuſtulit anſam
Turbandi nouiter nuptos, noxamque ferendi,
Nomen & à facto ſortita eſt Vnxia Iuno.
Quid referam cædes, aut quid data vulnera ferro?
Quidve cibis aliis dicam noua toxica mixta?
Dæmon homo eſt homini, ſic nos veſana libido
Exagitans, ſemper trahit ad genus omne malorum:
Sic Strix dira oculos & totos faſcinat amens
Artus, ac lento conſumit corpora tabo.
Horrendum facinus nimium, nil tale verentes,
Promeritosve homines violentæ obtrudere morti,

Et ſpo-

Digitized by Google

Et ſpoliare bonis,ſed magni rector Olympi
Antidotos homines docuit. Nam frontis hyenæ
Noctiuagæ pellem perhibent arcere verenda
Faſcina,ſi geſtet quiſquam,tacituſque reſeruet:
Stercora quæ reiicit violenta & morte perempta,
Oſſaque creduntur magicas depellere fraudes.
Et confert catuli nigri tinxiſſe cruore
Interiora domus,muroſque obducere rubro
Incruſtamento,vel fel ſuſpendere tignis.
Lichenes tumidos celeris dromadæ & deſecare
Conuenit,& ſiccos ſeruare cubilibus amplis,
Quod Strigibus fraudes adimant,& faſcina pellant.
Atque oculus dexter muſtelæ includitur auro,
Poſt teneris digitis aptatus,reddere tutos
Dicitur à diris Lamiis Strigibuſq; ligatos.
Creditur à multis torui ſeruata Leonis
Pars caudæ prodeſſe viris quos faſcina vexant:
Fertur quod ſimili vi polleat vngula Pardi.

Idem Ronſeus *epiſt.22.*conatur oſtendere cur aſini ſylueſtris ſeu onagri, nec nõ domeſtici,nulla nigredine aſperſi,vngula ad effaſcinationem faciat; idque tribuit ſalaci animalis eius naturæ,& ad illud maleficium reſtringendum cenſet, quo viri veluti ligati ad Venerem inutiles redduntur. Q. Sammonicus Serenus, medicinæ capite vigeſimo octauo.

Præterea ſi forte premit ſtrix atra puellos
Viroſa immulgens exſertis vbera labris:
Allia præcepit tundi ſententia Vecti,
Qui veteri claras expreſſit more Togatas.

Euonymus *in Theſauro Medico c. de ſolidis quibuſdam,&c.* docet confectionem electuarii ex argenti viui pulueribus conficiendi,quod faſcino aduerſetur. Marbodeus Gallus multa de lapidibus diſſerens,inter cætera, *de Adamante:*

Et noctis lemures,& ſomnia vana repellit.

Thetel Iudæus *lib. de ſculpturis,*eãdem vim tribuit *Chryſolitho* mulieris figura naturaliter formato:ſed & Marbodeus de eodem:

Eſſe phylacterium fixus perhibetur in auro
Contra nocturnos fortis tutela timores;
Pertuſus ſetis ſi traiiciatur aſelli,
Dæmonas exterret,& eos agitare putatur,
Traiectum læuo decet hunc geſtare lacerto.

Quid Corallium? *Vmbras dæmoniacas & Theſſala monſtra repellit.*
Quid Gagates? *Idem dæmonibus contrarius eſſe putatur.*
Vincit præſtigias & carmina dira reſoluit.
Quid Iaſpis? *Et ſicut perhibent,phantaſmata noxia pellit.*
Quid Onyx? *In ſomno lemures & triſtia cuncta figurat.*

Sane maleficam eius vim ipſemet indicat Marbodeus *c. de Sardio.* cum ſcribit, præſente Sardio Onycem nocere non poſſe. Georg. Willichius de Cameleonte;

Cameleontis hepar toſtum nicromantica pellit
Appenſum collo.

De Alino, *Infantum cunas pellis villoſa defendit,*
Horrificoſque metus pellit & iſta ſimul.

Marcellus Empir. *lib. de medicina c. 20.* potionem præſcribit contra cuncta in cibo & potu ſumpta maleficia; quæ ab illo peti poteſt; contra equorum faſcinationes quaſdam ſuffumigationes præſcribit Renat. Vegetius *lib. 3. veterinariæ c. 74.*

TH. Theologis placuit, eſtque veriſſimum, corporeas res in naturam intellectualem & immortalem, qualis eſt dæmonum, nihil poſſe: quare cenſent cum Angelo, lapides, herbas, particulas animantium, & alias medicinas directe & proxime nihil in dæmones operari, indirecte tamen & mediate iuuare contra eius conatus maleficos, eo quod impediunt vel auferunt diſpoſitiones illas, quibus dęmon vſus fuit; ob naturalem habitum corporis illius quem vexat; vel ratione complexionis atrabiliariæ & ſimilium cauſarum. Ita fit, vt raro, imo vix vnquam maleficia naturalibus remediis penitus tollantur, niſi Deus ſingularem ipſis vim contribuat. Poteſt enim Satan, ſi Deus permittit, vim remediorum naturalium debilitare & impedire.

EQ. Quid vero cenſendum de illis remediis, quæ nullis certis conſtant rationibus, & tamen à multis effectu non omnino irrito vſurpantur, qualia ſunt etiam Iudæorum quædam, vt quod Iudæi ligant Thephilin, hoc eſt, frontales quaſdam faſciolas ſeu reſegmina membranacea, capiti & manui lææ, & valuis, quæ ad dextram ſunt, portæ chartulam infigunt, ita vt eius pars tertia reſpiciat thalamum, atq; ita credunt dæmones impediri, ne poſſint eis nocere. Extat etiam apud Eliam Germanum ratio dæmones è puerperiis fugandi. Conſuetudo (inquit) apud nos Iudæos Germanos inoleuit, vt faciamus circulum per circuitum in parietibus cubiculi, in quo cubat puerpera, cum creta vel carbone; ſcribamusque in ſingulis parietibus, *Adam, Hauah, Chutz, Lilith:* atq; in oſtio interiori ſcribamus nomina trium angelorum, *Senoi, Sanſenoi, Samangeloph,* quemadmodum tradidit ipſis ipſa Lilithea cum vellent eam in mari ſuffocare.

TH. Meminiſſe tędet tam vanarum vanitatum, quæ etiam vel ipſa allegatione ſordeſcunt.

PH. De Iudæis non mirũ, quippe qui traditi ſunt in reprobũ ſenſum cœcoque furore, atq; inſania perciti, dignas proteruiæ luũt pœnas. At à Chriſtianis eiuſmodi nænias caute obſeruari atq; vſurpari, vitio atq; inſigni non caret reprehẽſione. Vtq; alios, atq; ex his Pomponatiũ & Corneliũ Agrippam, quorũ libri prohibitæ ſunt lectionis; allegabo quędã ex Paracelſo duntaxat, ex quib. quiuis intelligat, nihil in hoc homine neq; pietatis neq; mentis ſanæ fuiſſe, primo docet curationes morborum tam ὑπὲρ quam μετὰ φύσιν à dæmonib. per applicationẽ ſigillorum, imaginum, monſtroſorum characterum, in deſignata cœli conſtitutione, & certis metallis inciſorum, & ægræ parti appenſorum, petendas eſſe. Secundo contendit, nihil referre an Deus vel Angelus, vel diabolus, mundus ſpiritus vel immundus, ęgro opem ferant, modo curetur ęger. *lib. de morbo caduco.* & abutitur illo teſtimonio ſacræ Scripturæ, *ſalutem ex inimicis noſtris.* Et de morbis hyperphyſicis agẽs, ſic ſcribit: Qua ratione, & quo modo morbis magico artificio inflictis ſuccurrendum ſit, ſcitu eſt neceſſariũ omnib. medicis, qui perfecti cupiunt eſſe. De tali aũt curatione nec Auicenna nec Galenus ſcripſerunt aut ſciuerunt quicquã. Non enim in Academiis omnis diſcitur ars, ideo oportet medicũ quãdoq; accedere vetulas, ſagas, zigenepos, ruſticos, & circũforaneos, & ex ipſis artẽ ipſam addiſcere; qui plus

ſciunt

ſciunt de iſtis rebus,quã omnes Academiæ Profeſſores, & quanquam hæc rideant Academiæ Profeſſores; tu vtere illis in forti imaginatione & experieris effectum. *Hæc ille.*

Quid vero ab illis addiſcere debeamus, ſequentibus haud obſcure verbis innuit: Si quiſpiam, inquit, ſupernaturali morbo vel dolore per incantationem detineatur, illi nullum naturale remedium proderit, ſed magicum remedium eſſe oportet, quo morbus tollatur, quali & introductus eſt. Et poſtea, quaſi re bene dicta, ſubiungit; tales curationes magicas minime contra Deum eſſe: quia illis non ad perniciem ſed ad ſalutem hominum vtimur, dicant ad hæc, quicquid velint Theologi. *Hæc ille.*

TH. O ſi impurum! quaſi non ſit Theologorum iudicare, quid contra Deum ſit. Sic Agyrta nequiſſimus fidei tribunal ſibi vendicat.

PH. Huc pertinet, quod ad curandum pilorum, acicularum, ſpinarum & ſimilium corpori ingeſtorum maleficium, vult idem, non eximi illa per vulneris inciſionem; ſed materiam illam ſponte prodeuntem, totam excipi, & in foramine facto Sambuci vel quercus Orientem ſpectante imponi; & ex eodem ligno cuneo obturari certis verbis additis. Huc pariter pertinent eiuſdem duo Hexagoni inſcripti: vnus *Adonai*, alter *Iehouah*, vel *Tetragrammaton*: quibus certo modo præbitis omnem morbum magicum pelli iactat. Item de characteribus *Auigazirtor*, &c. inſcriptis nouæ membranæ, ante ſolis ortum, & per N. dies renouatis, &c. contra maleficium matrimoniale, & contra idem quod tradit de *Gabata* ſeu ſolea equi ferrea, fortuito in itinere inuenta, & ex ea die Dominico tridente fabricato, &c. & quæ huiuſmodi accumulat nefariis libris ſuis *de cœleſti medicina, & de characteribus.*

EQ. Talis curatio fuit illa, quam Grillandus deſcripſit, fuiſſe Iuriſconſultum quendam in Sabinenſi agro coniugatum, ſed maleficio factum impotentem, cui nullius medici ars poterat opitulari: is Magum conſuluit, à quo iuſſus; vt ea nocte cum coniuge dormiret, ſumpta quadam potione priusquam decumberet. Sedulo tantum caueret, ne nocte illa vel vxor vel ipſe ſigno ſe crucis communirent; neve metuerent, ſi quid auribus oculisve inſolite obuerſaretur. Paruit cauſidicus, & ad vnguem cunctis obſeruatis; quinta circiter hora noctis, ecce illi pluuiæ, procella, tonitrua, fulguraque maxima; mox & adeo pauendi terræ motus, vt concuſſa domus ab imo nutaret, non ſecus ac arbor à ventis pæne euulſa: ſucceſſere hominum magni clamores & eiulatus. Cumque in eam partem maritus oculos coniecisſet, vidit in camera plusquam mille, vt apparebat (vtar verbis Grillandi) ad inuicem certantes, & vnguibus, pugnis & calcibus crudeliter pugnantes, & lacerantes alterius facies ac veſtimenta tota: inter quos vidit mulierem quandam, quæ erat alterius oppidi vicini, & dicebatur, quod erat malefica, de qua ipſe ſponſus multum ſuſpicabatur, ne ab ea maleficiatus fuiſſet; quæ vltra omnes maioribus gemitibus & vlulatibus cruciabatur, & crines faciemque ſuam totam vnguibus lacerauerat. Propter quæ ipſe maleficiatus dixit, quod aliquantulum timuit à principio, dubitans ne quid mali ſibi accideret: deinde recordatus de monitionib. magiſtri reaſſumpſit vires, vxorem vero ſemper tenuit ſub pannis abſconditam, ne iſta videret. Poſtquam vero ita certauerant per mediam horam vel circa, ingreſſus fuit magiſter in camera prædicta, & erat tunc circa mediam noctem: ad cuius ingreſſum omnes illi pugnantes vna cum muliere ſtatim diſparuerunt, &

Digitized by Google

abierunt penitus: magiſter autem acceſſit ad maleficiatum, & illius humeros tetigit manu perfricando aliquantulum, dicendo quod non dubitaret amplius, quia iam liberatus erat. Poſt cuius diſceſſum maritus conualuit, & deinceps liberis operam dare valuit.

TH. In hac narratione maleficus iſte coegit mulierem illam, quod intulerat, maleficium tollere, immiſſis dæmonibus, qui ſic eam ſpecie pugnantium acerbiſſime cruciarent.

EQ. Sæpiuſcule audiui galli gallinacei cantu maleficia quædam, nocturna præſertim, diſſipari, quid de hoc ſtatuendum exiſtimatis.

PH. Non maiorem vim habet cantus oſcinis huius, quam cuculi vel corui, ſcio confugere quoſdam ad diſſidium, naturale gallinacei cum leone & ſerpente: at fruſtra, quia Diabolus duntaxat metaphoricus eſt ſerpens ac leo.

TH. Si quid veritatis huic experimento ſubeſt, crediderim potius tenebriones illos galli cantum odiſſe, propter myſterium aliquod ipſis odioſum. An quia diei prænuncius ales, ad Dei laudem homines excitat, multaque peccatorum genera, quæ obſcuro ſuo peplo nox obtexerat, ſolari lampade diſpelluntur? an quia Dominica reſurrectione commeminit ſe triumphatum & colliſum, quæ poſt noctis medium contigit? an meminit pœnitentiæ Petri Apoſtoli ad galli cantum, vt lapſus prædictus fuerat, inchoatæ, & electiſſimi ſibi boli ſic erepti.

EQ. Suſque deque fero. Euentu forſitan non carent, at ineſcare hoc modo ſuperſtitioſas hominum mentes Satanam, non dubito. Cui etiam adnumero manuum ablutionẽ matutinam, quam prodeſſe ad maleficium illo die arcendũ multi exiſtimant, idque ſagas Remigio perſuaſiſſe literis proditum eſt.

TH. Quaſi vero munditie Diabolus tantopere delectetur, & non potius omni ſpurcitiei inhiet vehementiſſime, quam etiam ſuis mancipiis ſubinde inſtillat.

PH. Lotium humanum contra maleficia commendat Ananias lib. 4. de natura dæmonum, & exemplum de quodam Pherone ſuppeditat Herodotus *lib. 2.* A Dæmone, inquit, Pheron rex excæcatus, quod ſpiculum iratus in Nilum flumen contorſiſſet; poſtquam vndecim annis ſic luce caruiſſet, oraculum quod in Buti vrbe conſuluerat, fertur reſpondiſſe; viſum ei rediturum, ſi oculos abluiſſet lotio mulieris, quæ à ſolo ſuo marito cognita fuiſſet. Expertum ergo primo loco propriæ coniugis vrinam, cum nihil amplius cerneret; cæterarum deinceps, tandem oculos recepiſſe. Ibique omnes mulieres illas; præter eam cuius vrina ſalutaris fuerat, in vnam vrbem coegiſſe; quæ ἐρυθρὴ βῶλος rubra gleba dicta; & eas illic vna cum vrbe omnes concremaſſe: & medicam illam ſuam ſibi matrimonio copulaſſe.

TH. Sic videlicet Diabolus nullam infamandi lædendique mortales, de imbecilli quoq; ſexu, occaſionem voluit prætermittere. Scilicet, his perterreatur & fugetur, quem non pudet pigetque in fætore cadauerum, & libidinum ſtercoribus volutari. Digni, qui credunt lotio maleficia abigi, non infundi tantum, ſed perfundi.

EQ. Quidam vincula ex ſericis filis contexunt, & characteres quoſdam intus inſcribunt; atq; hæc iuuare dicunt ad omne malum vitandum, ſi collo appendantur.

TH. Tale eſt illud, quod narratur à Georgio Pictorio ex Abbate Spanhemenſi: ſubulcum quendam fuiſſe, qui in ſcipione ſuo vel baculo paſtorali ſcedulam

nomini

Digitized by Google

nomini D. Blaſii inſcriptam habebat: cuius baculi vi & potentia, porcos ſuos ab omni luporum vi & raptu tutos credebat, ac tantum ſcedulæ numinis tribuebat, vt etiam porcos in agris ſolos paſcendos abigeret. Tamen contingente quodam tempore, cum gregi paſtor abeſſet: & quidam præteriens dæmonem cuſtodire vidiſſet, illique dixiſſet, quid ipſe hic cuſtodiret, qui hominum ſalutis perſecutor foret peſſimus? reſpondit, porcos cuſtodio: retulit alter, cuius iuſſu: dæmon inquit, ſtultæ paſtoris confidentiæ. Nam ſcedulam quandam ſuo bacillo incluſit, cui diuinam aſcribit virtutem, vel inde quod ſancti Blaſii nomine eſt inſcripta: & eam porcos ſuos à luporum iniuria defendere, contra legem ſuam, credit, mihi falſa ſuperſtitione inhærens: vbi cum per me fuiſſet vocatus, & denuo vocatus, & non comparuiſſet, me S. Blaſii vice huc cuſtodiendum contuli: vt enim ſemper libens Dei & Sanctorum vices gero: ita & nunc libentiſſime pro ſuo ſancto Blaſio illi porcos cuſtodio: vt ſtultum hominem in ſua vana confidentia extollam ac roborem, ac eo perducam, vt talem ſcedulam pluris quam Deum faciat.

EQ. Scio in Traiectenſi tractu vltra Moſam, quibuſdam in locis ſimili ſuperſtitione, certis verbis admurmuratis, pedum à paſtoribus terræ infigi, & ſic putare ſe abſentibus nullum gregi à lupis periculum ineſſe, quod impiæ crudelitatis.

PH. Annumerare licet, quæ recentiora contra viſibiles inuiſibilesque hoſtes excogitata nugaciſſimæ ſuperſtitionis & taciti cum dæmone fœderis quædam retulit Pictorius primum de Cicorii radice: quam die S. Ioannis Baptiſtæ paulo ante auroram, cum auro & argento flexis genibus contingunt: & ferro per gladium Iudæ Machabæi, exorciſatam, multis ceremoniis ex terra eruunt, & ſecum portant contra aduerſa omnia: deinde de iis qui crines pectinando euulſos non niſi ter conſputos abiiciunt, &, ſi oua comederint, eorum teſtas, non niſi ter cultro perfoſſas in catinum proiiciunt, timentes vtrumque neglectum veneficis nocendi occaſionem præbere, ſeruatum, credentes præcludere nocendi poteſtatem.

TH. Clarioris ſuperſtitionis eſt, putare, ſi quid precario vel furto de malefici domo acceperis, maleficium ceſſaturum: idque merito Remigius reprehendit. Nec enim hoc aliud eſt, quam maleficium maleficio ſanare: par dementia illorum, qui pro philtro vtuntur crepidis, laciniis veſtium, vel præſegminibus vnguium perſonæ quam amant: vt docuere veteres ſcriptores. Sed & hoc admodum ſuperſtitioſum eſt.

PH. Minis, verberibus, aut vi maleficos adigere, vt maleficium tollant (cuius rei exempla peti poſſunt à Remigio,) fieri poteſt vt liceat: ſi conditiones quædam adſint. Primo, ſi certo ſciatur auctor maleficii. Nam ſuſpectos tantum verberare aut alia afficere contumelia, nec fas nec iura ſinunt. Secundo ſi nihil ſuperſtitioſum putetur adhibiturus. Tertio, dum non exiſtimetur morbum in alium translaturus, quod fere ſemper facere conſueuerunt, vt exemplo declarat Gregorius Turonenſis, videlicet iſta diaboli liberalitas eſt, vt boni nihil vllis hominibus præſtet, niſi cum æquali vel maiori hominum damno, quo ſpectat narratio D. Gregorii Magni *lib 1. Moral. c. 9.* de virgine obſeſſa, quæ cum opera magorum ab vno dæmone fuiſſet liberata, in vnius locū ſex vel ſeptem dęmonū millia

ſucceſſe.

ſucceſſere. Neque hoc poetas latuit: ideo enim fortaſſis finxerunt, non potuiſſe Admeto vitam conſeruari, niſi vxoris Alceſtis vicaria nece.

TH. Superſtitioſa vero ſunt, vt cum ad maleficium amoris tollendum, vtuntur maleficio odii, verbi gratia, certo ritu conſecrant vel exſecrant potius columbam nigram, & diuiſam per medium dant comedendam amantibus. Item ſi vt odii maleficium tollant, vtantur amoris maleficio, verbi gratia, Euchariſtiam ſacram in ore habentes oſculantur eam, quam volunt in amorem inducere, vel labiis chriſmate inunctis id faciant. Item ſi vt ſterilitatis agrorum maleficium tollant, hoſtiam ſacram comminuant, & tritam in pulueres ſpargant per hortum vel agrum. Quæ omnia ſunt manifeſte impia & ſacrilega.

Atque in his omnibus notandum ſemper dæmonem lucrum aliquod ſibi ex his comparare, & ſemper animæ, interdum & corpori nocere: quia ſemper aliquid admiſcet, quo fiduciam in ipſum homo profiteatur; vel quo nos à Deo ad creaturas auertat, & à cœleſtibus curis ad cænoſa terrenaque deducat, vel ſaltem à ſeriis & grauibus ad ludicra & nugatoria. Sic ſemper in aliquod peccatum animam pertrahit, vt recte obſeruarunt D. Auguſtinus & D. Leo. Obſequitur mancipiis ſuis, vt firmius illos ſibi deuinciat, & in peccato retineat. Si Deus permittit hoc modo ſanari ægrum, plures in fraudem pellicit: ſi Deus non permittit ſed impedit, tunc ſaltem peccatum hoc præcedentibus accumulans, conatur ægros in deſperationem adducere. Si malum vni equo auferat, transfert in meliorem. Si mulierem morbo liberet, transfert in virum; ſi ſenem, in adoleſcentem. Si ſortem Magus in alium non tranſtulerit, ipſemet necatur, vel ingens vitæ diſcrimen adit: coactæ nonnullæ Lamiæ, quia non poterant in alios, in ſuos ipſę liberos transferre. Narrat auctor Dæmonomaniæ, fuiſſe in Gallia qui maleficio quo læſus erat curando Magum accerſiuit: ab hoc reſponſum; ſe morbo illum liberare non poſſe, niſi in eius filiolum adhuc infantulum transferret: conſentit impius pater, & à Mago ſanatur: interea nutrix re intellecta, infantulum ſubducit, & cum eo aufugit: cum ergo Magus non poſſet in eum transferre, fuit ipſemet à dæmone interfectus. Toloſæ idem ſcriptor ait, ſtudioſum quendam amico ſuo grauiſſime à quartana vexato dixiſſe, vt febrim vni ſuorũ inimicorum traderet; illo vero reſpondente, neminem ſibi inimicum eſſe, dixiſſe: da ſeruo tuo: tandem cum hoc illi religio eſſet facere, Magum dixiſſe; da mihi eam; annuente ægroto, ipſum conualuiſſe; Magum vero febri oppreſſum interiiſſe. Facit lucri ſemper alicuius certa ſpes, vt etiam plane futilibus & abſurdis nonnunquam cooperetur. Tale eſt, quod narrat I.C. quidam *lib. 1. de Lamiis, cap. 8.* cum vetula laborans opthalmia ſtudioſum quendam conueniſſet, ab eoque petiiſſet, vt quæ in ſcedula, quam illi porrigebat, continebantur, ſibi non grauaretur exſcribere, certam ſe eſſe, ſi de collo illam geſtaſſet, oculorum lippitudine liberandam: at ſtudioſus ſcripti illius characteres, vel obſoletos cernens, vel obſcuriores (vt ſolent) legere non valens; eorum loco hæc verba ſcripſit in ſcedula, *Diabolus huic vetulæ oculos eruat:* ſimulque præclarum phylacterium mulierculæ tradidit; quod cum de collo ſuſpendiſſet, ſpe plena poſt paucos dies ſanitati fuit reſtituta. Nimirum voluit Satan hanc anum decipere, & in ſuperſtitione ſua obſtinare.

Huius

Huius generis ſunt etiam hæc quæ ſequuntur: Si aqua benedicta bibitur contra infirmitates, vel ſpargitur ad fertilitatem, vel datur brutis. Idem ſtatuendum de lumine cerei paſchalis & de aqua baptiſmatis, ſuperſtitioſum etiam eſt, abſtinere à capite animalium in honorem ſanctæ Apolloniæ vel Blaſii. Item crux facta de lignis palmarum: balnea in vigilia natiuitatis contra febres, & dentium dolorem; non comedere carnes in die Natalis Domini, contra febres; vel ad honorandum Sanctum Nicolaum pro diuitiis acquirendis, petendo eleemoſynam; eundo ad ſanctum Valentinum contra morbum caducum, ponderando puerum cum ſiligine vel cera; & portare crucem circumquaq; per campos in vere contra tempeſtates, Hoſtiam non conſecratam comedere contra febres. Et ſi quæ alia ſunt rancida, atque elumbia, quibus miſeri homines ſæpius turpiter dementantur.

EQ. Quid vero ſtatuendum de ſchedulis aliiſve huiuſmodi rebus, quæ de collo manibus, pedibus, &c. dependuntur, certique characteres aut verba illis inſcribuntur. quale eſt etiam illud, quod verſus, quos iam ſubiiciam, nocendi cupiditatem latronibus adimere tradunt, adeoque pecunia in loculis periculo careat. Verſus ſunt hi qui ſequuntur:

Imparibus meritis pendent tria corpora ramis:
Diſmas & Geſmas, medio diuina poteſtas:
Alta petit Diſmas, infelix infima Geſmas:
Nos & res noſtras conſeruet ſumma poteſtas:
Hos verſus dicas, ne tu furto tua perdas.

TH. Amuleta huiuſmodi quæ collo dependent, vim nullam obtinent naturalem, ratione verborum, characterum, vel figuræ, vel conſtellationis: ſed duntaxat ratione materiæ, ſi qua huic antipathiæ vel ſympathiæ vis naturalis inſit. Quare ſi quis effectus producatur, cuius cauſa nequit eſſe vis naturalis ſubiecti, effectus ille prodigioſus erit, & amuletum ſuperſtitioſum. Confirmat id D. Auguſtinus *tract. 7. in Ioannem*, his verbis. Fingunt, inquit, Spiritus maligni vmbras quaſdam honoris ſibimet ipſis, vt ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Vſq; adeo fratres mei, vt illi ipſi qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti, qui iam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, vt dent venenum, addant mellis aliquantum, tales ſunt nefariæ illæ formulæ precum, quas contra vulnera & pericula ignis, aquæ & alia, multi hodie geſtitant, quibus Diabolus ſemper tandem imponit, & quando ſunt in ſtatu peſſimo lethalis culpæ, ſinit eos occidi, & deſerit quos ante aliquoties defenderat.

PH. Extant infinita huiuſmodi amuleta anilia, ridicule ſuperſtitioſa, quæ ſuperſtitioſuli caute admodum ac ſedulo obſeruant, idque vt plurimum in malis depellendis & morbis ſanandis; quæ tamen nulla omnino conſtant iuſta ratione. Verbi gratia: ſi quis faciat oblationem ex bonis eleemoſyna impetratis, credens ea maioris efficaciæ ad effectum conſequendum: qui putat crucem ex eleemoſynis emptam vel factam, eſſe ſanctiorem, & efficaciorem: qui offerunt ſanctis ceram, vel aliam materiam, illi immiſcentes capillos hominis, vel pilos animalis ægri: qui mergunt imagines in aquam, pro pluuia obtinenda: qui faciunt quaſdam ligaturas, ne lac vaccis ſubtrahatur: qui per annulum deſponſationis meiunt, vt liberentur maleficio: qui pro quibuſdam capitis doloribus, & ſimilibus morbis curandis, ad porcorum lintrem ſeu obbam collum applicant in nomine Patris, &c. qui metiuntur cingulum ægrotantis ad cognoſcendum à quo ſancto ſit ſanitas

impetranda, adhibitis aliis definitis ritibus: qui ſtramen bipenni diuidunt, vt ſanentur manuum vel digitorum tumores: qui pro quibuſdam pecudum morbis ignes ſtruunt ex peculiaribus lignis, & in eum animalia impellunt vel in orbem circumducunt, & quod primo loco tranſit animal, hoc ſanctis offerunt. qui S. Lupi libum pinſunt, hoc ritu, coquunt libum triangularē, prætexto Trinitatis ſacratiſſimæ honore; & ei quinque foramina imprimunt, in memoriam (ſic colorant) vulnerum Chriſti; poſtea, in B. Lupi honorem, libum dant in eleemoſynam primo mendico, non ex propoſito, ſed ignaro, & fortuito occurrenti: ſic arbitrantur armenta gregeſque, ſola in paſcuis, à lupis inuadi non poſſe. frequens eſt in pagis prope Thenas & Louanium.

Huc referendæ ſunt innumeræ orationum formæ, quibus vulgo vulnera ſanantur, vel morbi curantur, vel infortunia arcentur. Vna in vſu inter Hiſpanos milites, qua quidam ſalutatores, vt ferunt, ſancte viuentes, & omnes gratis curantes, cum ſola impoſitione linteorum, & certorum recitatione verborum vtuntur: formula eſt Hiſpanica, ſed reddam Latine ad verbum; per Chriſtum, & cum Chriſto, & in Chriſto eſt tibi Deo patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor, & gloria. per omnia ſæcula ſæculorum. Oremus, ſalutaribus præceptis moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter qui es in cœlis, &c. Amen. Ieſus. Potentia patris, ſapientia filii, virtus Spiritus ſancti ſanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. Ieſus. Domine mi Ieſu Chriſte, credo quod nocte Iouis Sancti in cœna, poſtquam lauiſti pedes tuorum ſanctorum diſcipulorum, accepiſti panem ſanctiſſimis manibus tuis, & benedixiſti, & fregiſti, & dediſti tuis ſanctis diſcipulis, dicens, accipite & comedite, hoc eſt enim corpus meum, ſimiliter accepiſti calicem in ſanctiſſimas manus, & gratias egiſti, & tradidiſti illis dicens; accipite & bibite, quia hic eſt meus ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. hoc quotieſcunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obſecro te, Domine mi Ieſu Chriſte, vt per hæc ſanctiſſima verba, & per virtutem illorum, & per meritum ſanctiſſimæ paſſionis tuæ ſanetur hoc vulnus, & malum iſtud. Amen. Ieſus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Ieſus.

TH. De hac formula mota fuit anno ſuperiore quæſtio, maxime, quia nullum naturale medicamentum accedebat. Reuerendiſſimus Epiſcopus Iprenſis Simonius, & conſiliarii eius totam curationem hanc iudicarunt ſuperſtitioſam & illicitam, & prohibuere ne quis ea vteretur. Multis hæc damnatio dura viſa, ſed immerito. Nam hic effectus totus exſpectatur à Deo per modum miraculi. Sed miracula ſic aſſidue & quaſi ex conſuetudine poſcere; eſt Deum tentare. Deinde ſancti viri, ad miracula edenda, non ſunt vſi certis, & quaſi conceptis verborum formulis; ſed modo ſic, modo aliter, prout Spiritus ſanctus ſuggerebat. Tertio ſanctitas huius non ſatis probata: fit enim plerumque vt malefici præclare, ſpecie externa, ſanctitatem mentiantur: neque in hac re milites ſatis idonei iudices; quibus ſancti videntur, qui extrinſecus peccata grauia non produnt. Quarto qui donum ſanationum à Deo acceperunt, illi nunquam accipiunt cum conditione, vt talibus vel talibus vtantur verbis: ſed tales commentitiæ formulæ ſunt indicia pacti ſaltem latentis. Quinto, non licet priuatis comminiſci formulas, quas nec ſacræ litteræ, nec Eccleſiaſticus vſus approbauit. Denique applicat verba conſecrationis rei ad quam inſtituta non fuit. (quod non eſt permittendum) & præterea petit

ea petit effectum ſibi concedi per vim prædictorum verborum, quæ vis non ad vulnerum corporis conſolidationem, ſed ad panis ac vini conſecrationem, à Saluatore noſtro directa fuit.

PH. Plura huius generis recenſebo. Sunt enim valde ridicula; & vel ſola allegatione ſemet confundunt. Quamuis Canoniſta quidam qui vixit anno 1454. nomine Felix Malleolus Canonicus quondam Tigurinus integro libello *duorum tractatuum de exorciſmis*, ſe patronum præbet huiuſmodi precationum & medicamentorum. Atque vt in ſpecie dicam vult licitam eſſe curationem per huiuſmodi verba (dicam Latine, tum vt omnes intelligant, tum ne quis vtatur; ſi eo, quo pronuncianda ſunt verba, idiomate & rythmo proponerentur) Si Sancta Maria virgo puerum Ieſum vere peperit: liberetur animal hac paſſione. In nomine Patris, &c. *Et illud*; Chriſtus fuit natus, Chriſtus fuit amiſſus, Chriſtus fuit inuentus: ipſe benedicat & conſignet hæc vulnera, In nomine &c. *Et illam*; ego adiuro vos vermes, per omnipotentem Deum, vt iſta ciuitas vel domus ſit vobis tam deteſtabilis, quam Deo eſt vir ille: qui falſam ſententiam protulit, & iuſtam nouit, in nomine Patris, &c. & dicit hæc dicta, mutatis mutandis etiam proficere, contra lumbricos & vermes, qui animalium viſcera corrodunt. Tales ſunt, hæ quæ ſequuntur formulæ, quas tamen non recitabo integras, ne curioſi iis abuntantur. Recitabo igitur tantum initium ac finem, omiſſis mediis & circumſtantiis, quas auctores earum requirunt. Primæ quatuor frequentes ſunt in Eburonibus.

1. Ad equos ſanandos. interrogant cuius coloris ſit? ſi dicas, ſpadicem. clamant, Spadix, ſpadix, ſi laboras tali vel tali morbo, tam vere ſaneris, quam Ioſeph & Nicodemus, &c. 2. Ante par ante, par ante ante, &c. vt virgo Maria peperit. 3. Alligare equum ſtoloni arboris, quæ nunquam fructum tulit, idque trium horarum ſpacio. 4. Pro quouis morborum genere: funiculo laneo brachium circumdare, in nomine Dei, &c. & ad nomen ſancti, cui morbus tuus ſacer, funiculus contrahetur, & fiet breuior, &c. 5. Dicto, conſummatum eſt, pedem equi terræ fortiter incutere, & addito alio verſic. ex orat. Domin. clauum excidere. 6. Ad morbum quendam animalis ſanandum, iniicere phialæ vitreæ aqua limpida plenæ, nouem hordei grana, &c. 7. Filum per chriſma trahere: aut terream imaginem, ſub altaris pala abſcondere. 8. Tempore miſſæ dentes tangere, & quendam ex Euangelio paſſionis verſiculum ſimul dicere. 9 Cum ægroto ante febris acceſſionem manus lauare, & interea certum ex Pſalmis verſum ſubmurmurare: vel laborantis manu prehenſa dicere, Æque facilis tibi hæc febris ſit, atque, &c. 10. Recipe tres panes miſſales, & in vno ſcribe, qualis eſt pater, &c. in altero, &c. in 3. &c. & dare has hoſtias febricanti, &c. 11. Ducere ægrotum feria ſexta (idque continuis tribus diebus, ante ſolis ortum, verſus orientem) & eo expanſis ad ſolem manibus in crucifixi morem ſtante, dicere; Hodie dies illa eſt qua Dominus Deus ad crucem acceſſit, &c. denique recitare nouies ternas orationes Dominicas, & ternas ſalutationes Angelicas. 12. Illud Aphricani; Guſtate & videte quod bonus eſt Dominus, inſcriptum certæ ſupellectili, &c. 13 In aquæ frigidæ cyathũ inſtillare profluentis ſanguinis definito numero guttas; & inter vnam quamq; legere Pater noſter, &c. & propinare patienti. eumq; certa quædã interrogare: *vel* fronti eius certum verſiculum cruore illo inſcribere. *vel* in ſanguine ſi

ſtendo, dicere; Sanguis mane in te, &c. ſanguis mane fixus, &c. & ter repetere. *Item*; in ſanguine Adæ orta eſt mors ✠ &c. ô ✠ ſanguis vt fluxum tuum cohibeas. *Item illud*; Chriſtus natus eſt in Bethleem, & paſſus, &c. & hæc dicentem tenere innominatum digitum in vulnere, & facere certas ſuper vulnere cum eo cruces, & dicere quinque Pater, & ſemel ſymbolum, &c. *Item*; certum verſiculum ſolum dicere ex Paſſione. *Item*; dicere, In nomine Patris, &c. chunrat, cara, ſarite, &c. 14. Tribus diebus ante ſolis ortum ſuper equo dicere, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti exorciſo te vermem per Deum Patrem ✠ &c. vt nec carnem nec oſſa huius equi edas, &c. Deinde certo numero recitare Pater & Aue. tandem in dextram aurem equi cum aliquot crucibus factis inſuſurrare quatuor quædam verba. 15. Ad inueniendum furem, in cryſtallo crucem facere cum oleo oliuæ, & ſub cruce ſcribere S. Helena, & puero caſto atque legitimo decenni tradere phialam tenendam, & poſt tergum eius flexis genibus ter dicere orationem S. Helenæ; deprecor te Domina S. Helena, mater Regis Conſt. &c. Amen. & cum angelum (*intellige nigrum*) videbit puer in phiala, tum interrogare quæ quis voluerit. *Item* ad furem deprehendendum; Accede fluentem aquam, inde quot ſuſpectos habes, tot numero lapillos collige, domum refer, fac igneſcant in foco, defode ſub limen, &c. imponantur ſcutellæ aqua plenæ cum certis ritibus, & ad nomen furis calculus eius aquam faciet ebullire. *Item*; leguntur ſeptem Pſalmi cum Litaniis, hinc ſequitur oratio terribilis ad Deum Patrem, &c. hinc exorciſmus in furem: denique formatur figura circularis cum barbaris nominibus, & in medio pingitur oculus, tum clauus æneus certorum laterum oculo infigitur malleo cypreſſino, & dicitur certus ex Pſalmis verſiculus. ſic furi oculum putant excuti. *Alii*, die Sabbati ante Solis ortum ramum auellanum abſcindunt, dicentes; Ego te ramum huius æſtatis reſeco, &c. in menſa ſternitur tegumentum additis his verbis, &c. quæ ter repetenda. *Alii* vtuntur exorciſmo ſeu anathemate, quod blaſpheme vocant S. Adalberti, cuius initium eſt, ex auctoritate Dei omnipotentis, &c. & finitur, Amen, dicant omnes. poſtea cantabitur; Media vita in morte ſumus, &c. 16. Ad curandum maleficiatum: Accipe tres olei violacei menſuras, & conſiſtens contra ſolem ante eius ortum exprime nomen læſi & matris eius, & angelos gloriæ, qui ſtant in gradu ſexto, ſex diebus ter in die. Septimo autem collocetur ille nudus, &c. deinde nomina horum angelorum inſcribenda laminæ, &c. viceſima die menſis ſanabitur. 17. Item ferre inſcripta nomina trium Regum, cum certis tribus verſiculis: *vel* verba plane incognita & abſurda: vt illa veterum, *Danata daries*, &c. & recentia, *Abrac, Amon*, &c. *vel* illa pani inſcripta, *Irioni, Khiriori*, &c. vel iſtud: *Hax, pax, max*, &c. contra morſus canum rabidorum. Item contra dolores dentium: *Strigiles Falceſque*, &c. vel aliud: *Galbes*, &c. *Galdes*, &c. *Item*: *Gibel, Got*, &c. Et in piſcium captura, illud Geoponici Conſtantini, *Iao Sabaoth*: & quorum his nugis olim libri referti fuere Bamachius & Cariachirus, à Galeno deriſi *lib. 6. Simpli.* 18. Virgas parellas vi certorum verborum mediis partibus committere, & in crucis formam vincire, & de collo ſuſpendere, vel thoraci lignum rotundum cum certo murmure applicare, vt Turcæ faciunt. Sed ſunt innumera huiuſmodi commenta, quæ ex prædictis diiudicari poterunt.

E Q. Aliæ quædam ſuperſtitiones in Expoſit. 1. præcepti apud Beetzium leguntur *cap. vlt.* Alii (inquit) promittunt ſic: vis vt maritus tuus diligat te, accipe de omnibus crinibus tuis, & offer illos ad altare ter cum cereo ardenti: & tunc quamdiu

diu portabis illos ſuper caput tuum, tamdiu exardeſcet in amorem tui. *Alia ſuadet ſic*: accipe hæc ſancta verba ſcripta, & conſue veſtimentis viri tui, & non poterit occidi, vel ſubitanea morte mori: *vel*, fac ſcribi literas infra Euangelium talis feſti, & ſuſpende illas ad collum viri tui, & non poterit ſubmergi ſi pertranſit mare. *vel ſic*, ſi vis habere maritum ad voluntatem tuam, quære clauos ferreos antiquos quos in alieno territorio equi alicuius calcibus elapſos, inopinato inueneris, de quibus inuentis debet formari annulus ſexta feria infra miſſam: poſtea ſuperlege Euangelium (*quoddam certum*) & dic quotidie Pater noſter, tunc ſi annulum in digito portaueris, habebis maritum pro tuo deſiderio infra annum. *Item* ſi ſponſa debet habere bonam fortunam, oportet quod in nuptiis ingrediatur domum ſub duobus euaginatis gladiis poſitis ad modum crucis S. Andreæ. *Item* ne incubus equitet mulierem in puerperio iacentem, vel ne infans rapiatur (*à ſtrigibus*) debet poni cultellus vel corrigia ſuper lectum, &c. hactenus ille, contentus tantum recitaſſe, quantum ad fugiendas agnitas ſuperſtitiones pertinebat formulas verborum, quas præterea adhibent, prudenter prætermiſit. Sed hæc ſufficiant.

TH. Riſum hæc quæ iam dicta ſunt, quadantenus, at excuſationem omnino nullam merentur. Cæterum nec riſum nec excuſationem merentur, ſed extremam potius execrationem, digna quæ non lingua, ſed fulmine vindicentur, ea quæ de Sagis atque veneficis horrenda narrantur; quorum primum occurrit, commixtio illa fœdiſſima ſeminis infernalis ac dæmoniaci cum ſemine humano, de qua fœda commixtione, quæ maleficis eſt cum Diabolis, vel loqui nefas eſt. Aliquid tamen de ea dicemus, cum etiam D. Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. Dei cap. 2.* de ea agat, quomodo nimirum turpes iſtæ peſtes & beſtiæ ſeſe commiſceant, ſæpe etiam deformes partus edant, & Satanica opera exerceant; quam etiam ſpurcam commixtionem D. Auguſtinus iam citato loco omnibus diris deuouet.

EQ. Horrore quilibet cordatus concutitur, ſi de nefario hominum ac ferarum coitu ſermo habetur; qualis eſt hiſtoria illa, quam Caſtarenda refert *in annal. Luſitaniæ*; mulierem ob quoddam crimen in inſulam deſertam naui deportatam; cumque ibi expoſita fuiſſet, eam ſimiorum, quibus frequens locus, agmen circumſtetiſſe fremebundum; ſuperueniſſe vnum grandiorem, cui reliqui loco ceſſerint; hunc mulierem blande manu captam in antrũ ingens abduxiſſe, eiq; cum ipſum, tum cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum appoſuiſſe, & nutu, vt veſceretur, inuitaſſe: tandem à fera coactam ad ſtuprum: facinus hoc multis diebus continuatum, adeo vt duos ex fera liberos ſuſceperit: ita miſeram (quanto mors optabilior) victitaſſe per annos aliquot; donec Deus miſertus nauim eo Luſitanam detuliſſet, cumq; milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent, abeſſetque forte fortuna ſimius; fœminam ad inuiſos diu mortales accurriſſe, & accidentem ad pedes ſupplicaſſe, vti ſe facinore & calamitoſiſſima ſeruitute irent ereptum: adſentientibusq; & caſum miſerantibus illis: eam cum ipſis nauim adſcendiſſe. Sed ecce tibi ſimium ſuperuenientem inconditis geſtibus & fremitibus coniugem non coniugem reuocantem; vt vidit vela ventis data cõcito curſu de liberis vnum matri oſtentat, minatur, ni redeat, in mare præcipitaturum: nec ſegniter fecit, quod minatus. Tum recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad littus rediens, oſtentat alterum, minatur, & demergit: ſubſequitur & ipſe furens, tamque diu nauim natatu inſequitur, donec vndæ natantem vicere. Rem tota Luſitania teſte notiſſimam, & à rege mulierem Vliſſiponæ addictam

ignibus, quorundam precibus vita impetrata lethum cum clauſtro perpetuo commutaſſe. In Belgio quoque hominum memoria, fuit nefarius quidam, qui vaccæ ſe commiſcuit. Poſt viſa bos prægnans, & poſt aliquot menſes edere maſculum fœtum, non vitulum, ſed puerum, adfuere non vnus, deque matris vaccæ cadentem vtero adſpexerunt, leuatumque de terra nutrici mulieri tradiderunt; adoleuit puer, baptizatus, & inſtitutus Chriſtianæ vitæ præceptis, pietati ſe addixit: & pro patre ſerio pœnitentiæ vacat operibus: homo quidem perfectus, ſed qui ſentiat in animo propenſiones vaccinas, paſcendi prata, & herbas ruminandi.

PH. Hominem hunc eſſe, plane crediderim: ſed ex vacca matre natum abnuo; quid ergo? Diabolus peccati illius gnarus, & impulſor, mox vaccam prægnantem fecit videri. Cum voluit, alicunde infantem ſurreptum attulit, & vaccæ parturienti, quæ vento grauida erat, puerum ſic ſuppoſuit, vt à vacca fundi videretur. Hinc nata opinio: & puer perſuaſus ſe vaccæ filium, matris putatæ propenſiones hauſit imaginando. Nam vt verus homo ex ſeminis vaccini materia naſcatur, & organica illa diſpoſitio perfecta humani corporis in vaccæ vtero, & vaccinæ animæ calore ac virtute perficiatur; id Philoſophos omnes mecum arbitror inter ἀδύνατα computaturos.

TH. Horrendæ ſunt commixtiones eiuſmodi, quas tamen commixtiones diabolicę longe ſuperant, dum nimirum malefici & Lamiæ cum dæmonibus, illi quidem ſuccubis, hæ vero incubis actum Venereum exercent. Probatur hoc ratione ſimul & experientia. Poſſunt enim dæmones defunctorum corpora aſſumere, vel de nouo ſibi ex aere & aliis elementis ad carnis ſimilitudinem palpabilia effingere ac formare; poſſunt illa pro libito mouere & calefacere; ſic ergo poſſunt, quem natura non habent ſexum, artificioſe exhibere, & viris ſpecie fœminea, fœminis ſpecie virorum abuti, & has ſubiicere, & illis ſe ſubſternere: poſſunt etiam aliunde acceptum verum ſemen adferre, & naturalem eius emiſſionem imitari. Poteſt etiam ex huiuſmodi concubitu dæmonis incubi proles naſci. Poteſt namque Diabolus ſemen alicunde acceptum, verbi gratia, in ea quæ ſomnianti viro contingit illuſione deferre, & qua eſt agilitate & naturalium rerum peritia, calorem prolificum in ſemine quantumuis ille ſubtilis & aereus ſit ac facile diſſipabilis, conſeruare; & illud denique, quo momento mulier ad concipiendum optime diſpoſita, quod eum non latet, tum illud matrici ſic infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere, & muliebri ſemini commiſcere. Attamen dæmones nequeunt vi ſua & ex propria ſubſtantia, more animantium, generare. Probatur, quia nec dæmones inter ſe vllam habent indiuidui vel ſpeciei multiplicationem, nec dæmones corpus aereum, vel vllum habent omnino (vt contra Platonicos, Franciſc. quoq; Georg. & Caiet. tenendum eſt) quare nec in proprio ſuo corpore commiſceri poſſunt (vt optime docet Perer. *d. lib. 8. diſp. 2.*) nec vllum ſemen nedum prolificum, quantumuis tenue habent (qui fuit error Marci Epheſii, Ioſephi, & fortaſſis Athenagoræ, Tertull. & vetuſtiorum illorum Patrum.) quomodo proprium ſemen habere poſſint, cum ſemen ſit ſubſtantiæ corporeæ viuentis pars, & reſiduum cibi optime concocti, ex meliorum ſcriptorum ſententia; dæmones vero ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, & ideo de ſuo nō poſſunt corporeum ſemen præſtare, ſunt enim expertes animæ, vegetantis autem animæ functio eſt, naturali calore cibum acceptum concoquere. Dico ergo ex concubitu incubi cum muliere aliquādo prolem naſci poſſe;

poſſe; & tum prolis verum patrem non fore dæmonem, ſed illum hominem, cuius ſemine dæmon abuſus fuerit.

EQ. De incubis etiam medici multa tradunt. Eſtne igitur vtrinque eadem ratio incuborum?

PH. Licet malum hoc medici ab incubando incubum nominarint; de genere tamen ſpirituum iſtorum, de quibus colloquium, non eſt: Sed ægritudo quædam naturalis eſt, craſſum nempe phlegma, in pectore cordi per illapſum incumbens interim dum dormimus; quod Spiritus noſtros vitales adeo conſtringit conſtipatq;, vt à nobis potentiam naturalem auferat, eouſque, vt vel pondus quoddam non naturale, vel Spiritus quidam malus nobis incubans, noſq; deorſum premere nitens eſſe videatur.

TH. Malum hoc de quo medici agunt, inuoluntarium eſt, & peccato caret, poteſtq; contingere cuilibet. At malũ de quo nos agimus, voluntarium eſt, reſpectu tam dæmonum quam hominum, qui ſe eo mancipant; eſtque grande peccatum, atque omnino opus Diabolicum. Atque vt ad exempla tranſeam, Franciſcus Mirandula, ſe agnouiſſe ſcribit Sacerdotem Benedictum Bernam, ætatis annorum ſeptuaginta quinque, qui annis plus quam quadraginta cum dæmone familiari, ſub forma fœminæ aſſociato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeo vt aſtantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autem illam Hermelinam, quaſi mulier eſſet. Alium quoque Pinnetum (ait) nomine noui, qui ad octoginta & amplius annos peruenerat, cum dæmone alio, qui muliebri forma videbatur, vocabatque eam Florinę nomine, plus quadraginta annis venereas voluptates exercuiſſe. Vtramque hiſtoriam Cardanus recitat, *lib. 15. c. 80.* de varietate rerum, &c.

EQ. Ratiſbonæ, è duabus maleficis, quæ ambæ combuſtæ in cineres vertebantur, vna cõfitebatur, eaq; balneatrix, ſeſe à Diabolo compulſam varias iniiſſe vias, viri cuiuſdam honeſti & prædiuitis filiam, virginem caſtam, ſeducendi, vt cum Satana nefando coitu miſceretur, eamque tandem ſibi rationem viſam fuiſſe commodiſſimam, vt virginem die feſto inuitaret in conclaue ſuum, vbi dæmon, in forma ſpecioſi iuuenis, cum ea colloquia miſceret. Id cum ſæpius attentaſſet, virginem ſanctæ crucis ſigno ſe munientem, conatus hos ſemper reddidiſſe irritos.

Alia virgo in Diœceſi Argentinenſi, cum die Dominica in paternis ædibus ſola moraretur, acceſſit eam vetula quædam illius oppidi, quæ inter complura verba ſcurrilia eam vltimo hortata eſt, vt ſeſe in locũ, vbi formoſiſſimi iuuenes omnibus iſtius oppidi hominibus cogniti, cõgregati eſſent, ſequeretur. Puella fœdis verborum illecebris decepta, vetulam in domum eius ſequitur. Quam cũ ingreſſę eſſent, vetula puellæ ait: Ad ſuperiorem cameram, vbi iuuenes, de quibus dixi, morarentur, aſcendemus, ſed caue te ſigno crucis munias. Puella ſe dicto audientẽ fore cum recepiſſet, vetulã per gradus ſequitur, interim terrore quodã correpta, ſe precibus Deo cõmendat, ſigno crucis ſimul ſe muniẽs. Quod euaneſcentib. dæmonibus facile ſenſit vetula, toruoq; vultu peſſima quęq; puellę imprecata, eã ędibus extruſit.

Bodinus quoque ſcribit, Ioannam Haruileriam Verberii ad Compendienſes natam inter cætera fuiſſe confeſſam, ex decreto curiæ ſententiam Iudicis Sanliſiani confirmante, matrem ipſius viuam adiudicatam fuiſſe igni, ſe vero annos duodecim natam à matre oblatam fuiſſe Diabolo, ſpecie hominis atri, amictu atro, ocreis & calcaribus inſtructi, gladio accincti, equum nigrum habentis

bentis præ foribus, vtente his verbis: Ecce filiam meam quam ſpopondi tibi, ad ipſam vero dicente, Ecce amicum tuum, qui beabit te. Ex eo tempore Deo & Religioni renunciaſſe, & illum ſic concubuiſſe ſecum, vt viri cum fœminis ſolent, niſi quod frigidum erat ſemen: id octonis poſtea diebus, aut quindenis feciſſe, nec percipiente viro, cum ſimul in lecto eſſent. Etiam Diabolum ſemel ex ipſa quæſiuiſſe, an grauida ex ipſo vellet fieri? ſe autem renuiſſe, *lib. 2. cap. 7.*

Summam quoque interrogationum Potezan's Magis ad Lognium propoſitarum (quæ igne quoque ſublatæ fuerunt) à Domino Andrea Ferreo, generali Regis vicario, apud Laodunenſes traditam legimus, ex qua confeſſiones aliquot hic viſum eſt apponere: Margarita Bremontia vxor Noelis Laureti dixit, ſe die Lunæ proximo nocte ineunte cum matre Maria in conuentum, qui ad Franquiſanum piſtrinum prope Lognium in prato habebatur, iuiſſe, matrem inter fœmora ſcopas habentem dixiſſe, (verba hic placet omittere) & ſtatim vtramque eo exportatam eſſe, vbi inuenerunt Ioannam Robertam, Ioannam Guilleminam, Mariam vxorem Simonis Agni, & Guilelmam cuiuſdam Graſſi vxorem, cum ſuis ſcopis ſingulas: eodem ſex Diabolos humana ſpecie aduenisſe, aſpectu horridos, &c. facta ſaltatione Diabolos concumbentes rem cum ipſis habuiſſe: eorum vnum qui ſaltantem duxerat, cepiſſe ipſam, bis oſculatum eſſe, & amplius ſemihoram cum ipſa concubuiſſe, perfrigidumque ſemen eieciſſe. Ioanna Guillemina huius aſſentitur dictis, ſemihoram fuiſſe copulatos faſſa, & perfrigidum ſemen ab eo excreatum.

Legimus item libro 16. Iohannis Meyeri, qui hiſtoriam Flandricam ſcripſit accuratiſſime, Anno 1459. ingentem virorum fœminarumque numerum in Atrebatiorum oppido crematum eſſe, qui inter ſeſe accuſantes fatebantur ſe noctu ad ſaltationes fuiſſe tranſuectos, & cum Diabolis, quos adorabant humana ſpecie, copulatos. Iacobus quoque Sprangerus, & collegæ 4. Magarum quæſitores, ſe de innumeris Sagis cognouiſſe ſcribunt, plurimaſque Sagas ſupplicio vltimo addixiſſe in Germania: nominatim vero in Conſtantienſi & Ratisbonenſi agro, anno 1485. quæ omnes fatebantur Diabolos concubuiſſe ſecum, poſtquam Deo & religioni ſuæ, Diabolo autore, renunciauiſſent. Amplius ſcribunt, non paucas extitiſſe, quæ nec accuſatæ reſipuerint, & à conſortio iſto diſceſſerint, eaſque idem confeſſas eſſe, nempe Diabolum tantiſper, dum fuerunt Sagæ, cum ipſis rem habuiſſe. Ad hæc Sprangerus adiicit, perſæpe Sagas in agris & ſyluis ſeſe retegere, & clara die coire cum Diabolo, & ſæpe retectas in agris viſas, interdum etiam hærentes Diabolis (quos homines eſſe exiſtimabant) à viris ſuis eſſe deprehenſas, eoſq; gladio cædentes nihil effeciſſe. Paulus Grillandus Iureconſ. Italus, (qui de Sagis plurimis cognouit) narrat in libro de Sortilegiis, ſe anno 1526. Septemb. menſe, à S. Pauli ad Rom. Abbate rogatum eſſe, vt de tribus Sagis cognoſceret: eaſq; inter cætera confeſſas eſſe, Magas ſingulas cum Diabolo copulari. In hiſtoria S. Bernardi legimus, Sagam extitiſſe, quæ marito ſuo nec percipienti accubans, ſæpenumero Diabolo commiſcebatur.

In horto florido Antonii de Turquameda Hiſpani aliam hiſtoriam reperi, de Hiſpana fœmina nobili, quæ ſe per vetulam Sagam, cum annum ageret duodeuigeſimum perductam fuiſſe narrabat, & rem ex eo tempore cum Dæmone habuiſſe: hæc viua & impœnitens cremata eſt, Cerdenas genere. Alteram idem reſipuiſſe narrat, & in monaſterio fuiſſe collocatam. Adamus Martinus Laodunenſis con-

confeſſus Procurator, mihi narrauit, inquit Bodinus, ſe de Saga Biebræ (hic vicus eſt, duobus milliaribus Laoduno diſtans) quæſtionem habuiſſe in iuriſdictione D. Boani Verumãduorum Præfecti, anno 1556. quæ cum ad ſtrangulationem primum, deinde ad ignem fuiſſet damnata, viua tamen igni tradita eſt, culpa carnificis, ac potius iuſto iudicio Dei, qui ſic demonſtrauit, oportere vt noxæ par pœna ſit, neque maleficium eſſe, quod ignem magis mereatur. Hanc igitur confeſſam eſſe, Satanam (quem Socium ſuum appellabat) rem ſecum habere ſolitum, & ſe frigidum ſemen illius perſenſiſſe.

PH. Scribit Vincentius *lib. 3.* hiſtoriarum, in Sicilia ſub Rege Rogerio iuuenem quendam ſtrenuum, & natandi peritum, circa noctis crepuſculum lucente luna in mari lauaſſe, & mulierem poſt ſe natantem crinibus apprehendiſſe, tanquam ex ſociis aliquem qui eum mergere vellet. Quam alloquens ne verbum quidem extorquere potuit, quare opertam pallio domum duxit, & tandem in vxorem ſolenniter accepit. Increpatus aliquando à ſocio, quod phantaſma amplexus fuiſſet, expaueſcẽs, gladio extracto coniugi minitabatur, ſe filium, quem ex ea ſuſceperat, interfecturum, niſi ipſa loqueretur, ſuamque fateretur originem. Quæ, Væ, inquit, miſero tibi, vtilem perdis vxorem, dum me effari cogis. Tecum manſiſſem, ac in rem tuam eſſet, ſi iniunctum mihi ſilentium permiſiſſes. Nunc autem me poſthac non videbis, & e veſtigio euanuit. Puer autem adoleuit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandem die quodam coram multis puerum in eiſdem fluctibus occurrentem rapuit phantaſtica illa mulier.

TH. Hieronymus in Vitis Patrum narrat, Monachum quendam à dæmone in mulieris venuſtiſſimæ forma, ad obſcœnos inuitatum fuiſſe amplexus, qui ſua inclinans membra, effectus eſt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Atque vbi iam carnalem conaretur inire amplexũ, illa teterrimæ vocis vlulatum emittens, vmbra, vt erat tenuis, & phantaſma inter manus amplectentis elabitur, ipſumque miſerum cum fœdiſſima irriſione deſerit. *Vierus lib. 2. cap. 46. de præſtigiis dæmonum.* Vnicum adhuc annectam: Magdalena Crucia Hiſpana, Cordubæ primaria Boeticæ urbe, in prima pueritia à parentibus obſcuris, incertum pietatis an paupertatis cauſa, in cœnobium D. Claræ detruſa (quod illa poſt ex collata ſtipe de fundamento nouum extruxiſſet) dæmonis cuiuſdam, ſub Æthiopis ſpecie ſeſe offerentis, miris blanditiis, quibus ea ætas potiſſimum capitur, ineſcata, familiariter illo vti cœpit, ſeuera tamen interminatione interpoſita, ne quiſquam mortalium hoc reſciſceret. Illa interim cum dæmonem in colloquium ſingulis pene diebus admitteret, ſupra ætatem ſapere, & indolis cauſa omnibus admirationi eſſe cœpit, incredibili ſanctitatis opinione, quam morum elegantia, vitæque auſteritas effingebant. Vix dum duodecimum ætatis annum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in ſolidum poſſidendæ anſam captans, phaleratis verbis coniugii mentionem iniicit, facileque adeo, ex eius, quam iam deguſtauerat, ſanctimoniæ ſucceſſu, ſimplici & ambitioſæ puellæ perſuaſit. Dantur manus, fiunt ſponſalia, concumbitur denique. Dotis loco Magdalena ſui corporis vſumfructum, colloquendo, conuerſando, concumbendo pollicetur. Æthiops viciſſim contra dotem ſplendidiſſimam offert, effecturum ſe, vti Magdalena per triginta & amplius annos, ea ſanctimoniæ authoritate per vniuerſam Hiſpaniam frueretur, qua omnes, qui eo laudis genere vnquam fuere celebres, vel æquaret, vel etiam ſuperaret. Neque vero mendax ille Spiritus hac in parte falſus videri voluit, vt vniuerſæ

Digitized by Google

ſcilicet Hiſpaniæ per hanc ſuam Sponſam imponeret. Quandocunque furtiuis voluptatibus fruerentur, Sponſi famulus (nam maieſtatis cauſa famulum quoque veterator ille Æthiops ſibi adiunxerat) tanquam Soſia quidam ſuppoſititius, foris in templo & cœnobio Magdalenæ larua aſſumpta, illius vultum, geſtus, inceſſum, cantando, orando, comedendo exacte imitabatur. Si quando vero ſeceſſus illius voluptuarii pertæſa hera in publicum prodiret, ne quid interea temporis ocioſe periret, per orbem terrarum vagando, quæcunque memoratu digna acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Franciſci I. Gallorum Regis captiuitate, ſic de Romanæ vrbis direptione certior facta, diuinitus ſibi hæc ab Angelo reuelata dictitans, in principum virorum dignationem ſummam peruenit, & Abbatiſſæ dignitatem, vltro cedentibus tantæ ſanctimoniæ reliquis Monialibus: maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qui ad ſe quoque tanquam ad Præceptores & inſtitutores partem gloriæ huius pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, ſed inanibus atque ludicris. In ſolenni pompa feſtorum dierum, ad tres & amplius cubitos in ſublime efferebatur, ſæpe etiam imaginem Ieſu recens nati manibus geſtans, imbre lachrymarum profuſo, comam ad talos vſque repente enatam producebat, quæ ſenſim euaneſceret. Quotieſcunque Monachæ ſtatis diebus communione ſacra vterentur, ſacrificulo ex dinumeratis prius diligenter myſtici panis orbiculis vnus ſemper deerat, quẽ Magdalena miniſterio Angelorum acceptum, ſe in ore habere palam oſtendebat. Hinc tanta ei ſanctitatis fama accreuit, vt Pontifices, Imperatores, Reges per literas eius ſeſe precibus commendarent: atque adeo Caroli V. vxor Philippum filium iis faſciis, quas Magdalena ſuis precibus conſecraſſet, primum excipi curarit & inuolui. Exactis annis minus 30. in hoc Diabolico coniugio tandem ſub annum Sal. 1546. Dei optimi Max. benignitate, nullo ſuo merito, ad ſeipſam Magdalena redire, & dæmonẽ deteſtari cœpit. Ægerrime autem ferente Æthiope hanc apoſtaſiam, & multis modis illam vexante, viſitatoribus ordinis, quos vocant, præter omnem expectationem ſcelus ingenue aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carceri includitur. Neq; tamen interea dæmon loco excedere, ſed matutinis precibus, cum ſummo Monacharũ ſtupore & terrore, ſub larua Magdalenæ intereſſe, ſæpe ẽt alia obire munia. Monachæ laruatã Abbatiſſam, quã per 12. annos pertulerant, abhorrentes, multis vix tandẽ precibus impetrarunt, vt cognita ex integro cauſa, Magdalena cœnobio excluderetur, vt ſic demũ præſtigię ceſſarent. Neq; vero alia grauiore pœna, ob ſeriã reſipiſcentiam, & ingenuã confeſſionem, in eam animaduerſum eſt, vt quæ ficta atq; dæmoniaca ſanctimonia plurimorũ ſuperſtitionem auxerat, eadem vera, & Chriſtiana pœnitentia diuinæ miſericordiæ fontes nulli peccatori clauſos eſſe, memorabili oſtenderet exemplo. *Hæc ex Caſſiodori Renii V.O. & D. acroamatis.*

E Q. Philoſtratus miram de ementito eoque Diabolico ſub ſpecioſi alicuius ſcorti ſpecie, concubitu, hiſtoriam recenſet. Menippus inquit erat Lycius, annos quinque & viginti natus, ingenio mediocri præditus, & corpore recte conſtituto, ſimilisque erat facie pugili bono & ingenuo. Hunc Menippum amari à peregrina muliercula vulgus opinabatur, quæ & formoſa ipſa videbatur eſſe, & delicata valde; tum diuitem ſeſe muliercula dictitabat, quorum reuera nihil erat etiamſi ita videbatur. Ac Menippo quidem ſoli in via aliquando iter facienti, quæ Cenchreas ferebat, phantaſma occurrit muliebri ſpecie, apprehenſaque manu eius mulier, iamdiu amore eius captam ſe eſſe dixit. Phæniſſam autem ſe origine eſſe dicebat,

dicebat, ſed in ſuburbio habitare Corinthi, quoddam ſuburbiorum nuncupans. Quo Menippe, inquit illa, ſi venire conſtitueris, cãtilenam me cantitãte mire oblectabere, vinumque illic bibes, quale ante hunc diem nunquam, nec vero ibidem tibi ab æmulo metus erit, tecum enim vno victurus, formoſa cum formoſo. Quibus verbis iuuenis pellectus, (erat autem inter cætera ille quidem firmus viriliſq; Philoſophus, ſed impar amoribus,) ad mulierem ſe contulit ſub veſperam, deinde cum ea eo modo conſueuit, vt aſſolent qui amant, necdum enim ſuſpicabatur viſum eſſe, qui cum ipſe verſabatur. Apollonius autem quum eo veniſſet in morem ſtatuarii intuens in Menippum, hominem veluti pictor oculis perluſtrabat, dein vbi percognitum hominem iam habuit, Heus tu, ô formoſe, inquit, quem fœminæ decoræ captant, ſcio te ſerpentem ſinu fouere, viciſſimque foueri à ſerpente. Quod verbum Menippo admirante. Nam tibi, inquit, Menippe, mulier eſt, non vxor: ecquid autem amari te ab ea cenſes? Sane quidem, Menippus inquit, vehementer mulier amore mei capta eſt. Nempe tute igitur, inquit Apollonius, eam vxorem ducturus es? elegantius enim erit, opinor, eam nuptam habere amantiſſimam tui. Verum age, quam mox, Menippe, futuræ ſunt nuptiæ? Quamprimum, ait, ille, cras etiam fortaſſe. Nuptiarum deinde die ſtato, atque ab ipſo Apollonio notato & obſeruato, commodum aduenerant conuiuæ, epulariq; iam cœperant, cum Apollonius ad diem ipſum ad horamque affuit, tumque ad epulantes conuerſus, Vbinam inquit, eſt illa bella & delicata, quam propter nunc potatis? En tibi illam, Menippus inquit, & ſimul rubore perfuſus aſſurgit. Tum ille, Aurum autem & argentum, inquit, reliquaque vaſa quibus hoc conclaue exornatum cernimus, veſtra ſunt, Menippe, necne ſunt? Mulieris ſunt, inquit Menippus, hoc enim eſt tantulum omnium, meum quod dicere iure poſſim, pallium oſtendens ſuum philoſophicum. Nonne igitur vos tãdem Tantali hortos ſcitis eſſe, qui nulli ſunt? inquit Apollonius. Nos vero, aiunt illi, eos demum apud Homerum ſcimus eſſe, vt quibus ad inferos deſcendere non contigerit. At vos, inquit ille, iſta quæ cernitis, hoc omne ornamentum, eoſdem ipſos hortos exiſtimatote eſſe, non enim hęc materia, ſed materiæ eſt opinio potius. Quo autem ipſi vera eſſe cognoſcatis, ea quæ ego dico, iſthæc bona ſponſa, Empuſarum eſt vna, quas quidam lamias eſſe, quidam laruas arbitrantur. Amant autem Empuſæ, ac rebus Venereis gaudeat, tum carnibus præcipue humanis delectantur, & quos homines quidem comeſſe ſtatuerint, eos ante ſollicitant moribus Venereis. Tum mulier ipſa ſponſa, Heus tu, inquit, homo, melius ominare; & apageſis, aiens execrari ſimulabat ea, quæ dicentem audiebat Apollonium: deinde Philoſophos cauillari muliercula vtq; plerunque delirantes. Verum aurea ipſa pocula, argenteaque cuncta ſupellex, vt quidem eſſe videbantur, inania & euanida interim abierunt, ipſa refellente Apollonio. Serui etiam vinum miſcentes, & concinnatores obſoniorum, atque omne illud famulitium atque miniſterium repente non comparuerunt, quum Apollonius præſtigiam refutaſſet, ſimul illud phantaſma lachrymabunda orare Apollonium inſtitit, ne ſe torquendo cogeret fateri, quid ipſum eſſet. Vrgente autem Apollonio, nihilque indulgente, Empuſam plane faſſa eſt eſſe, eamque ob cauſam Menippum epulis ſaginare, vt eius corpore veſceretur. Hæc ille.

PH. Hanc, quam nunc recitaſti, non veram hiſtoriam, quæ rei geſtæ memoria conſtet, ſed mythiſtoriam potius eſſe reor, eo prudenter à Philoſtrato excogita-

Digitized by Google

tam, vt homines, præſertim ſtudioſi artium à libidinoſis cogitationibus & actionibus deterreantur.

TH. Multa huiuſmodi ad cohibendas ſtudioſæ præſertim iuuentutis illecebras excogitata eſſe, minime dubium eſt. Empuſas tamen extitiſſe olim & adhuc extare à veritate hiſtoriarum experentiaque, quæ quidem multorum, quos ego etiam noui, recenti adhuc memoria conſtat, non eſt abſonum. Euagrius enim *hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 21.* Empuſæ expreſſe meminit, aitque Mauritii Imperatoris matrem narrare ſolitam, ſæpe laruam, quam Græci ἔμπουσαν vocant, infantem de loco in locum mouiſſe, tanquam illum voraturam, minime tamen ei nocere potuiſſe. Et ſcribit Lylius Gyraldus *in hiſt. Deorum, Syntagm. 12.* quod audiuerit ex iis, quibus hoc noſtro tempore Empuſæ vel phantaſmata muliebria apparuerint, ſeque legiſſe, qui putarent, illud regis Dauidis meridianũ dæmonium, huiuſcemodi terriculamentum ſignificare. Legimus etiam in Suidæ hiſtoriis, Empuſam ſeu Onocolen eſſe ſpectrum diabolicum ab Hecate immiſſum, calamitoſis apparens, inde dictum, quod vno pede incedat, alterum vero habeat æneum aut aſininum. Putabatur, inquit, etiam in meridie apparere, quum defunctis inferiæ ferrentur. Sane Ruſſi adhuc dæmonem meridianum metuunt & colunt. Ille enim cum iam maturæ reſecantur fruges, habitu viduæ lugentis ruri obambulat, operariisque vni vel pluribus, niſi protinus viſo ſpectro proni in terram concidant, brachia frangit & crura. De Empuſis quoque tractat Cælius Rhodiginus, *cap. 19.* eaſq; à veteribus lamias & Marmolycias nuncupatas ſcribit.

EQ. Mira aliquando narrari audiui de lamia vel Empuſa quadam, quomodo inſtar formoſiſſimæ fœminæ, Baroni cuidam Germano ex nobiliſſimo genere oriundo, diu cohabitauerit, eique perpetuam felicitatem promiſerit, ſi contentus ſuo illicito amore, animum ad coniugium non adiiceret; ſin ſecus faceret, eũ mox poſt nuptias infeliciſſimum, & non diu ſuperſtitem fore. Illum autem cum huius Empuſæ vel phaſmatis per aliquot annos, auerſans legitimi coniugii vinculũ, ſuauiſſima coniunctione, vti opinabatur, vſus fuiſſet, omniaque ei tam in feriis quam in ludicris, proſpere & ex animi ſententia ſucceſſiſſent, tandem perſuaſum ab amicis & ſuis ſubditis, vxorem illuſtri ſanguine duxiſſe, verum paulo poſt vix finitis nuptiis perterrefactum ab illa lamia, in flore ætatis ſuæ ſubito expiraſſe. Hæc hiſtoria, vt mihi narratum eſt, in Germanica lingua prolixe deſcripta typis excuſa eſt. Notum præterea & neutiquam fabuloſum eſt, viro cuidam nobili & militari ante aliquot annos, quum vicinum montẽ non procul à rupe celeberrima, in qua arx munitiſſima ſita eſt, equo aſcẽderet, ſimile ſpectrum inſtar formoſiſsimi ſcorti in ſemita quadam ſeſe exhibuiſſe, quod multis laſciuis geſtibus ad Venereos congreſſus tamdiu illum allexit, quoad equo relicto libidinoſis actionibus indulgeret. Verum quum his impuris rebus occuparetur: ecce ſpectrum vel phaſma illud ſub eo euaneſcit, & auiculæ picæ inſtar, diu de arbore in arborem volitando, mirifico garritu, quaſi ſtoliditatem & lubricitatem ipſius indignam homine Chriſtiano ſubſannaret, cum proſecutum eſt; Abſque noxa quidem tunc temporis, quod ſane mirum eſt, hanc nefariam actionem iſti homini fuiſſe ferunt, ita vt ipſe quoq; viciſsim picam illam neſcio quibus ſalacibus & impudicis iocis irriſerit.

TH. Horrenda & nefaria ſunt hæc. Nam ſi Deus præcipit, vt cum bruto coeuntes concrementur vna cũ illo: an non grauius delinquit, qui ſpurciſsimos Spiritus, atrociſsimoſque hoſtes Dei & hominum in amplexus libidinoſos admittit?

Digitized by Google

Quamobrem nulla excuſatione vel venia digni ſunt, qui ſcientes fœdam & execrabilem exercent cum cacodæmone libidinem, eumque alliciunt ac ſollicitant.

EQ. Poſſuntne etiam ex incubo & dæmone ſuccuba liberi naſci?

PH. Hoc nec Ægyptii olim concedebant, nec ego fieri poſſe crediderim. Multa enim ad prolis generationem requiruntur; requiritur tractus temporis, vt ſemen in corpus organicum commutetur, & abſolutiſſima illa corporis humani architectura perficiatur, requiritur etiam continua vegetantis animæ operatio in fœtu alendo; & alia pene innumera naturæ arcana, quæ omnia, vtrum dæmon in aſſumpto corpore queat præſtare plurimũ dubito, imo potius arbitror, non poſſe. Quod vero autores quidam ex ſuccubis natos liberos recenſent, vt quod de Pictauorum Comitum ex Meluſina origine, referunt fabuloſæ Francorum Hiſtoriæ; item de Andegauenſis familiæ ſtemmate Polyd. Virgilius & alterius cuiuſdam, ex Galfrido narrat Vincentius Bell. & quod ex ore ducum Bauariæ & Saxoniæ acceptum narrat Sabinus; nec admodum diſſimile quod de nobili Bauaro narrant alii, ei, cum defunctam vxorem ferret impatientius; quadam nocte fœminam rediiſſe, ſeque reſuſcitatam dixiſſe & marito conuixiſſe, & ex eo liberos ſuſcepiſſe; quodq; futurum prædixerat, tandem conuiciis & blaſphemiis non ſe abſtinente marito, ſubito muliebri veſte penes illum derelicta euanuiſſe. Hos inquam iiſque ſimiles partus, ſuppoſititios fuiſſe alterius fœminæ veros partus ſtatuo. Non raro etiam contingit, ab alio dæmone paruulos ementitos ſubſtitui, quos non ex incubis, ſed per fraudem quaſi ex ſuccubis dæmonibus natos, vulgo Cambiones vocant, feruntque illos adeo eſſe lacte inſaturabiles, vt, etiam quatuor nutricum rumis exhauſtis, macilenti perſeuerent, ponderoſiſſimi tamen, & tandem poſt aliquot annos euaneſcant. Nos à continuo vagitu, *vagiones* eos appellamus. Talem arbitror fuiſſe puerum, quem per Galiciam & Aſturias Hiſpaniæ ante annos XXV. Mendicus quidam ſumma cum defatigatione humeris baiulabat, cum ex noſtris eum quidam in itinere repertum prope flumen vt tranſuaderet miſericordia motus retro ſe in iumentum ſuſtuliſſet, vix valida beſtia potuit eum in alteram ripam exponere. Paulo poſt mendicus comprehenſus, fatetur eum puerum, non puerum ſed Diabolum fuiſſe; qui ſibi promiſiſſet, omnes ſe ad eleemoſynas ei conferendas pellecturum, quamdiu ſic circumferretur habitu pueri morboſi & faſciis inuoluti.

EQ. Ridiculum eſt, quod multi ſcriptores narrant de variis, quæ conceperint duntaxat ex ſemine, quod in balneo in quo illæ lotæ, prius fuerat effoſſum; Minus etiam credibile eſt, quod ſcribit D Thomas poſſe fortaſſis mulierem abſque miraculo & ſalua virginitate omnimoda concipere; ſicut (ait) dicitur accidiſſe cuidam puellæ iam pubeſcenti, quam propter pudoris cuſtodiam in lecto ſuo pater habebat; qui cum in ſomnio pollueretur, ſemen eius ad matricem filiæ deſcendit & inde puella concepit. Ego ne inſulſiſſimis quidem ruſticis id perſuadere poſſim nec etiam auſim; Nugæ ſunt, quales interdum mulierculæ in patrocinium puerperarum, quæ ex adulterino concubitu conceperunt, effingunt, ac credulis maritis alienos obtrudunt hæredes. Sed hæc perſuadeant ſuo periculo. Quid vero de nocturnis Sagarum conuentibus ſtatuendum, verane eſt Sagarum de loco ad locum translatio?

PH. Multorum ſententia eſt, huiuſmodi equitationibus & conuentibus Sagas duntaxat cogitatione animi & Diabolica illuſione intereſſe, plurimaque adducunt exempla earum quarum corpora inuenta ſunt ſæpenumero eodem loco ia-

centia, nec inde mota fuiſſe; quo pertinet illud in vita D. Germani de mulierculis conuiuantibus, vt videbantur, & tamen domi repertis dormientibus, & quæ huiuſmodi ſunt alia. Verum his exemplis nihil aliud probatur, quam decipi aliquando has mulierculas. Attamen ſemper ita fieri, non concedo. Hanc ergo opinionem veriſſimam eſſe iudico, nimirum; Nonnunquam vere Sagas transferri à dæmone de loco ad locum, hirco vel alteri animali (phantaſtico vt plurimum, hoc eſt, dæmoni aſſumente & formante corpus aereum, vel etiam hominis in forma, eas aliquando ternas quaternaſve ſimul aſportante) vel arundini veræ, ſcoparumue baculo etiam vero, ſed acto & ſubleuato à dæmone, inequitantes & corporaliter conuentui nefario intereſſe.

Hæc communis eſt ſententia Theologorum, imo & Iuriſconſultorum practicorum Italiæ, Hiſpaniæ atque etiam Germaniæ plerorunque. Recenſebo de hac re ſententiã Grillandi. Is vero ita ſcribit; Quo (*nempe homagio*) facto ſtatim vnum dæmonem conſtituit (*ipſe princeps dæmon*) ad cuſtodiam ipſius mulieris, quam nunquam relinquere debeat, ſed illi inſeruire in omnibus, quæ ipſa cupiet, & quotieſcunque contigerit ad ludos accedere, hoc ipſe intimabit mulieri, & illam deferet, & inſtruet; qui quidem dæmon aſſociatur ei, tanquam maritus vxori. Sæpe accedunt ad congregationes illas, vbi maxima mulierum numeroſitas congregatur; & non vident illa in mente, aut intellectu, aut in apparentia; ſed in vera & naturali forma accedũt ad loca prædicta, hoc modo & ordine. Videlicet, quia primum per vnum vel duos dies antequam fiat congregatio, intimatur ſibi per dæmonem illum, qui eſt ad ipſarum cuſtodiam conſtitutus, qualiter nocte tali & tali hora ſe præpararet ad veniendum ad ludum: quæ mulier ſi haberet iuſtam cauſam impedimenti, deducit & auditur, dummodo ſit cauſa vera & excuſabilis, quæ legitime excuſare poſſit: alioquin ſi fingeret habere cauſam, quæ nulla eſſet, vt non accederet, non deferebatur inuita, ſed remanebat in domo ſua: nihilominus pro pœna ſui mendacii adeo fortiter cruciabatur à dæmone, & in mente & in corpore maximis & continuis doloribus, & ægritudine intrinſeca, vel extrinſeca tam fortiter vexabatur, quod die noctuque nihil penitus quietis haberet, ſed ſemper tribularetur, & omnia quæ ipſa ageret, euaneſcerent & perirent in fieri: adeo quod neceſſe fuit, vt tot mala ceſſarent, quod peccatum ſuum fateretur, & promitteret; etiam medio iureiurando; quod amplius non recuſabit accedere. Cum vero promitteret acceſſuram, ſtatim adueniente nocte & hora, euocabatur voce quadam velut humana ab ipſo dæmone, quem non vocant dæmonem, ſed Magiſterulum, aliæ magiſtrum Martinettum, ſiue Martinellum. Quæ ſic euocata, mox ſumebat pixidem vnctionis, & liniebat corpus ſuum in quibuſdam partibus & membris, quo linito exibat ex domo & inueniebat ſemper magiſterulum ſuum forma hirci illam exſpectantem apud oſtium, ſuper quo mulier ipſa dixit quod equitabat, & applicare ſolebat fortiter manus ad crines & ſtatim hircus ille adſcẽdebat per aerem, & breuiſſimo tempore deferebat ipſam vſque ad nucem Beneuentanam, & ibi ſuauiter deponebat, &c. Cæterum ſolent ad conuentum delatæ, dæmonẽ conuentus præſidem in ſolio conſidentem forma terrifica, vt plurimum hirci vel canis, obuerſo ad illum tergo accedentes, adorare; non genu curuato, ſed cruribus in altum iactis; nec capite in anteriorem partem prono ſed reſupinato, adeo vt mentum cœlum reſpiciat; & deinde, homagii quod eſt indicium, oſculari eum in podice: poſt menſis aſſidere & conuiuari de cibis quos dæmon ſuppeditat, vel iis quos ſinguli attu-

Digitized by Google

attulere: Interdum tripudiant, ante conuiuium; interdum poſt illud. Solent diuerſæ menſæ eſſe, tres vel quatuor cibis interdum delicatiſſimis, interdum valde inſipidis, & inſulſis onuſtæ, quibus pro dignitate aut opibus ſinguli locantur; aliquãdo ſuus cuique dæmon adſidet, aliquando malefici vna ex parte, & ſuus cuiq; dæmon ex aduerſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio cætu hoc digna, verbis conſtans plane blaſphemis, quibus ipſum Beelzebub & creatorem, & datorem & conſeruatorem omnium profitentur: eadem ſententia eſt Actionis Gratiarum, q̃ ſubdunt menſis ſublatis. Legi formulas manu famoſiſſimi cuiuſdã malefici notatas. Cõuiuio interſunt facie interdum aperta, interdũ velata larua, linteo, vel alio velamine aut perſona. Sic etiam perſonati frequentius, poſt conuiuiũ, quiſq; dæmon ſuam q̃ cuſtodit diſcipulam manu prehendit, & vt omnia fiant quam poſſunt ritu abſurdiſſimo, dorſis inuicem obuerſis, & in orbẽ iunctis manibus, iactantes capita more fanaticorum, choreas ducere; nonnunquam candelas accenſas manu tenentes, quibus cum ante dæmonem oſculantes adorarant; & cantare feſcenninos in honorem dæmonis obſcæniſſimos, vel ad tympanum fiſtulamue ſedentis alicuius in bifida arbore ſaltare, omniaque ridicule & contra cæterorum morem peragere: tum ſuis amaſiis dæmonibus fœdiſſime commiſceri. Quando ſacrificia fiunt, fieri ſolent ſtatim initio peracta adoratione, Sacrificia tamen etiam extra conuentum ſæpe faciunt. Denique addunt, quemque narrare ſua ab vltimo conuentu facinora; quæ quo grauiora & magis execranda fuerint, eo collaudari vberius: ſi nulla ſint, vel non ſatis atrocia, verberari ſegnes atrociſſime, vel à dæmone, vel à malefico quopiam ſeniore: vltimo pulueribus (quos aliqui ſcribunt eſſe cineres hirci illius quem dæmon aſſumſerat, & quem adorarant, ſubito coram illis flamma abſumpti) vel venenis aliis acceptis, ſæpe etiam indicto cuique nocendi penſo, & pronunciato Pſeudothei dæmonis decreto; Vlciſcimini vos, alioqui moriemini; vt agnoſcas legem Charitatis legi contrariam; ſuas quemque domos, ſi prope ſint, pedibus, ſin diſtantiores, vt aducti, repetunt. Conuentus vt plurimum ineuntur vel noctis mediæ ſilentio, quando viget poteſtas tenebrarũ; vel interdiu meridie.

TH. Translationem illam de loco ad locum diabolicam poſſibilem eſſe, ſępiusque contigiſſe, innumeris conſtat exemplis. Grauiſſimi ſanctiſſimique Patres referunt, Simonem Magum coram Petro alarum dæmoniacarum remigio in aere ſublatum volitare viſum. Similia de Abari Scytha leguntur, atque Badudo Britanniæ rege. De Erico Suecorum Rege, quod in quam partem pileum verteret, in eam ſubito abſportaretur regionem, auctor eſt Ioan. Magnus Gothorũ Sueonumq; hiſtoriographus *lib. 17*. Berengarium hæreticũ & Magum eadẽ nocte Romę fuiſſe, & in Turonenſi Eccleſia lectionẽ decantaſſe, tradidit in Chronico Nangiacus. An. 1045. refert *N. de prodigiis*, in Anglia quandã veneficã à dæmone palam equo nigro impoſitam & per aerẽ abuectam. Vincentius ex Petr. Damiano refert de quinquẽni puero nobiliſſimi cuiuſdã viri; qui puer, monachus factus, quadam nocte abſportatus, mane repertus fuit in piſtrino clauſo, & interrogatus dixit ſe ꝑ quoſdã ad magnum conuiuiũ delatũ, & comedere iuſſum, & poſtea per ſuperiora piſtrino immiſſũ. Paul. Gril. *lib. 2. de Sortileg. q. 7* narrat An. 1524. ſibi vt inq̃ſitori oblatã quandam Lucretiam, q̃ cũ ex congregatione ludorum deportaretur domũ, & ſub Aurorã matutinus cãpanę pulſus, quo ad orãdũ populus vocatur, fuiſſet auditus; ſubito illã à dæmone vectore ꝓpe fluuiũ in agro ſpinis obſito derelictã. Forte iuuenis ei bene notus illac trãſibat: eũ ergo miſera nomine ꝓprio aduocat; iuuenis videns

videns totam nudam præter verenda femoralibus contecta, & paſſis crinibus, accedere formidabat. Perſiſtit illa blanditiis allicere, tandem appropinquauit, & quæſiuit habitus & moræ eo loci cauſam: illa primum alia omnia prætexere, & multa mentiri, donec iuuenis incredulus negauit ſe illi opem laturum, niſi vera fateretur. Illa fidem ſecreti ſtipulata, confitetur quod ſibi accidiſſet, & qua ex cauſa. Iuuenis eam ſecreto domum ſuam perduxit, & multis ab ea muneribus donatus fuit. Sed tandem datæ fidei immemor rem vni atq; alteri narrauit. Sic paulatim ſparſo rumore, & mulier capta, & iuuenis teſtimonium veritati perhibere coactus, hæc omnia Grillando narrauit. Subdit & aliud his verbis; Mulier quædam Sabinenſis diœceſis hanc profitebatur diabolicam artem, de qua cum maritus ſuſpicionem haberet, interrogauit eam pluries, quæ ſemper negauit. Maritus vero in ſuſpicione ſua perſiſtens anxie veritatem perquirebat: qui adeo aſtute ſe geſſit, quod vidit illam quadam nocte ſe vnguento quodam vngentem; qua vnctione peracta vidit illam celerrime quaſi auem recedentem, & ex ſuperiore domus ſolario ad inferiora deſcendentem; illam maritus ſequens, vt videret quo tenderet, amplius eam non vidit, & accedens ad portam domus inuenit eam clauſam. Quæ res magnam illi præbuit admirationem. Die vero ſequenti iterum maritus vxorem interrogat, quod anxie ſcire cupiebat, & illa conſtanter (vt ante) ſe neſcire dixit. Maritus vero vt amplius negare mulier non poſſet, aperte ei dicit omnia, quæ nocte præterita illam feciſſe viderat: deinde fuſtibus illam percutit grauiter, & duriora minatur verbera niſi veritatem dixerit; quam ſi aperte expoſuerit, veniam ſe illi daturum promiſit. Mulier igitur ſe iam celare non poſſe intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit, quam illi maritus hac conditione indulſit, vt illum ad tales congregationes adduceret: illa vero vt veniam impetraret, facile ſe ita promiſit, & promiſſum ex licentia Satanæ impleuit. Adductus igitur ille ad locum vbi ludi fiebant, ludum, & choreas, & cætera omnia contemplatus eſt, & tandem ad menſam cum reliquis vt veſceretur ſedens, cum cibos inſipidos iudicaret, petiit ſibi dari ſal, quod in menſa deerat, & quamuis iterum atq; iterum petiiſſet, nunquam illi dabatur. Tandem cum poſt importunam petitionem, prolixamque exſpectationem ſal illi daretur, dixit; nunc laudetur Deus quoniam iam venit ſal. Quibus verbis prolatis Dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, ſtatim receſſerunt & reliqui omnes diſparuerunt, luminaribusque exſtinctis, manſit ille ſolus nudus, quousq; mane facto vidit quoſdam paſtores, quos interrogauit quænam eſſet illa patria in qua erat, illi vero reſponderunt eſſe agrum Beneuentanum in regno Neapolitano. Qui locus diſtabat à patria viri per centum milliaria, ob quam cauſam licet diues eſſet, coactus fuit per viam mendicare; vt ad domum ſuam redire poſſet. Ad quam poſtquam peruenit, ſtatim vxorem ſuam ob lamiæ crimen accuſauit, & totam rem geſtam, vt narrata eſt, coram iudicibus expoſuit. Qui rem totam plene vt oportebat examinantes, vera eſſe omnia quæ dixi inuenerunt, quæ etiam eiuſdem mulieris confeſſione confirmata ſunt. Hæc ex Grillando, Fr. Alfonſus à Caſtro *d cap. 16.* addens ſe multa poſſe alia referre teſtimonia, quæ per fideliſſimos teſtes in Hiſpania contigiſſe cognouerat.

EQ. Erat in pago Ooſtbrouck non procul à Traiecto mulier vidua; cui ſeruus conuixerat, ad obeunda, vt res poſtulabat munia domeſtica: Is cum iam ſæpius, vt ſolent eſſe curioſuli ſerui, per tranſennam animaduertiſſet he-

heram nocte intempeſta ſtatim ac quieti ſe tradidiſſent domeſtici, quotidie in ſtabulum, ad certum præfixumque locum venire, atque exporrectis manibus præſepi contiguum fœnile apprehendere, admiratus tandem ille quidnam hoc negotii eſſet, ſtatuit & ipſe inſcia hera idem ſemel experiri, atq; eandem pertentare aleā. Igitur hera ex conſuetudine ad ſolita veniente, atq; ſicuti videbatur digreſſa, ſubſequitur & ipſe, locum contemplatur, atque exemplo heræ fœnile complectitur: Ibi ille ex tempore in aera raptus defertur in oppidum Wyck, in abditum & ſubterraneum ſpecum, vbi cœtum maleficarum de maleficiis conferentem inter ſeſe, reperit. Hera cum ſuis inopinam famuli ſui præſentiam admirata, rogat, quo aſtu, aut qua tandem ratione momento temporis illuc appuliſſet. Reſpondit ille ordine vt tres tranſacta eſſet: Tum illa indignari primum atque excandeſcere cœpit, verita ne nocturni, atque clandeſtini iſti conuentus hac ratione tandem eliminarentur: cum conſortibus igitur deliberandum cenſuit, quid in ambiguo hoc negotio faciendum ſuadeant; conuenit tandem inter eas, vt amice exciperetur, ſilentium ſtipularentur, atque arcana hæc, quæ illi, præter meritum atque opinionem, videre contigiſſet, nulli communicaturum ſe aut reuelaturum ſancte deieraret. Ille interim quiduis non pollicetur, abblanditur, & vt mitius agant, ſimulat ſe omnibus votis hoc vnū expetere, vt cum illarum gratia liceat poſthac ſortilegarum intereſſe collegio. Interim dum conſultatur, labitur hora, & iam abeundi tempus inſtat. In dubium iterum inſtigante hera, iam vertitur, remittenduſne domum ſit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omniū conſenſu mitior placuit ſententia, quæ iuramento addictum domum deferendum decerneret. Suſcipit eam prouinciam hera, atque fide data in humeros receptum domum delaturam pollicetur. Accinguntur operi, atque euro ocyus per aera feruntur. Sed ecce menſis iam bonam partem itineris, conſpicuum ſeſe dedit lacus arundineto obſitus. Ibi malefica illa anus occaſionem nacta, verita, ne iuuenis pœnitentia ductus, quod furialibus iſtis feriis (quemadmodum ſimulabat) initiatus eſſet, viſa tandem eliminaret, prouolans à ſe diſiecit adoleſcentem, ſperans, vt ſuſpicio eſt, eundem partim caſus violentia enectum, partim lacus ipſius altitudine abſorptum iri. Verum vt eſt Deus miſericors prorſus non volens mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; veſanæ illius menti metas conſtituit, neq; paſſus eſt iuuenem inſontem ſubmergi, ſed aliquando æquiore conditione permiſit, vt in hunc vſque diem vita protraheretur, tum forte fortuna in arundinetum decidens, lethalem plagam ex caſu non accepit, violentia impetuque caſus per arundinetum quodammodo refractis. Interim miſer ille, qui ſolius linguæ miniſterio iam vtebatur, dum illuceſceret, mille diſtorquebatur cruciatibus ac ſuſpiria trahens, tantiſper ingemiſcebat dum prætereuntes inſolita lamentatione attoniti, facta indagine, compererunt hominem prorſus elumbem, & cui vtraque excidiſſet coxa. Rogant vnde ſit, quomodo eo calamitatis deuenerit? narrat ille ordine ſingula, defertur tandem curru Vltraiectum. Ibi nobilis vir Ioan. Culemburg. Vrb. Prætor rei nouitate quodammodo perculſus, admirabundus ſingula perquirit, atque indagine facta faſcinatricem heram comprehendi iubet, vinculiſq; conſtringi. Illa ſimul ac in manus præfecti veniſſet, nihil negare, ſingula fateri, &c.

Lugduni quoque ante paucos annos mulier potens comperta eſt, quæ ſurrexit de nocte, accendit lucem, arrepta pyxide, inunxit ſe, & poſt voces aliquot elata eſt: hos ritus fieri obſeruans mœchus, qui cum ea cubuerat, lucernam capit, perueſtigat,

ueſtigat vndique: & ea non inuenta, cum ſolam vnguenti pyxidem reperiſſet, curioſo animo exploraturus, quid vnguentum poſſet, fecit prout fieri animaduerterat, ita ſtatim elatus, comperit ſe cum Magorum cœtu eſſe in agro Lotharingiæ, & conſternatus eſt. Sed cum primum Dei opem implorauit, euanuit totus cœtus: Ille vero ſolum nudumq; ſe comperiens, Lugdunum reuerſus eſt, & maleficam accuſauit, quæ confeſſa rem totam igne periit.

Paulus Grillandus libro de Sortilegiis ſcribit, ſe anno 1525. à nobili quodam viro fuiſſe rogatum, vt in caſtellum S. Pauli, (quod Spoletani Ducatus eſt) veniret, & de tribus Sagis mulieribus cognoſceret. Earum minimam fretam ſponſione ſuæ liberationis fuiſſe confeſſam, ſe iam ante annos quindecim à vetula Saga in Magorum cœtum deductã eſſe, vbi Diabolus interfuit, quo auctore, Deo, fidei & religioni ſuæ renunciauerit, iuramento cauens, ſe fidelem fore, & Diaboli mandatis obſecuturam, idque manu libro obſcuriſſimam ſcripturam habenti impoſita, item ſe ad ſolennitates nocte, & ad ferias cum imperabuntur, venturam, & quoſcunque poſſet eodem adducturam: Diabolum ipſi viciſſim lætitiam, æternamque felicitatem ſpopondiſſe. Amplius confeſſa eſt, ſe ex eo tempore necem hominibus quatuor intuliſſe, pecori ſæpenumero, & fruges calamitate deuaſtaſſe. Siquando ipſam die ſtato contigiſſet ad cœtum non accedere, ſine vera certaque excuſatione, ſe ita de nocte fuiſſe vexatam, vt nec ſomnum caperet, nec quietem vllam. Cum proficiſcendum illuc fuit, ſe viri vocem audiuiſſe, quem paruum dominum, aut etiam interdum magiſtrum Martinetum appellabant: itaq; ſimul ac ſe vnguento quodam obliniſſet, hircum, qui præſto ad portam aderat, conſcendiſſe, quem tenebat pilo, eoque hirco ſub magnam illam Beneuentanam nucem, vbi innumeros offendebat Magos, tranſuectam eſſe. Ibi fide Principi data ſaltari, tum menſis accumbi, poſtremo quemq; Dæmonem cum eo eave, cuius præerat cuſtodiæ, copulari. Hoc facto, ſingulos ſuo Dæmoni inſidentes reuolare, priuatim vero Diabolum intra parietes domeſticos adorare. Hoc vbi fuiſſet confeſſa, & cum duabus alteris comparata, aliæ præterea fuerunt accuſatæ, quæ confeſſæ culpam cum ſuis pulueribus & vnguentis viuæ fuerunt concrematæ.

Boccatius refert de nobili Lombardo, qui Hieroſolymitanæ militiæ nomen dederat, ad occupandam terram Sanctam: diſcedensq; coniugi ſuæ partem annuli ſignatorii reliquerat, cum hoc pacto, vt ſi intra triennium ab ea die non rediret, vxori liberum foret, arrha hac & ſymbolo neglecto, alteri marito nubere. In Iudæa captus, ac in Ægyptum adductus, Sultano (quem iam olim in Europa peregrinantem, attamen ignotum, hoſpitio receperat pater eius) propter parentis hoſpitalitatem, virique prudentiam ac dignitatem, mox adeo placuit, vt probatis diutina familiaritate eius moribus, eum omnib. rebus ſuis præfecerit. Vertente triennio, in extremam incidit triſtitiam. Cuius cauſam Sultanus expiſcatus, Magum aduocauit, qui illum in lectulo precioſo conſopitum, & magna auri gemmarumque vi onuſtum, poſtrema trium annorum nocte Papiam in ſummum templum deferendum curauit. Ædituus eo conſpecto trepidus fugit, ac cum aliis de ſpectro narraret Ægyptio, obuium eum habuit ad ædes vxoris properãtem, iam ab alio ſponſo veſperi domum ducendam.

Wierus quoque narrat hiſtoriam, Magum à ſe in Germania viſum, qui ſpectante populo cœlum verſus aſcendebat clara luce, cumq; vxor pedibus eum prehenderet, pariter ſublatam eſſe, hac item comprehenſa ancillam ſurſum abiuiſſe: ita

ita multo tempore in aere verſatos eſſe,corona populi attonita & miraculum admirante. Simile exemplum in Hugonis Floriacenſis hiſtoria legimus, Matiſconenſem quendam Comitem maxima voce clamantem, amici adiuuate me, abreptum in aera & delatum eſſe,nec deinceps viſum. Idem Wierus ſcribit,ſe homines vidiſſe à Diabolis in aerem ſublatos. Et quæſitum fuiſſe in Germania Magum, qui ſe pollicebatur liberos Fräciſci I. Regis Madrico ex arce educturum,& ex Hiſpania in Galliam per aerem deuecturum eſſe,at nihil fuiſſe effectum,quod metueretur,ne hoc duce ruerent,& ruentibus ceruices diffringerentur.

TH. Faciat eius per aerem deuectionis periculum,qui volet;ego certe ne inimico quidem meo ſuaſerim, eſt enim perículoſiſſima iſthæc träſuectionis via, id quod etiam ex iam allatis exemplis quadantenus manifeſtum eſt. Qui enim temere amat periculum,temere etiam in eodem peribit.

EQ. Iſtiuſmodi tamen deuectionum non eſſe eandem rationem, exemplis manifeſtum eſt, quæ oſtendunt, quaſdam etiam eſſe mere imaginarias. Sic enim Ioan. Bapt. Porta Neapolitanus, *lib. 2. Magiæ natural.* ſcribit: Incidit mihi in manus vetula quædam (quas à ſtrigis auis nocturnæ ſimilitudine, Striges vocant, quæq; puerulorum ſanguinem è cunis abſorbent) ſponte pollicita,breuis mihi temporis ſpatio allaturā reſponſa. Iubet omnes foras egredi,qui mecum acciti erant teſtes, ſpoliiſq; nudata, tota ſe vnguento quodam valde perfricuit,nobis è portæ rimulis conſpicua: ſic ſuporiferorum vi ſuccorum cecidit,profundoq; occubuit ſomno: fores ipſi patefecimus, multa vapulat,tantaque vis ſoporis fuit,vt ſenſum eriperet. Ad locum foras redimus,iam medelæ vires fatiſcunt, flacceſcuntque. A ſomno ſeuocata, multa incipit fari deliria, ſe maria monteſque tranſmeaſſe, falſa depromens reſponſa. Negamus, inſtat: liuores oſtendimus, pertinaciter reſiſtit magis. Hæc ille.

Iacobus Sprengerus Inquiſitor, qui de permultis Sagis quæſtionem habuit, eas ſcribit confiteri ſe,cum viſum eſt, à Spiritu abripi, ſin aliter videatur, etiam corpore. Exemplum noſtra memoria, Burdegalenſes habuerunt,anno 1571.cum in Magos Galliæ inſtituta eſſet perſecutio, Vetula quædam Burdegalenſis Maga apud iudices confeſſa eſt, ſe cum aliis per hebdomadas ſingulas fuiſſe exportatam, vbi magnus hircus adoratur,quo authore abnegabant Deum,ſe Diabolo ſeruituras ſpondebant, ſinguli pudenda illius oſculabantur, & poſt ſaltationes pulueres accipiebat quiſque. Tum D. Belotus, libellorum ſupplicum Magiſter,dicente Maga ſe nihil poſſe, niſi è carcere educta eſſet, volens rei veritatem explorare, eam educi iuſſit: & illa cum ſe nudam certo adipe inunxiſſet, velut mortua experſque ſenſus corruit, deinde poſt horas quinque reuerſa exurgenſque,permulta narrauit, quæ variis in locis ita habere, vt dixerat, comperta ſunt. Hanc hiſtoriam mihi quidam Comes equeſtris ordinis narrauit,qui adhuc viuit,& iſti experientiæ interfuit.

Æque admirabile eſt iudicium illud Magorum ſeptem, quod anno 1549. apud Nannetas didici. Cum igitur iſti coram multis ſe indicaturos recepiſſent,ante horam,quid per milliaria decem in ambitum ageretur, exanimes conciderunt illico & tres horas defecti animo iacuerunt: exurgentes renunciauerunt quicquid in toto Nannetum oppido & ambitu longiore perceperant, locis, factis & hominibus obſeruatis,quę omnia ſtatim comperta ſunt. Itaq; omnes iſti accuſati, & maleficiorum multorum comperti,ad ignem fuerunt damnati.

PH. Concedo iſtud quidem. Interim tamen & illud ex inductione exemplorum iam primum dictorum, manifeſtum eſt, hanc deuectionem non contingere nuda duntaxat imaginatione & delirio mulierculaurm: imo nonnunquam conuentu ſubito diſſoluto repertæ menſæ & ſupellex argentea, & poſtea à dominis agnita, & confeſſæ vxores ſe illa ſecum ad conuentum detuliſſe. Deinde Sortiarii locos omnes, & cibos, & vicina omnia diligenter notant; arbores, ſepes, flumina, agros, domos diſcernunt; ſi laruati non ſint, conuiuas agnoſcunt; obuios quoque, quos in via habuerint, ſæpe ſalutant & alloquūtur; cernuntur nō raro ab aliis, euntes, redeuntesque, confitentur omnes vnanimiter eadem, nec in circumſtantiis minutiſſimis diſcrepant, idem confirmant alii immunes ab eorum crimine & errore. Fatentur rei in ipſo rogo, vbi nihil fictio profutura, & exhauſta iam ſunt tormenta. De vanis autem & deluſoriis tam perpetim nequit vna & conſentiens omnium eſſe conteſtatio; tantaque, inter locis & temporibus, & ætate, ac ſtudiis diſiunctiſſimos, adeque multos, conſenſio. Peculiaris enim cuique eſt animi actio, & alius ab alio diuerſum quid imaginatur, nec cerebri aut phantaſiæ omnium eadem diſpoſitio.

EQ. Traditum inuenio, in quibuſdam P. Ioan. Maldonati dictatis, *de Dæmonibus*; quod quando volunt corporaliter transferri, tum ſe inungunt vnguento ex infantilis corpuſculi adipe; quando conuentibus per inſomnium dumtaxat intereſſe volunt, tum in ſiniſtrum cubare latus; quando vero malunt vigilantes, quæcumque in conuentu fiunt cernere, vt coram ſe geri, tum opera dæmonis ex ore vaporem quendam craſſum euomere, in quo geſtorum imagines vt in ſpeculo intueantur. Et fortaſſis hoc Quæſitoribus inſinuare volebat famoſus ille Ioan. de Vaulx Stapulēſis, cum diceret; ſcire ſe diſcernere, num corporaliter, num vero per imaginationem conuentui intereſſet.

Raziorum Baro, (qui apud Nannætas magicarum ſortium damnatus ſupplicium pertulit) non tantum faſſus eſt, ſe octo puerulos occidiſſe, & in animo habuiſſe occidere & Diabolo ſacrificare nonum, ſuum ipſius filium, idq; in matris vtero, vt ſummopere gratificaretur Satanæ, verum etiam in conclaui ſuo procidentem in genua Satanam adorare humana ſpecie comparentem, eiq; adolere. Huic res admirabiles Satanas ſpopōderat, ac nominatim ipſum fore magnum. Tandem vero, ſe videns captiuum, & acerbiſſimis malis oppreſſum, omnia confeſſus eſt, vltimumque ſupplicium paſſus. *Bodinus lib. 2. cap. 6.*

TH. Proh temerariam hominum inſaniam, iugo illi diabolico ſeſe vltro ſubmittentium atque mancipantium.

PH. Nihil mirum eſt, ſi inſitas hominibus affectiones aliquanto attentius conſideramus: quę nimirum media illa ſunt, quibus Diabolus homines perq̄ multos in ſua retia pertrahit; ſuntq; tres illæ præcipuæ. I. Rerum nouarum percipiendarum magnis ingeniis naturaliter inſitum deſiderium. II. Vindictæ in cordibus eorum qui iniuriam paſſi ſunt, profundiſſime radicata cupiditas. III. Bonorum deniq; ſiue diuitiarum, ex inopia magna exortus amor immenſus. Quod ad paſſionem harum trium primam, rerum nempe nouarum auide percipiendarū deſiderium attinet; ea vna magorum & necromanticorum incitamentum eſt: reliquæ duæ Sortiariorū & Incantatorum illecebrę ſunt. Etenim ſerpens iſte, & antiquus & ita verſutus, cū ſpiritus quidā ſit, affectus noſtros facilime ſineq; vllo negotio explorare & perſpicere, ſeq; ſecundum affectus eoſdem ſic, vt nobis ad perniciē

noſtram

noſtram imponat, gerere nouit. Quotquot enim valde miſeri nec inopes ſunt, hos ad ſequendum ſe inuitat, promittendo eis & diuitias magnas & voluptates mundanas ingentes. Alios econtra, qui opibus abundantes ardent nihilominus cupiditate iniuriarum vindicandarum deſperata allicit ad ſe, pollicendo illis, quod effecturus ſit, vt voti ipſorum reapſe compotes euadāt, non minus quam animo optare vel poſſint vel auſint. Quod ſi quos ex vna cauſarum iſtarum duarū, de quib. locutus ſum, extreme laborantes offenderit, viam ſibi præparat ita, vt eos aliquātulum in humorib. ipſorum nutriendo ſuſtentet; magis item magisq; ſpe vana lactet, idq; tantiſper, dum tempus ad ſemetipſum illis declarandum fuerit adeptus idoneum. Quo tempore cum eos vel ruri ſolos obambulantes, vel in lectis ipſorū, plenos interim cogitationum ſolicitarum cubantes, omniq; ſodalitio deſtitutos inuenit, tunc ex illis aut per vocem quādam, aut hominis alicuius ſimilitudinem, quidnam illud ſit, quod eos ita maceret excrucietq;, inquirit, promittens eis ſimul remedium quoddam extemporaneum, illudq; quo ab aduerſitatibus ipſorū liberentur omnibus, certiſſimum; conditione tamen illa, vt ipſi ex ipſorum parte obligent ſe iſti, quod conſiliū eius ſecuturi, facere velint omnia, quęcunq; mandaturus ſit agenda. His ita animis ipſorum perſuaſis, facile in eo quod ab eis efflagitat, aſſentiuntur. Quo facto, ſigna quędam notæq; certæ conſtituuntur, per quas alias iterum inter ſe conueniant. Quo tempore iam præſente, priuſquam quicquā amplius cum eis agere aggrediatur, requirit ab illis, vt ſeruitio eius addicant ſe totos. Hoc facile ab eis obtento, tandem ſe detegit & vniuerſis & eorum ſingulis; oſtendens qualis reipſa ſit: facitq; vt iſti Deum ipſorum Baptiſmumq; directe abnegare non vereantur, certamq; ſui notam quandam in partibus corporis ſecretis imprimit: quæ tantiſper cruda, patens & hians ſine cicatrice relinquitur, dum proxime ſibi rurſus obuii ſint facti: ex eoq; tempore nota illa ipſos dolore nullo prorſus afficit, quantumcunq; vellicetur, tundatur aut prematur. Ita vero diabolus cum illis agit, vt eis certo perſuadeat, vt quēadmodum notā illā ipſis imprimēdo dolore eos afficere, eundemq; rurſus ſedare potuit: ita quoq; omne id, quod poſt tempus illud vel bene vel male faciant, ab eo totum dependere concludant. Iam præter id, quod dolor importabilis ille, quem in partib. corporū ipſorum, in quas notam illā ſui cacodęmō impreſſit, experiūtur, vtilis eſt ad id, ne iſti notati ſomno ſeſe dedāt, conuentumque proximum alacriter expectent: in partem contrariam metuit Satan, ne tanquam nouelli, & in arte iſta odioſiſſima nondum ſatis fundati tyrones, eius inimici ipſorum obliuiſcerentur, aut promiſſionem illam, quā ei in conuentu proxime præterito feciſſent, terribiliſſimam eſſe cogitantes, contriſtatique ab eadem deficiendo, illam reuocarent, ea cauſa videtur eſſe, cur in conuentu ipſorum tertio ſpeciem quandam præ ſe ferat talem, qua oſtendat, ſollicitum ſe eſſe ad ea, quæ pollicitus eis ſit, adimplenda.

Cæterum quando ad adorandum magiſtrum ſuum, de quo paulo ante, conueniunt, ibi magiſter ipſorum è ſingulis quærit, quo faciendo cumprimis oblectentur. Tum quilibet eorum proponunt ei, quidnam mali præcipue executioni dari cupiant: ſiue vt diuitias conſequantur, ſiue vt eos, quorum odio flagrant, vlciſcantur. Promittit ille, daturum ſe effectum quicquid ab eo petierint. Media igitur illis proponit, per quæ quod volunt, efficere poſſint. Et quia mulieres circa res ineptas futilesq; libenter occupari nouit, earum quibuſdā mandat, vt cadauera mortuorū contundant, eq; talium cōtuſione puluerē conficiant, cum quo res alias, quas ipſis

communicat, commiſceant. Alias quaſdam mulieres hoc ipſo conuentus eorum tempore docet, quod imagunculas è cera cœnove conficere debeát, vt per toſtionem earundem perſonæ illæ à quib. imagunculæ per eas denominatæ ſunt, ſenſim vel colliqueſcant, vel morbo quodam continuo laborantes exareſcant. Aliis quibuſdã lapides quoſpiã certos impertitur, per quos vt morbos in aliis ſanare, ſic in aliis excitare poſſint. Alias veneficas tam rara mirabiliaque docet, vt ea medicinæ profeſſorib. prorſus incognita ſint. Ipſe enim in cognitione rerum naturaliũ abditarum multo perſpicacior eſt, quam mortalium quiſquam; qualia ſunt, quod efficere poſſunt, vt mariti & vxores ſeſe amore vel econtra odio proſequantur mutuo; quod morbos ab aliis quaſi deriuatos, corporibus aliorum velut inſtillare poſſunt. Etenim cũ practicus antiquiſſimus ſit, probe nouit, quales humores in quolibet prædominentur: cum deinde ſpiritus ſit, humores eoſdem ſubtiliter ſatis excitare, & vt iidem in corporibus noſtris abundãtes, nobis damnoſi ſint, efficere poteſt, prout ei nos excruciare libuerit, Deo ad id faciendum habenas eidem laxãte. Poſſunt præterea & viros & mulieres incantationibus per imaguncularum cerearum ſuperius dictarum ad ignem toſtionem vita priuare. Quamuis enim cera illa, inſtrumentum incantatorium virtute per ſeſe nulla eff. ctui tali producendo idonea prædita ſit, diabolus tamen tempore eodem, quo cera illa à Sagis liquatur ſubtiliter, prout ſpiritus ſubtilis eſt, ſpiritum patientis vitalem tam mollem facere, ſicque diſſipare poteſt, vt ex illo (patiente) per calorem nimium humor corporis exudet; partim vero attento, quod ſpiritus vitales non concurrant, eorundemque ſiue digeſtio ſiue conſumptio cauſetur, vt ſtomachus excruciati tãtopere debilitetur, vt eo humorem radicalem per ſudorẽ emittente, & in locũ eius exudati nullum alium recentem recipiente, æger ad extremum non aliter atque cera igni cuidam admota paulatimq; colliquata collapſaque in cinerem diſtillat, extinguatur. Præterea turbines & tempeſtates in aere excitare poſſunt incantatores iidem, idque non minus ſuper mari quam terra; in locis tamen tantummodo certis, in quibus Deus, vt homines affligant, id eis permiſerit; terminos conſtituens, quos tranſilire, illis minime permiſſum. Efficere quoq; poſſunt, vt homo ſenſibus exutus furiis agatur. Cum enim furia ęgritudo naturalis ſit, ideoq; eiuſmodi ęgritudine hominem non minus poteſt afficere, quam vllis aliis malis. Efficere quoq; poſſunt, vt ſpiritus homines & inſequantur & excrucient, itẽ vt domos quaſdam certas inhabitantes, poſſeſſores eorundem perterreant, & ſi quæ ſunt huius generis alia.

EQ. An igitur credibile eſt, quod Deus permittere velit, vt inſtrumẽta hæc mala, qualia præſtigiatores & incantatores ſunt poteſtate diaboli, per mediorum iam recenſitorum vllum, quenquam ex iis, qui fiduciam ipſorum in Deo collocarunt, excruciet?

PH. Quidni? Pios enim, ſed in peccato quodã enormiore obſopitos, taliter affligi Deus concedit, vt eos è veterno ipſorum tali medio fortius, quam vllo alio expergefaciat. Optimos vero, quique ſunt vitæ innocentioris virga huiuſmodi cædi vult interdum, vt patientia ipſorum coram mundo patefiat: id quod exemplo Iobi manifeſtum eſt. Nemo ergo tam audax ſit, vt ſibi ipſemet immunitatis vel tantillũ polliceatur.

TH. Vſq; adeo verum eſt, quod Syneſius ait, calamitates mortalium, malorum dæmonũ eſſe conuiuia; ſicut è cõuerſo, lacrymæ pœnitentiũ ſunt vinũ Angelorũ. Sed quomodo puluerem illum, veneficũ, aliaq; quibus mediantib. nocumenta inferunt corporibus hominum iumentorumq; applicant?

PH. Pul-

PH. Puluerum tria genera veneficis tradi à dæmonib. fertur, quorum primus albi, quo medentur, ſecundus cinericei vel interdum ruffi, quo morbos infligunt, tertius atri coloris, quo occidunt, eſſe traditur. Cæterum pulueribus illis minutis, cinericio nimirum & atro nocent, in cibum potum ve infuſis, vel nudo corpori affricatis, vel in veſtes diffuſis. Maleficium etiam patrant herbis, feſtucis, aliiſque id genus friuolis in humum proiectis, quæ ſupergredientibus (quibus tamen malefica voluerit) ægritudinis vel necis certiſſima cauſa ſunt. Vtuntur etiam vnguẽtis albis vel ſubruffis, inſtar bituminis; in quibus interlucent permixtæ metalli micæ, & ſimul luteæ candicanteſq; guttæ: ſi vnguentum hoc igni iniicias, fulgorem, ſtrepitum, nidoremq; edit, cui ſimilem res alia nulla; hoc nonnullæ ſemper habẽt manus illitas, ne qua nocendi elabatur occaſio: lethale, ſi demulcendo vel ſummas veſtes attigerint. Solo quoque halitu afflatuve inficiunt, ſic ſolent eſſe cauſa puerperis abortiendi ſummo cum vitæ periculo, vt exemplis comprobant *Nic. Remig. Sprẽgerus & Loyberius*, & hoc dæmones poſſe Pſellus olim docuerat *lib. de dæmon.* Grauiſſima inſuper damna inferunt ſolis verbis, vnde Virgil.

Miſcueruntq; herbas & non innoxia verba.

Quodque mirum, interdum nocent ſolis minis, vel in. repatione; imo & laude, creditum id non gentilibus modo, qui baccare frontem cingebant, vt hoc malo obuiarent; ſed & ætati noſtræ probatum experientia; quod & ego fateor, ſed addo, hæc omnia non virtute verborum, ſed opera diaboli ad ſignũ concurrentis perfici.

Denique quædam graſſantur apertius, quæ per dæmonem ſtrangulari vel præcipitari alium curant, vel puerulos noctu iniecta culcitra præfocant vel acu poſt aurem infixa necant, vt apud Sprengerum illa obſtetrix Helvetia; vel è cunis rapiunt, & lancinant, aut in vſum vnguentorum, vel in cibum ſibi gratiſſimum. Huc ſpectant maleficia ſomnifica, quando aliquem potione vel malo eoque fere monſtroſo carmine, & prælata manu ſuſpendioſo abſciſſa, & ad ſingulos digitos affixa candelula accenſa, vel aliquando ipſis digitis prodigioſe ardentibus, & à flamma non abſumptis integris manentibus, aut aliter profundo mergunt ſomno, vt interea vel infantulos rapiant aut necent, vel furto quid ſubtrahant, vel ſtupro adulteriove cõtaminẽt; faciunt hoc interdũ magi, & fieri poteſt naturalib. venenis ſoporiferis. Patet id exemplo, quod narratur in vita D. Bernardi; nam ibi tot annis adiacentem maritum incubus vxoris fefellit, quod eo dormiente factum oportuit.

TH. Huius generis ſunt etiam maleficia amatoria, ſi nimirum, quid dicitur, fit, daturve eo fine, vt in amorem quis Veneriſque furias pertrahatur. Hæc omnium optime & exactiſſime Grill. ſcripto prodidit: Amatoria inquit ſortilegia vel fiũt intra corpus, vel extra corpus (ſcil. maleficiati.) In corpore cõmuniter fieri ſolent per cibum vel potum. Et in his frequenter admiſcent (quod vix ſolent in hoſtili vel ſomnifero maleficio) Sacramenta Eccleſię, vt hoſtiam conſecratam vel nondum conſecratam, ſed circumſcriptam notis & literis ſanguineis; ſuper qua dici curant, quandoq; vnam, duas, tres, quinque vel plures miſſas; quibus celebratis, tradunt hoſtiam ipſam, non integram prout eſt, ſed in puluerem redactam valde ſubtiliter perſonæ maleficiandę, quam aſſumere faciunt in cibo, ſicut in meneſtra, vel in potu: eodem modo faciunt cum calamintha immixra aliis ſpeciebus, & tradita in cibo vel potu, ex quo dicunt illam eſſe naturæ attractiuæ, &, quod poterit cor & voluntatem abſorbentis trahere ad amorem perſonæ tradentis.

Digitized by Google

Sed omnes ſunt nugæ & dæmonis fallaciæ. Vtplurimum vtuntur pergameno virginea, quam conficiunt ex cute pueri recens nati, & ante baptiſmũ mortui vel abortiui, inſcripta characterib. & verbis magicis, cuius miram potentiam atq; efficientiam nugantur magi recentiores. Sed nolo hæc prolixe pſequi, ne oleum camino addere videar. Illud duntaxat dicam, quæ vis ſit huius ſortilegii amatorii. Dico itaq; primo: Hiſce philtris voluntas nullius cogi poteſt, ad quem nõ vult, amandũ: ſed bene poteſt imaginatio perturbari, humores concitari, & totum corpus interius quaſi accendi: adeo vt quis dæmone variis tẽtationum illecebris interius certante œſtro quodam libidinis vexetur, & ſic vehemẽter trahatur ad deſideriũ carnalis copulæ cum aliquo: quod ſi tum temporis maleficus amator accedat, & artib. quibus ſolent mulierculæ capi, eam inſtanter vrgeat; facile fit, vt in naſſam præda cadat. Atq; hæc eſt ratio & modus, quo per iſta diabolus ſolet decipere: vulgus autem nequit diſtinguere inter actiones voluntatis & motus concupiſcentiæ, impetuſque portionis inferioris. Vnde non oportet credere iis, qui quæue cauſantur coactionem voluntatis.

Secundo probatur ratione, quia multa ſunt pharmaca, quæ vim habent naturalẽ turbandi humores, irritandi ſemen, excalefaciendi totum corpus, & ſi nullæ res tales inuenirentur, poſſet dæmon rebus, quib. vellet, vti: tanquam ſignis conuentis, & deinde iuxta pactum ipſe per ſe & turbationem, & flatulentiam, & pruritum, & calorem in corpus inducere, ſimulq; perſonæ certæ importunã ſuggeſtionem imaginationi, quaſi valde dignæ amari, obiicere: & ſic in huius amorem inflectere poſſet, ſed volentem tantum. Nam in voluntatem nulla dæmoni iuriſdictio, nulla coactio competit.

EQ. Maleficium amatorium in ipſo obiecto ſiue perſona amata conſiſtere arbitror, q̃ prout deformior aut formoſior eſt, aut ẽt diuitiis magis minusve affluit, eo etiã magis minusve amatur. Recẽſebo huius rei exemplum ex Herodoto, quod nõ impertinenter huc accommodari poteſt Is *lib.1.* in hæc verba ſcribit: Vna iiſdẽ Babyloniis lex eſt, omnibus modis exſecranda. Nempe omnib. mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vita ad Veneris templum deſidentibus, cum externis viris conſuetudinem habere. Cæterum cum pleræq; ſint diuitiis tumentes, quæ ſui copiam facere recuſent, hæ vehiculis cameratis ſubuectæ pro templo conſiſtunt, relicta interim à tergo magna famulitii turba. Pleræq; etiam hunc in modum faciunt: ad templum Veneris ſedent, nodis corollisque tempora reuinctę, è quibus dũ aliæ ſeorſim abeunt, aliæ regrediuntur. Nam diuerticula vndecunque ſic funiculis diſtincta aditum prębent externis ad mulieres illas, quã cuique libuerit deligendã. Porro cum ſemel illic conſederint, non prius domum regrediuntur, quam hoſpitum aliquis pecuniam mulieri in ſinum iniecerit, & cum eadem à fano ſeorſim abducta rem habuerit. Hoſpitem autem illum, qui pecuniã obtulit, dicere oportet: tanti ego tibi Deam Mylittam imploro. Mylittam enim Aſſyrii Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacunque ſit, non eſt fas reiicere, ſiquidem in ſacrum conuertitur vſum. Neque mulieri etiã permittitur hoſpitem aliquẽ repudiare: ſed quicunq; is eſt, qui pecuniam obiecerit primum, hunc illa ſequitur citra delectũ. Poſtremo vbi iam congreſſa fuerit cum externo mulier, Dea expiata, domum reuertitur. Iam, quæ forma ſunt elegantiore, citius (vt par eſt) expediuntur: quæ vero deformes, diutius coguntur deſidere pro templo, antequam legi faciant ſatis. Fitq; interdum vt vno atq; altero anno aut etiam triennio, atque diutius ex-

pectare

Digitized by Google

pectare oporteat miſeras. Alicubi nempe in Cypro ſimilis quædam lex eſt. Hi nimirum ſunt modi, hæc ligamina amatoria, quibus paruo negotio aſtringuntur ac detinentur inſani amantes.

PH. Certum tamen eſt, ſæpius philtra exhibere, quorum, quarumve amorem inſaniter ambiunt; atque ea quidem & menti & corpori vtplurimum valde noxia ſunt, & præſertim ſi dentur in potum & cibum, ſolent vt plurimum valetudinem vehementer debilitare, & de ſtatu mentis deiicere: quia eorum ingredientia ſolẽt eſſe admodũ periculoſa: vt fluores menſtrui, ſperma (vt patet ex vetuſtis libris pœnitentialibus) cerebrum felis vel aſinini pulli, vterus hyenæ, virga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſcinci, & præ cæteris (quod vocant) Hippomanes, ꝙ eſt triplex, ne quis fallatur; vnum cuius mentio apud Theocritum *in Pharmaceut.* tradit eſſe plantulam quandam Arcadiæ: alterum, quod vt canit Tibullus:

Virus cupidæ ſtillat ab inguine equæ. Et
Hippomanes fœta ſemina legit equa.

Vt Propertius. Qualis eſt ſuum apria: tertium, pellicula quæ reuellitur à fronte pulli equini recens editi, cuius odor equas in furorem redigit. Quam hoc noxium ſit docet interitus Caligulæ, qui mortuus, cum ei Ceſonia hoc potandum porrexiſſet, vt narrant Ioſeph. & Sueton.

De cunctis autem philtris Ouidius prudentiſſime:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

Euſebius teſtatur his Lucretium poetam primo dementatum, deinde furoris impatientia ſeipſum interemiſſe. de Lucullo prodidit Plutarchus, his eum primo actum in furorem, mox etiam interemptum. Virgo illa incãtata à Baſilio (vt ait D. Gregor.) febricitare incepit, & vehementer anxiari, magniſq; vocib. cum ſtridore clamare: Modo moritura ſum, niſi Baſilius monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat. En verba mente captæ, & corpore languentis. Illa vero, de qua D. Hieron. ſcribit, poſtquam amator, magicis artibus inſtructus, ab Æſculapii ſacerdotibus, rediit, & ſubter limen domus puellæ tormenta quædã verborũ & portentoſas figuras ſculptas in æris Cyprii lamina defodit: & ilico amore inſanire virgo, & amictu capitis abiecto rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis: magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Quare cum tam noxia ſoleant eſſe philtra, merito Athenienſes Temniam ſagam morte mulctarunt, & nimis laxi fuere Areopagitę, cum alteri, mortuo eo qui acceperat, ignouerunt: prudentiſſimeq; iura ciuilia, quib. ſeqq. pœnæ receptæ. Si præbens amatorium quid, non adhibuit magicam ſuperſtitionem, nec mors ſecuta fuit, pœna relegationis & damnationis in metallum olim puniebatur, hodie iudicis arbitrio extraordinarie punitur. Quod ſi mors fuerit ſecuta, quam vt plurimũ ſequi tradidit Hippolytus de Marſil. inſignis criminalium iudiciorum tractator, tum, ſi ob malum finem præbuit philtrum (vtpote cauſa aborſus vel illiciti amoris) ſiue tum adhibitæ ſint artes magicæ, ſiue non, mortis reus cenſetur, ex cõmuni ſententia iuris interpp. *arg. d* § *qui abortionis.* quod & olim prudentum opinione receptum Iul. Paulus tradidit, neq; id acerbum debuit videri Antonio Guiberto, dignus enim plane ſupplicio malus adeo animus, fini improbiſſimo, per ſummũ periculum & peſſimum exemplum ſtudens. Quod ſi non dedit ob malum finem, ſed bonum (vtputa ad arcendam fœminæ ſterilitatem, ad cõciliandum mariti animũ

à ſe immerito alienatum) tunc ſi acceſſit ars magica, adhuc puniẽda eſt audacia lethali ſupplicio, capitale eſt enim his vti artibus: ſi vero non adhibuit quicquã magicum, ſed naturalibus vſa fuit, quæ putabat non nocitura, extra ordinem mitius punienda eſt citra mortem.

TH. Humanam vindictam præuenit aliquando diuina vltio. Siffridus presbyter in Chronico ſuo narrat, anno 1260. accidiſſe, vt adoleſcens quidam in Miſnia, vt ſuis potiretur amoribus, à Mago in locum ædium deſertum deduceretur: cui cum ſpectrum, puellæ illius quam amabat imagine, per malefici incantationes ſe obtuliſſet, amator ille perditus, manum ei porrigens, à malo dæmone parietibus alliditur, & miſerabilem in modum necatur: qui eius quoque cadauer tanto in Magum impetu proiecit, vt ſemianimis longo tempore iacuerit. I nunc, & animam cõmitte ignibus doloſo hoc pulueris Magici mantello contectis. Nonne potius audiendus Phocylides, qui cecinit, omnino fugiendas amatorias incantationes & philtra: idque verum, etiam quoad coniuges: quia etiamſi conciliarent amorẽ (quod nunquam vel raro contingit) tamen ſemper, vt minimum, reddunt debilem, attonitum, & mentis emotæ: quemadmodum piſcibus (acuta & apta eſt Plutarchi ſimilitudo) accidit, qui non retibus vel hamis, ſed medicamentis capiuntur.

EQ. An non certa poſſunt exhiberi remedia, quæ philtris eiuſmodi obſiſtant eaque abigant?

TH. Poſſunt equidem. Veruntamen in hoc genere maleficiati, admodum difficulter illa admittunt; qualia ſunt: Opera pœnitentiæ, preces & ieiunia; vitare cõſpectum rei amatæ, & otium, & alia libidinis irritamenta; de quibus optime diſſerit Helinandus: Vis (inquit) extinguere libidinem? amoue ligna de igne, ſi ſtridet incendium. Ligna innumerabilia ſunt, potiſſima autem:

Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, vinum:
Proſperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Et Cato in diſtich. moralib.

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto,
Nam diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.

Huc etiam admodum confert, occupatio mentis in rebus grauioribus, cogitatio mortis & inferni, lectio bonorum librorum, preces ad Deum ardenter fuſæ. Vtile quoque fuerit frequenter meditari, non externam illam & perituram cito ſpeciem, quæ fragilis caduca, ſæpe mendoſa & fucata, & falſis tantùm lenociniis adumbrata; ſed rimari cogitatione internam & profundiorem corporis conſtitutionem: quid illa fuit, antequam naſceretur? ſtilla ſeminis ſpurci & olidi: quid nũc eſt? ſaccus ſtercorum: aufer cuticulæ pelliculam, quid illa tetrius aut horribilius? quid cadaueri propius? ſterquilinium niue contectum albet; ſoluantur niues: pax, pax naribus & oculis clamabunt omnes, & diffugient. Niue fugacior eſt forma, nõ liquatur, ſed vaneſcit; illam aqua excipit: hanc quid niſi deformitas & formido, qualis mormolycii? cũ anima diffugerit, quid futura hæc, ſiue Lais, ſiue Helena? eſca vermium, cadauer putridum, fœtens, tabe diſſoluẽdum, ex cuius ſpinæ medulla ſerpens terribilis enaſcetur. Hoc amem, hoc depeream! Narrat Suidas de Hypatia Alexandrina; eam cum conſilio nequiret auditoris adamantis importunã ſollicitationem abrumpere; panniculos ei ſuos, fluore menſtruo maculatos obieciſſe: H[illegible] ([illegible]iens) eſt adoleſcens quod amas, nihil autem pulcrum. Appa & Gela Fo[illegible] ducis Giſulfi filiæ, carnis putridæ ſub mamillis poſitæ odore, ſuam defendere

fendere caſtitatem. Barbari enim natura ita fœtere Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere. *(Annal. Boior. lib. 3. & Ant. Bonfin. lib. 8. rerum Hungar. Deca. 1.)* Sed & Th. Cantipratenſ. pium quēdam virum, cùm cogitationes importunas cuiuſdam mulierculæ, formoſæ dum viueret, animo abigere non poſſet; ſepulchrum narrat eius aperuiſſe, & amplexum cadauer tabidum; faciem faciei eius contaminatæ tabe, vermibusque impoſuiſſe, & in hoc fœtore volutatum ore, donec fœtor & horror omnem libidinis memoriam ſuperaſſent.

EQ. Ridiculum eſt, quod Cardanus præſcribit remedium; eum qui (ait) ſtercora recentia amicæ in ſuo ponat calceo, & calceum ſtatim induat, amore liberandum. Sed vtatur iſto remedio Cardanus quoad lubet. Apage has ſordes.

PH. Sunt hæc amatoria, quorum finis non eſt, machinari malum atque interitum hominibus; at maleficia venenaria, veneficia proprie dicta, omnino perniciem hominum intendunt. Poſſuntque etiam permittente Deo ſagæ maleficiis ſuis complures mortales morbis grauiſſimis, imo ipſa etiam morte afficere. Ex hiſtoriis omnium gentium paucas attingam. Narrat Andr. Theuetus, in Africæ oppido Guzola Elzanam quendam ſpatio duorum annorum malis artibus plus quam octingentos homines interfeciſſe. Narrat Spreng. *in Mall. p. 2.* duas in Epiſcopatibus, Baſileenſi & Argentinenſi, concrematas obſtetrices, quia vna earum quadraginta, altera innumerabiles pueros recens in lucem editos necauiſſent, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis. Scribit Ioan. Nider. *Formicarii lib. 5.* in territorio Bernenſi quoſdam maleficos vtriuſque ſexus ſuos proprios infantes occiſos deuoraſſe: idemque factum ab aliis in ditione Lauſanenſi. Et I. C. Godelmannus præterito anno (inquit) Comes quidam ſuperioris Germaniæ octo veneficas, quæ CXL. interfecerant infantes, Vulcano tradidit. Anno LIII. captæ ſunt Berlinæ duæ fœminæ veneficæ, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ ſunt. Eæque mulieres rapuerunt furto alterius vicinæ mulieris infantulū, & ipſum diſſectum coxerunt. Factum eſt diuinitus, vt mater quærens infantem, interueniret, ibique ollam & impoſita amiſſi infantis membra videret. Captis itaque mulieribus & in tortura examinatis, dixerunt, ſi proceſſiſſet coctio, tunc futura fuiſſet ingens glacies, ita vt omnes fruges perderentur.

EQ. Ex omnibus actionibus, quas Magi ſibi vendicant, vix inſigniorem vllam inueneris, quam fulgura & tempeſtates prouocandi, vt eam lex pro explorata habuit. Itaque in libro Inquiſitorum quinto dicitur, anno 1488. in Conſtantienſi diœceſi, procellas, grandines, fulmina & tempeſtates extitiſſe, quæ prouētum terræ per milliaria quatuor afflixerunt. Ruſticis autem omnibus in Magas inuehentibus, comprehenſæ fuerunt duæ, Anna de Mindelen & Agne, quæ primo inficiatæ, cum ad quæſtionem raperentur, confeſſæ ſunt ſeorſim, ſe vno die in agrum cū paucula aqua proceſſiſſe, & quamuis altera conſilium neſciret alterius, effodiſſe ſcrobem, & ſub meridiem aquam ſcrobi iniectam conturbaſſe adhibitis quibuſdam verbis, quæ ſatius fuerit ignorari, diabolum inuocantes: his geſtis, ſimul ac reuertiſſent domum, procellam extitiſſe. Saga aliquādo cum videret omnes ſui pagi incolas in nuptiis conuiuari & ſaltare, ægre ferens, ꝙ non fuiſſet eo vocata, ſe per diabolum clara luce, ſpectantibusque paſtoribus curauit in collem exportari propinquum pago, & quia aquam non habebat, quam in ſcrobem à ſe effoſſam iniiceret, vt cieret tempeſtatem (nam hunc ritum faſſa eſt obſeruari) emiſit lotium,

Digitized by Google

tium & illud in ſcrobe mouẽs, ſermones quoſdam pronunciauit: mox cœlo, quod ſudum ſerenumque fuerat, obſcurato, grando vehementiſſima ſolummodo in pagum & in ſaltantes irruit: Saga vero in pagum reuerſa eſt. Ea itaq; viſa, tempeſtatẽ ab ipſa accitam fuiſſe crediderũt omnes, eaq; capta, paſtores pro teſtimonio dixerunt, ſe vidiſſe eum in aere transueheretur. Quod illa accuſata euictaque agnouit, & viua fuit igni tradita.

PH. Morbos quoq; infligere admodum ſunt promptæ, & vel leuiſſima quapiã offenſione irritatæ, lethales inferre morbos haud verentur. Sprengerus prodidit, quandam maleficã epilepticum morbum certis inflixiſſe per oua cum mortuorũ corporibus ſubtumulata, præcipue ex earum ſecta inhumatis, & certis cum ceremoniis exhumatis, & in potu vel cibo præbitis.

In diœceſi Baſilienſi, in cõfinibus partium Lotharingiæ & Alſatiæ, vir integræ famę verbis aſperioribus in mulierẽ maleficam inuehebatur. Illa indignata, vindictam ſe breui de eo ſumpturam interminata eſt. Quas ille minas licet paruipenderet, ea tamen nocte puſtulam collo accreuiſſe ſenſit, ex qua cum eam fricaret, tumor totam faciem & collum occupauit, corpusque horribilis lepræ ſpecies defœdauit. Sic affectus, cum vetulam de veneficiis ſuſpectam haberet, accerſitis amicis & conſulibus, rem omnem minasque inprimis vetulæ exponit. Quid multa? Mulier capitur, adhibitis tormentis examinatur, crimenque fatetur: adhæc iudici diligentius de modo & cauſa inquirenti, Cum ira, inquit, feruens ob dicta contumelioſa, quibus ille me aggreſſus fuerat, domum reuerſa eſſem, offendi ibi ſpiritum malignum, cauſam triſtitiæ ex me quærentem. Cui cum ſingula enarraſſem, & de vindicta apud eum inſtarem, interrogauit dæmon, quo ergo malo hominem affici velim? Reſpondi, vellem vt facies eius inflata, tumore perpetuo defœdaretur. Ibi, ait, dæmon à me digreſſus, plaga multo fœdiore, quam petiiſſem, hominem percuſſit. Quod crimen vbi faſſa eſt, damnata in cineres fuit redacta.

In diœceſi Conſtantienſi inter Briſacum & Friburgum mulier leproſa multis audientibus referebat, ſe motis cum muliere alia rixis, cum nocte iam ingruente domum reuerteretur, à calido ſufflatam fuiſſe vento, qui ex oppoſita domo, quam mulier, cum qua ſuſceperat contentionẽ, incolebat, ferri ſibi viſus eſſet, protinusque lepra peſſima, à qua liberari non poſſit, infectam eſſe.

Oeniponti mulier honeſta, retro domum cum viridarium vicinæ horto contiguum haberet, vicinamque frequenter, nec ſine damno eo penetrare deprehenderet, nec tamen cum ea, quam de maleficiis ſuſpectam habebat, rixari auderet, illa ſponte magna cum impudentia aduolans, Tune, inquit, ſuſpectam me habes de tranſitu per hortum tuum? Cui altera, cum malefica rixari horrens, placide his tantum verbis reſpondit: Greſſus, inquit, in gramine damna oſtendunt. Ibi illa indignata, rixandi occaſionem ſibi nullam dari, cum murmure diſceſſit. Paucis deinde elapſis diebus, altera illa mulier immaniſſimis doloribus ventris, acutiſſimisque ex vtroque latere torſionibus affligitur, adeo vt continuis doloribus tantum non confecta, indeſinenti vociferatione & eiulatu vicinos omnes inquietaret. Cumque multi confluerent, qui eam conſolandi gratia inuiſebant, inter cæteros & figulus acceſſit, qui cum vicinæ veneficia explorata haberet, & morbi huius cauſam non aliã eſſe, q̃ veneficia deprehenderet, iuſſit maritũ afflictæ mulieris rimari, nunquid veneficiorum ſub limine oſtii inueniretur. Ibi inter varia veneficia

cerea quoque imago, palmæ habens longitudinem inuenta eſt, quæ vndique perforata, duabus etiam acubus per tranſuerſum ex vtroque latere transfixa erat, quibus veneficiis amotis, & in ignem coniectis, mulier à grauiſſimis illis punctionibus liberata eſt.

EQ. Prodigioſi ſunt plerique morbi per maleficium illati, ſed omnium prodigioſiſſimi mihi videntur morbi illi, quando per os vel imum gutturem eiicit æger, ſpinas, oſſa, ligna, ſaxa, fruſta vitrorum, acus, cultros & alia ferramenta, glomos pilorum, pannos, ſetas, cornu lucernæ, & huiuſmodi, quæ vel comeſtione, vel aliter in corpus immitti potuiſſe videtur impoſſibile. Huius exemplum vnum habet Sprengerus, *in Malleo p.2.q.1.c.13.* de muliere Zabernenſi, cui obſtetrix quædam, eo quod ipſam non accerſierat ad puerperium, grauiter irata, noctu cum duabus aliis maleficis ad puerperam acceſſit, & dixit ad vindictam ſe aliqua in eius inteſtina velle immittere, quorum dolorem poſt ſemeſtre duntaxat ſentire inciperet. Dixit, & ventrem eius manu tetigit: ad quem contactum puerperæ videbatur, ſibi extrahi inteſtina, & iis immitti quędam, quę tum oculis dignoſcere nequibat. Poſtea ſexto vix mẽſe finito, internorum viſcerum tortura ipſam ſubito tam dira inuaſit, vt nec (verba ſunt Sprengeri) diebus, nec noctib. à clamoribus, omnes inquietando, abſtinere poſſet. Quadã vero die, vbi opus naturæ perficere volebat, tunc omnis illa immũdicia à corpore prorupit, & aduocans maritum cum filio dixit, ſuntne res iſtę phantaſticæ? nonne dixi, poſt dimidii anni ſpacium res iſta cognoſcetur? aut quis vidit vnquam ſpinas, oſſa, ſimul etiam ligna me comediſſe? Erant enim ſpinæ roſarum, longitudine vnius palmæ, cum aliis variis rebus innumero immiſſæ.

Antonius Beneuemus lib. 8. de abditis morborum cauſis ita ſcribit: Mulier ſextum decimum agens annum, ab ima ventris parte dolore exorto conuellebatur manibus: cumque in horrendum clamorem erumperet, intumeſcebat illico totus venter, adeo vt vterum crederes geſtaſſe octo menſes: & voce exhauſta, vbi per totum cubile hinc inde reiectans ſeſe, & plantas interdum ceruici connectens reſiliebat in pedes, iterum procidens ac exiliens, iſtud ipſum identidem factitabat, quoad paulatim ad ſe reuerſa, quoquo modo recrearetur. Interrogata quid egiſſet? penitus ignorabat. Nos vero eiuſmodi morbi cauſas inquirẽtes, arbitrati ſumus hoc malum ex matricis ſuffocatione, & vaporibus malis ſurſum elatis, ac ſubinde cor & cerebrum ferientibus, prouenire. Sed cum medicamentis nihil promoueretur, ea ferocior facta, ac toruis oculis circumſpiciens, tandem prorupit in vomitum, quo longiores & recuruos clauos, æneasq; acus vna cum cera & capillis conglomeratis reiecit, & nouiſſime ex ientaculo fruſtum tãtæ magnitudinis, quale integrum nullius deglutiſſent fauces. Cumq; idipſum ſæpius etiam vidente me factitaſſet, teneri eam arbitratus ſpiritu malo, qui dum hæc ageret, ſpectantium oculos perſtringeret. Quare Eccleſiaſticis medicis commẽdata, manifeſtiorib. deinde ſignis & argumentis comprobauit. Nam & nos eam vaticinantem audiuimus, & ea præterea agentem vidimus, quæ omnem morbi vim ſupergreſſa, humanum etiam captum excederent.

Commemorat Cardanus de varietate rerum lib.15. probum quendam Ruſticum & amicum, qui facilius decipi poterat quam decipere, ſibi ipſi narraſſe, quod morbo incognito plures laborarit annos: quo tempore excantationibus ſæpius vitrum, clauos & capillos euomuiſſet: & quanquam demum reſtitutus fuiſſet, tamen in eum diem quo hæc referret, ſentire ſe in ventre aſſerebat maximam vitri con-

tracti congeriem, ſonumque non leuem, quaſi quis ſaccum vitri fragmentis plenũ concuteret, à quo non parum vexaretur: tum vero ſingulis octodecim noctibus, ſeptima hora, etiamſi horarum numerum non obſeruaret, totidem ictus annis octodecim, quib. iam ſanatus fuerat, in corde maxima cum moleſtia perferre. Quis in eo organo, Diaboli ludibriis ob ſimplicitatem apto, non videt Dæmonis actus, præſtigias & vexationes priores & poſteriores. *Wierus lib. 3. cap. 7.*

In pago Leuenſtet, ſub Duce Brunſuicenſi, puella nomine Margarita, Henningi Achils filia, annum agens viceſimum, anno 1562. die D. Virginis viſitationi ſacro, calceos abſterſura, cultrum extrahit, ſeque in humiliorem ſedem demittit, propterea quod viribus diuturna febri conſumptis, imbecillior adhuc eſſet. Præter opinionem domum ingreditur vetula, num puellam febris etiamnum fatigaret? rogans, & quomodo ſeſe ex morbo haberet? Reſponſum illi fuit à puella: Rurſum extra ædes nullo verbo facto egreditur. Calceis mundatis, cultrum in ſinu deponit, qui cum poſtea ſtudioſe ab illa quæreretur, horribili ſpecie canem nigrum ſub menſa ventri incubantem animaduertit, qui cum fremitu dentes oſtentans abiit. Mox puellæ videbatur à capite verſus dorſum defluere quiddam tanquam humoris frigidi, cui etiam accedit animi deliquium, perduratq; ea velut mortua ſine ſenſu ad diem tertium, quo tandem nonnihil reſpirare cœpit, & ſe certo certius ſcire affirmauit, cultrum illum, è ſororis vagina à ſe extractum, in ſui corporis latere ſiniſtro defixum hærere, eo enim ſe in loco dolorem perſentiſcere: à quo ita exercebatur, vt totam incuruatam baculo inniti oportuerit. Poſt tres menſes prominere cœpit in ſiniſtro latere, ſupra lienem, intra infimas duas coſtas ſpurias, vomica, oui fere gallinacei magnitudine, & lunæ inſtar: cuius incremento aut deceſſu, vel intumuit vel reſedit. Triceſimo Iunii erupit ex vlcere tanta copia puris, vt tumor nonnihil ſe remiſerit, & inde cuſpis velut cultri apparuerit. Chirurgus Ducis Henrici ex arce Wolffenbüttel acceſitus, cultelli cuſpidem ſub coſtis prominentem inſtrumentis traxit, & vlcus ſanauit. *Ioan. Wierus lib. 3. cap. 12. de præſtig. Dæmon.*

A Chriſti natiuitate 1539. in quodam Eiſtettenſis Epiſcopatus pago Fugeſtal, Vlricus Nevvſeſſer agricola, cum crudelibus dolorum tormentis circa alterũ hypochondrium conficeretur, ſubito clauum ferreum ſub illæſa cute manu apprehendit, quẽ Chirurgus illic balneator nouacula exciderat: nec tamen ceſſarunt dolores, ſed indies magis incrudeſcebant. Quapropter cum nec aliud doloris remedium fore miſer, quam mortem, ſuſpicaretur, arrepto cultello, ſibi guttur abſcidit. Itaque dum tertio die ad ſepulchrum mortuus efferretur, aderant tum Eucherius Roſenbader ex Weiſſenburg Noricorum oppido, ac Ioannes ab Ettenſtet balneator, qui aſtante magna hominum frequentia, demortui agricolæ ventriculum inciderunt, in quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramenta aſpera repererunt, quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant; aderat & capillorum inſtar globi inuolucrum. Sed quid potiſſimum hic admiraberis? an quomodo tot & tanta ferramenta in ventriculi cauitate contineri potuerint, an qua arte ſint ingeſta? certe non alia, quam Dæmonis aſtu & dolo. *Ioan. Langius lib. 1. Epiſt. medic. 38. & Wierus lib. 3. cap. 8. de præſtig Dæmon.*

In Baſilienſi diœceſi plebanus in villa quadã eius erat opinionis, nullas eſſe in mundo maleficas, feſtino curſu pontem tranſiturus, obuiam ſimili importunitate

quandam

quandam vetulam habuit, quam, dum ei cedere nollet, de ponte in lutum detruſit. Vnde indignata vetula, in verba contumelioſa prorupit, inquiens, Sacrifice, impune haud ſic auferes. Quæ verba cum ille floccipenderet, nec ſatis intelligeret, domum reuerſus, noctu infra cingulum ita eneruatus eſt, vt lecto ſurgere nequiret: cumque à duobus, quoties vel ad Eccleſiam vel ægrotos accederet, ſuſtentari neceſſe eſſet. Quæ afflictio cum duraſſet triennium, vetula iſta, quam ſuſpectam non immerito habebat, in morbum incidit. Sacerdotem itaque accerſi iuſſit, vt ei peccata ſua confiteretur, qui licet primum id facere recuſaret, perſuaſus tamen à matre ſua, per duos villanos inter brachia ſuſtentatus, domum eius acceſſit, eamque peccata confitentem audit. Cum autem inter confitendum nullam de veneficio mentionem feciſſet, peracta confeſſione ad Sacerdotem ait: Sciſne à quo effaſcinatus, corpore incolumi vti nequeas? Cumque blande reſponderet Sacerdos, ſe neſcire: intulit illa: Tu me ſuſpectam habes, nec immerito. Malum enim, quo conflictaris, tibi intuli, eo quod ponte me deiectam luto intruſiſſes. Verum hora mihi præfinita iam adeſt, efficiam itaque, vt paucis diebus à morte mea ſaneris. Quod ita euenit: nam illa iuxta ſtatutum à Dæmone terminum obiit, & infra triginta dies Sacerdos nocte quadam ſanum ſe reperit.

PH. Eſt etiam alius modus maleficandi, qui fit per inhalationem, quod omnium peſſimum eſt veneficium, nec enim humoris vel craſſioris materiæ vehiculo indiget, quibus facilius occurritur: ſed ipſum tenuitate ſua, ore attractum cito ad cor ſe penetrat. Hæc cauſa, cur agyrta ille inſignis veneficus, in quadam Italiæ ciuitate, cum alio ſuo antagoniſta, de theriacę cõtendens efficacia, vicerit: alter venenum illi liquidum, quod poterat efficaciſſimum, infuderat: cui ſumptione antidoti mox obuiauit. Ipſe contra alterius hiare iuſſi pixidulam ori appoſuit, in qua buffo inerat viuus, cum ſemiclauſa & ſępicule ſemiaperta velociter pixidula, ingeſſit halitum virulentum, & breui momento hominem confecit.

TH. Scilicet hic Chriſtiano populo dignus eſt ludus, & bene inſtitutæ reſp. quæ certamina huiuſmodi permittunt.

PH. Ipſi etiam malefici interdum afflando vel inficiunt, vel necant. Narrat Sprenger. mulierẽ quandam inter Breiſacũ & Freiburgũ, cum vicina litigaſſe, mox cum noctu ante oſtium domus aliquid ageret, ventum quendam calidum è domo fœminæ alterius ex oppoſito habitãtis, in faciem ei inſufflaſſe, vnde & ſubito leprã contraxerit. In diœceſi eadem & territorio Nigræ Siluæ, maleficam dum à lictore ſtrui lignorum pręparatæ imponeretur, ei dixiſſe, En tibi à me mercedem, ſimul in vultum eius inſufflaſſe: & ecce, miſer operitur totus horrenda lepra, quæ paucorum dierum ſpacio cum pluribus adiunxit.

EQ. Horrida ſunt hæc. Sed non minus etiam horrore non caret, quod de abortu, difficili partu atque exſiccatione lactis, per Sagas intentatis traditur. Sic enim ſcribit Ioan. Nider, libro vltimo Formicarii: in oppido Boltingen, Lauſanenſis diœceſis, quidam dictus Stadelein, grandis maleficus, captus per iudicem loci, fatebatur, ſe in certa domo, vbi vir & vxor ſimul manebant, per ſua maleficia ſucceſſiue in vtero vxoris præfatæ ſeptem circiter infantes, ita vt ſemper abortum facerent, in fœmina annis multis necaſſe. Simile fecit eadem in domo omnibus pecoribus fœtoſis, quorum nullum viuum partum edidit in eiſdem annis. Poſtea ex eiuſdem confeſſione, inſtrumentum maleficii quod fuerit, oſtendit his verbis; ſubter limen oſtii domus ſe lacertam poſuiſſe dixit, & ſi amo-

ſi amoueretur, fœcunditatem inhabitantibus reſtituendam prædixit: cum autem ſerpens ille quæreretur ſub limine, nec inueniretur, quia in puluerem fortaſſis redactus erat, puluerem ſeu terram de ſubter poſitam aſportabant, & in eodem anno vxori & omnibus iumentis domus fœcunditas reſtituta eſt. De pariendi difficultate, quam ſimiliter ſagæ intentant, atque iracundiæ furore vtplurimum percitæ, promouent, quam plurima extant exempla.

Antonius Sucquetus, eques auratus, in aula Brabantica conſiliarius, filium reliquit nothum, qui Brugis duxerat vxorem. Hæc paulo poſt nuptias à malo genio cœpit vexari miſere, ita vt vbicunque locorum eſſet, etiam corona honeſtarum matronarum cincta, è cœtu eriperetur, perque cubicula trahereretur, ac ſæpenumero coniiceretur, modo in hunc angulum, modo in alterum, etiam reluctantib. omniq; vi illam retinere conantibus, qui huic aderant: id tamen accidit ſine magna admodum læſione corporis. Perſuaſum omnibus erat, hoc malefica arte fieri à pellice illi inuidente maritum, cuius amore deuincta tenebatur, erat enim iuuenis, forma non ineleganti. Cœpit interea geſtare vterum, at nihilo minus aut leuius vexabatur. Tempore partus inſtante, cum vna tantum adeſſet mulier, ea famulum ablegante, vt obſtetricem accerſeret, viſa eſt illi intrare pellex, quæ ei obſtetricis officium præbuit. Ipſa præ anguſtia in mentis concidit deliquium: vbi ad ſe rediit, liberatam ſe ſenſit ab onere: at puer nuſquam apparebat; mirantibus id omnibus ſupra modum. Accidit autem poſtridie, vt dum ex ſomno expergiſceretur, reperiret infantem iuxta ſe in lecto, faſciis inuolutum, cui & vbera ſemel atque iterum præbuit. Atqui non ita multo poſt, rurſus illa dormiente, à latere infans abripitur, nec poſtea inuentus eſt. Aiebant neſcio quas ſchedas cum magicis notis in oſtii ſera repertas. Hiſtoriam recenſet *Wierus libro 2. cap. 48. de praſtig. dæmon.*

In oppido *Reichshofen*, viri præpotentis vxor, cum imprægnata eſſet, obſtetricem aliquot ſeptimanas ante partum ad ſe recepit. Famoſiſſima autem in eodem oppido erat venefica, à cuius congreſſu & colloquiis vt ſibi caueret grauida, ab obſtetrice monebatur. Verum interiectis aliquot diebus, cum animi gratia caſtri m egreſſa, mulieres quaſdam in conuiuio congregatas acceſſiſſet, aduenit & malefica iſta, ventremque Dominæ, quaſi ſalutionis gratia, ambabus manibus tetigit, ſubitoque vehementi cum dolore fœtum moueri in vtero ſenſit. Territa itaq; domũ rediit, & obſtetrici, quid ſibi accidiſſet, narrauit: Quæ conſternata, Heu puerum amiſimus, exclamauit. Quod vti prædixerat, factum eſt. Nam nec abortum integrum, ſed paulatim fruſta, iam capitis, iamque pedum & manuum peperit.

In Argentinenſis diœceſeos oppido Zaberino, deferebat vltro operam ſuam in partu & puerperio obſtetrix malefica mulieri cuidam piæ & honeſtæ, quæ partui iam vicina erat. Illa autem maleficiis infamem eſſe ſciens, tam quidem placidis verbis eam à ſe demittit, operam eius ſibi non ingratam fore ſimulans, inſtante deinde partu, ea neglecta, obſtetricem accerſit aliam. Ibi illa fœmineas iras pectore concipiens, noctu, elapſis à partu diebus octo, cum aliis duabus mulieribus, puerperæ cameram ingreditur, lectoque appropinquat. Puerpera graui dolore perculſa, dum maritum alta voce inclamare nititur, & linguam & ſingula membra ſtupere ſentit. Venefica ergo, cum in medio duarum mulierum ſtaret, Ecce, inquit, hæc peſſima me obſtetricem aſſumere dedignata eſt. Quod inultum haudquaq̃ feret. Duæ vero iſtæ à latere ſtantes, pro ea intercedebant: Nunquam, inquien-

Digitized by Google

inquientes, alicui ex noſtris nocuit. Illa rurſus: Quoniam hæc ſuis me inteſtinis turbauit, viciſſim ego inteſtina eius turbabo. Veruntamen in veſtri gratiam per ſemeſtre ſpacium differetur pœna: & hæc dicens, ventrem puerperæ manu tetigit, cui interim inteſtina videbantur, quaſi è ventre extrahi, iisque neſcio quid inuolui. Digreſſis deinde iſtis mulieribus, puerpera paulatim recuperatis viribus, maritum vocat, eique rem geſtam exponit. Ille vxorem conſolatur, bonamque ſpem fouere iubet, inania enim hæc eſſe terriculamenta, qualib. frequenter puerperæ infeſtari ſoleant. Cui illa reſpondens: Cruciatuum, inquit, dilationem per ſex mēſes promiſit, iis elapſis, ſi nihil tum mali percepero, tuæ acquieſcam ſententiæ. Erat præterea illi filius Archidiaconus, cui itidem, quo terrore perculſa fuiſſet, expoſuit. Euolutis deinde ſex illis menſibus, internorum viſcerum tortura tanta eam inuaſit, vt dies noctesque citra vllam reſpirationem aut quietem immanes vociferationes & eiulatus, miſerandum in modum doloribus continuaret. Nec tamen inter ineffabiles iſtos cruciatus Dei oblita eſt, cuius cum ſedulo imploraret auxilium, ab eo exaudita & liberata eſt. Cum enim die quadam ad exonerandam aluum ſeceſſiſſet, ſubito omnis illa immundicies è corpore prorupit. Ibi accerſito filio & marito: Iam, inquit, non inane fuiſſe Spectrum aut terriculamentum, quo in puerperio perculſa fueram, apparet. Quis vnquam vidit ſpinas, ligna, oſſa, me comediſſe? excreuerat enim ſpinas roſarum longitudinem palmæ habentes, tum ligna, oſſa, aliaq; complura, vnde infanda illa tormina, & punctiones oriebantur.

Eo veſaniæ & impietatis veneficas adigit Dæmon, vt ſuos etiam liberos, vel infantes quoſuis alienos, Dæmoniorum Principi horrendis execrationibus offerant, quæ earum malitia hunc in modum detecta fuit. Mulier malefica, cum partus tempore nec obſtetricem, nec alias ad ſe accerſeret mulieres, vnius filiæ ſuæ contenta opera, maritus id demiratus, ſe clam in domo abſcondit, exploraturus, quid rerum vxor cum filia ſola moliretur: Ibi horrendos & ſacrilegii & oblationis ritus conſpexit. Videbat infantem nullo hominis auxilio fultum, ſed Dæmonum vi per inſtrumentum appendiculi, ex quo ollæ in foco ſuſpenduntur, aſcendere, & quidem Satanico vultu deformem: Mater interim verbis horrendis Dæmonem inuocabat, ritibus vſa nefandis. Quod vbi attonitus obſeruauit, acriter inſtitit, vt citra dilationem ad Baptiſmum deportaretur infans. Aſſumptis itaque duobus vicinis, quibus clam rem, vt geſta erat, detexit, vna cum filia, quæ infantem geſtabat, & *mulierculis aliquot* ad proximum pagum, in quo parochialis erat Eccleſia, tetendit. Cumque pontem tranſituri eſſent, Pater ſtricto gladio in filiam irruit: Nolo, inquit, vt per pontem infantulum tranſportes, ſed effice, vt per ſe in vlteriorem ripam gradiatur: quod ſi recuſas facere, meis his ſubmergere manibus. Mulierculis omnibus hanc viri violentiam demirantibus, ille acrius multo inſtitit, donec coacta filia Dæmonem inuocaret, infanſque nemine deferente, in vlteriore ripa ſiſteretur. Baptizato deinde infante, cum per teſtes maleficii conuincere poſſet filiam, iamque purgationis tempus elapſum eſſet, & vxorem & filiam accuſat: Magiſtratus vtramque comprehenſam, peſſimique ſceleris conuictam in cineres redegit.

Cæterum, quod ad exiccationem lactis, de qua etiam paucis dicere conſtitui, attinet; de hac Sprengerus præter Grillandum in hæc verba ſcribit: Quædam nocturnis temporibus & ſacratioribus vtique, ex inductione diaboli, ob offenſam

Digitized by Google

diuinæ maieſtatis maiorem, in quocunq; angulo domus ſuæ ſe collocant, vrceum inter crura habentes, & dum cultrum vel aliquod inſtrumentum in parietem vel columnam infigunt, & manus ad mulgendum apponunt, tunc ſuum diabolum, qui ſemper eis ad omnia cooperatur, inuocant, & quod de tali vacca ex tali domo, quæ ſanior, & quæ magis lacte abundat, mulgere affectat, proponit. Tunc ſubito diabolus ex mammillis illius vaccæ lac recipit, & ad locum vbi malefica reſidet, & quaſi de illo inſtrumento fluat reponit. Superioribus annis Treuirenſi in ciuitate combuſta fuit malefica, quæ confitebatur ſe ſolitam ex pariete per epiſtomomium lac, quod diuendebat plurimis, mulgere. Aliæ herbis, verbis, vel ſolo attactu lacte priuant armenta, pecoraque quæ lubet. Biebrana Laodunenſis ſaga ſolis minis vbera vicinæ mulieris ſic exſiccauit, vt ad obitum vſque ſagæ, quamuis multos pepererit, lacte ſemper caruerit.

PH. Nemo iam ruſticus neſcit, certo quopiam verſu (quem nolo indicare) è Pſalmis pronunciato, quando lac premitur, non cogi Butyrum. Fui Chellis Valeſiorum agro, quum paruulus à pedibus puer ancillæ impedimento eſſet, ne butyrum cogeret: ea autem interminante flagrum à Domino, ſi carmen non eximeret, fecit eodem verſu præpoſtere enunciato, ac velut retexto, vt butyrum, in quo totus fere dies conſumptus, cogeretur.

EQ. Si vel tantillum ſacchari indatur, butyrum non coagulari conſtat, hæc enim à natura eſt ἀντιπάθεια: eademq; ratione ſi æris Cyprii aliquantulum iniiciatur in fornacem ferri, non liquatur ferrum, ſed abit totum in cinerem, quamobrem fuſores accenſo igne, metuentes, ne quid immittatur æris, in illud incumbunt, ne quis proxime caminum veniat. Sed proſequamur, quæ ſuperſunt, machinationes ſagarum maleficarumque diabolicas.

PH. Sunt vel præcipui huius claſſis malefici, quos vocant Sagittarios ſeu Baliſtarios, alioquin etiam imaginum fabricatores dicunt; quorum Innocent. III. artem vocat mortiferam & odibilem, & ſub pœna anathematis contra Chriſtianos exerceri vetat. Fœderantur hi dæmoni: nam ex pacto ipſi addicunt animæ & corporis dominium; ille viciſſim pollicetur ſe adfuturum, vt quem longiſſime diſſitũ, volent, infallibili ictu traiiciant. Solennia ſeu ritualia ſunt iſta: præſtant dæmoni homagium, mox ſexta feria proximæ hebdomadæ Maioris, infra tempus miſſæ, ſacram crucifixi imaginem aliquam ſibi deligunt, in quam, vt in ſcopum, tela colliment; vel (quod Pet. Binsfeldius teſtatur) ſclopo poſt tergum eiaculato glandes plumbeas emittant. Nec conſtat an aliqua tunc verba ad hanc operis apoſtaſiam adiiciant. Poſtea, certo telorum numero in crucifixi imaginem emiſſo, credunt ſe totidem vno die, quoſcunq; deligent, necare poſſe; quocunq; illi loco fuerint, etiam remoto, & concluſo. Dęmon enim ſpondet, ſe tela eo perlaturum, & hoſtili in corpore defixurum. Ea tamen hæc lege: ſi hominem necdum maleficus aliquando viderit, & tunc iterum de nouo actuali (vt vocant) conſenſu eum occidi voluerit. Vltimo pollicetur tantam illis ſe, baliſta bombardave iaculandi peritiam tributurum, vt denarium capiti impoſitum, abſque capitis læſione, valeant deiicere. Meminit Olaus Magnus alterius generis Sagittariorum, nempe Lappones & Finnos de plumbo conficere iacula magica, digiti longitudine, & ea per quæuis diſſita loca mittere in eos de quibus vindictam expetunt, & hos oborto carcinomate in crure vel brachio, intra triduum vehementia doloris emori.

Haud multum à Sagittariis diſcrepat genus maleficiorum, qui quaſdam fabri-

cantur imagines, quas vel acubus pungunt, vel igne liquant, vel confringunt, & ſic certum iis, quos tales imagines deſignat, interitum tabe vel alio mortis genere, adferunt. Vnicum recenſebo huius rei exemplum.

Duffus Scotorum Rex incognito morbo affectus, noctu in ſudorem immenſum ſoluebatur, interdiu dolore leuatus, quieti ſe dabat. Corpus lenta conficiebatur tabe, effœto ſimillimum. Pulſus conſtabat, conſtabat quoque ſenſus, & cibi appetitus. Medici de ſalute Regis deſperabant. Obortus eſt interea ſub id tempus, incerto auctore, rumor, Regem veneficarum mulierum arte contabeſcere, easque apud Forres Morauiæ oppidum, magicam & ſortilegam artem in Regis perniciem exercere. Miſſi nuncii velut ineundæ pacis gratia inter Duffum Regem & coniuratos Morauos, Forres adiere, noctuque in arcem admiſſi commodum à milite quodam, qui hoc ipſum à ſuo ſcorto, cuius mater venefica erat, expiſcatus fuerat, de toto negotio admonentur. Ergo in ſortilegarum ædes irrumpentes, ſagarum vnam cereum ſimulachrum, ad Regis Duffi imaginem Dæmoniaca arte confectum, ligneo affixum veru ante ignem torrentem: alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem ſenſim ſupra ſtatuam inuenerunt. Coniectæ in vincula, rogatæque de ſcelere, reſponderunt, dum ſimulachrum igni adhibitum torreretur, Duffum Regem in ſudorem ſolui: carminibus vero recitatis, perpetua teneri vigilia, & ad liqueſcentem ceram macie confici: conſumpta autem cera, Regis mortem continuo ſubſecuturam. Ad facinus exequendum, mercede à Morauorum primoribus conductas fuiſſe. Exuſtis mulierculis, Duffus ſudare deſiit, & ſanitati reſtitutus eſt. *Hector Boethus lib. 11. hiſtoriæ Scotorum.*

EQ. Et quando tandem maleficiorum inueniemus finem, ſubinde enim mihi alia maleficiorum genera inter diſſerendum occurrunt, de quibus vix antea cogitaui. Illud igitur, de quo nunc porro dicam, eſt maleficium ligaminis, quo nullum hodie eſt frequentius, ſed & nullum prope pernicioſius hoc ipſo impedimento, quod nouis coniugibus affertur; quod ita etiam inualuit, vt in aliquibus locis vix audeat quiſquam clara luce matrimonii ſolemnia celebrare, ne quis malus coniugum votis illudat. Neque vero nouum id eſt. Nam Amaſin Ægypti Regem apud Herodotum legimus fuiſſe vinctum, & impeditum ne rem haberet cum vxore ſua Laodice, donec carminibus ſolennibusque precibus ſolutus eſſet. Concubinas quoq; Theodorici Regis iiſdem ligamentis aduerſus Hermambergam vſas eſſe, Paulus Æmilius in vita Clotarii Secundi teſtatur. Rident quidem Philoſophi Epicurei iſtud miraculum, veruntamen hi nodandæ ligulæ artifices, qui habentur paſſim, illos reddunt attonitos, vbi ſe experti ſunt, nulla arte mederi poſſe. Ideoq; Canon: Si per ſortiarias, inquit, & maleficas artes, occulto ſed nunquam iniuſto Dei iudicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non ſequitur, ad Deum per humilem confeſſionem eſt recurrendum.

Inprimis vero illud eſt admirabile, quod pueruli magicarum ſortium imperitiſſimi, hanc artem pronunciatis quibuſdam vocibus exercent, vinctaque ligula. De Rioleo generali apud Bleſenſes legato me audire memini, puerulum quendam in templo nodationem ligulæ ſub petaſo ſuo facientem à muliere fuiſſe perceptum, quo tempore coniugio duorum benedicebatur, eumque deprehenſum cum ſua ligula aufugiſſe. Pictauii quoque cum in magnis conuentibus vices regii procuratoris gererem, acta cuiuſdam quæſtionis in Magos mihi ſunt

tradita: quam cauſam cum meæ hoſpitæ, mulieri honeſtæ & bona exiſtimatione narrarem, illa tanquam iſtius artis doctiſſima, me & Iacobo Bauuaſio relationum actario præſentibus, explicauit eſſe formas nodandæ ligulæ amplius quinquaginta, ſiue ad virum coniugatum impediendum, ſiue ad mulierem ſolummodo, vt alter alterius faſtidiens infirmitatem, adulteriis ſe pollueret: plerumque tamen virum illigari, vix mulierem. Ligari autem poſſe in diem vnum, in annum, in æternum, aut quantiſper duratura eſſet ligula, niſi ſolueretur. Eſſe nodationem, qua vnus alterum deamet, neque redametur, ſed odio ſit vehementiſſime: eſſe qua inter ſe amarent ardentiſſime, ſin ad congreſſum veniretur, alter alterum laniaret vnguibus, & cæderet indigniſſime: vt mihi fuit aliquando Tholoſæ narratum, eo pacto fuiſſe virum mulieremque illigatos, qui poſt triennium reconciliati, pulchram ſobolem progenuerint. Et quod amplius mirer, narrabat mulier, dum vincta manebat ligula, tumores ei adnaſcentes veluti verrucas ſpectari, indicia, vt aiebat illa, liberorum qui fuiſſent editi, niſi occupaſſet nodatio: poſſe vero nodationem fieri ad procreationem intercipiendam, non ad copulationem præuertendam. Homines etiam affirmabat eſſe, quos nodare non poſſis, eſſe quos nodatio impediat ante coniugium, eſſe quos impediat coniugatos, ſed difficilius. Præterea in hominibus aiebat eiectionem lotii impediri poſſe, ex eo non paucos emori. Sic comperi miſerum quendam puerum prope enectum eſſe, tum impedimentum per eum qui infibulauerat, ſublatum fuiſſe, vt mingentem palam puerum traduceret. Deinde vero poſt menſes aliquot, Magus iſte deceſſit de vita maniacus.

Cum in Pictorum agro hoc percrebuiſſet malum, Niorti capitalis Quæſtor, cum vicinam ſuam noua nupta detuliſſet, & accuſaſſet ligati viri anno 1560. in obſcurum carcerem eam rapi iuſſit, minatus ex eo nunquam egreſſuram eſſe, niſi ſoluiſſet virum, itaque poſt biduum captiua coniugatis concubitum imperauit, & Iudex ſolutum eſſe audiens, è vinculis illam dimiſit.

PH. A viris doctioribus ſeptem traditas inuenio cauſas proximas huius impotentiæ, quibus cauſis dæmon abutitur. Prima eſt, quando coniugem alterum alteri reddit odioſum; vel inuicem ſane odioſos facit, per calumniã, ſuſpicionemve, aut morbi alicuius immiſſionem, ſicuti cum vel Venus, iuxta Steſichorum; vel Medæa, iniecto pharmaco fecere, vt omnes fœminæ Lemni grauiter ore olerent, ſicque illas mariti ſunt aſpernati: aut id faciũt phantaſia turbata, ſic vt aliquid in compare vehementer odioſum vel formidabile ineſſe credant: ſic Valazca Libuſſæ Boemæ famula, mulieres à virorum amore per veneficium adeo auertit: vt coniuratione inita, ſuos quæque maritos, fratres, patres, filios vna nocte interfecerint; mox arce Viſſegradenſi obſeſſa Primiſlai regis exercitum ad internecionem fere ceciderint.

Secunda cauſa eſt, quando corpora impedit, ne queant ad ſe mutuo appropinquare, & ſic ea diuidit, vel detinens ea in locis diuerſis, vel cum conantur iungi, phantaſma aut quid aliud iniiciens intermedium.

Pertinet ad poſterius, quædam narratio, plena admirandæ nouitatis, cuius fides penes auctores ſit: narrat ex Vincentio Belluacenſi D. Antoninus, Romę temporibus Henrici III. Imper. fuiſſe iuuenem quendam locupletem & nobilem, qui recens vxorem duxerat, & ſodales ſuos opiparo conuiuio nuptiali exceperat.

Exiuere

Exiuere in campum à prandio luſuri pila. Sponſus, ludi dux pilam poſcit, & ne excideret annulus ſponſalitius, inſerit eum digito ſtatuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat, omnes vnum petebant, ſic cito defatigatus ipſe à ludo ſeceſſit, & ad ſtatuam rediens annulum recepturus, ecce, videt digitum ſtatuæ vſque ad volam manus recuruatum, & quantumuis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere. Red t ad ſodales, nec illis ea de re quicquam indicauit. Nocte intempeſta cum famulo ad ſtatuam reuertitur, & extenſum vt initio digitum reperit, ſed ſine annulo. iactura diſſimulata, domum ſe confert ad nouam nuptam. Cumque thorum genialem ingreſſus, ſponſæ ſe iungere vellet: ſenſit impediri ſeſe, & quiddam nebuloſum ac denſum inter ſuum coniugiſque corpus volutari, ſentiebat id tactu, videre tamen nequibat; hoc obſtaculo ab amplexu prohibebatur: audiebat etiam vocem dicentem; Mecum concumbe, quia hodie me deſponſaſti. Ego ſum Venus, cui digito annulum inſeruiſti, nec reddam. Territus ille tãto prodigio (inquit Antoninus) nihil referre auſus eſt, vel potuit: inſomnem duxit noctem illam, multum ſecum deliberans. Sic factum eſt per multum tempus, vt quacunque hora cum ſponſa concumbere vellet, illud idem ſentiret & audiret. Erat ſane alias valens, & domi aptus & militiæ. Tandem vxoris querelis commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito concilio, Palumbo cuidam presbytero ſuburbano, rem pandunt: is autem erat Necromanticus, & in maleficiis potens. Illectus ergo promiſſis multis, compoſitam epiſtolam dedit iuueni, dicens: Vade illa hora noctis ad compitum, vbi quatuor viæ conueniunt, & ſtans tacite conſidera. Tranſient ibi figuræ hominum vtriuſque ſexus, omniſque ętatis & conditionis, equites & pedites quidam læti & quidam triſtes, quicquid audieris non loquaris, ſequetur illam turbam quidam ſtatura procerior, forma corpulentior curru ſedens; huic tacitus epiſtolam trades legendam, ſtatimq; fiet quod poſtulas. Ille autem iuuenis totum impleuit, prout edoctus erat. Viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulam inequitãtem, crine ſoluto per humeros iactato, vitta aurea ſuperius conſtructo, auream virgam gerentem in manibus qua mulam regebat, præ tenuitate veſtium pene nuda apparebat, geſtus exſequens impudicos. Vltimus dominus turbæ terribiles in iuuenem oculos exacuẽs, ab axe ſuperbo ſmaragdis & vnionibus cõpoſito, cauſas viæ ab eo exquirebat. Nihil ille cõtra, ſed protenta manu epiſtolam ei porrigit. Dæmon notum ſigillũ non audens contemnere, legit ſcriptum: moxq; brachiis in cœlum eleuatis, Deus, inquit omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora, ſatellites ſuos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiuerſata, vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos, ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Palumbus autem vbi dæmonis clamorem ad Deum audiuit de ſe, intellexit ſibi præſignari finem dierum. Quocirca omnibus membris vltro truncatis miſerabili pœna defunctus eſt, confeſſus coram populo Romano inaudita flagitia. Hæc ille. Sed propero ad reliquas cauſas.

Tertia cauſa eſt, ſi ſpiritus vitales prohibeantur tranſire ad membra generationis, & ſic ſeminis deciſio impediatur, de quo impedimento recte Ioann. Maior. diſſeruit.

Quarta eſt, ſi ſemen prolificum exſiccetur & ſubtrahatur.

Quinta, ſi virga viri flaccida fiat, ſaltem quando quis vult actum matrimonii exercere.

Sexta, ſi qua naturalia alia pharmaca applicentur, quibus vis patrandi quouis modo tollatur: hæ cauſæ vulgatiores cunctis fere notæ & obuiæ ſunt apud Doctores.

Septima cauſa eſt rarior, nempe mulicbrium locorum obſeratio vel nimia coarctatio, aut viri genitalium retractio, abſconſio vel vera ademptio. Verum hæc alio relegamus.

TH. Semper ſui ſimilis eſt Satan, atq; vt ab initio, ſic porto quoq; Dei ordinē quouis modo conatur inuertere, proinde ſeſe vbiuis ingerit, ac quauis captata occaſione ſeſe inſinuare ac immiſcere attentat; pleraq; tamen ſub ſplendido quodā atq; emētito prætextu ſanctæ atq; illibatæ caſtimoniæ; atq; hinc etiam modū mōſtrare intendit, per quem adulteria deprehendi queant (quaſi vero tāto afficiatur caſtimoniæ deſiderio, ac nō potius quouis ſpurcitiei inceſtuoſo flagret ardore intenſiſſime.) Tradunt Magos nulla lege, ſed nouo commento adulteria vindicare, vt ſurculus per ranæ viſcera ad os transfixus, in menſtruis vxoris defigatur à marito; tunc enim vxorem faſtidire adulteria, & illorum tædio affici pro certo opinati ſunt. Cui haud abſimile eſt, quod Ariſtoteles pdit, in Phaſi flumine apud Colchos arbuſculam naſci, cuius ramus excerptus à viro, & in vxoris thalamum immiſſus, efficit ne vxor alium virum appetat. *Alexan. lib. 4. c. 1.* Credat qui volet. Ego cachinnos Satanæ atque ludibria eſſe opinor.

EQ. Non ergo vllum licebit à maleficis petere remedium?

TH. Omnino nullum. Non enim quicquam boni ineſt diabolicis artibus (id quod etiam Leo grauiſſimis verbis atteſtatur) eſtq; tantum apparens bonū ac mera illecebra, quæ illectos in malorum omnium extremum, vbi à ſummo bono exciderint, abſorbet. Si itaq; quis aliquo incantamento vſus eſſe deprehenſus fuerit, ſiue id reſtituendæ conſeruandæve valetudinis, ſiue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit; is apoſtatarum pœnam ſubiens, vltimum ſupplicium ſuſtineto. Sed & Caroli V. conſtitutio hos arbitrio iudicis condigna pœna puniri iubet. Inſuper etiam diuina & poſitiua Eccleſię lege ſemper prohibitum fuit vti maleficis artibus, vel maleficos conſulere etiam in bonum finem. Eſt cōmunis Theologorum ſententia, & etiam Canoniſtarum. Probatur I. ex ſacra ſcriptura. Deus id prohibuit, *Leuit. 19 ver. 31. Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos* & cap. 20. v. 6. *anima quæ declinauerit ad ariolos & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam cōtra eam, & interficiam illā de medio populi ſui.* Vnde patet hoc eſſe peccatum mortale. Deut. 18. v. 10 *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuū aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atq; auguria, &c.* In nouo quoq; teſtamento vetat D. Paulus: quando iuſtam damnationem cōminatur illis, qui ipſi impingebant, eum mala facere vt bona euenirent: quo ſignificat, graue peccatum eſſe mala facere in bonum finem: quod tamen prætexunt, q maleficorum opera ad morbos depellendos tempeſtatesque arcendas abutuntur. II. Probatur ex perpetuo Catholicæ Eccleſiæ vſu, quæ ſemper id improbauit, vt plurimi Canones oſtendunt, & presbyterum damnarunt, qui bono fine diuinationem ſuperſtitioſam fuerat expertus. III. Probatur ex Patribus. *D. Chryſoſtomus,* Citius mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda. *Huc referendum illud B. Leonis,* Cum eis (*ſcilicet dæmonib.*) nihil amplius liceat, quam iuſtitia diuina permiſerit; agunt tamen verſutiſſima arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ poteſtatis aut parcere videantur aut lædere; & multis (quod dolendum eſt) ita per

nequi-

nequitiam ſimulationis illudunt: vt quidam illos & timeant pati infenſos, & velint habere placatos; cum beneficia dæmonum omnibus ſint nocentiora vulneribus, quia tutius eſt homini inimicitiam diaboli meruiſſe, quam facere. *Nec non iſta D. Auguſtini, tract. 51. in Ioan.* Cum ergo cauſæ articulus venerit, vt hæc proponatur conditio: aut faciendum eſſe contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum; quorum duorum homo ſi cogatur alterum eligere, comminante mortem perſecutore, *(idem eſt de morbo per maleficum immiſſo)* ibi eligat Deo dilecto emori, quam Deo offenſo viuere: ibi oderit in hoc mundo animam ſuam, vt in vitam æternam cuſtodiat eam.

EQ. Idem & ego quoque firmiter ſentio. Eſt enim ſpiritus fallax, atque vbique non niſi perniciem hominum molitur; bonoque ac veritati vni aſſuit ſemper mala atque mendacia plus quam decem. Recenſebo huius rei exemplum ridiculum quidem, at euentu peſſimo finiendum, ſi iuxta ipſius arbitrium proceſſiſſet. Duo Germani ſcriptores recentiores memorant, fuiſſe in Miſnia ruſticum quendam, hũc domum retuliſſe pecuniam veſicæ ſuis incluſam, & ſcamno impoſuiſſe: cumque alio abiuiſſet, ſus domeſtica, vt vorax & multinolum eſt animal, in veſicam incidit, & vt vidit, deuorauit. Ruſticus rediens, quam non inueniebat, ab vxore depoſcit; negat mulier vidiſſe ſe; quid agat? adit ſtolidus vetulam prope degentem, quam pro veratrice habebant: iubet muliercula virum in limine domus reſiſtere, nec à linea quam creta notarat latum abire culmum: mox ingreſſa cubiculum, dęmonem ſciſcitatur de fure his verbis, arcam introſpiciens. Quidam N. pecuniam ſuam domum reuerſus tali amiſit die: quem ais furatum? reſpondit veterator ex arca (nouo ſuo tripode) ſus comedit domeſtica. Tu tamen dicito coniugem eius vt cum ſacerdote amaſio eã abliguriret, clam ſuſtuliſſe. reſpondet illa ruſtico, quod à dęmone iuſſa, tacet de ſue. Sed ruſticus cuncta ſciebat: nam nihil veritus anile interdictum, pedetentim ac leniter illam fuerat ſubſecutus, & ante oſtium cubiculi ſubſtiterat, vt quid malefica moliretur, accurate per rimam obſeruaret. Reuerſus domum vxori & amicis cuncta narrat; ex eorum conſilio ſuem mactat, crumena potitur. D. fert triueneficam, vt calumniatricem & dæmonis partiariam: magiſtratus portentum flammis expiauit.

PH. Magni nimirum precii mercedẽ depoſcit Satan, ſi cui vel in minimis fert ſuppetias, nec gratis quicquam impendit. Huius rei hæc habetote exempla:

Aruernum quendam captiuum Lutetiæ ſe vidiſſe ſcribit Bodinus, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, equos & homines interdum curantem, apud quem permagnus liber inuentus eſt, pilis equorum, boum, & aliarum beſtiarum coloris cuiuſque plenus. Hic ſi quando ſortem in equum iniecerat, conſulebatur, & de pilo equi illius habens, ita curabat illum, vt ſortem alteri traderet, ſed pecuniam non accipiebat, ſi acciperet, non curaturum eſſe affirmabat: Itaque peruetere ſago ex pannũculis mille ſufferto ambulabat. Sed cum ſemel in equum nobilis cuiuſdam viri conieciſſet ſortem, rogatus, curauit, traductis in ſeruum eiuſdem viri ſortibus: accedentibus iterum ad curandum, reſpondit, ex nobili cognoſcendum eſſe, vtrum mallet, ſeruumne an equum amittere? qua in re anxio hærẽte nobili, & ad deliberandum cunctante, interiit ſeruus, & fuit comprehenſus Magus.

A Domino Furnerio Aurelienſi Cõſiliario audiui de Hulino Paruo Aurelienſi Materiario: Hic ſorte Magica affectus lethaliter, accerſi curauit hominem, qui

omnes morbos depulſurum ſe pollicebatur,ſuſpectum magicæ artis, vt ſanaret ipſum:is autem reſpondit,ſe non poſſe ſanitatem homini reſtituere, niſi morbum filio ipſius adhuc lactenti transfdaret. Cōſenſit parens in parricidium filii,rem obſeruandam,vt eo melius Satanæ malitia videatur. Nutrix re cognita, aufugit cum puero,dum Magus patrem ſanaturus attingebat. Sanato ex tactu patre, puerum Magus afferri poſtulat, quo non inuento, repente exclamauit, actum eſt de me, puer vbi nam eſt?& vix dum abiens pedem ianua extulerat, cum eum diabolus interemit ſubito,& cadauer eius tam fuit atrum, quam ſi quis de induſtria colore atro infeciſſet.

Audiui etiam,inquit idem,in iudicio Sagæ apud Nannetas,quę ſortilegii in vicinam iacti accuſabatur,imperauiſſe iudices, vt mulierē ſorte affectam attingeret, quod à Germaniæ iudicibus etiā in Camera Imperiali fit ſæpiſſime,recuſauit,& ſe cogi videns,exclamauit,actum eſt de me.Simul atque mulierē affectam ſorte contigit,hæc reualuit,mortuaque Saga corruit,cadauer igni damnatum. Hiſtoriam ab vno iudicum accepi,qui iudicio interfuit.

Tholoſæ quoque audiui,Burdegalenſem quendam ſtudioſum,amico ſuo grauiſſime ex quartana laboranti dixiſſe,vt febrim vni ſuorum inimicorum traderet, reſpondente illo,ſibi neminem inimicum eſſe,dixiſſe,da igitur ſeruo tuo: tandem cum hoc illi religio eſſet facere,Magum dixiſſe, Da mihi eā,tum annuente ægroto,Magum febri oppreſſum obiiſſe,& ægrotum reuixiſſe. *Bodinus lib.3 c.2.*

EQ. Hoc minime nouum & inauditum eſt.Nam apud Gregorium Turonenſem *lib.6.c.35.*legimus,Childeberti Regis vxorem, vt filiolum ſuum ex maleficio audiuit obiiſſe,muliebri rabie ingentem Sagarum numerum iuſſiſſe comprehendi,cremari,& rotis imponi: quæ Regis filium à ſe enectum fuiſſe agnouerunt, vt Mummonem magnum Magiſtrum ſciuarent incolumem. Captus itaque Mummo & equuleo impoſitus,certas pinguedines ſibi potionesque à Sagis datas fuiſſe dixit,ad conciliandam, vt putauit, Principum gratiam; & carnificem, qui torquebat ipſum,indicare iuſſi Regi,nullum à ſe dolorem percipi. Tunc imperauit Rex eum diſtendi trochleis,ſtylosque ferreos vnguibus pedum& manuū inſerferi,prout eſt in Oriente ratio torquendi,qua ſine membrorum fractura, dolor fit intolerabilis.Poſt dies aliquot ad ſuos Burdegalenſes deportatus obiit.

TH. Tanti ego ſanitatem non emerem apud illum præſertim,qui non niſi per ipſummet inflictos morbos ſanare poteſt. Morbum enim naturali modo nō maleficio obtingentem,non poſſe à Magis tolli,experientia docuit.Exemplum Quęſitor Sprengerus affert: Cum de Sagis Inſprugenſibus in Germania cognoſceret, figulum Magum extitiſſe, qui pauperem vicinam ſuam vidēs affligi grauiſſime,vt ſi inteſtina ipſius gladiis indeſinenter peterentur:experiar,inquit,an ſorte affecta ſis,& ſanabo te. Tum liquatum plumbum diſco infudit aquæ pleno, & mulieri ægrotæ impoſito,& certis vocibus enunciatis,quas reticeri placet, imagines quaſdam percepit indurato plumbo, ex quibus agnouit ſorte affectam eſſe mulierem. Hoc facto,abducit virum illius mulieris,& reſpicientes vterque ſub limen ianuæ, imaginem ceream palmarem inuenerunt,cuius acus duæ ad duo latera hærebant fixæ,cum aliis pulueribus,granis, ſerpentumque oſſibus,quæ omnia obiecit igni: Mulier vero,cum pignori dediſſet animam ſuam Satanæ & Magis,quos pro incolumitate ſua adiuerat,fuit reſtituta.

EQ. Ioannes Martinus vices Præfecti Laodunenſis agens, mihi expoſuit, cum de Saga S. Probæ in iure cogniturus (hæc autem cæmentarium tanta affecerat inualetudine, vt ipſius caput inter crura fere propenderet incuruo corpore, quod malum ipſe à ſaga ſibi ſuſpicabatur importatum) vt conſideratus iudex, ſagæ renunciari iuſſit, ipſam non alia ratione poſſe vitæ ſuæ conſulere, quam ſi cæmentarium ſanauerit. Faſciculum itaque à filia ſua domo afferri iubet, diabolum inuocat, deiecto in terram vultu carmina quædam coram omnibus muſſitat, & faſciculum tradens cæmentario, lauari eum in balneo præcipit, & illud quod faſciculo incluſum erat, in balneum indere cum his verbis; abi per diabolum. Hunc, ait, & non alium eſſe reualeſcendi modum. His factis, curatus fuit cæmentarius. Veruntamen antequam ea inderentur balneo, volentes nonnulli cognoſcere, quid in faſciculo eſſet (quod illa fieri vetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt. Cæmentarius vero dum in balneo eſſet, quaſi tres grandes carpiones ſentiebat in eo: cum exceſſiſſet ex eo, quamuis perueſtigarentur diligentiſſime, nec carpio nec lacertus inuentus eſt. Saga viua fuit concremata, & permanſit ἀμεταμέλητος.

PH. Carolus Martinus, Præfectus Laodunenſis, factus certior, mulierem pauperem in valle (id ſuburbii Laodunenſis nomen) fuiſſe à ſaga vicina faſcinatam, miſertusque illius, necem interminatus eſt ſagæ, niſi morbum vicinæ adimeret. Metuens illa, promiſit ſe curaturam: itaque ad pedes cubilis venit, vultum in terrā demittit, manus iungit, diabolum maximum magna voce appellat, ſubinde preces renouat, voces incognitas aliquot repetens, & fruſtum panis ægrotæ tradidit, quæ eodem momento cœpit reualeſcere. Hoc facto Præfectus reuertens domum, ſtatuebat eam comprehendere, & igni quamprimum tradere: ſed illa in his partibus ex eo tempore non fuit conſpecta.

TH. Exemplum recens producam, acceptum à Præſide Vitriaci Franci honorato viro, qui ad cōuentus maximos Bleſis fuerat allegatus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Cum indigerem opera illius, vt alii alios in cō muni onere iuuaremus, inſtiti acerrime ne ante loco excederet, quam Ordines dimiſſi eſſent. Reſpondit, ſibi amicum eſſe quendam, qui ad mortem decumberet, ab eo ſe accerſi, & hæredem inſtitutum eſſe: hunc inde ab annis quinque aut ſex ægrotum fuiſſe & membris fractum, ideoque parentem admonitum, in Flandria eſſe hominem, à quo filius curari poſſit, eo ſtatim abiuiſſe: Magum parenti morbum filii, quem nunquam viderat, explicaſſe, & in Luſitaniam vſque ad Magum alterum (cuius indicauit nomen) in comitatu regio verſantem ablegaſſe. Hoc ferentem æquo animo patrem, in Luſitaniam abiuiſſe, vbi Magus parenti, antequā ſolum hiſceret, Amice, inquit, filius tuus breui ſanabitur, abi in Galliam, inuenies Nouiodunum verſus, ad vigeſimum milliare à domo tua, quendam M. Benedictū (ſunt autem multi hoc nomine) hic filium tuum curaturus eſt. Miratum itaque parentem; peregrinationem tantum ſuſceptam eſſe vt perueſtigaret procul, quod prope aderat, ſumpſiſſe animum, & ad M. Benedictum iuiſſe. Hunc autem parenti dixiſſe, plurimum laboris conſumpſiſti, in Flandriam, Luſitaniamque proficiſcens vt reſtituatur filius tuus, abi, iube ipſum venire ad me, ego is ſum, qui curabo eum. Ad hæc parentem reſpondiſſe: Iam ex annis amplius quinque eum lecto non exiuiſſe, ac ne tantillum quidem mouendi facultatem ineſſe ei. Tandem vero

Digitized by Google

maxima moleſtia ægrotum eo fuiſſe perductum, & ex parte quidem fuiſſe ſubleuatum, veruntamen non diu bene habuiſſe. Hem lenta nimis feſtinatio.

EQ. Eodem argumento Iacobus Sprangerus Magorum Quæſitor ſcribit, Epiſcopum à ſe in Germania viſum, qui aduerſa vtens valetudine, ex ſaga vetula cognouit, ſe ex malefico ægrotare, nec aliam valetudinis recuperandæ viam eſſe, quã vt eadem Saga ſortilegio pereat, quæ ſortem in ipſum coniecerat. Miratum Epiſcopum celeribus equis miſiſſe Romam ad Nicolaum Quintum Papam, vt veniam indulgeret huius curationis adhibendæ; Papam, qui Epiſcopum deamabat vnice, indulſiſſe hac clauſula diſpenſationi adiecta, vt ex duobus malis fugiatur maius. Sagã diplomate allato dixiſſe, cum Papa & Epiſcopo placeat, ſe illud effecturam. Sic media nocte reſtitutum fuiſſe Epiſcopum; Sagam vero, quæ eum faſcinauerat, in morbum ex quo obiit incidiſſe. Interea vero Saga illa, quæ vita defuncta eſt, nunquam voluit reſipiſcere, ſed ad recuperandã valetudinem ſe indeſinenter Satanæ commendauit.

PH. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo, in pago Ihenæ vicino, Magus quidam, variis à Satana monſtratis herbis, non paucos ſanitati reſtituit, quin etiam quotidianum cum Satana cõmercium habuit, eiusq; in curandis morbis conſilio aſſidue vſus eſt. Accidit autem, vt inter ipſum & vicinũ eius fabrum lignarium rixæ orirentur admodum graues, inter quas ſcommatibus aliquot acerbioribus Magi animum faber exaſperauit. Elapſis deinde aliquot menſibus, faber in morbum periculoſum incidit: Magum itaque rogat, vt oblitus præteritarum iniuriarum, ſibi graui morbo conflictanti opituletur. Magus animum placatum ſimulans, dum operam ſuam ipſi pollicetur, interim illatas aliquando iniurias vlciſcitur, & potione ex radicibus & herbis venenatis cocta, ipſum vti iubet. Qua ſumpta potione, faber infandos in corpore ſenſit cruciatus, iisque extinguitur. Vxor itaque fabri cum agnatis accuſant Magum homicidii. Defertur cauſa ad Senatum Ihenenſem, Magus in vincula coniicitur, per tormenta examinatus, & homicidium hoc & alia ſcelera, quodque à vetula quadam in vicinia Hercyniæ ſyluæ Magiam ſuam didicerit, confitetur. Propter quæ flagitia palo infixus, & combuſtus eſt. *Manlius in Collectaneis.*

TH. Quis vero talibus ſeſe cõmittat curationibus, vbi aut Medici aut ipſius ægri ſalus vertitur, ipſique quin etiam Medici in noſtram iurarunt perniciem, tantoq; in nos exacerbati ſunt odio, vt fœtui quoq; in vtero materno adhuc latitanti non parcant, ſed quouis modo enecare ſatagant, quique variis nocendi imo occidendi inſtructi ſunt technis atque artificiis. Quę enim ſunt magis crebræ Sagarum maleficorumque atteſtationes per vim ab ipſis extortæ, quam clandeſtinæ hominum atque vtplurimum infantum cædes.

Scribit Nederus, qui de Sagis innumeris quæſtionem habuit, vnam à ſe viſam, quæ vnica ſolum voce homines enecaret: alteram, quæ vicinę mentum ſurſum deorſum vertit, horrendo ſpectaculo. Scribit quoque Angelus Palatinorum Principum Medicus anno 1539. Vlrichii fuiſſe infeſtum ſortibus Agricolam, Neuſeſſerum nomine, à cuius pelle ferreus clauus auulſus eſt, & cuius interanea tantis doloribus erodebantur, vt ſeſe deſperans iugulauerit. Eum in conſpectu ciuium omnium fuiſſe diſſectum, & in corpore eius baculum, cultros chalybeos quatuor, ferramenta duo, capillorumque glomus comperta eſſe. Non eſt itaque mirandum magno-

magnopere, ſi Theſſala Saga Pamphila fecit, vt mulieris venter ſic intumeſceret, tanquam ſi ter geminos fuiſſet paritura, & octo menſes circumferret onus. Eiuſmodi fuit Martina Saga, quæ occidit Germanicum, non veneno (vt ait Tacitus) aut ouo galli gallinacei, ſed vi diabolica. Et illa in Conſtantienſi diœceſi Maga, quæ efflando totum hominis corpus ita affecit elephantiaſi, vt paulo poſt animã ageret. Hanc Sprangerus & Quæſitores alii cremari curauerunt viuam. Idem Sprangerus narrat, ſe auctore alteram in finibus Baſileæ & Alſatiæ fuiſſe combuſtam, quæ faſſa eſt, ſe conuitium à viro bono agricola obiectum ferẽ.em indigniſſime, rogatam fuiſſe à diabolo, quid ei homini fieri vellet, qui dixerat conuitium? Cui cum reſpondiſſet, cupere ſe, vt ſemper facies illius turgeat: Non multo poſt agricolam ex inſanabili elephantiaſi laboraſſe. Hæc tamen iudici confeſſa eſt, ſe nõ putaſſe id effecturum diabolum.

Apud Sprangerum quoque legimus, Plumberum quendam Magum Lendenburgi in Germania extitiſſe, quem docuerat Satanas crucifixum ſagittis ante Paſcha die Veneris configere, qua ratione adhibitis nefandis quibuſdam verbis iaculans in aerem, ternos homines quos vidiſſet cognouiſſetque, poterat quotidie occidere, quamuis in arcem munitiſſimam abditos, modo certum deliberatumque conſilium occidendi eos habuiſſet. Eum vero tandem ruſtici in fruſta laniauerunt, ſine iuridica cognitione vlla, poſtquam homicidia plurima perpetraſſet. Hæc geſta anno 1420. *Bodinus Dæmon. lib. 2. c. 8.*

Apud Pedemontanos Cazilii quædam nomine Androgyna videbatur, cum intraret in alienas ædes, & paulo poſt homines interibant. Comprehenſa itaque, Sagarum omnium conſortium eiuſdem maleficii retexit coniurationem (erant autem quadraginta ferme) quæ exteram ianuarum manum ad enecandos homines perungebant. Id anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto accidit. Geneuæ quoque poſtea idem effectum eſt, anno 1568. vbi ad ſeptennium fuit peſtilentia, ex qua occubuerunt multi. Patauii Sagam à ſe viſam Cardanus ſcribit, quæ puerum enecauit ilico, dum virga leniter dorſum illius contingeret. Medea Saga zelotypa, quod Glauca Regis Creontis filia, Iaſoni quem deperibat, nuberet, coronam auream miſit ei nuptiarum die, cumque eam capiti ſuo impoſuiſſet Glauca, exarſit flamma, ex qua repente obiit. Magnum ſcilicet quiddam atque inſigne ab huiuſmodi monſtris, quæ omnem exuerunt humanitatem, nihilque tam ſitiunt ac ſanguinem atque perniciem hominum, ſperandum nobis eſt; qui videlicet exuta humana forma atque conditione, non tantum vitæ atque animis hominum iuxta dæmonis arbitrium hoſtiliter inſidiantur, ſed etiam, quantũ id fieri poteſt, beluina aſſumunt corpora, ita vt ſæpius à lupis aſinis ve in quos crebrius per faſcinum commutantur, non poſſint diſcerni.

PH. Fabuloſa fortaſſis hæc ſunt de conuerſione illa in lupos, aſinos, aliaque huius generis animalia; compertum enim eſt in ſimili fere negotio, atra bile percitos, ſæpenumero ita inſaniiſſe, vt ſe vaccas putarent. Atq; hoc nõ mirum videri debet, nam Melancholiæ vis tanta eſt, vt non raro rationem turbet, nonnunquã plane euertat. Quare Galenus & Auicenna teſtantur, repertos eſſe, qui putarẽt ſe eſſe vaſa fictilia, & ideo hominũ tactum, ne colliderentur, reformidarent. Eodem modo fuerunt, qui ſe aues eſſe arbitrati ſunt, ita vt ſe non mouerint, niſi cum motis brachiis ad alarum ſimilitudinem volare crederent. Pleroſq; etiam atra bile vitiatos,

ſe leones eſſe vel dæmonas imaginari, idem Auicenna auctor eſt. Et allegat Wierus *de affect. malef. lib. 4. cap. 23.* Plinium & Edouardum, qui ſcribunt, cerebrum vrſi deuoratum ingignere imaginationes, quaſi in vrſum quis trãſmutatus ſit. Et hoc nobili Hiſpano cuidam noſtro ſeculo contigiſſe, qui per deſerta & montes vagari ſit ſolitus, ſe in vrſum eſſe cõuerſum phantaſia vitiata ratus. Inſanorum enim numerus eſt pene infinitus.

EQ. Mihi quoq; fabuloſa eſſe & ridicula initio perſuaſum fuit, quę de hac Metamorphoſi hominum migrãtium in figurã luporum, ſæpe narrari audiuimus, ſed non prorſus fictitia & falſa eſſe, de certis & exploratis indicationibus teſtiũ *ἀξιοπίστων, fide dignorum,* comperimus, qui accidere tale aliquid proximis à die Natali, duodecim diebus annuatim per Liuoniam & vicinas regiones, certo cognouerũt ex confeſſionibus plurimorum, qui ex numero illo propter ſcelera comprehenſi, & tormentis examinati fuerunt.

Rem ita geri narrat. Ineuntibus diebus, qui proximi Natalem Domini ſequuntur, circumit puer altero pede claudus, qui illa diaboli mancipia, quorum ingens eſt numerus, conuocat, & ſequi iubet: quod ſi ceſſant aut cunctantur, mox alius vir procerus, flagello ex loris ferreis, iiſque flexibilibus, connexo perpulſos, cogit vt procedant propere. Is cædere miſeros adeo grauiter dicitur, vt multo tempore veſtigia ex vibicibus reliqua cum magni doloris ſenſu corpora vellicent. Quamprimum autem accinguntur ad ſequendũ, mox exui priore ſpecie, & lupina indui videntur. Conueniunt aliquot millia; præit dux cum flagello ferreo; ſequitur agmen eorum, qui ſe luporum ſpecie circumdatos falſa perſuaſione credũt. Educti in obuia pecora irruunt mordicus, & apprehenſa dilacerant: rapiunt quæ poſſunt: dant & alia damna. Sed homines attingere aut lędere non illis fas eſt. Ad flumina vbi acceſſerunt, dux flagelli ictu aquas findit, vt dehiſcere & diſcedere videantur, relicto ſicco tramite quo tranſeant. Exactis diebus duodecim, diſſipatur agmen rurſus, & ad ſe quiſque, depoſita lupi & recepta hominis ſpecie reuertitur.

Mutationis rationem talem eſſe aiunt. Qui mutantur, conuerſione momentanea concidunt ſubito, vt qui morbo attonito corripiuntur, & iacent exanimis ſimiles, ac ſenſu carentibus & vita.

TH. Talibus luſibus delectatur diabolus, vt miſera illa & Dei ignara mancipia ſua, excruciet etiam in hac vita, ſuppliciis, torturis, excarnificatione corporum, & modis aliis. Plurimi enim propter ea, quæ ſe luporum ſpecie inferre credunt dãna aliis, afficiuntur pœnis publicis.

PH. Diuerſi diuerſa de huiuſmodi Lycanthropis ſentiunt. Perſuaſum eſt multis, certos homines quotannis effici lupos, & deinde rurſus ad priſtinum redire habitum, vtrum autem ea metamorphoſis ſemper reuera fiat, an vero nonnunquam imaginatiue, de hoc non conſentiunt. Apud Boruſſos fama eſt tales reperiri, à quibus ante pluſculos annos vnus fuit captus, & Duci Pruſſiæ adductus à ruſticis, quorum iumenta dilaniaſſe credebatur. Fuit homo deformis, nec multum abſimilis feræ, habebatque vulnera in facie, quæ dicebatur accepiſſe morſus à canibus, vbi fuiſſet mutatus in lupum, is à quibuſdam, quibus Princeps id negotii dederat, interrogatus, aiebat, ſe quotannis bis ita mutari ſolitum: Primo circa Natalem Chriſti, deinde circa feſtum Ioannis Baptiſtæ, illiſque temporibus ſe efferari & cogi impetu quodam naturæ, verſari in ſyluis inter lupos. Maximo autem horrore & languore corporis ſe affici, antequam pili crum-

erumperent,& forma mutaretur. Hæc affirmanti credita ſunt. Sed quum ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur,ac diligenter obſeruaretur à cuſtodibus carceris,an aliquando efficeretur lupus,retinuit ſemper eandem formam quam habuit. Is fuit exitus fabulæ.

EQ. Petro Pomponario, celebri olim in Italia Medico oblatus eſt aliquando æger lycanthropia laborans,quem ruſtici forte ſub fœno repertum, captúmque, quia ſe lupum eſſe clamabat,& fugere illos iubebat,ne ab ipſo deuorarentur,excoriare cœperant,vt explorarent,an verſipellis eſſet,id eſt,inuerſos pilos haberet (ſic enim erát perſuaſi errore populari)Sed Pomponarii interceſſione dimiſſus, & per idonea medicamenta curatus fuit. Proinde ſpeciem melancholiæ, lycanthropiam eſſe credendum eſt,ſi hominibus contingit: ſin vero opera diabolorum, permittente Deo,eiuſmodi lupi nocent,hominũ tranſmutatione in beſtias opus non eſt. Etſi enim,vt Evvichii verbis vtar. Scriptura loquitur de Nebuchadnezare, quaſi in feram mutatus fuerit,tamen id non iuxta τὸ ῥητὸν oportet intelligi,alioquin non reſtitutus,ſed nouus omnino homo creatus diceretur. Huic quoq; ſententiæ aſtipulatur diligens Britannię deſcriptor Guilhelm. Camdenus,*in altera part. Hybernia*, vbi dicit,quod nonnulli Hybernici,& qui fide digni videri volunt,homines quoſdam in hoc tractu quotannis in lupos cõuerti affirmant,fabuloſum ſane exiſtimo, niſi forte illa exuberantis atræ bilis malitia,quæ λυκανθρωπία,medicis dicitur, corripiantur,quæ eiuſmodi phantaſmata ciet, vt ſeſe in lupos transformatos imaginentur. Nec ego aliud de Lycaonibus illis in Liuonia tranſmutatis opinari auſim. Hactenus Camdenus.

TH. Interuenire quandoq; melancholicas quasdam imaginationes, quinetiam Diabolum haud raro ſomno oppreſſis arctiſſimo lupinas obuertere actiones, vt videantur facere ea, quæ phantaſmata ſeu imaginationes pingunt & perſuadent. Hiſtoria huius rei extat de quodam Lycaone ruſtico: qui cum apud præfectum ſuum,non procul ab vrbe Rigenſi,cœnaſſet,tandem inebriatus, ſub ſomni tempus,ſubito è ſella decidit, ſupinus in pauimentum,cęteris ſpectantibus. Præfectus homo ſapiẽs,quod Lycaonem eſſe,ſtatim agnoſceret,iubet familiam, hoc relicto,cubitum ire. Poſtridie reperitur in agro equus per medium diſſectus: coniectura Præfecti, culpa confertur in eum, qui pridie exanimatus ſub noctem mane reuixerat. Ducitur is ergo in carcerem,& interrogatus,mox confitetur factũ: ait, ſe veneficam, ignei papilionis ſpecie, circumuolitantem perſecutum eſſe(gloriantur enim Lycanthropi,quod ad arcendas veneficas conducantur) hanc, vt declinaret periculum, ſub equo forte ibi paſcente ſe abſcondiſſe: ibi ſe, arrepta falce, dum petit validius veneficam,intentatum ictum arte eludentem, ex improuiſo & imprudenter diſcidiſſe equum. Ad hunc modum ludunt inter ſe Diaboli,de hominum pernicie.

Interim tamen multa quoque veriſimilia in eorum depoſitionibus criminalib. deponunt,quorum habenda eſt etiam aliqua ratio;præſertim ſi euentus depoſitionib. reſpondeant. Sic in cauſa criminali,quæ agitata fuit in Parlamento Dolenſi,18. Ianuarii, Anno 1573. capita quorum accuſatus & conuictus fuit, hæc fuerũt præcipua: Et quod Garnerius iſte die Michaelis feſto,ad Serranã ſyluam in vineis Chaſtenoyanis (quæ à Dolenſi oppido quadrãte milliaris abſunt) puellã decẽ aut duodecim annos natam ceperat manibus,quæ luporum pedibus conſimiles videbantur,dentibusq; occiderat,femorum & brachiorum carnem deuorauerat,& de

ea ad vxorem detulerat: Quod itẽ poſt menſem eadem forma alteram puellam ceperat occideratq; voraturus, niſi tres homines (vt ipſe fatebatur) impedimentum attuliſſent: Quod etiam poſt dies quindecim puerum decẽnem in Grediſanorum vineis ſtrangulauerat, carnemque crurum, tibiarum, & ventris comederat: Quod denique puerum alium hominis, non lupi ſpecie, quaſi tredecim annos natum, in vici Peruſani ſaltu occiderat comedendi animo, (vt ipſe ſponte, ac non coactus aiebat) niſi fuiſſet impeditus. His ergo de cauſis ad ignem viuus eſt damnatus, effectaque ſententia.

Alia quoque habetur cauſa Veſontione cognita à Iohanne Boino Inquiſitore, anno ſalutis 1521. Decembri menſe, in Galliam, Italiam & Germaniam miſſa, quam Wierus *lib. 6. de præſtigiis, cap. 13.* exponit copioſe, itaque percurram paucis. Rei Petrus Burgotus & Michael Verdunus ſe Deo renunciaſſe, fidemque dediſſe Diabolo confeſſi ſunt. Burgotum igitur Michael duxit in vicum Caſtelli Carlonii, vbi candelam virentis ceræ obſcura flamma, & coloris veneti habebant ſinguli, ita ſaltabant & ſacrificabant Diabolo. Poſtea ſe vnguento oblitos faſſi ſunt lupos fuiſſe factos, celeritate ſumma excurrentes: tum verſos in homines, ac ſubinde in lupos, eaque ſpecie lupas iniuiſſe, eadem voluptate, qua cum mulierib. rem habere ſunt ſoliti. Præterea confeſſi ſunt, Burgotus quidem, ſe puero ſeptenni lupinis pedibus dentibusque mortem attuliſſe, voraturum, niſi ruſtici abegiſſent. Verdunus vero ſe puellam in horto quodam piſa carpentem occidiſſe, & à domino Cuneæ depulſum eſſe. Ab vtriſque puellas quatuor voratas eſſe certo tempore & loco, quarum ætatem exponebant: ſe puluere quodam iacto necem hominibus importare.

D. Bordinum generalem procuratorem Regis aliud exemplum mihi narrare memini, ad ſe è Belgis miſſum cum iudicio toto à iudice & actuariis obſignato, de lupo ſagitta ad femur transfixo, qui poſtea in hominem verſus, decubuit in lecto cum ſagitta, quam auulſam agnouit ille, qui fuerat iaculatus, tempore & loco ex confeſſione hominis comprobata.

Iobus quoq; Fincelius ſcribit, Paduæ Lycanthropum fuiſſe deprehenſum, cui lupini pedes reſecti ſunt, & momento manibus pedibusque truncatus homo extitit. Quo exemplo, inquit Bodinus, iudicium Magarum Vernonii confirmatur, quæ frequenter felium innumerabiliũ ſpecie in caſtellum peruetus ſolebant conuenire. Ibi conſtituentes viri quatuor aut quinque pernoctare, multitudinem felium ſe inuadentem experti ſunt: quorum vnus occubuit, cæteri læſi ſunt, ſed multis felibus viciſſim læſis, quæ poſtea in fœminas verſæ, grauia vulnera compertæ ſunt accepiſſe. Sed quia res incredibilis videbatur, iudicia ſiluerunt. Petrus Mamorius in libello de Sortilegis, mutationem iſtam hominum in lupos dicit à ſe in Sabaudia viſam. Henricus Colonienſis in libello de Lamiis, pro indubitato affirmat. Vlrichus item Molitor in libello, quem dedicauit Sigiſmundo Cæſari, diſputationem conſcribit coram Imperatore factam, & certiſſimis rationibus exemplorumque innumerabilium experientia conſtitutum fuiſſe docet transmutationem iſtam veram eſſe: & ipſe Lycanthropum à ſe fuiſſe viſum narrat Conſtantiæ, qui accuſatus, euictus, damnatus, & à confeſſione morti fuit traditus.

In Pruſſia, Liuonia & Lituania veneficorum maximus eſt numerus, qui feſto Natiuitatis Chriſti ſub noctem, depoſita in certo loco hominis forma, lupi aſſumunt

munt faciem,& in ſylua ruſticorum ædes aggrediuntur, expugnant, cereuiſiæ dolia ebibunt, pecora iugulant. Locum illum deinceps incolæ diuinum arbitrantur, tali diuinationis genere, vt ſi alicui in eo quid aduerſi contigerit, & is veluti vehiculum obuertatur,atque niuibus iniiciatur,perſuaſum habent,eum illo anno moriturum,quemadmodum id à multis temporibus per experientiam explorarunt. Intra Lituaniam,Samogetiam ac Curionem eſt paries quidam, ex quodam caſtello diruto reliquus. Ad hunc certo anni tempore aliquot millia luporum conueniunt,ac vniuſcuiusq; agilitatem in ſaltando explorant,qui hunc parietem tranſilire nequiuerint, vti pinguioribus fere euenit, flagellis ab eorum Præfectis cæduntur. Denique conſtanter aſſeritur,inter hanc multitudinem etiam magnates, atque ex prima nobilitate viros verſari. Illuſtrat id ipſum exemplis Olaus *lib. 18.cap.45.& ſequentib.*

EQ. Non luporum tantum,ſed & aſinorum fit mentio apud auctores,in quorum degeneraſſe naturam externamque ſpeciem, vnanimi ore atteſtantur. Refert Vincentius *in Specul Natur.lib.3.cap.109.*& Guil.Mamulsbrucienſis Monachus in ſua hiſtoria, tempore Petri Damiani fuiſſe duas vetulas in via publica, qua Romam itur, quales Auguſtinas appellat ſtabularias, id eſt, tranſeuntes ad hoſpitia pro mercede ſuſcipientes (nam ſtabulum proprie hoſpitium venale & publicũ dicitur) quæ in vno commorantes tugurio, vna quoq; arte malefica imbutæ, hoſpitem quandoque ſolum aduenientem,in equum,vel ſuem,vel aſinum mutabãt, & certo precio mercatorib. diuendebant. Quodam die iuuenem, hiſtrionicis geſticulationib. victum exigentem, hoſpitio excepcrũt,& in aſinum verterunt,multum eo lucrifacientes,qui geſtuum miraculo diſtineret tranſeuntes: nam ad anus mandatum nutumq; quocunq; modo mouebatur. Non n.illi intellectus perierat, ſed loquela. Ingentem inde quæſtum fecerant vetulæ. Quo cognito vicinus care aſinũ redimit.Cautio tamẽ hæc à mulierculis adhibita eſt,vt cuſtodiretur ne in aq̃ deſcenderet. Seruatus eſt diu ab aqua,& tandem incautiorem nactus cuſtodem,in lacum ꝓximũ ſe coniecit: & ibi ſe aliquamdiu volutans, ꝓpriæ reſtituitur formæ. Cumq; ab eodem obuius ſciſcitaretur eius cuſtos,num aſinũ vidiſſet?ille ſe eſſe reſpondit. Famulus ad herum retulit: Herus ad Leonem P.P. Conuictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmauit Petrus Damianus, vir eruditiſſimus, ꝓlato exemplo de Simone Mago,qui ſuam Fauſtiniano imaginem impreſſerat.

TH. Huic fere perſimilem hiſtoriam legimus apud Guilhelmum Tyri Archiepiſcopum, quam eandem Sprangerus Inquiſitor narrat, iuuenem Anglum militem in Cypro fuiſſe à Saga transformatum in aſinum, qui cum in nauem ad ſocios volens remeare,fuſtibus abactus eſſet, ad Magam rediit: itaque illam eo vſam eſſe,donec aſinus in Eccleſia viſus eſt in genua procidere,eaque facere,quæ ab animante bruta nequeunt proficiſci: tum Magam quæ agebat ipſum ex ſuſpicione ad Iudices raptam,eum triennio elapſo reſtituiſſe & morte affectam eſſe. Idem in Ammonio Philoſopho Peripatetico legimus, aſinum ordinarie lectioni eius interfuiſſe.

EQ. Nihil in Ægypto magis frequentari tradunt mercatores noſtri: & ipſe Belonius in ſuis obſeruationibus Lutetiæ excuſis hiſtrionem, ait, in ſuburbio Cayri oppidi in Ægypto à ſe fuiſſe viſum, qui cum aſino ſuo ſermones conſerebat, & confabulabatur quam familiariſſime: Aſinum vero ſignis, geſtibus, & voce indicauiſſe optime accipi à ſe quicquid dicebatur: Si herus iuberet aſinum

Digitized by Google

num pulcherrimam de cœtu fœminam deligere, contemplatum eum in omnes partes, ad vnam tandem ſolitum, cui gratularetur, certo iudicio accedere: Si herus ediceret hordeum aſino afferri, tum eum aliter quam ſolebant aſini, exultaſſe, & alia id genus innumera. Quibus copioſe enarratis, ſubdit Belonius, amplius etiam dicturus eſſem, ſed metuo vt eis haberetur fides, quemadmodum nec ego credidiſſem, niſi meis oculis ſpectante vniuerſo Cayro populo percepiſſem.

PH. Et tandem terminus eſto. Niſi enim abrumpimus, inſtar rotæ molaris continue in eodem loco permanentis abſq; intermiſſione circumuoluemur, abſq; vllo termino à quo vel ad quem.

EQ. Nonne adlubeſcit, etiam agere de viis atq; mediis quibus ad inquiſitionẽ Sagarum commode deueniri poteſt, cuiuſmodi ſunt: Inuentio ſiue deprehenſio notæ ipſis per Diabolum impreſſæ, & inſenſibilitas notæ eiuſdem, quãtumuis grauiter & preſſæ & vellicatæ. Ipſarum item ſupra aquas natatus; quodq; ex oculis ſagarum ne lachrymulam quidem vllam, quocumq; modo eas torqueas excrucieſque, priusquam pœnituerint, profundere poſſunt; & ſi quę huius gentis ſigna ſunt indicantia: Quis itidem ſit ſeruandus proceſſus; quæ pœnæ infligendæ, & quid non!

TH. Relinquemus iſthæc prauitatis magicæ inquiſitoribus; requirent enim Diſcurſum valde prolixum, qui tam breuiuſculo temporis momento, quod ſuffurari quaſi à negotiis noſtris ordinariis cogimur, pro dignitate non poteſt tractari. Ceſſabimus igitur nunc ab hoc colloquio, propediem denuo amice conuenturi.

Finis tertii Colloquii.

COLLOQVIVM QVARTVM

DE PRÆDICTIONIBVS PHYSICIS

Vbi

De interpretatione euentibusq; ſomniorum, de præſagiis Medicorum, Chiromantia, Aſtrologia, aliisq; diuinationum ſpeciebus, quarum certæ atque conſtantes rationes è Natura peti poſſunt.

EQVES.

QVI hactenus dulciſſima veſtra conſuetudine & melitiſſima confabulatione me ita ſubleuaſtis, (amicorum meorum conſiliarii fideliſſimi iuxta atque chariſſimi,) vt etiam meorum deſiderio nõ amplius tangerer, itidem nunc porro, vbi quam maxime opus eſt, vos me ſubleuaturos, nullus dubito. Etenim tanto horrore ac metu, ob continua ſomniorum eorumque horridorum terriculamenta hac nocte concuſſus ſum, vt ſpirare vix auderem, imo ne poſſem quidem. Auertat Deus, ſi quod malum omen illis ſubeſt. Res mihi namque erat ac certamen, vti videbatur, admodum periculoſum cum dæmonibus, eorumq; complicibus Sagis atque maleficis. Horreſco referens, atque animo reputans diros ipſorum, vti videbantur in me, inſultus. Et vix quoque, diſcuſſis ſomniorum illorum ludibriis, animum recolligo.

TH. Vſque-

Digitized by Google

TH. Vſque adeo nullæ ſunt induciæ, pax nulla, vbi nec odii nec inuidiæ eſt modus aut finis vllus. Nihil ſinit inauſum Satan, nihil intentatum relinquit. Videt animos hominum imbecilles pauidosque; circuit vt leo, ac vim intentat. Mille nocendi artes habet, innumerisque vtitur telis. Vigilandum itaque nobis eſt, & orandum. Induite (inquit Apoſtolus *Epheſ. 6.*) armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, quoniam non (tantum) eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed (præcipue) aduerſus Principes & Poteſtates (videlicet) aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, hoc eſt, contra naturas non corporeas, ſed ſpirituales, longe vt potentiores, ſic vafriores hominibus: & quarum habitatio non in luteis hiſce domibus, ſed in ſublimi & aeris regionibus; qui ſe de tot animarum quas ſubiecerunt, poſſeſſione deturbari, & ab illaqueandis aliis, quas ſpe deuorauerunt, ratione & iure, velut armata manu depelli, tulerunt ſemper iniquo animo; nunc eo ferunt moleſtius, quod quum inſtante vltima die Lucifer ſoluendus, multo ſitiunt auidius, ſuam explere in genus humanum crudelitatem.

PH. Meminiſtis haud dubie, qualem heſterno die tractauerimus materiam, de ſagis nimirum atque veneficis, quam horrenda ſæpius perpetrent; horum memoriam domum quiſque ſuam, adeoque in torum quoque deportauit: nam & ipſemet ego eiuſmodi inſomniorum hac nocte non minimam partem deguſtaui. Id namque rarum non eſt, res interdiu conſpectas, auditas, manibus tractatas, aut cogitationibus verſatas, ſecundum quietem velut repetitas ac retextas à cerebro minus occupato moueri atque agitari in animis dormientium; qua de re etiam eleganter ac ſententioſe Claudianus in præfatione de raptu Proſerpinæ:

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur aquis.

Et Lucretius:

Induperatores pugnare & prælia obire,
Nauta cum ventis contractum degere bellum.

Suntque huiuſmodi ſomnia ſimilia cenſenda citharæ, cuius fides, ceſſante manus impulſu, adhuc modicum extrema motione trepidant ac tinniunt. Recte ergo à Salomone dictum eſt: *Vbi multum eſt ſomniorum, ibi multum eſt vanitatis & errorum.* Et eodem Poeta alludit:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes vana timere iubent.

EQ. Vanam eſſe omnino ſomniorum obſeruationem, nemo mihi facile perſuaſerit: Extant namq; tam in ſacris quā profanis hiſtoriis exempla infinita, quorum etiam quotidiana experientia numerum infinitum ſubminiſtrat, quæ de ſomniorum euentibus liquido atteſtantur; proinde etſi quędam, non tamen omnia in vniuerſum ſomnia floccipendenda videntur.

PH. Qui bene diſtinguit, bene docet. Non n. dixi, omnia indiſcrete vana eſſe ſomnia; quædam namq; ſomnia verum euentum prænunciant, quædam nullum vel illuſorium; quare etiam quædam licet obſeruare, quædam non licet; conſtant

tamen ſingula ſuis cauſis. Vnde Hippocrates vera ſomnia partim Deo partim naturalibus cauſis adſcribit.

TH. Rem acu tetigiſſet, ſi tertium membrum addidiſſet, non prætermiſſum à D. Gregorio, qui rectiſſime ſomnia tribus auctorib. adſcripſit, Deo, Naturæ, Dæmoni, vnde poſteriores Theologi ea diuiſerunt in Diuina, Naturalia & Dæmoniaca. Ac diuina quidem inſomnia nobis à Deo, mediantib. bonis angelis ſuggeruntur, ſuntq; citra controuerſiã certiſſima, & ſolis illis fides adhibenda eſt. Verũ enimuero cautio adhibenda eſt, ne facile ſomniis nos inescari patiamur, quantumuis neq; ex animali, neq; ex corporali cauſa ſomniũ aliquod natum fuiſſe conſtet; quinimo in re dubia, tutiſſimum eſt, ſomnia habere pro ſuſpectis atque à diabolo immiſſis ludibriis. Docet id Syracides, cap. 34. *Niſi ab altiſsimo* (inquit) *fuerit emiſſa viſitatio, ne des inſomniis cor tuum.* Solet namq; Deus quando ſomnium mittit, ſimul hominem certum reddere, hoc ſomnium à ſe profectũ & cœlitus immiſſum fuiſſe. Verum, vt dicam quod res eſt, quoniam Diabolus ſomniorum diuinorum exhibitionem imitatus, ea occaſione in improuidos & ſtolidos hominum animos ſolet irrepere, proinde contenti ſimus diuina voce, quam Deus ſcriptis Biblicis expreſſit, in eaque ſe conſpici & pernoſci vult, quomodo expiari & coli velit; nec temere expectemus è cœlo enthuſiaſmos atque afflatus diuinos. Sic enim expreſſit Dominus: *Nolite*, inquit, *audire ſomniatores*, Ierem. 37. Quanquam enim coniecturæ, quibus explicantur, ſæpe ad veritatem dirigunt, tamen crebrius fallunt. Ac damnat Deus non tantum Diabolicam, ſed ex ſuperſtitione natam etiam omnem ſine Dei mandato & teſtimonio, ex ſomniorum interpretatione, cum obſeruatione & fide hypocritica præſagientem aut expectantem euentus quoſcunq; proſperos aut aduerſos obſeruationem, & his deditos alienos eſſe vult à cætu illo qui eſt populus Dei & Eccleſia. Etſi enim caret dubio, ſine Dei voluntate euenire nihil; nihil tamen obſeruari ſolicite, aut excipi ac metui anxie, aut fiducia, tanq̃ rei certæ, cum ſpe vel metu euentus ineuitabilis credi vult. Exercet enim oſtentis talib. in electis fidem & inuocationem. Ideo ad illa, ſi læta ſint, efferri nemo: ſi aduerſa ſint, deiici animo & ſpe nemo; ſed illa precari, hæc deprecari debet, permittendo & ſubiiciendo ſeſe Dei voluntati ac miſericordiæ.

EQ. Durus hic ſermo eſt, nec vndiquaq; videtur admittendus, quippe quod hodierno etiã die quamplurimi, qui etiam nulla infamiæ nota vnq̃ ſunt notati, de reb. peculiarib. ſibi per inſomnia diuinitus manifeſtatis, quæ etiã vt plurimũ euentu nõ carent, gloriantur, quos omnes ac ſingulos mendacii arguere, inciuile foret. Vnicum adducam, quod clariſſimus vir Iuſtus Lipſius, cum Louanii degerem, mihi narrauit; Incidebat quadam die de ſomniorum vaticiniis inter nos ſermo. Tum ille retulit fuiſſe Bruxellæ ſutoris cuiuſdam vxorem annis præteritis viginti, quæ plurima prædicebat variis, ab euẽtu ad vnguem comprobata; Spellium (Præfectus ille viarum erat, vocant Brabanti, *de koy roe*) agendum in crucem: Requeſenium gubernatorem, ex morbo mox obiturum, concilium ſupremum Regis vim paſſurum, & pleroſque carceri mancipandos conſiliarios: & ſimilia non pauca: Hanc ſe non ſemel vidiſſe & audiuiſſe. Solitam dicere in ſomnis ſibi ſpiritum quendam ſe ingerere, ſpecie diffuſi corporis candidi, cuius nequiret lineamenta diſcernere: ab eo ſe doceri omnia: cumque appareret, ſemper ſe tanto tamque continuo horrore percelli, vt animo linqui ſibi videretur. Hunc cogere poſtea, vt vel cum vitæ periculo, denunciet aliis quæ in ſomnis edocta: nec ſinere quietam, dum iuſſa peragat.

Digitized by Google

gat. Fuiſſe mulierculam ſatis alioqui contemptibilem & ſimplicem, non quidem diffamatam: ſed nec compertæ ſanctitatis.

TH. Somnia hæc fuiſſe ſupernaturalia certum eſt; vtrum vero diuina, vtrum dæmoniaca fuerint, id vero conſiderandum venit. Atque vt breuiter dicam quod ſentio. Pellucent mihi in hac narratione plura, cur potius ſuſpicer ab atro quam ab candido ſpiritu illa profecta. Primum iſta ſpecies diffuſi cădoris, informis ſemper, & continuum afferens horrorem, non cumulatum ſequenti mentis lætitia & tranquillitate, indicium facit non obſcurum, auctoris ſui candorem mentientis. Sexus quoque ſuſpectus, & conditio nihil commendans, quam nec ſanctitas, nec prudentia aut deuotio, vel alia ſigna huiuſmodi comitabantur.

EQ. At lucrum inde nullum mulieri, vel quæſtus, ſed ſæpe verbera, conuitia ferę ſemper.

TH. Bene. Sic enim & Sagis ſolet accidere, & ſuis hanc dæmon mercedem pendit. Quinetiam quæ prædicebat muliercula illa, de publicis quidem rebus erăt; ſed quarum cognitio in publicum parum erat neceſſaria; quia tum prædicebantur, quando vix præcaueri poterant, nempe exiguo paucorum dierum antequam contingerent, tempore; adeoque quæ prædicebat, huiuſmodi erant, vt non dico dæmonis, ſed etiam humanę prudentiæ & coniecturæ ſubiacerent. Veriſſime ergo Syracides.

EQ. Ad mendacia ſomnia nec ipſe etiam attenderim; at vero vbi euentus reſpondet, cur reſpuerem?

TH. Habemus in Scriptura ſacra certas metas, quouſque tribuendum inſomniis, quas tranſilire neutiquă licet. Ducenta poſſum recitare exempla inſomniorum diabolicorum quibus vbique euentus reſpondit, nec tamen ob id approbanda. Eſt enim diabolus veterator nequiſſimus, qui vna aut altera vice fidem dat in ſomniis, in hunc finem, vt auertat homines à Deo vero, & faciat eos errare de via quam præcepit nobis Dominus Deus noſter, id ꝙ expreſſe Scriptura loquitur ac diligenter præmonet, *Deut. 13.* Ac queadmodŭ luſores, qui expilare incautos atq; imperitos colluſores ſatagunt, ſub initium conflictus luſorii colludenti incauto aliquot vicibus cedunt, atque vt vincat, permittunt; demum vero omni eum pecunia emungunt; ſic Diabolus luſor laruatus primo congreſſu multa hominibus indulget, abblăditur, ſe victum ſingit, & nihil nŏ in gratiam hominis incauti facit, demum vero vel vnico luſu animam, theſaurum hominis nobiliſſimum vincit, arripit, ac mordicus retinet.

PH. Fuerunt antiquitus loca aliquot, in quibus pernoctare inuoluti victimarum pellibus conſueuerunt Ethnici, vbi reſponſa de quæſitis rebus, ſomnii ſpecie diabolus, non voce reddebat. Sic Lacedæmonii in fano Paſitheæ, ſomniandi cauſa excubabant, & Æſculapium vera indere ſomnia creditum fuit, ideo eius templum frequens Græcia adiit & honorauit. Calabri Podalyrium Æſculapii filiŭ conſulturi, ad eius ſepulchrum, agninis inſtratum pellibus, ipſi quoq; iiſdem cooperti, decumbebant. Huius generis, quamuis minus notum, illud fuit, ꝙ de Venere Gazęa ſcribit Marcus hiſtoricus teſtis oculatus, *in vita S. Porphyrii Epiſcopi, menſ. Februar.* In loco (ait) qui vocatur tetramphodos (hoc eſt quadriuium) ſtabat ſtatua marmorea, & dicebant eam eſſe Veneris. Erat autem ſupra aram marmoream: ſtatuæ vero effigies erat nudæ mulieris, quæ palam oſtentabat verenda ſua. Statuam autem in honore habebant omnes ciues, maxime vero mulieres lucernas accendentes,

& thure ſuffientes. Dicebant enim eam in ſomnis reſpondere iis, quæ volunt inire matrimonium. Decipiebant autem ſe inuicem mentientes. Sæpe vero iuſſi à dæmone contrahere matrimonium, tantum abfuit, vt id recte eis procederet, vt inter eos fierent diuortia, aut male cohabitarent, &c.

TH. Hoc eſt, quod volo: impurus dæmon, impura obiecta, impura ergo & inſomnia fuerunt.

PH. Impura omnia fuerunt Ethnicorum ſomnia, non extrinſece quidem, attamen intrinſece reſpectu Dei qui prohibuit, & reſpectu dæmonum qui hominibus ſuperſtitioſis ea inſtillarunt, vt hoc modo idolomaniam ſartam tectam conſeruarent. Huius generis eſt, quod de Epitele narratur.

Epiteles inſtaurator Meſſenæ, poſt Meſſeniorum ab exilio reditum, moneri in ſomno viſus eſt, vt in quocunq; Ithonæ loco, Taxum enatam reperiret & Myrtum, terra, in medio harum, perfoſſa, anum liberaret, quæ æneo incluſa thalamo iam pene animo deficeret. Cum illuxiſſet dies, perquiſito is loco, & vbi eum inueniſſet, terra egeſta, in vrnam incidit æneam, cuius operculo amoto, tenuiſſimas albi plumbi laminas, in libelli formam complicatas offendit, quibus ſacrificia magnorum deorum inſcripta erant. Horum reſtitutionem requiſiuit Diabolus, ne interciderent & exoleſcerent, neve vlla ex parte idololatria diminueretur. Extant huius generis innumera in hiſtoriis, & exempla recentes Anabaptiſtæ atque Enthuſiaſtæ ſuggerunt.

TH. Ita eſt. Etſi namque non expreſſam vbique, attamen tacitam ſubfuiſſe ſemper idolomaniæ machinationem certiſſimum eſt. Ac lubens fateor, ſæpenumero inſomniis diabolicis ſiue à diabolo immiſſis euentus reſpondiſſe, quæ tamen propter apparitionum inuolucra plerunque ita fuerunt ambigua, vt Oedipo, qui intricata talia ænigmata explicaret, ſemper fere fuerit opus, qui tamen ſomniorum interpretes ſæpenumero & ipſi dubie atque intricate reſponderunt.

Multa ſunt enim, hoc genere magis ſcite coniecta de euentis, quam vere ſignificata.

Multa etiam ancipitia ſunt, incerta ac dubia, quæ in omnem torqueri ſenſum poſſunt: fere genus monſtrant, non diſerte ſpeciem. Multa falſa prorſus. Et coniectura ipſa, quæ interpretationes perſequitur, nihil eſt incertius, quæ in varias duci partes poteſt, nonnunquam etiam contrarias. Ideo ſæpe Reges & Principes, hoc ſomniorum genere decepti, miſere perierunt.

Pompeius, vt poſtremum cum Cæſare prælium committeret, ſomnio motus eſt. Sedenti enim ſibi in theatro plauſum dari à toto populo, ſomniarat, quo victoriam annui putabat. Sed errabat in interpretatione. Plauſus enim non victoriam, ſed incitationes ſignificabat Lentuli, Domitii, Labieni, qui poſtridie ad pugnandum, eum ſpe victoriæ, incendebant.

Darius, ante congreſſum cum Alexandro poſtremum, ſomniarat, videre ſe, exercitum Macedonicum ardentem incedere per Aſiam, & Babylonem venire, ibique Alexandrum indutum veſte Perſica, templum ingredi, & ſtatim euaneſcere. Arbitrabatur ergo Darius, Macedonico exercitui ſignificari, per flammas, exitium, & Alexandrum Perſice veſtitum, venturum in poteſtatem Perſicam. Sed flammæ arguebant celeritatem victoriæ, & progreſſionem Alexandri, inſtar flammæ volitantis, ſubitam. Veſtitus, potiturum ipſum regno Perſico, portendebat.

Cambyſ.

Digitized by Google

Cambyſi, fratris Smerdis regio ſolio inſidentis, & cœlum vertice contingentis: Iulio Cæſari, ipſiuſmet ſupra nubes elati, & ad cœlum vſque traducti ſpecies viſa in ſomnis, vtrique cladem portendit, tulitque exitium.

Sic Xerxen, ducentem exercitum in Græciam, ſomnium fefellit, in quo coronari viſus eſt olea, cuius ramis omnis terra obumbraretur, mox illa cum ſomnio euaneſcente. Ad hanc claſſem pertinet etiam ſomnium Amilcaris, Athenienſium ducis. Is enim Syracuſas obſidẽs, in ſomnis audire viſus erat, ſe poſtridie intra obſeſſæ vrbis mœnia cœnaturum. Ea re ad victoriæ ſpem reflexa, mane alacris ad oppugnandam vrbem inſtruebat aciem. Talia voluenti ac molienti, quod ſæpe fit, grauis tumultus in caſtris exortus eſt, Carthaginenſibus ac Siculis inter ſe diſſidẽtibus. Oppidani occaſione freti, repente portas egrediuntur, & fuſis hoſtibus victores, ducem turbatis ſuorum ordinibus ſuccurrere cupientem, atq; ideo negligentem ſui, intercipiunt. Et ſic in vrbem ductus, & in compedibus cœnans, intellexit, quam falſus interpres ſomnii fuiſſet. *Val. Max. lib. 1. c. 7.* Talia etiam fere fuerũt Vlyſſis ſomnia, quibus poſt reditum in patriam crebro territus fuit, quamobrem etiam interpretes ſomniorum peritiſſimos conuocauit, narrans viſum ſibi ſæpius ſimulachrum quoddam inter humanum, diuinumq; vultum formæ prælaudabilis ex eodem loco repente edi. Quod complecti ſummo deſiderio cupienti ſibi, porrigentique manus, reſponſum ab eo humana voce, ſceleratam huiuſmodi cõiunctionem, quippe eiuſmodi ſanguinis atque originis: namque ex eo alterum alterius opera interiturum. Dein percontanti ſibi vehementius, cupientique cauſas eius rei perdiſcere, ſignum quoddam mari editum, interuenire viſum, idque ſecundum imperium eius in ſe iactum vtrunque diſiunxiſſe. Quam rem cuncti, qui aderant, exitialem vno ore pronunciarunt, monentes caueret ab inſidiis filii. Ita ſuſpectus patris animo Telemachus, in agros, qui in Cephalenia erant, relegatur. Ipſe ſecedens in loca abdita ſemotaque, ſomniorum vim euitare nitebatur. Per idẽ tempus Telegonus, quem Circe editum ex Vlyſſe apud Acæam inſulam educauerat, vbi adoleuit, ad inquiſitionem patris profectus, Ithacam venit, gerens manib. quoddam haſtile, cuius ſummitas marinæ turturis oſſe armabatur, inſigne ſcilicet inſulæ eius, in qua ipſe editus erat. Edoctus vbi pater Vlyſſes ageret, per cuſtodes agri ſuſpectior primo aditu prohibitus, vbi vehementius perſtat, è diuerſo repellitur, clamare occipit, indignum facinus, prohiberi ſe à parentis complexu. Ita creditum Telegonum ad inferẽdam vim Regi aduentare, acrius reſiſtitur, nulli quippe compertum, eſſe alium etiam Vlyſſi filium. At iuuenis vbi ſe vehementius & per vim repelli videt, dolore elatus, multos cuſtodum interficit, aut grauiter vulneratos debilitat. Quæ poſtquam Vlyſſi cognita ſunt, exiſtimans iuuenem à Telemacho immiſſum, egreſſus foras, lanceam quam ob tutelam ſui gerere conſueuerat, aduerſum Telegonum iaculatur. Poſtquam huiuſmodi ictum iuuenis ſubterfugit, ipſe in præſentem inſigne iaculum mittit. Vbi eo ictu Vlyſſes concidit, gratulari cum fortuna, confiteriq; optime ſecum actum, quod per vim externi hominis interemptus, parricidii ſcelere Telemachum chariſſimum ſibi liberauiſſet. Deinde reliquum adhuc retentans, iuuenem percontari, quiſnam, & ex quo ortus loco, qui conſilio belloque inclitum Vlyſſem Laertis filium interficere auſus eſſet? Telegonus tum cognito parentem eſſe, vtraque manu dilanians caput, fletum edit quam miſerabilem, maxime diſcruciatus ob illatam per ſe patri necem. *Dyctis libro ſexto.*

EQ. Ambigua multa fuiſſe inſomnia non nego. Attamen perquam multis etiã non tam futurã felicitatẽ & quomodo inſtans aliquod periculum euitandum, quã etiam mortem atq; interitum portendiſſe, quamplurimis conſtat exemplis. Futuræ felicitatis exempla hæc ſunto: Cyro in Armenios eunti cum exercitu, cum difficultates quædam, & tardarent progreſſum, & ancipitem fortunam ac dubiam minarentur, ſomnium nocturnum animum addidit, & ſpem fecit victoriæ. Viſus enim ſibimetipſi ſecundum quietem compedibus diſtineri, & eaſdem paulo poſt ſponte ruptas diſſilire ac decidere, vt quacunque vellet, ingredi poſſet: non fore diuturnas has difficultates & expeditam victoriam ſecuturã, inde ratiocinatus eſt.

Alexander ex gente Herculis per Caranum, & genere materno Aeacida per Neoptolemum fuiſſe, pro certo creditur. Fama eſt in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, cum eſſet ipſe tum adoleſcens, illam item puellam parentibus orbam amaſſe, atque inde parata fratris voluntate Arybbæ (Arymbam vocat Diodor. lib. 16.) nuptias coiſſe. Sponſæ ante noctem, qua thoro genitali iuncti fuere, viſus eſt Ioue tonante venter ſuus de cœlo tangi, atque ex ictu largum ſuccenſum ignem, qui mox erumpens in flammas paſſim diſperſas diſſiparetur. Philippus ſpatio aliquo poſt nuptias, vidit in ſomnis vxoris ſe ventrem conſignare. Habebat ſigilli ſculptura, vt viſa ei eſt, imaginem Leonis. Ea viſione vatibus interpretantibus cæteris Philippo cuſtodiis acrioribus ſepiendam coniugem, Ariſtander Telmeſius vterum illam leoni æquandum ait ferre. Nihil enim quod inane ſit ſignari, ac concepiſſe eam infantem animoſum. *Plutarch in Alexand.*

Aſpaſia Hermotimi filia, Phocenſis, poſtquam mater eius cum partu animam ſimul egiſſet, in orbitate eſt educata atque in penuria, modeſte tamen & liberaliter. Inſomnium autem frequenter apparebat, euenturæ fortunæ vaticinium præ ſe ferens, quod viro pulchro bonoque nuptura eſſet. Adhuc autem puellæ enatus eſt tumor in ipſo mento, aſpectu teterrimus, atq; tum patri tum ipſi puellę ſummũ dolorem afferẽs. Proinde pater eam ad Medicum adduxit, qui ſe curaturum recepit, ſed ea lege, ſi tres ſibi ſtateres perſoluerentur. Cum autem pater tantum ſe non habere diceret, Medicus puellam incuratam dimiſit, quæ ob id in acerbiſſimo luctu verſata eſt. Verum poſteaquam præ dolore non cœnaſſet, plane opportunus eam ſomnus inuaſit. In ſomno autem viſio oblata hæc verba protulit: Bonum animum geras, valeantq; Medici cum ſuis Pharmacis. Tu vero roſea Veneris cape, eaque contrita tuberi impone. Hæc vbi audiſſet, & executa eſſet, tuber euanuit, & Aſpaſia inter omnes puellas adeo forma, vitę honeſtate, incorruptis moribus emicuit, vt primum Cyro Perſarum Regi, & eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta ſit. Hiſtoriam eleganter deſcriptam leges apud Ælianum *de varia hiſtoria libro 12. à principio.*

L. Lucullus bello Mithridatico ad Helleſpontum profectus claſſem inſtruxit. Troadem delatus diuertit in delubro Veneris. Nocte ſopitus, Deam videre viſus eſt ſibi aſſiſtentem, quæ diceret:

Quid dormis animoſe leo, cum proximus adſit
Hinnulus ecce frequens?

Surgens aduocatis amicis, expoſuit adhuc nocte ſomnium. Simul adfuernut ab Ilio quidam, qui nunciarent, conſpectas ad Achæorum portum quinque remes regias tredecim, quæ in Lemnum intenderent curſum. Statim igitur ſoluit, atque his potitus eſt, Præfectum earum Iſidorum occidit, &c. *Plutarch. in Lucullo.*

M. Arcorius Auguſti Cæſaris Medicus, cum in campis Philippicis duo Romanorum exercitus ſtetiſſent, hinc Octauii & Antonii, inde Bruti atque Caſſii, & proximo die eſſent manus conſerturi, ſomnium à Mineruа accepit, vt admoneret Octauium graui morbo laborantem, ne propter aduerſam valetudinem proximo prælio non intereſſet. Quod cum Cæſar audiuiſſet, lectica ſe in aciem ferri iuſſit. In qua dum ſupra vires pro adipiſcenda victoria excubaſſet, morbo liberatus eſt, & à Bruti militibus, de cæde eius cogitantibus, eiusque caſtra diripientibus, & lecticam inanem iaculis & pilis traiicientibus liberatus. *Cic. lib. 3 de diuinat. Sueton. in Auguſto.*

Somnus Veſpaſiano patri imperium ſuum filiorumque oſtendit. Nam cum adhuc priuatus eſſet in Achaia cum Nerone, ab incognito dici ſibi per quietē vidit, cœpturam ſuam felicitatem, cum Neroni dens exemptus eſſet. Experrectus igitur, is in quem primo incidit, Medicus fuit, qui dentem oſtēdit, quē tunc Neroni euulſerat. Itaq; haud multo poſt ſecuta Neronis mors, item Galbæ, ac poſt eos Othonis ac Vitellii diſcordiæ, Veſpaſiano ad imperium primordia ac vires dedere. Fulgoſus lib. 1. cap. 5. Quin etiam Nero ipſe vidit per quietem, currum Iouis in ædes Veſpaſiani intromitti: quę cum egerent interpretatione, Ioſephus Iudæus imperium Romanum Veſpaſiano portendi dixit. *Xiphilinus in Veſpaſiano.*

Actia Auguſti Cæſaris mater in Apollinis templo obdormiens, viſa eſt cum Dracone commiſceri, peperitque expletis ad pariendum menſibus. Adhæc, antequam pareret, ſomniauit viſcera ſua ſublime in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Eadem nocte Octauius ex vulua vxoris oriri in ſomnis vidit. Cum infans iam natus eſſet, Nigidius Figulus Senator ſtatim patri filii ſummū imperium prædixit. *Xiphilinus & Sueton. in Auguſto.*

Hippiæ Piſiſtrati filio, dum exul Regium affectat faſtigium, apud Marathonem nocturna ſpecies matris, cum qua coire videbatur, per quietem oblata eſt. Qua de re imperium late ſibi portendi coniectores ſibi reſponderunt, ipſeque ſomnio monitus, & ſpei plenus, Athenarum dominio haud multo poſt potitus fuit. *Herodotus lib 6.*

Ex parte ſimile ſomnium fuit ruſticanæ puellæ in Britannia, quam nunc gentili ſermone Angliam dicunt. Hæc enim comitibus ſuis cum communicaſſet, ſomniaſſe ſe ex ventre ſuo egreſſam lunam, quæ totam Britanniam illuſtraret. Re ab vxore regii paſtoris audita, quæ Regis Britannici filium lactabat, domi puellam hāc excepit; eius amore captus Regius infans, firmior poſtea factus, puellę vterum impleuit, ex qua natus eſt Echelſtanus, qui poſtea Britannorum regnum obtinuit, qui virtute victoriiſque clarus, vt Luna illuſtraſſe Britanniam dici poteſt. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. de ſomniis.*

Alexander dum Tyrum vrbem per menſes ſeptem aggeribus, machinis, atque ex mari triremibus ducentis oppugnat, per quietem Herculem vidit ex muro ſibi manus tendentem inuitantemque. Tyriorum multis viſus in ſomniis Apollo eſt dicere, ad Alexandrum ſe tranſire, neque enim ſibi cordi eſſe ea, quæ in vrbe agerentur. Illi vero ſicut transfugæ ſceleris comperti Apollinis ſimulacrum deuinxere cathenis, clauiſq; baſi adfixere, Alexandri fautorem appellantes. Alia ſpecies eſt noctu Alexādro obuerſata. Satyrus ei oblatus eſt. Viſus eſt hic procul ei alludere. Quem cum corripere conaretur, ſubducere ſe, tandem poſt preces multas ſuas & cir-

& circumcurſationes venire in manus ſuas. Et Vates diſſecto nomine non abſurde reſponderunt, σὰ Τύρος. Tua erit Tyrus, quod σὰ Græcis tua ſignificet. Oſtendunt fontem, apud quem videre ſecundum quietem viſus eſt Satyrum. *Plutarchus in Alexandro.*

Sethon Ægypti Rex, Vulcani ſacerdos, cũ Ægyptios cõtemneret, externo milite vtebatur, & Ægyptios agris exuebat. Ob hãc iniuriam factum eſt, vt cum poſtea Sennacheribus Arabum Aſſyriorumque Rex cum magnis copiis inuaſiſſent Ægyptum, noluerint ei Ægyptii opitulari. Tum ſacerdos conſilii inops, in cœnaculum ſe contulit, ibique apud ſimulacrum complorauit, quantum periclitaretur. Ei igitur inter lamentationem obrepſit ſomnus, & inter quietem viſus aſtare Deus exhortans, nihil eum moleſti paſſurum, ſi copiis Arabum obuiam iret, ſe enim auxiliarios ei miſſurum. His ſomniis fretus ſacerdos, ſumptis Ægyptiorum voluntariis, inſtitoribus & operariis, caſtra in Peluſio poſuit, hac enim Ægyptus inuaditur. Eo cum perueniſſet noctu, ingens multitudo agreſtium murium repẽte exorta, tum pharetras, tum arcus, tum ſcutorum habenas in caſtris hoſtium arroſerunt, ita vt poſtera die hoſtes armis exuti, fugam fecerint, multis amiſſis. Eoq; nunc iſte Rex in templo Vulcani lapideus ſtat, manu murem tenens, atque hæc per literas dicens: In me quis intuens pius eſto. *Herodotus lib. 2.*

Cæterum nunc quoque futuræ infelicitatis atque interitus per inſomnia obumbrati recitabo exempla.

Phayllo Phocenſium Regi, poſt ſpoliatum Delphicum fanum, vix dum ad imperandum aggreſſo, talis oblata eſt per ſomnium ſpecies. Inter Apollinis donaria peruetus effigies quædam fuit ex ære, hominis, cui carne conſumpta, ſola eſſent reliqua oſſa. Aiebant Delphi ab Hippocrate Medico dedicatam. Huic Phayllus ſe ſimilem factum videre viſus eſt. Ac paucis poſt diebus macie cõtabeſcens, ſomnii euentum impleuit. *Pauſanias in Phocicis.*

Sub excidium Meſſenæ, vigeſimo primo anno belli, Ariſtodemus Rex Meſſeniorum, per quietem viſus eſt videre, cum eſſet armis iam ſumptis ad pugnam exiturus, victimarum extis in menſa appoſitis, filiam (quam ante ſexennium pro patriæ ſalute deuotam ſuis manibus interfecerat) in pulla veſte aſſiſtentem, & nudato pectore vulnera oſtentantem: deinde diſturbatis è menſa extis, detractis armis, ab ea aurea ſe corona & albis veſtimentis donari. Mortem itaque ſibi ſomnium hoc portendere arbitratus eſt, quod Meſſenii optimates coronatos, & candida veſte velatos efferunt. Nec mora, cum filiæ deuotione patriæ ſe nihil profuiſſe videret, ad filiæ tumulum ſibi ipſi mortem conſciuit. *Plutarch. in Cleomene.*

Hecuba prægnans, facem ardentem, quæ Aſiam & Europam combureret, ſibi parere viſa eſt. Peperit non multo poſt Paridem, cuius inceſtis amoribus Troia patria diruta, vires attritæ, Græcia longo bello confecta fuit & perdita. *Sabellicus lib. 1. cap. 1.*

Filia Polycratis Samii, cuius extat in hiſtoriis celebrata felicitas, viſa eſt cernere patrem in aëre ſublimem, à Ioue ablui, à Sole inungi. Completum eſt ſomnium, cum ab Orete patrem cruci affixum, ardores Solis ita percoxerunt, vt liquefacta extillaret pinguedo, quæ cadauer oblinebat, & cœleſtes id viciſſim pluuiæ abluerent.

Amici Ptolemæi κεραυνοῦ, *cognomento Cerauni*, qui Seleucum Macedonem interfecerat, viderunt ipſum à Seleuco rapi in iudiciũ vulturibus, lupiſq; iudicantibus, & cau-

&,cauſa cognita carnes eius paſſim diſtribuentibus. Huius ſomnii veritatem exitus comprobauit: nam non ita multo poſt à Galatis interfectus, inter cadauera cetera, vulturibus & lupis præda factus eſt.

Alcibiades ſomnum capiens, pallio amicæ ſuæ ſe coopertum in ſomno putauit: Cuius veritas mox ſecuta eſt. Critias enim cum videret Alcibiadem plurimum gratia & autoritate valere, operam dedit vt è medio tolleretur. Miſit igitur Tiſimenum (vel vt alii nominant Suſametrem) & Bagoum, vt eum interficerent. Ille cum apud amicam eſſet, in eius gremio interfectus, & inſepultus abiectus, amicæ ſuæ veſtimento contectus eſt. *Iuſtinus lib. 5. Plutarchus & Probus in eius vita.*

Efficax illa quietis imago, quæ Crœſi Regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filiis, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præſtantiorem, imperiique ſucceſſioni deſtinatum Atym exiſtimauit ferro ſibi ereptum. Itaq; quicquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura ceſſauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti, domi detentus eſt. Habebat armamentarium, omnis generis telorum copia refertum, id quoque amoueri iuſſit. Gladio cinctis comitibus vtebatur, vetiti ſunt propius accedere. Neceſſitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta, crebra cum agreſtium ſtrage vaſtaret, inuſitatoque malo Regium imploratum eſſet auxilium, filius à patre extorſit, vt ad eum opprimendum mitteretur: eo quidem facilius, quod non dentis, ſed ferri ſæuitia in metu reponebatur. Verum dum acri ſtudio interficiendi Suem omnes ſunt intenti, pertinax caſus imminentis violentiæ lanceam, petendæ feræ gratia ab Adraſto miſſam, in eum detorſit: & quidem eam potiſſimum dextram nefariæ cædis crimine voluit aſpergi, cui tutela filii à patre mandata erat. *Valerius Maximus lib. 1. c. 7. & Herodotus lib. 1.*

Amandatus à Mardonio eſt ad Amphiarai oraculum ſeruus, ſcitatum ſuper iis quæ adminiſtrarentur. Atis per quietem putauit, Dei miniſtrum ſibi aſſiſtentem, primo quidem voce repellere, ceu abeſſet Deus: mox vero, vt minus obſequentem, manu etiam obtrudere: poſtremo pertinacius perſeueranti, lapidem bene magnum in caput impegiſſe. Ταῦτα δὲ ἦν ὥσπερ ἀντίφωνα τῶν μελλόντων, id eſt, Hæc autem erant velut futurorum antiphona. Superatus namq; Mardonius eſt ad Platęas ingenti prælio, ac lapide ictus cecidit. *Cælius lib. 19. c. 15. ex Plutarcho.*

Xerxes Darii filius, Perſarum Rex, bellum Gręcis illaturus erat. Artabanus Hyſtaſpis filius, Xerxis patruus, vehementer obſtitit. Xerxes quamuis ſtomachabundus, tamen Artabano parere propoſuerat. Verum vrgentibus fatis, bis idem habuit ſomnium. Heroica ſpecie virum vidit, obiurgantem ſe, quod Græciæ bellum inferre differret. Re cum Artabano communicata, Artabanum Regiis veſtibus indutum, in Regio ſolio ſomnum capere coegit. Artabano quoque eadem ſpecies ob oculos verſata eſt. Itaque non minore ſtudio, quam ante obſtiterat, Xerxem ad Græciæ bellum inflammauit: nimirum ſic vrgente malo Xerxis fato, vt inſolentiſſimus Rex ſuæ temeritatis & ſuperbiæ pœnas daret. Idem viſus eſt ſibi in ſomnis ſurculo oleagineo coronatus eſſe, cuius oleę ramis vniuerſa tellus obrueretur: & mox corona capiti circumdata euanuit. Clarius & certius hoc ſomnium priore. Totum orbem bellico apparatu terruerat Xerxes, & de Græcia iam triumphum egiſſe videbatur, captis Athenis, cum Themiſtoclis ſolertia fractus, turpi fuga vitæ ſuæ conſulere fuit coactus. *Herodotus lib. 7.*

Iulius Cæſar non multo ante quam interiret, in ſomnis modo ſupra nubes volitare, modo dextram Ioui iungere ſibi viſus eſt. Suetonius. Quin etiam nocte eadem, cum in lecto ſuo cubaret, omnibus cubiculi ianuis pariterque feneſtris patefactis, exterritus eſt ſimul ſtrepitu & lumine, Calphurniamque ſplendente Luna aduertit arcte ſopitam, voces obſcuras, ſuſpiriaque edere indiſcreta. Imaginabatur illa lugere ſe eum, quem in gremio teneret confoſſum. Eam viſionem alii negant ei oblatam. Sed cum Cęſaris ædibus eſſet ex Senatus conſulto adiunctum, vt autor eſt Liuius, velut ad ornamentum & amplitudinem pinnaculum, id per quietem imaginata collabi Calphurnia, videbatur ſibi ideo lamentari & lachrymari. Ac cum lux appetiſſet, rogauit Cęſarem, ſi qua fieri poſſet, ne prodiret, ſed in aliud tempus reiiceret Senatum. Quod ſi ſomnia ſua flocci penderet, at Aruſpices hoſtiasque conſuleret de impendentibus. Vnde fuit aliqua illi quoque, vt videtur, oblata ſuſpicio & metus: quippe ſuperſtitionem nullam animaduerterat ante muliebrem in ea, quam tum videbat anxiam. Vt vero multis iam cæſis hoſtiis renunciauerunt ei Aruſpices, litari non poſſe, ſtatuit miſſo Antonio ſenatum dimittere. Interea Decius Brutus, Albinus cognomento, quem Cæſar ob fidem, quam ei habebat, in ſecundis hæredibus ſcripſerat, cum coniurationis alterius Bruti & Caſſii conſors eſſet, veritus, ne ſi diem illum exemiſſet Cæſar, res efferretur, irriſit Auruſpices Cæſaremque caſtigauit, & manu præhenſum eduxit. Et ſic eo die in Curia, multis vulneribus confoſſus, miſerabiliter trucidatus eſt. *Plutarchus.*

Cæſare interfecto, populus coniuratos requirebat abditos. Helius Cinna Poeta ex amicis Cæſaris ſomnium horrendum priore nocte habuerat. Videbatur ſibi ad cœnam inuitari à Cæſare: cum renueret autem, manu ab eo inuitus & reluctans duci. Hic audito Cæſaris corpus in foro cremari, etſi viſionem ſuſpectam habebat, & tenebatur etiam febre, honoris illius cauſa in forum profectus eſt. Vt conſpectus eſt, nomen quidam ex plebe quærenti alteri dixit, ille alteri: mox omnes peruaſit vnum hunc eſſe ex Cæſaris percuſſoribus. Erat enim in Coniuratis alius illi cognominis Corn. Cinna: quem quod exiſtimarent hunc eſſe, impetu confeſtim facto, in ipſo foro eum dilacerauerunt. *Plutarchus in Cæſare & Bruto.*

Ecelinus cognomento Monachus, ſanguinarius, & crudeliſſimus Tyrannus, per quietem filiorum vidit fortunam, ea nocte, qua primum cum vxore congreſſus eſt, quæ Adela nomine, Tuſca ex comitum antiquorum Montaionis gente fuit. Viſus eſt enim ſibi videre collem, in quo Romanum oppidum in agro Patauino ſitum erat (cui ille imperabat, & Romanus inde dicebatur) ita efferri exaltarique, vt culmine cœlum contingeret, eundemque paulo poſt veluti niuem liquefieri, adeoque demitti, vt amplius non extaret. Liberorum caſus hunc effectum tulere. Nam maior natu filius, & ipſe Ecelinus nomine, Veronæ, Patauii, Vincentiæ, Feltrii, Ciuidaliſque ac Marchiæ imperium occupauit. At minor Albericus, Taruiſii, aliorumque locorum tyrannidem inuaſit. Cæterum poſtea variante fortuna, Salutis anno ducenteſimo quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum, cum Papa Guelphique ſimul in Ecelinum filium arma mouiſſent, Patauium cum toto agro amiſit. Cum autem confideret, ſe aſtu Mediolanum vrbem occupaturum, & ob id Abduam amnem traieciſſet circumſeſſus ab hoſtibus, prælio victus, vulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipſo in loco periit, ac conditus eſt. Hoc caſu frater Albericus perculſus, cum diffideret Taruiſium retinere

poſſe,

poſſe, in ſancti Zenonis arcem ſe recepit, vbi ſalutis anno 1200. à ſuis proditus, in hoſtium poteſtatem venit. Illic intuitus coram ſe ſex filios occidi, vxoremq; Margaritam cum duabus puellis comburi, ipſe minutatim per ſingulos artus cæſus, Romanam gentem ſuam, ſicut in ſomniis pater habuerat, finiri ſecum vidit. *Fulgoſus lib. 1. cap. 5.*

Phalaridis mater Mercurium (cuius ſimulachrum pateram manu tenens, inter Deorum effigies domi ſuæ colebat) in ſomniis vidit ex ea patera ſanguinem humi ſpargere, pauimentoque illiſum rebullire, donec ſenſim domum omnem faſtigiotenus inundaret. Quod in vna viſum, in multis domibus verum fecit cruenta nati ſæuitia. Huius viſionis auctor eſt Ponticus Heraclides, doctus vir, vt ait Tullius, & diſcipulus Platonis. *Petrarcha.*

Magnus Sfortia pridie quam ab Orthona contra Braccium, qui Aquilam vrbem obſidebat, anno 1425. diſcederet, ſub auroram ſomniauit, profunda aquarum mole oppreſſum in extremo vitæ periculo verſari, proſpexiſſeque virum gigantea ſpecie, D. Chriſtophoro perſimilem, à quo vel magna ac iterata voce opem fruſtra imploraſſet. Verum ſomnio nihil monitus, ab Orthona diſcedens, in traiectu Aterni amnis (qui hodie à Piſcaria oppido nomen habet) dum puero armigero periclitanti opem ferret, protenſa dextra, cænoſo ſubſidens vado, eius equus, quanquam inſignis, poſterioribus cruribus defecit, atque ita grauantibus armis eſt ſubmerſus. *Iouius in eius vita.*

Marcus Antonius Taurellus Guaſtallæ comes, cum in Neapolitano Regno militaret, eo bello, quod Ferdinandus ſenior Aragonius Rex, cum Rege Renato Andegauenſi gerebat, in ſtatiuis, quæ in Brutiorum regione habebat, mane è ſtrato ſurgens, iis qui eum circumſteterant militibus ſuis narrauit, ſe in ſomnis viſum in aqua ſubmergi: & propterea decreuiſſe à natatione, cui aſſueuerat, abſtinere. Cæterum cum in meridie poſt ſomnum, militari Chlamyde deſuper nudo amictus, deambulatum ad vicinum lacum eſſet profectus, ac quoſdam è ſuis natantes videret, nocturni ſomnii immemor, aut fortaſſe ita trahentibus eum fatis, natandi gratia in lacum ſe cum aliis quibuſdam demittens, iuxta ſomnium quod viderat ſubmerſus eſt, cum ſuorum nullus opem ferre poſſet. *Fulgoſus lib. 1. c. 5.*

C. Iulii Cæſaris vxor Calphurnia, nocte, quam is vltimam in terris egit, in quiete vidit, multis eum confectum vulneribus in ſinu ſuo iacentem: ſomniique atrocitate vehementer exterrita, rogare non deſtitit, vt proxima die à Curia abſtineret. At ille, ne muliebri ſomnio motus id feciſſe exiſtimaretur, ſenatum, in quo ei parricidarum manus allatæ ſunt, adire contendit, vbi à Bruto & Caſſio interfectus eſt. *Valerius lib. 1. c. 3.*

Ambroſius Grimaldus, quũ in inſula Chio vrbs à Venetis obſideretur atque oppugnaretur, quo tempore Genuę dux Mediolanenſis, Philipus, rerum potiebatur, ſomniauit, ſe ab horrido angue, qui flammas euomebat, occidi. Itaq; decreuit, eo die prælio atq; armis abſtinere; Sed quum hoſtes muris nimium appropinquarent, atque Genuenſes ducerent, eruptione magis offendi hoſtes poſſe; Ambroſius intra armatorum multitudinem inuitus, præter animi ſui ſententiam erumpentium impetu ab vrbe ablatus eſt: retro tamen cedens, ita vt muris tegeretur, videndi nimia cura captus, quum pugnantium clamorem ac ſtrepitum exaudiret, prolato aliquantiſper capite, ſtatim bombarda in caput accepta, periit, ſomno infelicem effectum portendente. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. de ſomniis.*

Digitized by Google

TH. Tot exemplorum inductione non vſque adeo fuiſſet opus, quum nemo noſtrum ſit, qui neget, euentus ſomniorum quandoque reſpondiſſe promiſſis aut comminationibus. At quid inde conuincitur. Omnino nihil. Spectatum enim à Diabolo nihil aliud fuit, niſi vt ſuperſtitio confirmaretur, id quod etiam ſuperioribus colloquiis abunde ſatis demonſtratum fuit.

Extant in ſcriptis Eccleſiaſticorum exempla de ſomniis quę longe maioris ſunt momenti, quam ea quæ hactenus ex Ethnicorum ſcriptis adduxiſti, neque tamen ſimpliciter & abſolute, ſed quatenus cum expreſſo Dei verbo conſentiunt, præſensve Dei auxiliũ cernitur, admittuntur. Sic per viſum Gennadio, Medico Carthaginenſi, ea quæ ad rectam fidem ducit Salus oſtenſa fuit. Cum enim is de animarum immortalitate dubitaret, viuerentne poſt mortem, an extinguerentur; Viſo bis per quietem iuuene, qui primo vrbem pulcherrimam ei oſtendit, deinde poſtera nocte reuerſus ab eo petiit, an eum agnoſceret? Reſpõdit, & noſſe ſe illum, & ſomnii meminiſſe. Iterum ab eo interrogatus, vbi eius eſſet corpus, & quid ageret. Cum reſpondiſſet, in lecto eſſe ac dormire: argumento, cui reſponderi non poterat, didicit, quemadmodum tunc dormiens cernebat per quietem, quamuis clauſis oculis corpus in lecto iaceret: ita vita functo homine crederet eius Spiritum viuere ac videre poſſe, quamuis tumulo clauſum corpus maneret. A ſomno igitur excitatus hoc oraculo vt recte crederet monitus eſt. Itaque relicta hæreſi, Catholicæ impoſterum credidit, quemadmodum Auguſtinus ad Euadium ſcribens affirmat. *Baptiſta Fulg. lib. 1. de ſomniis.* En ſomnium; at congruit verbo Dei de immortalitate animarum.

Sic cum Alexander Hieroſolymam cum exercitu appropinquaret, infeſto multis de cauſis animo in magnum metum illius vrbis populum coniecerat. Quamobrem Iaddus Pontifex poſt longas ad Deum orationes, quum in ſomnum incidiſſet, Deum vidit dormienti ſibi dicentem, ne formidaret, ſed Alexandro pontificia amictus veſte ſe offerret. Credidit Iaddus ſomnio, in eumque morem qui prædictus erat, ornatus ipſe cum aliis ſacerdotibus ſtolatis, poſtero die Alexandro occurrit, vt venientem exciperet: quem Alexander intuitus ex equo deſcendit, & humi genu innixus eum adorauit, petitaque omnia conceſſit. Quod quum Alexandri duces aliique mirarentur, & illud Alexander animaduertiſſet, dixit, pridie eius diei Deum in ſomnis ſe vidiſſe eo habitu, quo Iaddum viderat amictum, grauiter vitæ eius comminantem, ſi quid Iudæos offendiſſet. Cui ſomnio cum fidem non haberet, tunc Iaddi conſpectum in ea veſte, qua amictam Dei effigiem, viderat, Deum ſe & non Pontificem coluiſſe. Mirum profecto, duorum diuerſorum hominum ſomnia ita conueniſſe, quæ Deum ipſum immiſiſſe, ex euentu liquido conſtat, quo etiam Deus oſtendit, ſuorum ſalutem atq; incolumitatem adeo curæ eſſe, vt etiam iuratorum ipſius hoſtium corda ad beneuolentiam ipſis exhibendam flectat atque dirigat.

PH. Intricatæ ſunt de Inſomniis eorumque interpretatione ſententiæ. Circumferuntur de interpretationibus ſomniorum libri fictitii Abrahami & Salomonis, & libellus ſomnialis, qui Danielis Prophetæ nomine falſo venditantur, de quo agitur in Decreto Gratiam, *cap. non obſeruetis.* Superſtitioſum etiam eſt conſilium Sineſii, quo ſuadet, vt quiſque ſibi ſuis ex ſomniis, cum eorum quæ poſtea perpeſſus eſt collatione, artem quandam coniectandi conficiat: quod inutile ſtudium vanumq; commentum accurate iam pridem, Franciſcus Picus confutauit.

Nec

Nec tamen propterea cum Xenophane & Epicureis cuncta ſomnia contemnenda ſunt; ſed neque cum Stoicis omnia indiſcrete ſomnia tanquam certorum quorundam euentuum neceſſario ſignificatiua, obſeruanda ſunt.

EQ. Sumatur ergo in rebus atque euentibus ambiguis interpretatio ab experientia. Cum enim natura nihil faciat fruſtra, etiam ſomnia fruſtra atque ſine ſingulari præſagio in natura ſeſe exerere, credibile eſt. Verbi igitur gratia, ſumatur interpretatio ex quodam more ac conſuetudine, ſic radi caput, religioſum eſt monachis, id enim moribus ipſorũ atq; regulis eſt omnino cõſentaneum; ergo ſi monachus id ſomniet ſibi accidere, proſperum erit ſomnium. Sin vero id ſomniet aliquis coniugatus, præſagium dicent eſſe infauſtum: quia coniugatis dedecoroſum, ſic raſo vertice incedere. 2. Ex vocabuli ſignificatione; veluti audit quis vel legit Serapidis nomen, morietur; quia Serapis idem qui Pluton & Orcus. 3 Ex rei ſignificatu Hieroglyphico; vt ſi quis ſibi viſus ſit cathena ad templum alligari; fiet ſacerdos, & illi templo ſeruiet æternum. 4. A fabuloſis narrationibus: veluti viſus eſt ſibi aliquis vagus in Iſthmo filiolum ſuum quærere, peribit filius merſione, iuxta fabulam Melicertæ. 5. De aliqua ratione aſtronomica vel phyſica longe petita, veluti ſomniauit ſe lumen à luna petere; cæcus fiet, quia luna proprio caret lumine. item videtur quis in ſomnis manus vrſæ habere; damnatus ad beſtias, & ad palum deligatus, ab vrſo deuorabitur. cur? quia vrſus intra ſpeluncam latitans ori manum inſerit, & veluti adedens exſugit, indeque ſumit nutrimentum.

PH. Puerile eſt, mireque ridiculum, in conſequentiam ſubito trahere id, quod vni aliquando caſu accidit, quaſi ex vno atque altero particulari exemplo certos canones atque regulas vniuerſales liceat extruere, cum infinita adduci poſſunt exempla, vbi euentus inſomniis non reſpondit; id quod omnium logicorum regulis repugnat.

TH. Etiam præſagientia ſomnia, etſi picturæ ſunt euentuum, tamen coniectationum interpretationumque affirmatio prohibita eſt, cum dicitur, Deut. 18. *Non inuenietur in te qui obſeruet ſomnia.* Proinde euentus Deo commendari debet. Non enim vult Deus ad ſomniorum & ſimilia terriculamenta cohorreſcere, vt Ethnicos, Dei & promiſſionum diuinarum ignaros, ſed vult nos ad ipſum cõuerti, & ab ipſo ſolo fide, cogitationibus, conſiliis precibus ac ſpebus pendere totos. Cæterum ita ſunt obſeruanda ſomnia, vt ſi obſcœna illa ſint, ſtudia vitamq; noſtram melius inſtituamus. Si ad puſillanimitatem, deſperationem, vel quod aliud adigunt vitium, procuranda nobis ſunt remedia, quibus liberemur.

PH. Eſt interdum quædam naturalis extrinſeca ſomniorum cauſa, quando nimirum dormientis imaginatio ab agente extrinſeco mouetur, huiuſmodi agens eſt duplex, alterum eſt aer ambiens, alterum impreſſio ſiue influxus corporum cœleſtium. Sicut enim corpora cœleſtia ſuo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum plãtarumque gignunt: ſic influendo in phantaſiam quæ organis corporeis eſt immerſa, poſſe à cœleſtibus corporibus produci ſpecies imaginabiles, effectui à corporibus illis cælicis promananti conformes, non eſt negandum. Quo fit, vt quædam ſomnia & ſpecie & euentu abſque ſignificatis ſint læta, proſpera, ac ſalutaria; quædam vero è conuerſo ipſa ſpecie ſint terribilia, triſtia aduerſaque, pariterque minitentur atque incutiant mala. Inſuper quędam ſpecie ipſa blanda, exitu vero ſint triſtia denuncientque atque afferant mala. Demum quædam ſpecie quidem horrendum quiddam per ſe ferant, ſignificatis vero & e-

uentu læta ſint atque fælicia. Eſtque apud coniectores obſeruatum, ſæpe ſomnia contrarios euentus ſortiri: flereque, vapulare, iugulari, ſpoliari, & compilari, obuerſatum in ſomnis, proſperos euentus facere: contra vero ridere, exilire gaudio, ſuauiter conuiuari, frui re Venerea, donari auro, damna ac detrimenta afferre.

EQ. Hæc per naturam ac pro vario aſtrorum influxu ita immitti ſomnia ex dictis veſtris intelligo. Quid ergo prohibet, quo minus ex eadem natura etiam ſignificatio iſtiuſmodi inſomniorum naturalium eruatur. Si enim ex curſu aſtrorum de futuris tempeſtatibus poteſt elici coniectura ac diuinatio quædam, quidni etiam id fieri queat ex curſu atque influxu ſomniorum, quippe quod homo eſt microcoſmus, id eſt, paruus mundus, quæcunque ergo obſeruantur in maiori, illa in minori etiam mundo obſeruari poſſe veriſimile eſt, præſertim cum propinqua magis ſint ſenſui atque intellectui noſtro ea quæ in minori quam quæ in maiori, (quippe longe lateque diffuſo) mundo ſunt atque continentur. Non ergo omnino explodendus eſt conatus eorum, qui interpretationes ſomniorum ex aſtrorum, ac præſertim Lunæ, quæ humorum eſt quaſi dominatrix, influentiis eruere ſedulo ſtudent; cuius generis eſt hoc quod vobis exhibeo, ſchema, quod ſomniorum aliquot ſpecies continet, quæ vt plurimum ſomniantibus obueniunt, & ſi quis ſomnij ſignificationem ſcire deſiderat, in calendariis anniuerſariis ſignum exquiret, quod tum temporis luna pertranſeat.

⁂

PH. Mirifice confundis terminos. Aliud enim eſt loqui de interpretatione ſomniorum circa corporalia, aliud circa fortunæ bona; illam concedo atque approbo, hanc damno atque improbo. Ac ſane, modo diſſimulare aliquid hac in re tibi non conſtitutum eſt, verum fateberis quod dicam: Reſponderit equidem vnica forſan vice, ſomnii euentus, interpretationi, quæ pro curſu lunæ tabulæ tuæ inſerta eſt; nonne decies viciſſim fefellit, ſpeque metuve fruſtraneo te multoties deluſit. Omninoque perinde eſt ac ſi quis de teſſerarum iactu proſpero glorietur, eo nimirum, quod decies vel duodecies iactæ numerum maximum pro ratione teſſerarum exprimant, nulla interim habita conſideratione, quod toties incaſſum teſſeras proiecerit. Ad eundem modum inſulſa atque ridicula eſt omnis illa gloriatio de exacta illa ſcilicet ſomniorum interpretatione, quæ vbi decies feſellit, tandem aliquando qualitercunque, admodum tamen obſcure, euentui reſpondet.

Quod vero ad ſignificationes ſomniorum phyſicas, attinet, quæ vt plurimum de corporis humani diſpoſitione ſiue ſana ſiue morbida, deque eiuſdem complexione haud obſcure teſtificantur atque prænunciant, eas concedo atque approbo. Prout enim corpus hominis vel inedia exhauſtũ, vel crapula repletum eſt, vel humore aliquo nimis prædominante ægreſcit, vel alio interiore vitio laborat; ex his cauſis vel pacata, vel turbida, vel multiformiter varia ſomnia naſcuntur. Quibus ſanguis eſt copioſior, roſas ſomniant puniceas, crocum, hortos, conuiuia, choreas, complexus, aerem, volatum & læta omnia. Phlegmatici, mare, aquas, balnea, nauigationes, ſubmerſiones, onera grauantia, tardam & impeditam à noxiis fugam. Cholerici, colores flauos, rixas, pugnas, incendia. Melancholici, fumos, caliginem, tenebras, vagationes per loca ſola, nocturnas oberrationes, tetra ſpectra, mortes, triſtiaque cuncta. Quibus veſica humore plena, ſomniant de lacubus, fluuiis, imbribus,

Digitized by Google

adi-
us
is in
na.

acr

bribus,

Digitized by Google

bribus,& ſomniando nonnunquam impluunt ipſi in ſauanas. Quibus dominantur ſinceri purique ſucci;putant in ſomnis volutari ſe inter odoratos ſuaueſq; floſculos:contra in ſordidis, cœno, cloacis, cadaueribus verſari ſeſe, quorum in corpore humores fœtidi putridique coaceruantur.

Quibus affecta ſunt, vel obſtructa poſteriora cerebri, humore viſcido (quem morbum ἐφιάλτην vocant & incubum) velut premi ſeſe, ac ſtrangulari imaginantur in ſomno. Quibus vitioſis oſculum ventriculi confertum eſt humoribus, ex aſcenſu venenatorum halituum, afficientium cerebrum, tetris vexantur ſomniis & terrentur inuſitatis pauoribus.Scribit Galenus, quendam cum ſomniaſſet alterum crus ſibi factum lapideum mox ea corporis parte paralyticum exſtitiſſe. Eadem cauſa tam vehemens quandoq; eſt & accelerata; vt quando quis ſomniat aliquid ſibi accidere, id reuera tunc illi accidat.

Huc referendum,quod Hippocrates *lib.de inſomniis*;mortuos,inquit,videre puros in ſomnis,in veſtibus albis, bonum eſt,& accipere aliquid ab ipſis purum, bonum eſt,Sanitatem enim ſignificat corporum,& ſalubritatem ingeſtorum. ***Et paulo poſt eodem libro.*** Mortuos ipſos nudos ſi quis videat, aut nigris veſtibus indutos, aut non puros, aut aliquid accipientes, aut ex domo portantes, non eſt commodum.Morbum enim ſignificat;quia quæ in corpus ingeruntur,nociua ſunt. Cumque animæ phantaſmata corporis diſpoſitiones effingant, mirandum non erit, ſi medicus ægrum de inſomniis interroget, ex iis enim humores in corpore redundantes & peccantes facilime dignoſcet, autore Galeno *lib.1.Epidem.com.3.* Et Rhaſes *in 3.ad Almanſ.c.204.* Si quis,inquit,ſe volare ſomniauerit,& inuadere ſicut accipiter,& capere,ſiccitatis monſtrabitur receſſus atque humorum leuitas & ſubtilitas.Si quis ſe quaſi ab aliquo aggrauari ſomniat,repletione laborare oſtenditur.Et paulo poſt: Qui autem in ſomnis videt, quod quaſi incedat per hortos, bonum habentes odorem, æqualitas humorum ſignificatur, & à putredine quod ſint remoti. Per loca vero anguſta ſi quis ſe ambulare conſpicit, inſtrumenta anhelitus grauem pati ægritudinem demonſtrantur, quæ ipſi tantam aeris quantitatem attrahere vetant, quanta ei eſt neceſſaria. Hæc Rhaſes. Magna igitur cum ratione monet Hippocrat.*6.Epid.par.8.*quæ per ſomnum accidunt,nec non inſomnia diligenter Medico eſſe conſideranda. Atque eouſque ſe extendit ſomniorum interpretatio, intraque has metas atque cancellos includi neceſſe eſt.

TH. Eſt nimirum, hoc ipſum ſingulare Dei donum communicatum ſingulari beneficio diuinitus,quod non commentitiis opinionibus deformare,ſed illuſtrare nos,expolire & augere decet diligentia,& meditatione. Atq; huius generis ſunt etiam omnes aliæ prædictiones phyſicæ,extructæ ex cauſis phyſicis,perpetua experientia comprehenſis, quas carere omni ſuperſtitione manifeſtum eſt. ***De prædictionibus Phyſicis in Medicina.***

PH. Eſt igitur diuinatio quædam phyſica, quæ ex cauſis ratiocinatur de effectibus, ſeu quæ ex cauſis vniuerſali experientia certo cognitis ac confirmatis, extruit prędictiones de ſecuturis effectis,quibus reſpondent euentus niſi impediantur diuinitus,vel aliis cauſis fortioribus ac potentioribus; & ea cum luce naturæ aperta, tum ordine diuino in natura conceſſa eſt homini. Exempli cauſa: Laſſitudo, languor, & ſenſus debilitatis in artubus, ſigna ſunt ſecuturæ ἀρθρίτιδος, *morbi articulorum.* Dyſenteria, ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt. Traiectiones aeris ſiccitatem indicant, quæ ſi ad vnam partem ferantur, ab angulo illo ventum: ſi in diuerſas partes ferantur, aquarum imminutiones,

aeris

aeris turbationes, exercituum incurſiones indicant. Atra bilis incipiente dyſenteria effluens, lethale ſignum eſt, quod acredine ſua exulcerationem efficiat in inteſtinis à Cancro non differentem. At cum Cancer in exterioribus conſiſtens, aut omnino non aut perquam difficulter curari poſſit, quanto magis, vbi inteſtina occuparit, immedicabilis erit, cum nec medicamenta recte adhiberi nec ſectiones, vſtionesve tentari poſſint, & ab excrementis illac tranſeuntibus, continuo irritetur. Sic de cæteris.

EQ. Scripſit Petrus Holzemius Dauentrienſis, Medicinæ Doctor integrum tractatum, duobus libris comprehenſum, de prognoſi, ſiue præſagiis ac prædictionibus vitæ & mortis, longitudinis & breuitatis, reſolutionis & permutationis morborum. Scripſit etiam Iacobus Albertus, Medicus Phyſicus Vindon tractatum, de ratione, dignoſcendarum ſedium male affectarum, & affectuum præter naturam; atque in ſpecie: quomodo ab actione læſa ab excrementis, à loco & ſitu, à propriis accidentibus à calore, à frigore, à ſiccitate, ab humiditate, à colore, ab odore, à ſono, à iuuantibus aut lædentibus membrum male affectum cognoſcatur. Quibus item ſignis externi tumores præter naturam internoſci poſſint; quibus ſignis affectus cutis, tumores interni, interna vulnera, vlcera, oſſium continuorum diſſolutio & ſi quæ ſunt alia, dignoſci poſſint.

PH. Medico cumprimis neceſſaria eſt diuinatio phyſica, quam *σημειωτικὴν* dicunt, quæ conſiderat ſigna, arguentia in ſanis valetudinem aut firmam, aut affectam, & labentem in deterius, & totam collapſuram, niſi præſidiis iuuetur & fulciatur: in ęgris vero conſiderat actu iam affligentes morbos naturæque cum morbis certamina ac conflictus, ſecuturas mutationes in melius deteriusve, & reſtitutionem vel interitum; & extruit inde prænotiones & prædictiones de morbis imminentibus atq; oborituris, de conualeſcentia, de vita & morte, de inuaſuris cum morbo aut aliquanto poſt ſymptomatibus. Ad quæ certe ſigna Medicum oculis atque animo maxime attentum eſſe oportet. Sed hæc Medicis indaganda relinquemus. Illud duntaxat dicere volui, non minimam prædictionum atque ſignorum naturalium partem Medicos, idque iure, ſibi vendicare. Cæterum ex Meteorologicis quoque multæ prædictiones huc referri poſſent; Sed quia de illis peculiari colloquio antehac egimus, proinde actum denuo agere nobis religio erit. Agemus igitur nunc porro de phyſiognomia & Chiromantia, quippe quæ & ipſæ cauſis quibuſdam conſtant naturalibus, modo recte vſurpentur, atque ex iis diuinationes Phyſicæ extrui poſſunt.

De prædictionibus Phyſiognomiis.

Verum enimuero, vt notarum ſignorumque in corpore humano ſenſibus ſubiectorum plura ſunt ac diuerſa genera: ſic artium quę illa conſiderant, æſtimant atque interpretantur, non vnum genus. Aliæ notæ integram aut affectam valetudinem referunt ac declarant; aliæ congenitam toti corpori, vel præcipuis partibus temperiem, naturæque robur ac firmitatem, vel languorem atque imbecillitatem detegunt; aliæ inſitas à prima origine inflexiones propenſioneſque ad certa morum, actionum, ſtudiorum, affectuum genera, vel abditos animorum ſenſus affectioneſq; & à natura conſtitutiones ac conformationes arguunt, & ceu aperiunt ac produnt. Aliæ naturæ ductus atque impulſus ad felices euentus ac proſperos, aut contrarios præſenſionesve & vim futuri præſagam patefaciunt.

EQ. Non tamen ex vnico ſigno quicquam temere affirmandum; ſed inquiſitis collatiſque pluribus explorandum, quæ conſentiant, quæ diſcrepent, quę item arguant,

guant, quæ contrarium declarent. Sique omnia vel plurima vni ſignificato ſuffragentur, certius pronunciari poteſt; ſi vero vnius duorumve monitis cætera refragentur, cohibenda eſt aſſertio, vt recte Ariſtoteles monet.

TH. Multum refert, ad quæ quis ſtudiorum genera, ad quam viuendi rationem ſit aſſuefactus, quove modo ſit informatus à teneris. Nam & diſciplina, cum nævi à natura inſiti eluuntur, aut corriguntur, aut retunduntur: tum, quę eadem natura adiumenta largita eſt, augentur ac roborantur: etſi quæ corpori forinſecus impreſſa ſunt lineamenta, exteri & amoueri nequeunt: &, conſuetudine contracta ac durata, tam pertinaciter ſæpe infiguntur atque inſidunt, vt, ceu ſuppreſſis & obſcuratis naturalibus, ſola emineant ac dominentur: & conſilio, arte, ac ſimulatione aſcitis, naturæ indicia tegi poſſunt, atque occultari.

Zopyrum Phyſiognomonem legimus, Socratem, cum habitum corporis inſpexiſſet, ſtupidum pronunciaſſe, & bardum, quod iugula concaua non haberet, obſtructas eas partes, atq; obturatas eſſe dixit, addidit etiam mulieroſum: in quo, Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe, cum in eo nihil horum obſeruatum eſſet. Nam, & errata naturæ emendarat, &, ex naturalibus cauſis, nata vitia edomuerat ac compreſſerat voluntate, ſtudio, ac diſciplina, ad eum modum, vt nemo vnquam in eo vllum eorum veſtigium viderit. Noui ipſe quoſdam ſimulationum artifices, qui, cum res poſcit, exuere naturam priſtinam, & aſſumere nouam, eamque, tanta fingere calliditate queunt, vt connatam quis non aſcitam eſſe putaret.

Talis fuit etiam infelix ille Iudas Iſcariota, Saluatoris noſtri proditor nequiſſimus. Huius enim Phyſiognomia cum fuerit: oculi acuti, naſus aquilinus, & in fine acutus, labia tenuia, ad dentes & gingiuas retracta, (vti D. Ioannes Taiſnerus Mathematicus expertiſſimus eam ex antiquis ſcriptoribus allegat) hominem proditorem facile quidem notat; quod tamen ille veteratorie adeo celare potuit, vt cæteros omnes Chriſti diſcipulos idipſum, antequam proditionem perpetraret, latuerit. Ac ſane concedendum eſt, Phyſiognomiam, ſi conſiſtat intra cancellos naturalis Philoſophiæ, licitam eſſe, & habere aliquid probabilitatis. Nam & in ſacris literis Phyſiognomice virorum robuſtorum facies dicuntur ſimiles faciei leonum. *1. Paralip. 12.* Item quod in facie prudentis lucet ſapientia, oculi vero ſtultorum in finibus terræ, *Prouerb. 17.* Et ſapientia hominis lucet in vultu eius, *Eccleſ. 8.*

PH. Multa ſcripſerunt autores de Phyſiognomia, artiſque huius fundamenta varia commenti ſunt. Primum petitur à quadam cum animantibus ſimilitudine, verbi gratia, qui paruis ſunt oculis inuidi cenſentur, quia ſimiæ tales; qui magnis, ſtupidi, ſicut boues & aſini. ratio eſt: quia cum Deus auctor naturæ gnarus eſſet, qua quodque animal indole dotaſſet, ſingulis etiam ea addidit inſtrumenta, quæ huic indoli forent quam aptiſſima. ferocibus, vt leoni, apro, tauro, vngues, dentes, cornua, timidis ac fugacibus, vt lepori & ceruo, artus celeri fugæ neceſſarios, fortibus araturis, vel onera baiulaturis, toros, gibbum, dorſi, humerorumq; robur, vt camelo, boui, equo & reliquis veterinariis. Idcirco quaſi ex ſigno & à poſteriori (vt loquuntur ſcholæ) animantium indolem ex ipſis inſtrumentis corporeis, quibus à natura ſunt prædita, colligunt.

Secundum fundamentum à moribus gentium atque prouinciarum deſumitur, quæ cum certo ſint corporis habitu, vt plurimum quoque ingeniis moribuſque

buſque diſcrepant: verbi gratia, Phyſiognomi definiunt nimium fuſcos, ſtupidos ac pertinaces eſſe, quoniam Æthiopes ſunt huiuſmodi.

Tertium à ſexu, verbi gratia, quia mulieres candida vtplurimum & molli ſunt cute, eædemque ſunt pauidæ ac leues, ideo candidos & molli cute, moribus obnoxios iiſdem cenſent. Huius ſecundi & tertii fundamenti ratio ducitur à complexione. cum enim eadem temperies ſimul cauſa ſit cutis huiuſmodi & motum huiuſmodi: ratiocinantur, in quocunque cutis ſit talis, talem eſſe temperiem, quare ab eodem, eiuſdem temperiei ratione, ſimiles mores exſpectandos.

Quarto rimantur affectus animi, à motu membrorum & corporis affectionibus: tale illud Hippocratis, Oculi non nictantes ſunt iracundi: quoniam irati fixis & immotis oculis intuentur. Sic ratiocinabatur Salomon, *Prouerb. 6. v. 12.* dicens, *Homo Apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malũ.* Et Eſaias *c. 3. v. 9. Agnitio vultus eorum reſpondit eis.* hoc eſt, vultus exterior eorum, ſecreta cordis patefecit. ſic argumentatur Martialis, quem vetuſta exemplaria neſcio cur vocent Martialem Cocum.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Quintum fundamentum petunt ex collatione ſignorum cum ſignis, & ex quibuſdam alia colligunt, verbi gratia, inuidiam ex iracundia, cui triſtitia & animi prauitas ſit adiuncta.

Veruntamen non diutius his immorabimur. Extant enim de Phyſiognomia tractatus admodum prolixi, quos qui volet conſulat. Progrediamurque ad Chiromantiam huic cognatam.

TH. Phyſiognomiæ aliquid tribuo vti ex me audiuiſtis, at Chiromantiæ fere nihil tribuendum putem; laborat namque vtplurimum veſania mathematicorum de aſtrorum influentiis, quo nomine ſuſpecta admodum redditur.

PH. Aliquid tamen de illa attingemus, ne omnino nihil dixiſſe videamur. Non enim omnino ſpernenda eſt. Recentiores igitur manuum inſpectores, tum monticulis ſingulis præficiunt Planetas, & de characteribus illis impreſſis, ea pronunciant, quæ ſunt naturæ Planetarum: tum plures notant lineas, alio diſcrimine, quam veteres. Pollicis tumulo Martem alii, alii Venerem imponunt. Sub indice Iouem, ſub medio Saturnum: ſub annulari Solem, ſub auriculari Venerem, alii Mercurium collocant: pectus ſiue montem manus exaggeratum, quod ipſis eſt tuberculum manus ferientis, Lunæ dedicant: Trigonum ſeu triangulum, in vola, Marti alii, alii Mercurio aſſignant.

Lineas partiuntur bifariam, in principales, & minus principales. Vtrarumque differentiarum quinque ſpecies faciunt. Principales ab ipſis numerantur: *καρδιακὴ* ſeu vitalis: *ἡπατικὴ* ſeu media naturalis: *κεφαλικὴ* ſeu capitis linea: Thoralis, ſeu menſalis, ſeu media: Diſcriminalis, ſeu reſtricta, ſeu Draconis cauda.

Καρδιακὴ, cardiaca, pollicis montem includit & complectitur, *ἡπατικὴ, hepatica,* ſub radice indicis, ab eodem cum Cardiaca principio exordiens, in mediam manum deſcendit. Cephalica, ad tuberculum ferientis vtique aptata trigoni figuram complet. Thoralis ab eo, quod indici & medio intercedit ſpacio, fere ordiens, tuberculis trium digitorum medii, annularis, & auricularis, oblique deorſum & tranſuerſim procedens ſubtenditur, dirimenſque ad radicem minimi elatiorem

eius

eius thorum à tuberculo ferientis, in extremam manum, verſus exteriora finitur. Reſtricta adiuncturam, brachialis & poſtbrachialis, deſcendentes terminat lineas,& finit ſubiectum, artis.

Minus principales cenſentur, Via Solis, Via lactea, Via combuſta, Cingulum Veneris,Linea Martis. Via Solis, à tuberculo annularis,cui Sol præſidet,de *χειρομάντων, diuinantium ex manibus*, decreto, recte deorſum in cauitatem protenditur. Lactea,à diſcriminali,ſurſum, ſecundum tuberculum ferientis porrigitur. Combuſta, per medium volæ triangulum enitens conſcendit ſurſum, in tuberculum medii, aut, priuſquam eo pertingit, deficit. Eadem,ſi integra fuerit,& non interciſa,Saturnia vocatur, quod tunc Saturno addictum collem occupat.

Cingulum Veneris, hemicyclii figura, ab interſtitio indicis & medii,per Saturni collem, ad medii & annularis interuallum vſque obtenditur.

Linea Martis, in pollicis eminentia, vitali lineæ *παράλληλος, ex altera parte reſpondens*,eſt.

Vocantur hæ minus principales, quod, nec omnium manibus inſunt, nec ita conſpicuæ exiſtunt, cum adſunt: & ſignificatis multum cedunt illis principalibus, quæ, quod euidenter in omnium comparent manibus, etſi ſpecie variant, & ſignificata non obſcura habent, hanc apud artifices meruerunt cognominationem.

Præter lineas haſce, reperiuntur pene, in ſingulis collibus,& alii characteres, à natura artium formatrice, ex minutarum linearum ſegmentis & ductibus varie poſitis, & commixtis inter ſeſe, variis figurati ſpeciebus, quorum inſigniores notarunt atque explicarunt artifices.

Signa ergo, ex quibus, de compage corporum, deque præcipuorum membrorum conſtitutione,& moribus animi,propenſionibuſque,atque euenturis in vita caſibus,tanquam oracula promunt *χειρομάντοι, contemplatores manuum*,ſunt inciſuræ internæ manus conſpectiores,tum in monticulis ex lineis exilioribus & tenuioribus conſtituti characteres. An præſtent hoc,quod de illis ſpondent & affirmant artifices,videndum.

Variant,autem pæne in ſingulorum manibus plus minuſve, non ſpecie,quæ in omnibus eadem eſt, ſed accidentibus. Aut enim expreſſæ, amplæ, profundæ, in longum,tractu continuo productæ ſunt, rubentque, vel liuent, vel pallent, vel nigricant, vel alium præ ſe ferunt colorem: aut contra obſcuræ ſunt, minutæ,mutilæ interruptæ,in fibras & capillamenta tenuia ſparſæ, conciſæ, plus in aliis,in aliis minus. Præterea cum ipſis ſeſe corporibus proferunt,etſi in tenellis infantum manibus fere,rugarum copia obſcurantur,præſertim quæ natura exiliores ſunt: certoque durant tempore,&, ætate ingraueſcente,ſenſim attenuantur, tandemque à ſiccitate,cute tenſa,&, ceu compage membrorum laxata, euaneſcunt, velut extritæ,aut obliteratæ: denique vehementioribus morbis, aut abolentur,aut comminuuntur, adeo vt ſenſum fugiant.

Ergo,cum tot formentur diſcriminibus, non (vt ita dicam) ſpecificis, ſed accidentariis: ſtatiſque ac certis oriantur & intereant temporibus,& cum naturis corporum commutentur,abſolutis iis emergant, vigentibus niteant,marceſcentibus extabeſcant,vergentibus ad interitū exoleſcant, ægritudine oppreſſis afficiantur: non temere exiſtunt,aut fortuito, ſed à natura ceu inſculpuntur cuti tunc, cū hæc muſculis tendinibuſq; eorundem poſtbrachiali exporrectis arctiſſime obducitur

& coaptatur, ad eum modum, vt fiſſuris ſubiectarum partium, & coalitibus ex qui ſite incumbat, congruat, atque inhæreſcat.

Cæterum docet & hoc experientia, certas lineas certis congruere principalibus in corpore membris, deque eorum conſtitutione, temperie, virtute, affectionibus, robore, vel imbecillitate, aptitudine, ad morbos argumenta continere non leuia. Alia cerebri, alia cordis, epatis alia naturam refert atq; exprimit, huius conſenſionis & fœderis, quæ ſit alia cauſa, non video, quam quod venarum, arteriarum, & neruorum propagines, quarum ex principibus tribus membris origo, varie in ſummam cutem explicantur: Vnde & deferunt eo ex fontibus hauſtam atque acceptam vim, & ibidem conſtitutiones affectioneſque eorundem promunt potius, quam alibi, quod ea ſola pars maxime *εὔκρατον, temperatam*, & omnium exuperantiarum exquiſite mediam naturam habet, vt, canonis & normæ vice, à Galeno proponatur, ad quam, ſi reliquarum partium craſes comparatæ penſitentur atque examinentur, deprehenditur, quanto abſint interuallo, ab hoc exactiſſimo temperamento: quod ipſum, nec caſu, nec ſine cauſa factum.

Quæ de ceterorum characterum argumentis vſu comperta, & obſeruationibus tradunt, etſi cauſas eorum non perſpicio, tamen, cum abſque euidenti ratione, conſeutienti experientiæ refragari, temerarium ſit, non ſperno: quanquam viciſſim, neque omnes commenticias approbo interpretationes quarumlibet notarum. Sed experientiam voco, rerum deſignatarum, cum notis ipſis, regularem magna ex parte congruentiam, deprehenſam inſtinctu ductuque naturæ attenta conſideratione, ſecundum leges artis, longo vſu, ex plurimorum euentuum collatione, abiis, qui natura valent & arte, qualem Coclitem Chiromantem fuiſſe, accepimus.

Quanquam autem fateor, in hac parte, vt tota reliqua phyſica, neutiquam omnium, quæ longus patefecit vſus, cauſas veras intelligi: tamen eruditæ experientiæ, quæ ratione & arte euentus notatos examinat, non captat aut arripit fortuita quæuis, & peritorum artificum conſentientibus obſeruatis aſſentior, & acquieſco; & chiromantiam inter diuinationum Phyſicarum genera colloco, nimirum quatenus intra phyſicas verſatur metas, neque his egreſſis, prolabitur in impoſturas. Eas enim ab omni diuinationum genere procul ſeparo, & exploſas volo in vniuerſum.

EQ. Multa congerit experimentorum chiromanticorum exempla D. Ioan. Taiſnerus in immenſo illo ſuo opere chiromantico, quibus tamen recenſendis ſuperſedeo, quippe quod vobis etiam me non recenſente ſatis nota ſunt. Et quia liberum cuique iudicium de Phyſiognomia ac Chiromantia relinquitur, ego materiam hanc ridiculo concludam certamine, quo Mopſus & Calchas aliquando contenderunt, vter ipſorum in vaticinando peritior eſſet. Hi ambo poſt Ilium euerſum in contentionem venerunt de ficu agreſti, quotnam ficus haberet; reſpondit Mopſus, decem millia, medimnam vnam & ficum præterea. Illis igitur collectis, ita reipſa numerus, vt dictum fuerat, inuentus eſt. At contra interrogatus Calchas de ſue prægnante prætereunte, quot geſtaret in vtero, & quando eſſet paritura, & quibus ſignis, obmutuit. Mopſus vero, decem, & inter hos vnum tantum marem geſtare in vtero dixit, & eſſe cras parituram initio horæ octauæ, & marem totum nigrum, ac tres fœminas tranſuerſe albam lineam ſupra humeros habituras, è reliquis duas roſtrum album ad oculos vſq;, reliquas poſteriora crura

ſiniſtra

finiſtra ab vngula ad genu vſque. Calchas, vbi res poſtridie eius diei ita eſſe fuiſſet comperta, mæroris impatiens vitam finiuit. Num id Mopſus habuerit ex porci Phyſiognomia, aut Chiromantia, aut alicundecunque, ipſe viderit ac decernat.

TH. Ego vero illud à doctis ingeniis excogitatum de Momo Ethnico, reprehenſionis Deo vſurpo, quod opifex ille hominis, quum cor condidiſſet receſſibus & cauis occultum & celandis fraudibus idoneum, non feneſtram addidiſſet, quo perſpici poſſet, quid in his ſpecubus lateret. Adeo enim occulti ſunt hi ſpecus, vt ipſe etiam homo plerumq; ignoret, quid in eis ſit abditum, errante videlicet conſcientia humana. Vnde Sapiens miratur cor hominis abditum & inſcrutabile: Faciem hominis, inquit, intuentur homines, ſed ſpecus illos penitiſſimos cordis ſolus Deus introſpicit. Ea quoq; omnia proferentur in die.

PH. De Phyſiognomia & Chiromantia quamplurima haberem, quæ plauſibiliter in medium afferre poſſem, ſed quia video, vos præiudiciis occupatos, adeoq; ſemper aliquid ſubeſſe vanitatis ſuſpicari, proinde, ſi placet ad prædictiones Aſtrologicas nos cõuertemus. Quemadmodum igitur Aſtronomiæ recte inter diſciplinas mathematicas decernitur locus, & illas quidem, quarum ſubiecta ſenſibus expoſita & materiata ſunt, quæ Ariſtoteles mathemata phyſicæ conſiderationi magis propria facit, è quorum etiam ſunt numero, mechanica, optica, canonica, logiſtica, geodetica: Sic diuinatio Aſtrologica iure ſibi inter doctrinæ phyſicæ genera locum vendicant. Scrutatur enim, & inueſtigat, & quantum imbecillitas retuſæ acici mentis humanæ concedit, vel præmonſtrat, vel demonſtrat, cauſas mutationum ac motuum, itemque naturalium facultatum & imbecillitatis, in his, ex elementorum coalitu conflatis corporibus, remotiores, & quarum è cœlo origo eſt, atq; à virtute luminis cœlo delapſi, & ad quos vſus ac fines tot cœli lucidiſſima corpora, tanta luminis, molis, & motuum varietate, tanta perfectione atque conſtantia ſint condita, exquirit ac declarat, quæ, vel ocioſi ornatus cauſa, vel, vt vacuam Mundi immenſitatem, ocioſo infarctu explerent, tanta ſapientia fabrefacta eſſe, ac diſtributa, Cyclopum, imo furioſorum hominum eſt dicere.

TH. Sed enim de huius doctrinæ certitudine, omnibus temporibus variæ fuerunt, diſcrepanteſque ſententiæ. Aliqui derogata ei omni veritate, atque artis detracto titulo, totam artium numero excluſerunt, imo, ex rerum natura relegarũt, tanquam quæ ſeſe præſtigiis, ad veritatis quidem ſpeciem ſcite adornatis, ſed alienis tamen à veritate, venditet atque inſinuet. Nonnulli contra, omnium humanarum rerum publica & priuata fata, quæ quiuis ſcire deſideraret, in hoc oculis noſtris obtenſo cœlo, & illi affixis ſideribus, conſignata eſſe tanquam tabella, & inde depromi ac proferri ab eruditis poſſe affirmarunt, nihilque tentandum inchoandumve cenſuerunt, niſi conſultis aſtris, nec ea, quæ gerenda ſuſciperentur, procedere, ſortirique optatos euentus, niſi aſtra annuerent, ac ſuffragarentur.

PH. Certe veram Aſtrologiam, quæ pars eſt Phyſicæ, inueſtigans cœleſtes & remotiores cauſas mutationum, naturæ inferiori euenientium, à primis obſeruatam, ac poſteris traditam eſſe parentibus, mihi dubium non eſt. Cum enim perſpicerẽt illi, conſequerenturq; quamuis hebetata, acutiore tamen ac vigentiore mẽtis acie, rerũ naturas, in toto Mundi ſyſtemate, quam nos, quorum caligant oculi, ætate Mundi, ceu ſenio hebeſcentes, & aliis de cauſis, diligenter, & quo conſilio cœleſtia corpora hac condita ſubſtantia, his expolita formis, hoc collocata eſſent ordine, & quibus conuerterentur motibus, quantoque tempore, periodos obirent

rent ac conficerent ſuas, notarunt. Motibus deprehenſis, conuerſionumque perceptis ac definitis temporibus, naturas deinde, vires, atque effectus ſcrutati ſunt, Sympathiaſque, cum natura inferiore, qua lege, deuincta cœleſtibus inferiora cohærerent, quod è cœlo vis motrix, in elemēta deriuaretur: Iter Planetarum ſignarunt, idque, collectis in duodecim imagines ſtellis inſignioribus, atque effectu differentibus quæ eum tractum obſident, in duodecim partes, duce & magiſtra Luna diſpeſcuerunt, atque vniuerſim in toto conſpicuo, ac noto hæmiſphærio, ſingulares ſtellas, poſitu vicinas & inſignes viribus, in certas coegerunt ac digeſſerunt effigies, vt obſeruari agnoſcique poſſent.

Procedente ætate, cum ſua culpa petulanter degenerarent homines, & à maiorum d. flecterent veſtigiis, vt cetera ab iis, & ex natura, diuino acumine eruta atque expreſſa, & ſapienter alioquin inſtituta, vel neglexerunt, vel deprauarunt: ita hanc quoque pulcerrimam Phyſicen corruperunt, abuſu pæne deformi, cum, ſine Deo, dubiis animis, ſpeque ancipiti fluctuantes, ſuæ imbecillitatis cogitatione, & reformidarent aduerſa omnia, ac pertimeſcerent, & ſuſpirarent proſpera, quærerentque quæuis harum ſolicitudinum, ac perturbationum *παραμύθια, alleuamenta & ſolatia*, ſeu vera, ſeu falſa. Nec deſtitit autor ſuperſtitionum Diabolus iacta ſemina, pabulo ſuppeditato, fouere & amplificare.

Quanquam igitur ea, quæ à primis fuerunt obſeruata ac tradita patribus, amiſſa, & ingeniorum noſtrorum aciem ita retuſam atque attenuatam fateor, vt non amplius ipſas ſtellarum penitiores naturas peruideamus: tamen nondum tota eſt mutata rerum natura. Cient, gubernant & dirigunt mutationes ſtellæ, in elementari natura, eadem vi, qua initio, à lapſu primorum parentum, aut, ſi languidiore (vt omnino exiſtimo) non tamen ex toto mutata. Languet vis mentis noſtræ, ſtupent ſenſus, torpet intellectus; attamen tantum adhuc reliquum nobis, vt quos, quouis poſitu ſtellæ, effectus edant, prænotare, & ſimiles ex ſimilibus conſtitutionibus ratiocinari ac prædicere poſſimus; & alius alio ſagacior eſt, atque argutior in coniectando.

De prædictionibus aſtrologicis.

Atque vt inde ordiar, quod vel indoctis notiſſimum eſt, Solis circuitu, acceſſu receſſuque diurno & annuo, gratiſſimas & naturæ neceſſarias temporum vices, hyemis, veris, æſtatis & autumni, dierum & noctium effici, variarique pro ipſius ad terram habitudine, atque à punctis verticalibus diſtantia, quis non intelligit? etſi cauſas rationemq; nō peruident omnes. Quid de Tropicis Caneri & Capricorni, Zonisque torridis, temperatis ac frigidis dicam, quæ à ſolarium radiorum rectitudine aut obliquitate definiuntur, &c.

Quid de Luna? hæc terris proxima, manifeſtius in terrenā influit: creſcens humiditates & cōmouet & affundit corporibus, quas repetit & abſorbet marceſcēs.

Luna augeſcente, liquores in plantis & animantibus exuberant, pleno orbe fulgente, vigent: deficiente, minuuntur, interlunio, cum ipſa lumen omne à terris auerſum cœlo regerit, arent. Hæc cum vſu didiciſſent agricolæ, aptiſſime tempora ſationum, admiſſionis pecudum ad coitum, incubationis auium domeſticarum, ſectionis lignorum, vel vrendorum, vel ad ſtructuras adhibendorum diſtribuerūt.

Eadem luna horoſcopum conſcendente, maria tanquam impulſa exæſtuant [illegible] tumeſcunt, decumbente conſidunt rurſus & cōquieſcunt; idq; cum in ipſo [illegible]tur, tum viciſſitudine exundantium & refluentium ac reſidentiū flu[illegible] oculis. Ad Londinū Britanniæ, Tamaſim quinquaginta, à mari

Digitized by Google

Italicis milliaribus: ad Hamburgam, quæ veterum Gambriuiorum ſedes eſt, Albim octodecim ab Oceano milliaribus: Ad Antuerpiam Scaldim itidem milliaribus circiter octodecim, regurgitari atq; augeſcere, & effluere, mari accedente, & hoc reciprocante, diminui & relabi intra alucos, iiſdem, quibus mare, vicibus, accolis notum eſt. Vehementiſſimos habet æſtus Oceanus, mitiores mare mediterraneum: nullos Helleſpontus, & Pontus Euxinus, Liguſticum, Balthicum & Caſpium, maria. Bis die noctequе effuſum reſorptumque alternat Siculum mare, ad Scyllæ & Charybdis cauernoſos ſcopulos. Septies Chalcidicum, ad Eubœam, Euripi alternantibus refluxibus notum ac celebre. Sed hæc nautis relinquo.

Cæterum, quum obliquo Solem circuitu oporteret quatuor anni cardines diſtinguere & temperare, quo variaret illos qualitatibus attemperatis neceſſariiſque toti inferiori naturę particulatim; & vero tantam ſua vi varietatem efficere nequiret ſolus: Deus naturæ conditor totum iter eius, ex diuerſarum naturarum ſtellis, nō confuſis ſine ordine & diſcrimine, ſed, miranda ſapientia, alternatim diſtributis conſtruxit, & huic vicinos vtrinq; tractus ſimilium naturarum ſtellis compleuit, vt excitæ à vicino Sole, ceu aperirent atque exererent ſeſe, præſtarent operam Soli, & auxilium, in temperanda viciſſitudine conueniente.

Frigidam cœli conſtitutionem, ſqualidam, inimicam naſcentibus adfert Sol, vbi limitem ſui à nobis receſſus occupat remotiſſimum in Capricorno, quę durat, dum, & hoc ſignum, & Aquarii priora peruagatur. Inde, verſus Septentrionem, curſu inuerſo procedens, circa mediam Sagittarii regionem & Piſcium, aſteriſmū, quæ ſigna humidiora ſunt, &, natura flatuoſa, cum directiorum, in ſubiectas terras radiorum alliſu, tum ſtellarum, & in his ſignis conſiſtentium, & coorientium, Pegaſi, Perſei, Andromedæ ope, teporem afflat aeri blandiorem & euidentem, fuſiſque, qui conſtiterant, humoribus, ac terra laxata, & illis diluta, aut ex niuibus pluuiisve liquore aſperſo, fœcundorum Fauoniorum crebriores elicit ac producit flatus, quibus terram vegetat ac fœcundat.

Vbi hæc emenſus tranſit in Arietem, ſuperata Zodiaci & Æquatoris ſectione, propius ſubiectæ terræ incumbens, radiis eam ſuis premit vrgetque fortius, acuentibus vim eorum ſigni ſtellis calidioribus natura. Quare: dum redundantes noxioſque terræ liquores, validiore depaſtu exhaurit, atque abſorbet, reliquos, cum aridioribus glebis miſcet exactius, tum ſubſolanos ventos aridiores, prouocat, qui ſuperfluum humorem abſumant ac diſſipent, vt proſcindi terra, conſeri, & occari poſſit. Nam & inundati aquis agri exerceri non potuiſſent, & innatans aquarum copia, cum mandata terræ ſemina, tum fœtus arborum, enectura fuiſſet.

Rurſus, ne terra, caloribus continuis & flatibus arefacta, ſemina deſtituat, & plantas: Pleiadum Hyadumque in Tauro, & à Septentrione Hœdorum, à Meridie vicini Orionis, atque ex aduerſo decumbentis Arcturi extimulat vires, quæ ſidera turbulenta natura, tum Auſtrinos ac humidos flatus exuſcitant, tum aliquot dierum continuis pluuiis & condita ſemina, & enatam ſegetem, plantaſque vniuerſim omnes rigant. Quia vero, non ex ſolo humore, ſed humido calidoque mixtorum origo, (abſque calore enim fouente, digerente, ac ſuſtentante, humor putreſceret) è veſtigio, à Tauro digredientem Solem excipiunt Geminorum ſtellæ, quæ cum eo calorem, non vrentem, ſed temperatum fœcundum, & conuenientem naſcentibus atque augeſcentibus rebus procreant.

Poſtquam creuerunt in feſtucam herbæ, iamque ariſtas exerunt, & granorum formant

formant initia: cumque arborum flores in fructum abierunt paulatim grandeſcentem; humore rurſus opus eſt, qui ſi deficeret, iuſtam nunquam adipiſcerentur magnitudinem. Eum Cancri pluuioſæ ſtellæ, quaſi euocatæ Solis acceſſu, promunt ac ſuppeditant.

Ne his omnibus abſolutis, maturatio deeſſet (quæ ſi non accederet, perirent naturæ opera, quantumuis exquiſite elaborata) ideo Cancro Leonis æſtuans atq; vrens ſuccedit ſidus, cui, ceu ſatellites præſto ſunt Canis vtriuſque flammeæ ſtellæ, quæ, vibratu radiorum propinqui Solis ictæ incenſæque exardeſcunt, & augent, atque intendunt Solis ex propinquo verticibus imminentis ardores. His quicquid eſt, reliquum ſuperflui humidi in terra ipſa, & terra natis, exugitur ac diſcutitur, reliquum maturatur. Hi ipſi ardores luxuriem minuunt vitium, & vuas excoquunt, &, ſi nimii ſunt, exuſtis, ceu quodam vredinis carbone vitibus, malum infligunt illud quod carbunculum vocant: Vnde Canicula, vt decretorium vuis ſidus carbunculare vocatum eſt.

Ne vero animantium corpora nimium vrant, prolicit Sol Eteſias vocatos ventos, qui, cum ipſo naſcentes atq; aſpirantes, leniunt interdiu æſtus, moderato flatu, & frigidiuſculo, Soleq; rurſus abeunte, deſinunt.

Poſt demeſſas, perceptas, & reconditas fruges, tempus appetit ſationis leguminum, milii, panici, item raparum, & aliorum huiuſmodi, ac vindemiæ, in regionibus calidioribus. Verum, quia præcedentibus æſtibus terra torrefacta, ſi araretur, non cohæreret, ſed comminueretur ac ſpargeretur in puluerem, iniectaq; ſemina, aut non admitteret, aut admiſſa, contectaq; non vegetaret: exucca enim eſſet, ac retorrida: idcirco, extremo à Leone digreſſu mox commouet Sol, tum Virginis ſignum natura humidum, aquoſum, & ventoſum, tum Arcturi vicinum ſidus, tempeſtuoſis effectibus inſigne ac celebre, &, de congregatis, horum vi, nubibus fundit aquas pluuias, quibus puluerulenta terra permadeſcens glutinatur, arentes, ac corrugatæ vuæ reficiuntur, atq; augentur.

Conſitis leguminibus, calore temperato opus eſt, vt germinent & matureſcant: in frigidioribus regionibus eodem vina indigent, & fructus: celeriorem enim autumnum, calidiora loca habent, fructuumq; alii aliis citius, & propemodum, ſub ipſam meſſem, ad maturitatem perueniunt. Talem præſtat Sol, euocatis flatibus fœcundis & temperatis, Libræ ſtellis in auxilium accitis, mox vbi alteram vtriuſq; circuli ſectionem conſcenderit, & ad medium eius acceſſerit.

Excipit leguminum meſſem, ac tardiorem vindemiam hyberna ſatio, cui terram & fatigatam, atq; exhauſtam æſtiuis laboribus, & deſiccatam multo æſtu, emolliunt, ſubigunt, ac præparant cum Sole Scorpii ſtellæ, & contrarii atque orientis Solis aduerſis radiis depreſſæ ſub occaſum, irritatæq; Hyades, Pleiades, & Orionis, Hœdorumq; aſteriſmi ſeu conſtellationes.

Ne vero ſubruta occultataque ſemina repentinum frigus occupet & perimat, auxilio calidi Sagittarii, Sol id arcet ac ſuſpendit, donec; actis firmatiſq; radicibus, contra cœli & frigoris iniuriam, ſe muniant. Adeo euidens eſt, ac certum, ab his ſtellis Sole extimulatis hanc, quam annuatim experimur, viciſſitudinem effici, vt colonis etiam, & nautis, obſeruationes temporum Pleiadis, Hyadum, Orionis, Hœdorum, & Arcturi, in ore ſint, & vſu.

Nec terra prouenientibus ſolum, ſed & animantibus ea neceſſaria fuit viciſſitudo. Non enim, aut continuos ardores, aut vrgentia acrius & inſtantius frigora aut

aut ſine intermiſſione, vel delabentes aquas, pluuias, vel exundantia flumina, vel vniuerſim madentem vberius aerem, arentemve, perferre poſſent, ac perpeti. Conſumerentur æſtu, frigore enecarentur, vberiore humore perfuſa & obruta putreſcerent, deficerẽt ariditate, quod experientia docet. Quare variatis vicibus, ſi quid illatum nocumenti eſt animantibus antegreſſo exceſſu qualitatum, id corrigitur ac reſtituitur contraria vi ſequentium.

Eaſdem vices, menſtruo ambitu Luna parit, iiſdem excitis, atque in auxilium aſſumptis ſtellis. Potiſſima eius vis in Tauro Cancroq;, quæ ſidera permeans, niſi fortes admodum, validæq; renitantur atq; obſtent cauſæ, efficaciſſime educit, cogit, ac denſat nubes, indeq; aquas pluuias extillat. Quam varie, mutatis ſubinde hoc circuitu ſedibus, & in alios atq; alios ſex Planetarũ radios poſitusq; incurrens, terrena afficiat omnia: vel ſola ratio dierum monſtrat Criticorum eorumq;, quos ἐπιδήλους, *indices*, vocant.

Quam præclare commendato ſibi diuinitus perfungitur munere, cum gratiſſimis vicibus nocturna variat ſpacia, vt Sol diurna? In pleniluniis enim, quibus totas ſupra terram noctes eminet ætate, gelida aura impreſſum aeri arcet atque elidit feruorem lenitque ex æſtu contractas moleſtias: hyeme, tepidiore aere mitigat rigorem frigoris, ſcilicet, quod ęſtiuis pleniluniis procul abit aduerſa Soli, hybernis, per æſtiuum circulum accedit propius, conſtitutione diuina.

Errantium ſiderum, quæ peculiaribus, ſupra infraq; Solem volutata orbibus, cum antecedunt, comitantur, adeunt, ac ſalutant, intuentur aduerſum, ſuprema præſertim, & aduentantem, velut ex faſtigio ſuorum epicyclorum, repentia deorſum excipiunt triquetris, tetragonis, & ſexangulis radiis, abeuntem proſequuntur iiſdem, paulatim ab imis ad altiora ſcandentia.

Atque hinc diuerſi illi effectus euentusq; ad diuerſas & inſignes errantium ſiderum ſub octauo orbe congreſſiones & configurationes, prout vel fauſtis ſe mutuo felicibusq; complectũtur radiis, vel feriunt infeſtantq; minacibus ac hoſtilib. proque habitudine ad ſubiectas terras, cumq; iiſdem familiaritate & congruentia, ratione ſignorum, in quibus conſiſtunt. Hinc eſt, ꝙ quandoq; feruet aer, & aridis completur halitibus. Terra nata flacceſcunt & in rugas cõtrahuntur, criſpanturq; arborum folia: animantium corpora æſtuant & arent, calidiorib. planetis ſub cœli octaui ſideribus feruidis, coeuntib. Quandoque impetuoſius venti irruunt, viq; maiore in terras incumbunt, præcipue eas quas aliqua familiaritate Zodiaci ſidera complectuntur; Planetis flatuoſis flatuoſa ſidera occupantibus. Quandoq; turgeſcunt flumina, & aquarum cœleſtium aut maior decidit copia, pluribus diebus, aut affatim confertimq; ruit cum impetu, ſimul aquea ſigna, humidioribus Planetis, aut permeantibus, aut vibratu radiorum pulſantibus.

Interlunio nata pleraq; imbecillia ſunt, arida, exuccaq;, & calorem, non temperatum, nec blandum, mitemq;, ſed acrem atq; excedentem adipiſcuntur, membraq; præcipua affecta habent omnia. Hoc cum agricolis exploratum ſit, ſtudioſe vitant, ne matricibus gallinis oua incubanda interlunio ſubiiciant.

Eſt enim Sol πηγὴ τῆς ζωτικῆς, *fons vitalis*, Luna τῆς φυσικῆς δυνάμεως, *naturalis facultatis*. Cum ergo in coitu, Luna lumen omne à terris auerſum cœlo regerat, nõ deſtituit tantum humores inferiorum corporum, ſed & arefacit ac deſiccat. His ſicceſcentibus, mox calor aridiori infixus materiæ, intemperatior, aridior, acriorque euadit, vritq; & conſumit, cum inſitum, quo continetur, vehitur & alitur, tum ad-

Digitized by Google

aduenticium omne, ac, depaſto abſumptoque, ceu glutine ſolidiorum partium, ſenium interitumque accelerat: & leui occaſione, ſi idonea concipiendæ flammæ adhibeatur materia, incenditur & efferueſcit adeo, vt igneſcat.

TH. Sane, iucunda atque vtilis eſt hæc de influentiis cœleſtib. cognitio, quippe è qua prædictiones Phyſicæ potiſſimum profluunt. Nec dubium eſt, primum noſtrum parētem Adamum hanc rerum cœleſtium diſciplinam perfectè calluiſſe, qui etiam, referente Ioſepho, ea quæ longo ſtudio atque obſeruatione animaduerterat, ne ex memoria hominum dilaberentur, duabus columnis inſculpi curauit. Scribit itidē Ioſeph. *lib. 1. antiq. c. 4.* poſteros Seth inſignem doctrinā de motu cœli inueniſſe, & poſtq̄ ab auo Adamo audiuerint, mundum interiturū primum aqua, deinde igni, duas lapideas tabulas fabricaſſe, vnam ex lapide viuo, & alterā ex lateribus coctis, quib. obſeruationes aſtrologicas incidi curauerint, vt hoc pacto hæc præſtantiſſima ars contra vim tam ignis, q̄ aquæ integra conſeruaretur, ac poſteritati traderetur. Sed & Beroſus Ioſepho antiquior ſcriptum reliquit, non tantum ſanctos patres in prima ætate ſideralem ſcientiam à Deo acceptam excoluiſſe & amaſſe, ſed etiam poſt diluuium Noham, Abrahamum, Iacobum, Ioſephum, Patriarchas ac Prophetas omnes, recurſus aſtrorum exactè nouiſſe. Cui Beroſo Attica ciuitas magnū Aſtronomiæ ſcientiæ teſtimonium reddidit, ſtatuamq; in Gymnaſio poſuit inaurata lingua, ob certiſſimum euentum eorum, quæ prædixerat.

Dauid regius Poeta carmen conſcripſit, in quo cœlum quaſi expreſſiorem imaginem ſapientiæ & maieſtatis diuinæ inſculptam habens in medium adducit, & tanq̄ volumen expanſum, omniumq; hominum oculis expoſitū proponit, in quo gloriam, hoc eſt, ſapientiam, potentiam & bonitatem Dei ita deſcriptam contineri affirmat, vt ab omnibus etiam literarum ignaris deprehendi eius veſtigia queant. Id vero vt planum faciat, omiſſis cæteris illis cœleſtibus gloriæ diuinę præconibus, vnius Solis mentionem facit, quo mundus hic aſpectabilis nihil habet pulchrius, vſuque nihil præſtantius.

Iobus vir ſanctus & in ſchola pietatis exercitatiſſimus *cap. 9.* inter alia ſapientię & potentiæ Dei opera, Solem & tria ſidera inſignia producit, quorum in ciendis tempeſtatibus aut inſignibus aeris mutationibus efficiendis vis maxima eſt: adeo vt Poetæ Ethnici hęc ipſa ſidera non tantum ab agricolis ſed nautis quoque obſeruari velint. Noti enim ſunt verſus Homeri, Heſiodi & Virgilii, de Pleiadibus, Orione & Arcturo, quorum ortus & occaſus niſi obſeruētur, nunq̄ rectè fieri ſationem aut nauigationem inſtitui feliciter affirmant. Imo vero Deus ipſe Iobum *c. 38.* compellans, & humanas vires extenuando, ſuam è regione potentiam extollere volens, hæc ſidera, quorum mentio facta eſt, in medium adducit, maximasq; illis vires aſcribit, vt, ſi nulla humana potentia vel vnius ſideris vires infringere aut impedire poſſe Iobus videat, fruſtra quenquam cum Deo contendere, aut fiducia virium ſuarum ſuperbire intelligat. Nunquid, inquit, cohibebis delitias Vergiliarū? aut contractiones Orionis aperies? Delitias attribuit Vergiliis, quod ſuo ortu annū aperientes, & aerem remota hyemis aſperitate alterantes, ver delitiarum plenum adducant, hominibusque voluptates concilient. Orion contra oriente Scorpio è regione ſub terram deſcendens omnem illam voluptatem & delitias ſecum aufert. Ideo terram conſtringere, omnesque herbas & fructus quaſi intus cogere ac prohibere dicitur, ne ſic totos dies abſente terra quicquam ad vſus hominum proferat: vnde poſtea hic menſis, quo coſmice occidit Orion, Hebræis dictus eſt Ciſleu, id

leu, id eſt, Orioneus, quod hoc tempore ſuum velut dominium Orion exerceat, & ſuas in occludendis terræ viſceribus vires inprimis exerat. Non ergo exiſtimandum, ſidera tanquam otioſa corpora cœlo affixa hærere; nam & Chriſtus ipſe non otioſa eſſe, aut vago tantum motu circumferri corpora illa lucida oſtendit, dum *δυνάμεις τῶν οὐρανῶν* ea alicubi vocat; ſed & in ſtatione ſtellas eſſe aſſidue & veluti exercitus inſtructos ad exequenda Dei iudicia paratas, inque agendo maxime *ἐνεργεῖς*, & efficaces eſſe demonſtrat.

PH. Fuit hoc ſtudium apud ſummos reges ac Principes in magna ſemper exiſtimatione. Commemorat Arrianus, Eclipſin Lunæ viſam eſſe paulo ante prælium Alexandri & Darii ad Arbelam, & Alexandum veritum, ne ſibi infortunium portenderetur, ad id auertendum ſacrificaſſe Soli, Lunæ & terræ, tanquam cauſis harum Eclipſium. Id quanquam errore ab eo eſt factum, vt qui falſam Numinis placandi rationem iniret, tamen res oſtendit, eum non tantum de motibus corporum cœleſtium, ſed & de effectibus eorundem fuiſſe edoctum, longeque melius de his artibus ſenſiſſe, quam Pericles Athenienſium dux, qui quum ſub maritimæ expeditionis tempus Sol interpoſitu Lunæ eſſet obſcuratus, & gubernator claſſis vna cum cæteris eo tanquam omine ſiniſtro eſſet conſternatus, vt cauſam eſſe naturalem huius Eclipſis oſtenderet, & metum inde militibus adimeret, chlamydem oculis præfecti obiiciens, & viſum impediens, nunquid mali alicuius hoc eſſe ſignum putaret, interrogat: illo negante, reſpondet, nihil eſſe diſcriminis inter hanc quæ chlamydis obiectu, & alteram quæ lunæ interuentu facta eſſet, Solis aſpectus inhibitionem, niſi quod quo maior chlamyde eſſet luna, eo pluribus Solis conſpectum illa adimeret. Sed infelix expeditionis euentus oſtendit, nequaquam fuiſſe hoc cœleſte ſignum *ἄσημον*. Nam & exercitum lues inuaſit, quæ magnam partem abſumpſit, & ipſe Pericles re infecta domum reuerſus, in tantum apud Athenienſes, ob rem male geſtam venit odium, vt & imperium ei adimeretur, & inſuper magna pecuniæ ſumma mulctaretur.

TH. Nunquam innoxie vel ſuam abſcondit Sol faciem Lunæ contectam interuentu, vel iacturam facit Luna luminis hebetati vmbra terræ. Nec veterum vt citemus annotata, opus eſt: vſurpemus ea exempla, quorum recens in hominum animis viget memoria. Quantos incendit æſtus, quamdiu flagrantes, Solis ſub Ariete, anno quadrageſimo? Quos motus, in orbe terrarum cōmouit, cum hęc Solis, tum altero anno poſt, Lunę Eclipſis? Nata ex illis, & propagata ſunt ſemina malorum omnium, quæ nunc cum noſtras vrgeant ceruices, & vitæ, fortunisq; minitentur, imo intentent atque inferant perniciem, euidentius ſentimus, & ferimus, ac deploramus acerbius.

Quantas lites, quam ſuperba diſſidia, & occulta odia, inſidiasq;, quam violenta conſilia ſeuerint ſtruxerintq;, quæ bella indixerint, quæ pericula nocumentaq; frumētoſ fructibusq; crearint, deliquia anni quadrageſimi quarti, cum Luna tota, atra caligine, ter fœdum in modum deformaretur, Sol plus deunce ſui orbis obfuſcaretur, adeo, vt in quibuſdam locis interdiu ſtellę illuxerint, ac conſpectæ ſint: eo ipſo, & ſequentibus annis, ex euentu didicimus.

Conſpicuis admodum, ſe ſe declararunt effectibus deliquia luminum, quæ in annum inciderunt quinquageſimum. Tota Luna, in terræ vmbram deuoluta, euaneſcebat, Februario menſe, cum Piſcium ſidus haberet Sol, & ibidem adeſſent Soli, curſu æquales, Venus ac Mercurius, omnes triquetro feriret radio Mars

 ex Can-

ex Cancro. Vix eluctata ipſa ex vmbra, lumen amiſſum recuperarat, cum ſubito flumina, velut ab imo ſcaturientibus & vrgentibus aquis aucta, vicina quæque opplerent longe lateque: nec ſtatim defluebant, aut ſubſidebant rurſus, ſed duos propemodum integros conſiſtebant menſes.

Auguſto menſe, Sol occultabatur beſſe propemodum ſui corporis. Mox tanta ſequebatur ariditas, vt & profundæ ſicco tranſirentur paludes, & terra nata labaſcerent, & fructus, vuæque, marceſcente humore, corrugarentur.

EQ. Qui vero fit, quod portentoſa ſunt ſolis lunæque deliquia, ſingulareſque caſus atque euenta triſtia præeant, cum non contra vſitatum naturæ curſum, nec ſecundum inſuetiorem minusq; ordinariam rationem accidere ea luminib. conſtet, ſed ex lege & conſecutione motuum neceſſaria?

TH. Fateor, ex conſtanti motuum lege, eripi oculis noſtris alterutrius luminis ſplendorem, quotieſcunque circa ſuarum abſidum commiſſuras coeunt, vel inter ſe opponuntur, tam certo tamque neceſſario, vt ſex menſium interuallo, alterutrum; Solis vero conſpectum etiam, intra ſeptem mẽſium periodum, vni terræ tractui bis adimi poſſe, & ratio doceat, & compertum ſit. Fater & hoc, τὸ διότι, *cauſam propter quam*, ſignificationum effectionumque, à priori, ſeu ex primis, & natura notis principiis exacte, vt Geometrica, oſtendi non poſſe, Quare, cum ea deſint, inſiſto reliquis duob. *τεκμηρίοις, indiciis*, eruditæ ac veræ experientiæ, & verbo Dei. Obſeruatione longa euentuum conſecutorum ad Eclipſes, atque inter ſeſe congruentia eorundem deprehenſum eſt, quas clades, quibus gentibus minitẽtur, quouis poſitu & quauis habitudine, atque applicatione ad cętera cœli ſidera vaga fixaque, ac cardines.

Cumq; hæ ipſæ effectiones cęteris viribus ſtellarum, ſimili exploratis notatione conſentiant: detrectare eas, aut contemnere, audacis eſt, atque improbi.

Nec dubium eſt, ad deliquia pertinere præcipue, quod in Geneſi dicitur: *Erunt vobis in ſigna* Cum hoc munus luminibus attribuiſſet Deus, vt præeſſent diei & nocti, Sol, tum fugatis abactisq; tenebris, grata, ac diurnis operibus neceſſaria luce, terras perfunderet: tum interdiu vegetaret, & afficeret terrena cuncta lumine & calore viuifico: Luna, tum caliginem noctis nimiam diſcuteret, tum ceu rigaret, diurno calore pluſculum deſiccata corpora: ſi quid functionem hanc impediret, extincto vel obumbrato lumine alterutrius, id ſigni loco accipi voluit ac conſiderari, non Epicureo contemptu rideri atq; exibilari. Nam ſi *ἄσημον, ſignorum expers*, eſſe voluiſſet, ad eum modũ curſus luminis vtriusq; dirigere potuiſſet, ne quid tale accidiſſet vnquam: ſed, vt quouis interlunio, longo interuallo, Solem Luna præterueheretur, quouis pleniſunio, declinaret vmbrã terræ, quod quidem & nunc ſæpe fit, ideoq; deliquia rarius recurrunt: Quanquam frequentiora multo, tetrioraq; aſpectu nos cernimus, quam vidit vetuſtas, quæ ob raritatem, quotieſcunq; alterutrũ euanuit ſubito, obſtupefacta, atq; in ſolicitudinẽ anxietatemq; redacta, tota tremuit horruitq; metu offenſi numinis, &, poſthabitis reb. omnibus, tota exquirẽdis placationib. Deorũ, eluendis noxis, amoliendis, quæ intentarentur, cladibus, dedita fuit, atq; intenta. Nobis ita obſtupuerũt & occalluerunt animi, ad conſpectũ ſenſumq; pœnarum, ac minarũ cœleſtium: ita obſurduerunt aures, vt, cum & cõminationes diuinæ aſſidue aures circumſonent, & acerbæ triſteſq; clades, ac cladium præuia ſigna, oculos & corpora feriant animoſq;, nulla tamen ex illis oboriatur cogitatio, de ſeria reſipiſcentia. Idcirco, & ſigna repetuntur crebrius, & cumulantur pœnæ.

PH. Icti

PH. Icti nimirum ex infauſtis Eclipſeon, qui ſemper inſecuti fuerunt, effectibus; ſapuerunt viri Principes; vnde non tantum Eclipſes atq; huius generis aſtrorum affectiones, verum etiã dies ſtatos ac tempora attente obſeruarunt. Hinc Meton filius Pauſanię ἐννεαδεκαετηρίδα, hoc eſt, vt nunc vſitate loquimur, Cyclum decemnoualem, quem aureum numerum appellamus, inuenit. Caius Iulius Cæſar annum inſtituit, quo nos hodierno die vtimur, qui Iulianus appellatur. Hippolytus Epiſcopus & Martyr primo inſtituit & deſcripſit circulũ Paſchalem, quomodo is ex Lunæ motu & aureo numero colligi poſſit, poſt natum Chriſtum 228. vt Iſidorus teſtatur. Alphonſus X. electus Romanorũ Imperator, Rex Caſtiliæ & Legionis, tabulas Aſtrologicas continentes motus orbium ac Planetarum, quæ ipſius nomine circumferuntur, magnis ſumptib. edi curauit, atq; idem maiorem fere Aſtronomiæ, quam regno operam dedit: videbat enim plus ex ea gloriæ ſe conſecuturum, quam ex ipſa regni adminiſtratione. Carolus Magnus cum cæteras Philoſophiæ partes, tum vero inprimis Aſtrologiam atq; doctrinam de motibus & viribus corporum cœleſtium didicit à præceptore ſuo Alcoino. Nam & Ephemerides eum computaſſe ſcribunt, & anni menſibus & ventis nomina impoſuit, quorũ aliqua vſus hucuſque retinuit, & vt venationibus deditus fuit, cum foris eſſet, ita domi aſtrorum contemplatione ſtudioq; delectabatur.

EQ. Sed & Poetæ Planetas eorumq; domos, exaltationes & caſus, itemq; menſium labores, diuiſionem anni, mẽſium dierumq; qualitates ac proprietates, quæque huc pertinent, vario carmine complexi ſunt. Menſes, anni & ſigna, in quibus ſol verſatur; ſolſtitia item & æquinoctia hoc carmine comprehenduntur.

Martius atque Aries producunt tempora veris.
Aprilis ſecum torui fert cornua Tauri.
Floribus adducit Geminorum ſidera Maius.
Solſtitium æſtiuum Cancri fert Iunius axe.
Quintilem menſem Leo feruidus igne perurit.
Auguſto meſſes tecum trahis aurea Virgo.
Æquat September noctes examine Libra.
Scorpius Octobrem pugnax iubet ire minacem.
Exerit Arcitenens medio ſua ſigna Nouembri.
Solſtitiumque affers hyemis Capricorne Decembri.
In medio Iani madidi ſtat ſidus Aquari.
Procedunt duplices in Februa tempora Piſces.

Hæc vero quæ nunc recitabo diſticha, ſingulorum Planetarum domos, exaltationes, & caſus complectuntur.

Saturni domus eſt noctis Caper, Vrna diei,
Huic dolor eſt Aries, gloria Libra ſeni.
Iuppiter Arcitenentis habet cum Piſce ſagittam,
Cui tamen in Cancro ſors bona, iniqua capro.
Sed Martis domus eſt Aries & Scorpio pugnax,
Huncq; Caper tollit, Cancer ad ima premit.
Sol habet hoſpitium ſibi ſolus in æde Leonis,
Atq; illi eſt Aries gloria, Libra dolor.
At Venus in Tauro Libraq; per atria verſat,
Piſcibus exultat, Virgine preſſa iacet.

Mercuriusq; habitat Geminorum in ſede triumphat
Virgine, & eſt maſtus Piſce adeunte caput.
Luna domum Cancri tenet: illam Taurus honorat,
At ſupra hanc verſans Scorpio ſorte premit.

PH. Scholaſticalia ſunt hæc, & vel Grammataliſtis nota, quæ in tanto aſtraliũ cognitionum flore parum habent momenti. Proferamus ergo potius in medium mirabiles prædictiones inopinatorum euentuum diuerſorũ Aſtrologorũ omnium temporum, quas deſumpſerunt vtplurimũ ex hora ortus vel figura natiuitatis. Nã hoc nomine Aſtrologia ſemper fuit habita admirabilis; hinc namq; Octauius Auguſtus tantam fiduciam arti Aſtrologicæ habuit, vt thema ſuum vulgauerit, nummosq; argenteos nota ſideris Capricorni, quo editus eſt, cudi fecerit, deſcriptumque ſtellarum ordinem, ſub quibus natus erat, palam omnibus oſtenderit.

Adrianus Imp. ſingulis annis & diebus ſibiipſi præſcripſit prædictiones Aſtrologicas, easque illo anno quo è vita exceſſit vſque ad menſem tantum ſcripſit, quo deceſſit; ea re ſe menſem illum non tranſgreſſurum eſſe oſtendens.

Mahometes Secũdus eius nominis Turcarũ Imperator, Aſtrorũ præcipue obſeruator fuit, ita vt omnia acta agendaque ſibi ad eorum curſum inſtitueret ac referret, teſte Marino Barleto, vnde illum fructum tulit, vt duo Imperia Conſtannopolitanum & Trapezuntium ſubegerit, regna XII. rapuerit, vrbes CC. occupauerit, quemadmodum figura eius natiuitatis, quæ typis publice proſtat, inſignẽ felicitatem & multiplices victorias deſignat.

Fridericus II. Imp. Rex Neapolitanus, Aſtrologicos libros ex Arabica in Latinam linguam conuerti curauit, & Academiam Neapoli, in qua hi publice prælegerentur, inſtituit. Noti ſunt verſus quos ad Pontificem miſit:

Fata volunt, ſtellaq; docent, auiumq; volatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Spurina vaticinatus eſt Cæſari Iulio, eumq; monuit, vt periculũ caueret, quod vltra Idus Martias non proferretur, Cæſare illum Idibus Martiis aduentantibus tanquam diſcuſſo periculo deridente. Ipſæ, inquit, venerunt quidem, ſed non præterierunt. Cæſar eo ipſo die multis vulneribus in Senatu confoſſus periit.

Tiberius multos interfici iuſſit, explorato die & hora qua nati fuiſſent, atq; inde animaduerſa fortuna eorum & moribus. Didicerat enim fatum vniuſcuiuſq; ciuis primarii, ita vt Galbæ, qui poſtea principatum obtinuit, factus obuiam, quo die ille ſponſalia fecerat, dixerit: Et tu aliquando principatum deguſtabis: Cui propterea pepercit, vt Dion arbitratur, quod ei certum & fatale fuit imperium; vt autem Tiberius dicebat, propterea quod in ſenectute & longo tempore poſt ſuam mortem eſſet regnaturus.

Vitellius Aſtrologos ſe Imperatorem futurũ affirmantes irriſit, exiſtimans nequaquam ſe tanti fore. At eidem cum Imperator factus Aſtrologos expelleret ex vrbe, ediceretq; vt intra certum diem à ſe conſtitutũ ex Italia diſcederent, Aſtrologi contra in tabulis de nocte diem præſcribunt, intra quem exceſſurus eſſet è viuis; quod etiam accidit.

Veſpaſianum conuenit inter oẽs de ſua ſuorumq; genitura tam certum ſemper fuiſſe, vt poſt aſſiduas in ſe cõiurationes auſus ſit affirmare Senatui; aut filios ſibi ſucceſſores aut neminem, & cum filius Domitianus apud eum cœnaret, & fungos tanquam venenatos vitaret, irriſit illum pater dicens, à ferro eſſe cauendum.

Nerua vix mortem euaſit, ideo quod ab Aſtrologis Domitiano delatus fuit, quòd Imperatoriam geneſin haberet. Cum autem vnus ex illis affirmaret, eum non diu victurum, euaſit. His prædictionibus reſpondit euentus. Nam Nerua paulo poſt Imperator factus eſt, & vixit tantum vnum annum & quatuor menſes in imperio.

Leo ſiue Leontius Athenienſis, videns filiam ſuam magnæ cuiuſdam fortunæ compotem fore, illi tantum centum florenos legauit, reliqua bona filiis reliquit. Illa dolens Imperatori talia conqueſta eſt, ita placuit, vt cui ad cõnubium eius perueniret, coniuxque Theodoſii Valentiniani facta, baptizata, & Eudoxia nominata ſit.

Picus Mirandula edidit librum aduerſus Aſtrologos, hi vt artem veram oſtenderent, illi interitus ſui annum ex Aſtrologia indicarũt, nempe annum 33. quo periit, quemadmodum ex ſcriptis hinc inde editis conſtat. Bartholomæus Chaſſanæus audiuit, vt ipſe narrat, Mediolani, quod eximius Aſtrologus dixiſſet Duci Mediolanenſi Galeatio Mariæ Vicecomiti, ipſum ſcilicet ex vulnere periturum, quod eſſet ei proprius vaſallus inflicturus. Interrogatus à Duce, quo mortis genere ipſe Aſtrologus eſſet moriturus: qui cum reſpondiſſet, ſe in publico interemptũ iri ex trabe ligni cadente. Mox Dux ira accenſus illum decollari iuſſit: vt ex rei euentu euinceret, Aſtrologicam artem eſſe falſam. Cum itaq; interim pararetur locus, & campana ſolito more pulſaretur, vt populus concurriſſet, & traditus executori cum deduceretur ad locum, exeundo palatium ſub porta magna, quæ eſt ante Eccleſiam cathedralem, cecidit turris, quæ dictum Aſtrologum & carnificem cum aliis interfecit; & Dux Mediolanenſis in feſto S. Stephani, & in Eccleſia ipſi Sancto dicata, Mediolani vniuerſo aſtante populo & ipſius aulicis, interfectus multis vulneribus à proprio vaſallo.

Iohannes de Lignauo tempore Martini V. Papæ pater, præuidens ex genitura, filium cruci affigendum, volensq; fatali geneſeos diſpoſitioni ſuccurrere, eum ſacris initiari ac apprime erudiri fecit. Sed nec ſic quidem euitare potuit vim fati. Nã quum eum conciues ſui ad Martinum Papam ablegaſſent, rediens domum, propter legationem non fideliter tractatam, noctu à Magiſtratu Bononienſi ſuſpenſus eſt, quem quum eluceſcente die pater pendentem vidiſſet, plorans inquit: Heu fili mi, tu infeliciſſimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec diuinis miniſteriis ſuperare potuiſti.

Auguſti Imperatoris ortus incidit in eum diem, quo de coniuratione Catilinæ in curia agebatur. Quo cum tardiuſcule Octauius pater veniſſet, excuſaretque vxoris puerperium, P. Nigidius natali hora inſpecta, affirmaſſe dicitur, dominum terrarum orbi natum. Ipſe cum Apolloniæ eſſet, Theogenis Mathematici pergulam cum Agrippa aſcendit. Sed cum multa & magna Agrippæ prius conſulenti Theogenes prædixiſſet, metu ac pudore, ne minor in illo inueniretur, vix cõpelli potuit, vt ſuam vulgaret geneſin. Qua edita, Theogenes continuo exiluiſſe fertur, atque eum adoraſſe. Quæ res tantum illi fiduciæ attulit; vt ſuum poſtea vulgauerit thema, nummumq; argenteum nota ſideris Capricorni quo erat natus percuſſerit. *Sabellicus lib. 8. Ennead. 6. ex Suetonio*

Tiberius Cæſar in Rhodo inſula, artis Chaldæorum gratia, Magiſtrum Thraſyllum habuit. Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte ac liberti vnius conſcientia vtebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per auia ac derupta (nam ſaxis domus imminebat) præceſſerat eum, cuius artem experiri

Tiberius

Tiberius ſtatuiſſet. Et regrediētem, ſi vanitatis aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubiectum mare præcipitabat, ne iudex arcani exiſteret. Thraſyllus iiſdem rupibus inductus, poſtquam percunctanti Tiberio imperium & futura ſolerter patefecit, interrogatur, an ſuam quoque genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſiderum ac ſpacia dimenſus, hærere primo, deinde paueſcere: & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus, admiratione & metu poſtremo exclamat, ambiguum ſibi ac prope vltimum diſcrimen inſtare. Tū complexus eum Tiberius, præſcium periculorum etiam incolumem fore dixit. Die quodam cum eo iuxta mare deambulans, enixe vt meliora ſperaret, hortabatur. Tiberius vero cum contra ſentiret, & Auguſti vitrici ſui iram metueret, atque parum abeſſet, quin, vt erat ira ſuccenſus, eum in mare præcipitem daret: Thraſyllus aliquantiſper conſtitit, conuerſiſque ad mare oculis, vt Rhodum verſus venientem vidit nauem, affirmare auſus fuit, ea naui felicia Tiberio afferri. Naue in portum delata, literas ab Auguſto Liuiaque Tiberius accepit, quibus Romam reuocabatur. *Dion in Auguſto.*

Nero cum mane ante Solis ortum naſceretur, Aſtrologus quidam inſpecto ſiderum curſu, ſtatim reſpondit, hominem Romæ regnaturum, ſed occiſurum matrem. Quod cum Agrippa mater intellexiſſet, interficiat, inquit, modo imperet. Euentus Aſtrologum vera prædixiſſe declarauit. *Xiphilinus in Nerone.*

Aſcletarion Mathematicus ad Domitianum Imperatorem delatus, quod de eius exitu quædam prædicere eſſet auſus, cum ne inficiaretur quidem iactaſſe ſe, quæ ex arce prœuiſa ſibi eſſent, ira accenſus Domitianus; Dicas mihi, inquit, oportet, quis te tandem maneat exitus? affirmantem illum, fore vt breui laceraretur à canibus. Ad eleuandam ſcientiæ fidem confeſtim interfici iuſſit, corpuſque accuratiſſime cremari, ſepelirique cineres. Hæc ille. Sed fatum mutari nō potuit. Denſus imber cœlo deiectus, medio rogum miniſterio reſtinxit, cadauerque ſemiuſtū à buſtuariis relictum, qui in opertum refugerant, canum ſuperuentu cœptum eſt lacerari. Id ei cœnanti cum Latinus Mimus inter cæteras illius diei fabulas enarraret, ita commotus eſt, vt iam inde vitæ diffiſus omnibus viueret caſibus obnoxius. *Sabellicus ex Suetonio.*

Domitianus Imp. Mathematicis prædictionibus ad ſuperſtitionem vſque deditus, cum ſibi mortem inſtare cognouiſſet, pridie quam interfectus eſt, cum tuberes ſibi oblatos in craſtinum iuſſiſſet aſſeruari, illud adiecit: Si illis, inquam, vti licebit. Conuerſus inde ad eos, qui proxime ſteterant; Futurum eſt, inquit, vt cras luna in aquario cruentetur, exiſtetque facinus aliquod, de quo homines omnibus terris loquantur. Cæterum quia monitus fuerat, vt quintā illius diei horam caueret, ſollicitus perſeuerat aruſpicis cauſam audire, qui de caſu fulminis conſultus, mutationem rerum portendi dixerat. Cum igitur inter agendum verrucam in fronte ſcalpendo fregiſſet, fluxiſſetque ex eo attritu paululum ſanguinis; Vtinam, inquit hactenus. Tum horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, ſexta ex cōpoſito nunciata eſt. Ad eam vocem lætus, tanquam inſtans periculum euaſiſſet, ſurgens ad curam corporis feſtinaret, eum Parthenius cubiculi præfectus reuocauit, adeſſe nuncians, qui magnum neſcio quid afferret, neque id differendum. Summotis itaq; omnib. in cubiculum ſe recepit, vbi ſeptem vulneribus à Parthenio & coniuratis contrucidatus mortem occubuit, anno ętatis 45. ex quo imperare cœperat quinto decimo. *Sabellicus lib. 4. Ennead. 17.*

Braccius

Braccius Motonenſis Dux clariſſimus, hoſtis ſui Magni Sfortiæ in Piſcaria flumine ſubmerſi morte nunciata, defunctum exquiſitis veriſſimisq; laudibus proſecutus eſt. Neque vero tanto præſentis belli periculo liberatus, alacriorem vultũ militibus oſtendit, vtpote qui fatalis arcani conſcius ab Aſtrologis didicerat, Sfortiam violenta corruptum morte anteceſſurum quidem, ſed paulo poſt & ipſum, pari veluti ſorte, eandem exitus fortunam ſubiturum. Vix quintum ſuperuixit menſem, cum ad Aquilam per tredecim menſes fruſtra oppugnantem obſeſſamque, memorabili tandem prælio, Sfortiani militis gladio ſuperatus ac interfectus, & ſiderum & multorum Vatum fidem impleuit. *Iouius in vita Sfortiæ.*

Paulus III. Pontifex, Farneſius, cum Aſtrologiæ & Magiæ peritiſſimus eſſet, filio Petro Aloyſio, qui per vim Placentiæ & Parmæ tyrannidem inuaſerat, ſcribit vt decimum diem Septembris anni 1547. tanquam ſibi infauſtum caueret. Pater quidem monere potuit, at filius euitare periculum non potuit, quin à coniuratis Auguſtino Lando & Iacobo Scoto, Placentinis Comitibus in arce ſua colloquii prætextu interficeretur, & per pudenda diu ſuſpenſus, populo crudeliter dilacerãdus exhiberetur.

Plura huiuſmodi exempla poſſem adducere, ſed hæc ſufficiant. Conſtat autem ex hiſce, Aſtrologorum ex aſtris diuinationes magno loco habẽdas, quippe iuxta quorũ prędictiones multa ſupra vires noſtrę mortalitatis, multa pręter rationem, plurima præter ordinem & inſtitutum conditionis humanæ fieri videmus. Proinde recte cum Manilio dicere poſſumus: *Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege.*

TH. Noli altum ſapere; deſipies enim, & decipies te & alios ſi ita ſenſeris. Diſtingue terminos Aſtronomicos & Aſtrologicos. Aſtronomia conceſſa eſt, nititur enim vniuerſalibus veris & incommutabilibus principiis, & ſcientiam conſequitur futurorum artis ſuæ, veluti reuolutiones annorum, curſus ſiderũ, item naturæ ſolis & planetarum, eclipſeon, ſtationum, retrogradationum, aſpectuum, cõiunctionum, oppoſitionum, & ſimilium. Atque hinc ortæ Ephemerides, quę vulgo circũferuntur. Sed & Aſtrologia conceſſa eſt, limitata tamen & certis reſtricta terminis: quo longius enim à communibus illis Aſtronomiæ canonibus abit, & ad particulares ſingulareſq; euentus propius accedit; eo à ſcientia & certitudine longius recedit, & mendacio vanitatiq; ſe arctius adiungit.

PH. Concedo, Mathematicum in indiuiduis quandoq; hæſitare. Quod ſi vero de nullis particularib. Mathematico pronũciare licitum foret, quid ergo ipſi pronunciandum relinquetur? cum etiam ruſtici ex lunæ ſoliſq; prognoſticis diutius obſeruatis craſtinas prædicãt pluuias, futuros item ventos, atq; à qua ſint cœli regione flaturi. Si ergo hi de particularib. iſtis pronunciant, cur non & ipſe Aſtrologus dicere de futuris quibuſdam particularib. auſit. Sic Medici, quanquam multa in vniuerſum de febribus ac morbis differunt, tamen de ſingulis etiam febribus ſubtiliſſime minutiſſimeque præcipiunt. Iidem prædicunt, quo die, qua etiam hora perículoſiores futuræ ſint acceſſiones, quibus, ante quam veniant, remedia etiam adhibent. Ad eundem modum Mathematicus vbi intellexit, ex ſtellis id ſignificãtibus, bellum excitatũ iri, exempli gratia, in Italia, ſi vrbium teneat genituras, hoc eſt, ſigna aſcendentia, & ſignificatores planetas; itẽ quæ faueant, quæve minitentur ſtellæ, compertum habeat, nimirum prædicere poterit, his quam illis vrbib. magis bellum imminere. Idem iudicium eſto de peſtilentia, de caritate annonæ. Neq; tamen indiuidualiter attentat inueſtigare ac prædicere, quanti in illa

prænunciata annonæ viniue caritate veneat aut vini cadus, aut frumẽti ſextarius, aut quot ſint homines peſte interituri: quamuis pronunciare poterit, aut vinum quam triticũ futurũ carius: aut ex biliosis plures quam ex pituitoſis, id eſt, phlegmaticis interituros, propter naturas ſtellarum quas plane cognitas habeat. Idem quum nati alicuius genituram compertam habuerit, ferre poterit ſententiam, an futurus ſit adulter, inq; rebus Venereis intemperans; quot autem cogniturus ſit mulieres, & Clodiamne an Albinam, Gaditanãne an Syracuſam, vt nominatim etiam patriam ac parẽtes explicet, prædicere mathematicus nec poteſt nec debet.

TH. Recte quidem iſta dicuntur, modo intra hos terminos Aſtrologi ſubſiſterent; ac non potius maxime particularia ex aſtris prænunciare conatu temerario adniterentur; quales ſunt illi, qui ex aſtris ſtulte docent ac præſcribunt, quid in ſingulis rebus conſulto & vtiliter faciendum, quid omittendum; quando ædificandum, quando mihi nauigandum equitandumve, quando egrediendum manẽdumve domi, deniq; quando & quibus locis ſingula facienda, vt feliciter cedant. hac ſe mirabiliter iactabat D. Ioa. Stadius; ipſi tamen, ſi demas, quæ per impoſturam aliquando conſequebatur, omnia peſſime & infeliciſſime cedebant.

PH. Nemo, vt opinor, inficiabitur, quod etiam quiſq; pene in ſingulos dies experitur: affici alias aliter, diuerſis cœli conſtitutionibus, principes corporũ noſtrorum partes, quiq; his adſunt & ſeruiunt humores ac ſpiritus. Languemus quãdoq;, aut cõtra rectius cõmodiuſq; valemus, lætamur, aut ſubito in mœſtitiã labimur: Celerius, alacrius, expeditiuſq; conficimus, in quo elaboramus, aut magna cũ moleſtia, operas aggredimur, nec ſine difficultate exercemus: Vigemus ſenſibus, & cum ad cogitandũ animos cõponimus facile ſubitoq; inquiſita percipimus, imo affluimus copia rectarũ & bonarum cogitationũ: aut cõtra vires intendimus oẽs ingeniorũ, desudamus, ringimur, nihil quicq̃ tamẽ, quod ſit aptum conueniẽſq; propoſito eruimus: eaq; abſq; vlla conſpicua nobis cauſa, accidere fatemur, ſcilicet, quod alii poſitus, nobis nõ aduertentibus, alias affectiones imprimunt, vel cõcitatis turbatiſve humoribus, vel ſedatis ac perpurgatis, vel ſerenatis ac colluſtratis ſpiritibus, vel excitatis ac roboratis principum membrorum facultatibus. Ergo ab Aſtris oriri interdũ videtur, vt ſimus alias ad cogitandum gerendumve aliquid alacriores & expeditiores alias, min' idonei. Cur aũt hoc poſitu inchoata, facilius ſint proceſſura, firmius perſeueratura, felicius exitura, quam alio quopiã, non video: niſi quis ad deliberationes referat, quod excitata mente & vigẽte rectius circumſpiciãtur omnia, ac decernantur, prouideaturque, quid intercidere aut obſiſtere poſſit, quam eadem languente aut turbata. Verum nimis anxias & ſuperſtitioſas obſeruationes non probo, & explodo impoſtorum commenta, quæcunq; ſunt præter rationem falſo introducta atq; infarcta arti.

TH. Lubricus es, uti aſtrologi fere omnes. Modo affirmas, modo aliquid demis. Chaldaicũ adeoq; ethnicũ eſt quod iam dixiſti, quippe qui & ipſi ſyderum dominio parere falſo finxerunt, quicquid hic orbis habet, vſq; adeo, vt vetuerint ſuſcipere quicquam, vel publice, vel priuatim, domi vel foris, niſi inſpecto perquiſitoq; cœlo, tanquam fatalium legum tabula aut magiſtro atq; architecto euentorum omnium, deq; præſcripto cœleſtium edictorũ geri quæcunq; inciperentur: vrgeri, ſi aſpirarẽt ſtellæ: deponi, ſi refragarentur, voluerũt. Quinetiã eouſq; progreſſa fuit veſana audacia Chaldæorum, vt quamplurimum etiam referre iactitarint, qua cœli facie, quoue modo diſpoſitis ſiderib. fundamenta ſtruerentur ædificiorum

Digitized by Google

ciorum quorumcunq;, aut texerentur, cõſuerentur, induerẽtur primo veſtimenta, & ſi quæ ſunt huius generis anilia. Genethliacis etiam conſtitutionib. multa à ſiderum numero & natura, aliena ſidera inſuerunt temere; quorũ etiam vim amplificarunt tantopere, vt pene maiorem ſtellarum virib. fecerint. Merito ergo cum Chryſoſtomo *orat. 5. de fato.* exclamare quis poſſit: *Si geneſis ſiue prædictio eſt, ex cuiusq; in hanc lucem exortu iudicium non eſt. Si geneſis eſt, fides non eſt. Si geneſis eſt, Deus non eſt, non eſt virtus, non eſt vitium. Si geneſis eſt, omnia fruſtra, omnia temere & agimus & patimur: non eſt laus aliqua, non vituperatio, non eſt pudor, nõ turpitudinis verecundia, nulla ſunt leges, non iudiciorũ fora.* Eſt ergo in prædictionib. Aſtrologicis hęc cautio vbiuis adhibẽda; primo ne vltra receptos Aſtronomorũ canones prædictiones Aſtrologicę extendãtur; Deinde vt ꝑdictiones Aſtrologicæ ſemper ꝓferantur cum formidine oppoſiti, v.g. Minantur aſtra annonæ caritatẽ, Aſtrologus in hãc ſententiã ꝓnunciabit: *Forte futura durior annona, metuo ne ſit.* Eodẽ & modo in genituris pronunciabit: *Suſpicio eſt, hunc puerum fore talem, inclinabitur ad hoc, horoſcopus ille talia portendit, &c.* neq; animo ſuo plus tribuet Aſtrologus q̃ verbis præ ſe fert. Quod ſi vero Aſtrologus ꝑdicere aliquid conatur, vt certo euenturũ, ita & non aliter, is certe notã hominis ſuperſtitioſi nõ euitabit, totaq; huiuſmodi diuinatio incerta eſt ac vana, nec artis aut ſcientiæ nomine digna. Inprimis v. Aſtrologus cauebit, ne Chriſtianæ fidei myſteria ſtellis ſubiicere, eq; aſtrorum influxu vel ſitu deducere præſumat religionis fideiq; mutationes, & alia huiuſmodi arcana ſupernaturalia; talia namque myſteria à libero Dei decreto dependent. Sed neq; ex aſtris vitæ atq; actionib. ſuis regulam aut normam præfiget, quippe quibus humanum arbitrium non ſubeſt, proinde neq; ad illorum influxum alligatum eſt. Moueat atq; abſterreat nos à vanis iſtiuſmodi Aſtrologorum prædictionibus, grauis illa vox diuina: *Ego ſum Dominus, irrita faciens ſigna diuinorum. & Ariolos in furorem vertens, cõuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Eſa. 44. v. 25. Sed & concilia & canones PP. grauiſſimis pœnis præſtitutis vanam iſtiuſmodi Aſtrologiam damnant. Atq; hæc etiam cauſa fuit, quod Aquila Ponticus olim ex Eccleſia fuit pulſus, nimirum, quia his ſtudiis noluit abſtinere, *Epiph. in lib. de pond. & menſ.* Damnat eandem ius Ciuile Romanorum *l. 2. C. de malef. & mathem.* quibus & ars interdicta, & codices incẽdio, & vtentes damnantur ex. l. o: ſed alibi etiam morte plectuntur; *l. 5. C. de malef. & mathem.* Damnant cõmuniter Theologi, tũ veteres tum recentiores, vt opere doctiſſimo, & vberrimo Phœnix æui ſui Ioan. Picus Mirandula, & eius nepos cõtra Bellancinum patrui libros defendens, Ioan. Franciſ. Picus *lib. 5. de prænot.* Dãnat huius artis peritus ex ipſa experientia, & praxi horoſcoporum, viginti ſchematibus & exemplis allatis Sixtus ab Hemminga Friſius recenti opere Aſtrologiæ refutatæ. Damnant Philoſophi & Medici, ex veteribus optime Bardeſanes Syrus & Diogenianus apud Euſebium *lib. 6. de præparat. Euangel cap. 6. & 7.* Ex neotericis Georgius Trapezuntius *in lib. cur Aſtrologorum iudicia vt plurimum ſint falſa?* & Franciſcus Valeſius *in lib. ſacra Philoſophiæ. cap. 31.* Nec omittendum dictum prudens Medici cuiuſdam Iudæi, qui cum Petro Caſtellæ Regi (cui ſæuitia morum, & innoxius ſanguis vxoris, fratrum, Epiſcoporum, Principum, nobilium, plebeiorumque innumerorum, crudelis nomen peperit) eo quod Iudæus illi ex Horoſcopo noua imperia & montes (vt aiunt) aureos addixiſſet, rebus poſtea deſperatis quærenti, & qui vaticinii fides conſtaret? reſpondiſſe fertur, *cælo rigente, ſi quis in balneo lauet, ſudaturum nihilominus.* Aſtris ſtudia vitæ moreſque plus

poſſe ſignificans, auctor Ioan. Marian. *lib. 17. de reb. Hiſpan. c. 14.* Damnat ipſemet vanitatum cunctarum ſtudioſiſſimus ſectator & coryphæus, Henricus Cornelius, ſcribens hanc artem nihil eſſe aliud, quam ſuperſtitioſorum hominum fallacem coniecturam: qui ob multi temporis vſum de rebus incertis ſcientiam fecerunt, in qua emungendæ pecuniæ gratia decipiant imperitos, & ipſi ſimul decipiantur. Hæc ille malus libro malo bonum perhibens teſtimonium arti non bonæ. Damnant Hiſtorici, vt Tacitus, cuius illud præclariſſimum exſtat *lib. 17.* de Mathematicis, genus hominum infidum petentibus, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra vetabitur ſemper, & retinebitur. Damnant Poëtæ, vt Sibyllinorum oraculorũ auctor lib. 3. vt Ennius, cuius illa ſunt egregia:

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomnium,
Non enim ſunt ii, aut arte diuini aut ſcientia:
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq; arioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat;
Qui ſui quaſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt:
De his diuitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Apud Laërtium ab anu domeſtica merito ridetur Thales, in quem Gabriæ feſtiuum exſtat epigramma, luſere & alii *in Anthologia lib. 2.* ſed præ cæteris illud Leonidæ placet quo Aſtrologiæ matrem, dixit audaciam, obſtetricem ſtultitiam: & ridet mœchæ maritum, iactantem ſe gnarum probri alieni & infortunii, domeſticũ dedecus cum ignoret. Luſit in eundem martyr Morus;

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati,
Omnibus & quæ ſint fata futura monet:
Omnibus aſt vxor quod ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla docent.

PH. Vtut ſit, negari tamen non poteſt, prædictiones Aſtrologicas à peritis præſertim Aſtrologis prolatas rariſſime fefelliſſe, vti ex ſuperioribus per me adductis exemplis liquido conſtat.

TH. Reſpondeo ex Auguſtino *lib. 5. de ciuit. Dei c. 7.* quando Aſtrologi verũ dicũt, tum multo diligentius ſunt cauendi, quia ſatis clarum hoc ſignũ eſt, eos pactum cũ dæmone iniuiſſe. De Thraſyllo Aſtrologo Dion ſcribit, ſolitum eum prænunciare, quæ nuncia longinquis è regionib. adferrentur. Vnde hoc nouerit Thraſyllus, ſaniorib. iudicandum relinquo. Atq; hinc etiam eſt quod Iuriſconſulti *in rub. C. de mathem. & malef.* Maleficos cum Mathematicis iungunt, quia vtplurimum Mathematici (intelligo importunos iſtos diuinatores) etiam ſunt malefici, vt optime explicat Dion *lib. 49.* cum dicit, pulſos vrbe ab Agrippa τὺς ἀςρολόγυς ϗ τὺς γοητάς, vnde patet, Mathematicos dictos ipſos Aſtrologos, & ſic Mathematici in illa rubrica & paſſim in iure alibi, pro ſolis Aſtrologis ſeu genethliacis ponuntur. Cæterũ permittit aliquãdo Deus, Aſtrologos etiã ignaros & neſciẽtes verũ prædicere, in pœnam audientiũ, vt docet Auguſt. *lib. 4. & 7. confeſſ.* ſicut & permiſit aliqñ ſortes oraculorũ eſſe veras, & ariolũ Baalam ꝓphetizare, *Num. 23. & 24.* Sępius etiã permittit Deus ob nimiã quærentium curioſitatem teſte D. Auguſt. *lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 22.*

qui

qui rectiſſime addit, non quia vera ſit prædictio, idcirco minus eſſe ſuperſtitioſam vel ſacrilegam, vel ideo magis licere prædictionibus talibus fidem dare: ſed ſemper retinendum illud Dei præceptum: *Etiamſi dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis,* Deut. 13. verſ. 2.

Porro ſi aſtrologorum etiam mendacia notarentur, mille forent pro vno vero dicto. Pauca allegabo. Quis de Pancratio non legit, eum & Conſtantino Irenes filio Imperatoris, cladis maximæ, & ſibi ipſi necis cauſam fuiſſe? *Paul. Diac. lib. 23. rer. Rom.* Quis Conſtantini Stethati neſcit amentiam, qui & ſibi & Alexio Branæ, ſtulto vaticinio exitium attulit? cum tamen Stethatus ſui temporis habitus fuerit aſtrologorũ coriphæus, *Nicetas lib. 1.* Mitto iam Petri Leonii Spoletani inſignis medici inanem huius matheſis fiduciam, qua mortis Laurentio Mediceo occaſionem & ſibi ipſi præbuit præcipitationis in puteum. Mitto, quod Cedrenus narrat de Abrahamo Genethliacos coram Ægypti Rege vanitatis conuincente. Mitto Manuelem Connenum Imp. cui magno ſtetit, nimis addictum eſſe huic inſaniæ, quæ illum & claſſe maxima nudauit, & poſteritati ſemper ridendum propinauit. Mitto Ioan. Galeacei ducis Mediolanenſis factum, qui cum ei aſtrologus quidam mortem immaturam plane prędiceret, ſibi vero ipſi longã vitam polliceretur: hominis ridens ſtoliditatem, ſtatim ſtrangulari eum iuſſit. Mitto mendacium duplex Petri de monte Ilicino in Concilio Cõſtantienſi, q Æneas Siluius narrauit. Addã dumtaxat duorum Principum diuerſa iudicia & mores. Alphonſus Aragonum Rex ſapitẽiæ veræ amator, in litteratos omnes mire munificus fuit, ſolos aſtrologos à curia ſua arcebat, prudenter cenſens, ſibi nihil opus eorum induſtriam, eo quod ſidera ſtultos regere, ſapientes aſtris cenſeret imperare. Contra Cardanus memoriæ commendauit Ludouicum Sfortiam, verſutum potius, quam prudentem, & perfidum quam æqui bonique amantem Principem, Alphonſo diſſimilimum, impendioſum quendam aſtrologum, artis imperitiſſimum aluiſſe, in quem plus centum auri magna talenta profuderit. Aſtrologus pro tanta mercede tempus vnicuique negotio inchoando præſcribebat, adeo ridicule, vt Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equum conſcendere, & cum aulico comitatu ac ſtipatoribus alio migrare per medios imbres, per cænum & lutum, non ſecus ac ſi hoſtium manus fugeret. Tam felici euentu, vt regno tandem à Gallorum Rege ſpoliatus, captus, in carcerem compactus, colapho cæſus, in clathrata ferrea mortuus fuerit, verum fortunæ vtriuſque ludibrium. Quis Aſtrologorum ſe Alphonſo ſapienti, (hoc illi nomen vanitas iſta tribuit) præferat? Quæ laudi, maiori & veriori fraudi fuit? vtar Marianæ verbis: Emanuel ſane patruus ſuo & aliorum procerũ nomine, Alphonſum publica ſententia in conuentu pronunciata, regno priuauit: ea calamitate dignum, quod diuinæ prouidentiæ opera, & humani corporis fabricam inſigni linguæ procacitate, ingeniique confidentia, accuſare auſus fuerit.

Ægyptios deditos aiunt huic vanitati, maxime Alexandrinos: quod tamen prudentiorum fuerit iudicium, poſſumus ex Suida colligere. Tradit, Alexandriæ ſolitos aſtrologos vectigal pendere, βλακεννόμιον nuncupatum: quoniam eos non niſi fatui homines conſulerent, quos Græci βλακὰς vocant, ducta Metaphora ab inutili piſce, quem ne canes quidem velint attingere.

EQ. Bona verba quæſo; ne hoc hominum genus irrites, quod ſi enim in eos tantopere debacchari non deſieris, verendum vt identidem, quemadmodum Pico Mirandulæ, mortis tuæ tempus ſupputent.

TH. Fiat pro ipſorum arbitrio. Capilli capitis mei numerati ſunt, quorum nullum citra Dei voluntatem decidere certus ſum. Fallunt enim & falluntur in iſtiuſmodi ſupputationibus ſæpiſſime, ſed neq; prolongabunt neque decurtabunt dies annorum meorum ſuis ſupputationibus vel ad momentum.

EQ. Recordor iam ridiculæ cuiusdam prædictionis non illius quidem aſtrologicæ, ſed tamen haud fere abſimilis. Noſtra memoria quidam parochus, alioqui non indoctus & Arithmeticus inſignis ſuis auditorib. inter concionandum, nō vt arbitror doloſe, ſed nimiū fidens cum ſuis computationibus, tum dicto Euangeliſtæ propter numerum annorum: VIDebVnt In qVeM pVpVgerVnt, perſuadere conatus fuit, finem mundi adeſſe, diemque certam & horam huius indicauit. Eo igitur res deducta eſt, vt plerique ſimpliciores ei fidem haberent; ideoque vt fatui facere ſolent, priusquam omnia corruerent, genio ocioque indulgere voluerunt, resque ſuas compotationibus conſumpſerunt. Accidit autem, quum dies & hora ab illo intempeſtiuo Vate deſignata, appropinquaret, iique qui fidem eius ſermonibus habuerant, in ſacello congregati, magna deuotione finem mundi præſtolarentur, & ille concionem ad rem accommodatam haberet; vt ea nondum finita, ſubito tempeſtas cum tonitru & fulgore orta ſit (qua in re non prorſus vanus ille extitit,) ita vt omnes arbitrarentur, vaticinium ipſius illo momento impletum iri. Verum paulo poſt diſcuſſa tempeſtate, priſtina rerum facies apparuit. Sentientes igitur miſeri & ſtolidi homines ſe deceptos eſſe à ſuo parocho, reculasque ſuas inani perſuaſione decoxiſſe, non abſque cauſa commoti in illum irruerunt, eumque interfeciſſent vel male multaſſent, ſi non ex eorum oculis ſe proripuiſſet, & à quibuſdam prudentioribus furor vatuæ multitudinis mitigatus fuiſſet.

TH. Conſimile fere eſt huic, quod fecit olim Niſeus Tyrannus Syracuſanus. Is enim, quum illi à vaticinatore quodam prædictum eſſet, ſe breui moriturum, omnes ſuas facultates intempeſtiue ſane diſtribuit, ita vt nihil ſibi reſeruaret. Deceptus autem reliquam ſuam vitam vſque ad extremam ſenectutem emendicando victum ſuum, ſuſtentare coactus fuit.

De diebus ac annis criticis.

PH. Video mihi negotium eſſe cum irriſoribus. Sed attendite parum. Quid quæſo vobis videtur de diebus criticis, annis climactericis, & huius generis aliis, quæ hodie à Medicis tanto ſtudio obſeruantur. Veſtrummet audiam iudicium, meum enim vobis eſt ſuſpectum.

TH. Certe noxii infirmis illi Medici ſunt, qui ſecūdum Lunæ & aliorum planetarum in ſignis Zodiaci ſtationes, de morbis iudicant, verbi gratia, quæ cuique euenerit ægritudo, & quo illi pacto medendum: necnon chirurgi, qui in vulneribus idem obſeruant, & dies conſiderant vulneris, & ſtellas eis præſidentes (quas vocant, Centel, Neus, Dibelgibel, Lachadiel, Sapiſſa, Elebra & ſimil.) & inde prænunciant vulnus eſſe lethale vel ſanabile. Merito ſuſpecta ſunt hæc omnia, quia ſtellarum non eſt tanta vis in hæc inferiora, & ſi qua talis vis foret, ea poſſet & ſoleret aliarum particularium cauſarum concurſu plane impediri. Imo & ſola materiæ indiſpoſitio, lunæ & aſtrorum omnium actiones euariare facit, teſte Galeno, quare obſeruationes & effectus huiuſmodi dierum indicum, prouocantium, vel criticorum, longe magis dependent ex materiæ diſpoſitione, concoctione, & ſtatis morbi temporibus ac ſymptomatibus, quam ex ſideribus: quæ eſt vera ſententia Hippocratis & Celſi.

Quod

Quod ad climactericos annos attinet, ita ſentio. Climactericorum annorum duo ſunt genera, qui quaſi ſunt articuli quidam ſeu flexus ætatis, in quibus ad ſequentis temporis conſtitutionem ſeſe vertat illa & inflectat. Primi & pręcipui colliguntur à ſeptimo numero, & hi hebdomatici ſiue climacterici nominantur; & ſunt hi: 7.14.21.28.35.42.49.56.63. Climactericus magnus, 70.77.84.91.98.105. 112.119.126. Climactericus maximus, 135.140.147.154.161.168.175. Reliqui à nono numero computantur; & hi Enneatici ſiue decretorii nominantur. Sunt autem ſequentes, 9.18.27.36.45.54.63. climactericus magnus, 72.81.90.99. 108.117.126. climactericus maximus, 135.144.153.162.171. Hos annos propter Patriarchas extendo; raro enim hiſce temporibus, homines etſi viuaces, 70. annum climactericum ſuperant. Pauci octuageſimum aut nonageſimum primum aſſequuntur. Pauciſſimi & fere nulli ad centeſimum & quintum ſpiritum ducunt. Inter climactericos & enneaticos periculoſiores ſunt, qui per tres hebdomadas annorum aſcendunt, vt ſunt 21. 42. 63. 84. 105. Periculoſiſſimi autem 49. 56. & 63. Rationem addunt medici, quia primus numerus anno 49. continet ſeptem ſeptimanas & ſepties ſeptem annos. In ſecundo 56. concurrunt ſeptimus & octonarius. In vltimo 63. ſeptimus eſt & nonus, climactericus & enneaticus: nam 63. anni continent in ſe nouies ſeptenarium, aut ſepties nouenarium. In quo cum ſeptenaria & nouenaria mutatio concurrant, commotionem in corporibus maiorem fieri neceſſario arbitrantur, qui naturam aliquanto propius perueſtigando aſpiciunt. Hicque annus 63. Firmico atteſtante, ex hac cauſa Androdas ab Ægyptiis dictus eſt, quod omnem vitæ ſubſtantiam frangat ac debilitet, multique illuſtres viri eo anno perierunt. Vnde Auguſtus Imperator ad filium ſcribens, Lætare, inquit, mecum fili, transgreſſus enim ſum omnibus ſenibus periculoſum annum ſexageſimum tertium; gratulaturq; adeo ſibi de ſuperato hoc ſenum climactere.

Cæterum cauſas plerique non afferunt, quare annis his certis talia contingant. Marſilius Ficinus aſtrologicam huius rei cauſam adfert, quod ſingulis ſeptem annis ordo Planetarum reuertatur ad Saturnum, ita vt Saturnus ſeptimo anno gubernet mortales & eorum corpora. Nonnulli alii numeris his tantam vim tribuunt, cum ſeptenarius ſit plenus, & diuidi poſſit, vti nullus alius, primo in vnionem & ſenarium, deinde in binarium & quincuncem, poſtremo in ternionem & quaternionem, & ex variis figuris compoſitus multas formas admittat. Atque hæc quidem ſubtiliter ſunt excogitata; veruntamen mihi non ſufficiunt.

PH. Ego vero arbitror (vt etiam meum interponam iudicium) ſaluo tamen aliorum iudicio, Saturnum quidem eſſe præcipuam cauſam; ſed tamen non propter eam ſolummodo rationem, quam Marſilius affert, ſed propterea quod plerunque eſt peregrinus & interfector mortalium, & quod ſingulis fere ſeptem annis, ad quadratum loci, aut ſi minus, ad contrarium naturæ ſigni, vnde egreſſus eſt, peruenit: & quemadmodum luna quæ nobis proxima eſt, & motu celerrima, fere ſeptimo quoque die in contrarium ſignum eius naturæ, vnde eſt egreſſa, progreditur, & inde criticos producit dies, qui in morbis vel ad ſalutem vel ad mortem, vehementem adducunt mutationem: ita Saturnum, qui motu eſt tardiſſimus, & tot annos fere, quot diebus, Luna in vno ſigno

commo-

commoratur; hos periculoſos annos ac climactericos operatur, & has mutationes humorum cauſatur, cum in generalibus temporum decretis Saturnus non parum momenti habeat, quemadmodum Luna in diebus, ſecundum Ptolomæum. Adiuuant & illum cæteri Planetæ, propterea quod hi ſingulis ſeptem annis vna cum horoſcopi profectione ad oppoſitum quadratumve ſigni, aut ad 7.8.& 12. domum alicuius natiuitatis perueniunt; quæ ſunt loca aduerſa, infortunata & formidoloſa bonis & vitæ hominum, & quod ſemper ſeptimo quoque anno horoſcopus & planetæ omnes perueniunt profectione ad ſeptimam domum aut ſignum oppoſitũ, in quo vltimo præterlapſo ſenario anno fuerunt. Qui locus eſt oppoſitus naturæ contrarius & ſemper aduerſus: ita vt ſic Planetæ & horoſcopus vna cum Saturno frangant, debilitent & opprimant naturam & vitam his temporibus ex commixtione & alteratione humorum. Addo & hanc cauſam, vt ſeptimo aut nono menſe nati iuſtam vitæ perfectionem obtinent, ita contingere quoque, vt vita plurimorum hominum ad climactericos vſque annos, in quibus ſeptenarius numerus, nouenariusque in ſeſe quaſi in cyclum recurrunt, producatur, ibique abſoluatur & finiatur.

EQ. Eſt nimirum numerus ſeptenarius, vt Macrobius *lib. 1. cap. 6.* & poſt eum Nicetas in Gregorium ſcribens annotauit, numerus perfectionis, quod ſolus ex omnibus qui denario minores ſunt, nec ab alio gignatur, nec alium gignat: *vnde* & Arithmetici virginem hunc numerum appellant, σεβάζω τὸ σεβεῖν, id eſt, venerationem atque excellentiam ei tribuentes.

TH. D. Hieronymus in Amos Prophetam ſcribens, eundem numerum ſanctum vocat, non abſque ratione. Conſtat enim, Deum ipſum, ſeptimum ſibi diem conſecrando aliquid in eo eſſe, cum perfectionis, tum myſterii ſignificaſſe. Quod vt fiat manifeſtum, aliquot huius rei teſtimonia ſubiiciam. Deus creauit mundum ſex diebus, ſeptimo quieuit, ideoque hunc diem, Iudæis ſacrum eſſe voluit, & ab illis natalis mundi dicitur: tunc enim omnia facta & edita apparuerunt. *Exod. 25.* iubet Deus ſeptem lucernas die noctuque accenſas fulgere in tabernaculo; quo ſignificatur plena & perpetua donorũ ſpiritus Sancti effuſio in Eccleſiam, quemadmodum ritus ille *Zach. 4.* poſtea copioſius eſt explicatus. Præterea ſeptimus annus diuina inſtitutione fuit illis ſabbatarius, quo nec agros aut vineas colere, nec culturam terræ exercere licebat, inſtitutus ad memoriam quietis diuinæ. Deinde quinquageſimus annus fuit illis quoque ſacer, & dicebatur annus iubilæus poſt ſeptem annorum hebdomadas circumactas, id eſt, poſt 49. annos completos, qui fuit illis climacter hebdomaticus. Tunc enim poſſeſſiones emptæ ſine pretio redibant ad priores veros heredes. Septimo menſe requieuit arca Noe in monte Ararat. Dixit etiam Dominus Noæ: Ex omnibus animantibus mundis, tolles ſeptena & ſeptena, *Geneſ. 7.* Septimo die emiſit Noha columbam, quæ rediit, ferens ramum oliuæ, & poſt ſeptem dies iterum emiſit aliam, quæ non rediit. Salomon feſtos dies ſeptem celebrauit, & omnis Iſrael cum eo. Defuncto Iacob luxit eum Ioſeph in Ægyptiis diebus ſeptem. Septies in cruce pendens locutus eſt Chriſtus. Septem horis fuit cruci affixus, & ſeptimo expirauit. Septimo die, id eſt, Sabbato quieuit in ſepulchro. Septies ſeptem diebus expletis poſt reſurrectionem miſit Paracletum.

PH. Sunt etiam in cœlo ſeptem ſtellæ errantes: ſeptem itidem Pleiades. Totidem etiam ſtellis maior minorque Vrſa inſignitæ cernuntur. Ipſe quoque Zodiacus

diacus ſeptenario numero non vacat: nam in ſeptimo ſigno fit ſolſtitium à bruma, in ſeptimo bruma à ſolſtitio: in ſeptimo æquinoctium ab æquinoctio. Oceanus etiam incremento æſtuum maritimorum hunc numerum ſeruat: nam primo naſcentis Lunæ die fit copioſior ſolito: diminuitur pauliſper ſecundo die, & ſic tertio vſque ad ſeptimum diem; deinde iterum creſcit paulatim per ſeptem dies vſque ad plenilunium, & ſic deinceps. Luna quoque quater ſeptem diebus conficit fere curſum ſuum, & ſingulis ſeptem dieb. ſenſibiliter faciem mutat, & vnam quadram complet. In ægrotis etiam in ipſis pene articulis ſeptimorum dierum accidunt ſubitæ morborum conuerſiones, qui aut oppreſſos eos perimunt, aut ſolutos morbos profligant. Hieronymus dicit, quod ardentiſſimæ febres, die ſeptimo, aut bis ſeptimo, aut ter ſeptimo terminentur. Dentes quoque ſeptimo menſe incipiunt mandibulis emergere; ſeptimo anno labuntur & renaſcuntur pueris, qui Saturno proprie attributi ſunt, & ſic in his vim ac dominium ſuum exercet. Decimoquarto anno pubertas accedit, & quando completa fuerit ſeptem annorum hebdomada, id eſt, ſepties ſeptem anni, hoc eſt, anno 49. matureſcit in homine prudentia, & fit ætas perfecta; cum vero ad decadas ſeptenas, id eſt, ad ſeptuageſimum annum fuit peruentum, tunc meta viuendi eſt peracta; ita vt cum Cicerone concludendum ſit, ſeptenarium numerum rerum omnium nodum eſſe. Quæ omnia eleganter his verſibus ſunt comprehenſa:

7. Infans ſeptenos poſtquam compleuerit annos,
Producti dentes, murus & oris erunt.
14. Poſt ſi ſeptem alios Deus hinc concesſerit annos,
Fit pubes, nato ſemine nomen habens.
21. Eſt iuuenis cum ſeptem alios conceſſerit annos,
Et lanugo genas primaque barba tegit.
28. His addas ſeptem, virtutis nomine clarus
Eſt vir, & hæc ætas optima robur habet.
35. Adiicias alios ſeptem, volet eſſe maritus,
Et memor arcana poſteritatis erit.
42. His alios iungas ſeptem, prudentia pectus
Ornabit, ſtudium nec leuitatis erit.
49. Annumeres ſeptem, grauitas erit inclyta linguæ:
56. Septem alios, linguæ congruit ingenium.
63. Additur his nonus cum ſeptenarius, ipſe eſt
Perfectus, vires ſed nimis interimit.
Scilicet his annis multi periere duobus,
Quorum laus celebris Marte togaq; fuit.
Hi quoque nunc variis fortunæ caſibus anni
Subiiciunt multos exitiumq; ferunt.
70. Accedant alii ſeptem, mors dura vocabit
Ad tumulum feſſos decrepitosq; ſenes.

EQ. Cum viderim, meo etiam tempore maximam partem hominum, præſertim qui ſunt alicuius nominis, annis fatalibus, de quibus hactenus inter nos dictum, in ſummum diſcrimen honorum, bonorum & vitæ lapſos, & ſuperior etiam ætas animaduerterit, plures præſtantes viros hiſce annis extinctos, itaque

exempla quædam eorum recitabo. Primo, Qui annis climactericis & enneaticis periere. Secundo, Qui annis 49. 56. & 63. extincti ſunt; & hi anni *Heroici* appellantur; propterea quod heroes plerunque in iis vitam cum morte commutant. Tametſi vero aliqui non ſtatim in ipſis annis pereunt, tamen vires valde debilitantur, & franguntur, morbique oriuntur, ex quibus raro ad priſtinam valetudinem perueniunt. Etſi igitur non ipſis climactericis, tamen paulo ante aut poſt fere plerunque moriuntur.

Atque hi qui ſequuntur, perierunt annis hebdomaticis ſiue climactericis: Adam primus homo & parens noſter vixit annos 930. mortuus eſt ergo anno ætatis 931. qui fuit annus eius climactericus: nam continet in ſe ſepties centum triginta tres annos. Kenan quartus poſt Adam vixit annos 910. mortuus anno climacterico 130. continet enim in ſe ſepties 130. annos. Mahaleel quintus poſt Adam mortuus eſt anno climacterico 895. Henoch ſeptimus poſt Adam ſublatus eſt anno climacter. 365. Omnes anni ætatis Lamech fuerunt 777. ſuntque plane climacterici, fuitque is primus mortalium, qui ante obitum patris naturali morte defunctus eſt. Abraham mortuus eſt anno climact. 175. Zebulon mortuus eſt anno climacterico & 126. enneatico maximo. Sara anno 127. Iacob Patriarcha anno 147. Iuda filius Iacob anno 119. Moſes anno 120. cum per menſes aliquot tantum annum climactericum 119. exceſſiſſet. Thales Mileſius æſtu a ſiti, anno 70. Pittacus Mitylinæus anno 70. Epimenides Cretenſis anno 154. Ariſtoteles bibens aconitum, anno 70. Cleobulus Lyndius, vnus ex ſeptem ſapientibus, anno 70. Zeno Zitticus anno 98. Cleanthes Zenonis auditor anno 98. Cyrus rex anno 70. Dionyſius Philoſophus anno 91. Dauid anno 70. Seleucus rex interfectus à Ptolomæo Cerauno anno 77. Philippomenes exulum Meſſinenſium dux veneno interfectus anno 70. Ennius Poeta anno 70. Hannibal Carthaginenſis veneno ſumpto, anno 70. Sophocles præ gaudio mortuus, anno 91. C. Marius Cimbrorum victor, an. 70. Octauius Auguſtus vixit annos 76. obiitque cum tres tantum menſes abeſſet à climacterico. Cleopatra anno 28. adhibito aſpide brachiis, cum prius ſe Antonius interfeciſſet. Tiberius Imperator lento veneno extinctus, anno 77. Herodes Aſcalonita anno 70. Britannicus filius Claudii, à Nerone interfectus, anno ætatis 14. C. Caligula anno 28. triginta vulneribus interfectus eſt. Lucius Verus anno 42. Perſius Flaccus anno 28. Liuius an. 77. Lucanus Poeta venam ſibi ſecandam præbuit an. ætatis 28. Pomponius Atticus febre tentatus, diutius morbum alere noluit, & cibo abſtinens mortuus eſt anno 77. Flauius Veſpaſianus anno 70. Titus Veſpaſianus anno 42. Antoninus Cæſar cum triduo ante exeſu caſei Alpini in febrim incidiſſet, anno 70. Ælius Publ. Pertinax à ſuis militibus interfectus anno 70. Publ. Licinius Valerianus Imp. in ignominioſa captiuitate mortuus, anno 70. Simon Apoſtolus ſub Traiano cruci affixus anno 120. cum vix annum hebdomaticum 119. exceſſiſſet. Heraclius Conſtantinus veneno ſublatus anno 28. B. Antonius Monachus anno 105. Ludouicus Germanicus, Ludouici Pii filius, anno 70. Maximini Imperatoris filius interfectus cum patre à militibus, anno 21. Origenes anno 70. S. Hieronymus anno 91. Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui Arium precibus ad mortem adegit, anno 98. Conſtans, filius Conſtantini Magni à Magnentio interfectus anno 28. S. Auguſtinus, anno 77. Rogerius Normanus, qui eiecit Saracenos ex Sicilia, mortuus anno 70. S. Columba Abbas in Scotia, ann. 77.

Digitized by Google

S. Vlricus Epiſcopus Auguſtanus, anno 84. Thomas Aquinas anno 70. Ottho Epiſcopus Bambergenſis, anno 70. Conſtantinus nonus Imperator Occidentalis, anno 70. Eduardus Primus rex Angliæ, anno 70. S. Brigitta, anno 70. Alexius Comnenus anno 70. Ioannes Bocatius Florentinus, Poeta, Aſtrologus & Philoſophus, anno 42. Ladiſlaus iunior, rex Hungariæ ac Bohemiæ, cum pacem iuratam renunciaſſet, à Turcis interfectus anno 21. alii anno 18. enneatico. Reuchlinus, homo doctus anno 70. Iohannes Albertus rex Poloniæ, anno 42. Carolus VIII. rex Franciæ apoplexia mortuus, cum tantum 22. dies à climacterico abeſſet 28. Sigiſmundus Imperator anno 70. Iulius II. Papa, anno 70. Alexander Borgias VI. Pontifex, per miniſtri incuriam epoto veneno, annum 70. excedens per octo menſes, obiit. Solymannus Turcarum Imperator, periit in expugnatione Sigeti, annum agens 76. tantum per aliquot menſes abfuit à 77. Chriſtiernus II. Caroli V. affinis in captiuitate periit anno 77. Petrus Bembus anno 77. Ludouicus Gratus, vtriuſque linguæ, aſtrorum ac totius mathematices ſcientiæ peritus anno 21. Philippus rex Hiſpaniarum anno 28. Iohanna mater Caroli V. anno 70. Ludouicus vltimus rex Hungariæ victus & Turcas fugiens, in palude mortuus inuentus anno 20. non multum abfuit ab anno 21. Marchio Fridericus de Anſpach, anno 70. Eraſmus Roterodamus anno 70. Albertus Marchio Brandeburgenſis exul periit anno 35. Ioannes Schonerus Mathematicus anno 70. Rudolphus Agricola Friſius anno 42. Nicolaus Copernicus Aſtrologus eximius, & in illa arte Germanicus Ptolomæus, anno 70. Franciſcus Petrarcha, anno 70. Fridericus dux Lignicenſis anno 70. Chriſtophorus Longolius anno 35. Hippolytus Medices Cardinalis ex veneni potione, anno 28. Hieronymus Vrſinus Romæ ante ædem pulchræ puellæ fuit vulneratus, ex quo vulnere paucis poſt diebus in ſuo oppido periit anno 28. Iohannes Medices pater Magni Coſmi ducis Hetruriæ, ictu tormentalis machinæ periit anno 28. Henricus Ranzouius Pauli filius, in aquam lapſus fracto collo periit, anno 28. Ioan. Petrus Carafa, poſtea Pontifex factus ac Paulus IV. nominatus, anno 84. Eraſmus Reinholdus, qui tabulas Prutenicas edidit, anno 42. Albertus dux primus Boruſſiæ, anno 77. Hieronymus Tiruſanus Venetus Epiſcopus Veronenſis, anno 35. Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Ioachimi II. Elect. filius, anno 21. Sigiſmundus Marchio, Epiſcopus Hallenſis, anno 28. Fridericus dux Luneburgenſis in prælio occubuit, anno 21. Adolphus Comes Naſſouienſis, frater Principis Auraniæ, occubuit ad Groningam anno 28. Huldericus ab Hutten, Francus, anno 35. Fridericus dux Saxoniæ, ducis Georgii filius, anno 35. D. Iuſtus Ionas iunior I.C. Hafniæ in Dania decollatus anno 42. Henricus II. Galliarum rex Franciſci filius accedente febri ad vulnus capitis, quod in nuptiis ſororis in haſtiludio acceperat, anno 42. Wilhelmus à Dietsbach eques auratus, anno 70. Gangolphus liber Baro in Hohen Geroltzeck, maximus Dux exercituum, præſertim in bellis inter Maximilianum Cæſarem & Venetos geſtis, anno 70. D. Leonardus ab Eck, I.C. Bauarienſis, anno 70 &c.

Hi qui ſequuntur, annis enneaticis interierunt; Amazias rex Iudæ periit anno ætatis 54. Achaz rex Iudæ. anno 36. Pythagoras, anno 90. Plato anno 81. Xenocrates anno 82. Diogenes Cynicus ann. 90. Protagoras an. 90. Hieron rex Si-

ciliæ anno 90. Attalus rex Bithyniæ an. 72. Tarquinius Superbus an. 90. Oreſtes, an. 90. Antiochus octauus interfectus fraude Heraclionis, ann. 54. Iſocrates audita Cheronenſi clade, quatridui inedia mortuus, ann. 99. Mithridates ſeipſum veneno interfecit, ann. 72. Hircanus interfectus ab Herode, an. 81. Herodes Agrippa à vermibus deuoratus, ann. 54. Sulpitius Galba Cæſar interfectus, ann. 72. Ottho Imperator ſeipſum occidit ann. 36. Domitianus Veſpaſiani filius à cubiculariis confoſſus, ann. 45. Vitellius Imperator numeroſis ictibus confoſſus ann. 54. Ioannes Apoſtolus ann. 99. Conſtantinus Magni filius apoplexia mortuus, an. 45. Sanctus Martinus Epiſcopus, an. 81. S. Martinus miles ſub Iuliano, an. 81. Boldeſlaus dux Polonorum, an. 54. S. Franciſcus, an. 54. Theodoricus Laſcaris Imperator Conſtantinopolitanus, ann. 36. Alexander Caſimiri III. filius, rex Poloniæ, ann. 45. Ladiſlaus rex Hungariæ & Bohemiæ veneno periit, an. 18. Premiſlaus dux magnæ Poloniæ, ann. 36. Vrbanus VI. Pontifex, an. 72. Gregorius XII. an. 90. Paulus II. an. 54. Carolus Magnus an. 72. Philippus Maria Mediolanenſium dux, an. 54. Franciſc. Philelphus, an. 90. Wencelaus iunior rex Bohemiæ traiectus gladio, an. 18. Ioan. XXII. Papa, an. 90. Andronicus iunior, an. 55. Ludouicus ſenior, barbatus dux Bauariæ, an. 81. Franciſc. Philelphus Poeta & Philoſophus, an. 81. Carolus *Bellator*, Caroli V. Imperatoris proauus occiſus à Renato duce Lotharingiæ, cum parum abeſſet ab an. 45. Albertus Marchio Brandeburgenſis, Achilles Germanicus an. 72. Zvvinglius in bello interfectus, an. 45. Paulus III. Pontifex, ann. 81. Franciſcus Franciſci regis filius Delphinis veneno periit, an. 18. Sigiſmundus I. Magnus dux Lituaniæ, an. 81. Borbonius Romam oppugnans bombarda traiectus, an. 36. Macrinus Imperator occiſus an. 54. Georgius Fronsbergius Maximiliani & Caroli V. dux, an. 54. M. Anton. Columna ictu tormentalis machinæ interfectus, an. 45. Hieronymus Sauanarola combuſtus an. 45. Petrus Aloyſius in proprio domicilio occiſus, an. 44. ſub finem Georgius ab Anhalt Epiſc. Mersburgenſis, an. 45. Fridericus III. dux Saxoniæ, cognomine ſapiens an. 72. Hermannus Archiepiſc. Colonienſis, an. 80. ſub finem. Victorinus Strigelius an. 45. & ſi qui ſunt innumeri.

Sequentes perierunt anno ætatis 49. Lucius Craſſus Orator, vt Cicero refert, Cato Pompeii partes ſecutus ſeipſum interficiens, Alexander rex Iudæ, Tamerlanes, Ladiſlaus, Iagellonus rex Poloniæ. Conradus Celtes primus Poeta in Germania. Ioan. Paulus Baglionus in mole Adriani decapitatus, iuſſu Leonis X. Theodoſius Imperator Conſtantinopolitanus. Frater Cyriacus ordinis ſeruorum in arce Cremone ſeipſum interfecit. Honorius Theodoſii Imperatoris filius, poſtea Imperator. Nicolaus de Rudolphis, Cardinalis Florentinus. Camillus P[illegible]lliotus Bonon. Poeta elegantiſſimus. D. Ioan. Schneidevvein I.C. obiit Z[illegible]eſtæ apoplexia. Maximilianus II. Imperator. Ioachimus Eichorn Abbas in E[illegible]. Omnes hi anno ætatis 49. obierunt.

H[illegible]ero quos i[illegible]m recenſebo, ann. 56. interierunt, aut ſane inſignem mutationem [illegible] Horatius. Dion Syracuſanus. Romulus aut interfectus à ſuis, a[illegible] conſumptus. Scipio Africanus in lecto mortuus inuentus. C. I[illegible] tribus & viginti vulneribus occiſus. Auguſtus Cæſar præfu[illegible] annos 56. Valerianus ſanguine ſuffocatus. Tiberius ſuſcepit

cipit imperium an.56. Nerua Imperator, C. Iulius Agrippa præfectus Britanniæ. Plinius II. ab Ætna ſuffocatus. Conſtantinus Conſtantini Magni pater, Monica D. Auguſtini mater, Nicephorus Imperator Conſtantinopolitanus, à Ioanne Zimiſca interfectus. Fridericus Imperator, Henrici VI. filius à filio illegitimo, puluinari ſuffocatus, Ludouicus Caroli filius, Dantes poëta Florentinus, Rodulphus Habſpurgenſis, Bartholdus de Saxoferrato D. iuris, Ludouicus XII. Rex Franciæ. Matthias Rex Hungariæ apoplexia mortuus. Ioan. Bugloſſus hiſtoriographus Polonorum. Adolphus IV. dux Holſatiæ. Sixtus IV. Albertus Marchio Brandeburgenſis, Card. & Archiepiſcopus Moguntinus. Iacobus Mutius cognomento Sfortia ſubmerſus. Martinus III. Pontifex. Marcellus II. Pontifex. Henricus VIII. rex Angliæ. Albertus Durerus, excellens pictor & vir ſapiens. Fridericus I. Rex Daniæ. Chriſtianus III. Rex Daniæ. Carolus V. anno ætatis 56. profectus in Hiſpaniam filio Philippo regnum ac ducatus commiſit, ac monaſticam vitam elegit. Comes Albertinus Buſchettus decapitatus & in quatuor partes diſcerptus.

Moleſtior ſum quam decebat, ideoque ſtudio abrumpam. Etſi enim recenſenda quoq; eſſet claſſis aliquorundam, qui anno hebdomatico & enneatico magno, 63. perierunt, tamen cum illorum infinitus plane ſit numerus, & quos è tanto numero præ cæteris recenſere conueniat, ambigam, (ſunt enim præter Orpheum, Anaxagoram, Ariſtotelem, Demoſthenem, Numam Pompilium, Darium, Ciceronē, Salluſtium, Cornelium Gallum, Claudium, Mariam virginem, Traianum, Adrianum, Tiberium II. Mauritium, Bedam, Ludouicum Pium, S. Bernhardum, Mahometem, Georgium Caſtriotum, Sebaſt. Munſterum, Ludouicum Bauarum, Nicolaum Cuſanum, Cardin. Æneam Syluium, Philippum Cominæum, qui omnes ac ſinguli ſexageſimo tertio ætatis anno obierunt, etiam alii magni nominis tam veteres quam neoterici, prope innumeri.) Proinde vlteriori de defunctis recenſione nolo amplius vobis eſſe moleſtus; ſed attēdam veſtrum de hac re iudiciū.

TH. Nō dubium eſt, ſimilia exempla ex hiſtoriis & quotidiana vita colligi poſſe quam plurima, quæ vt oſtendunt annos climactericos & enneaticos eſſe periculoſos, ita eoſdē ex cœleſtib. arcanis cauſis deprehendere eſt manifeſtum, & nequaquam Epicureorum more contemnendi aut reiiciendi ſunt. Sed quando inſtant, Medici & Aſtrologi conſulendi, in omnibus actionibus prudentia adhibenda, temperantia in cibo & potu, & in rebus neceſſariis exercenda. Et poſtremo Deus immortalis ardentibus votis inuocandus, vt vitam nobis proroget; nos noſtraque omnia ſibi commendata habeat, & in vera fide & inuocatione ad beatorum conſortium traducat. Quanquam non tantum his annis, ſed omni momento obnoxii ſumus calamitatibus & morti, ad quæ omnia toleranda, vt viros fortes & Chriſtianos decet, ſemper parati eſſe debemus, ſcientes Deum vitam noſtram & longitudinem dierum eſſe.

PH. Nimirum ex ſtellarum influxu, huiuſmodi in vita humana viciſſitudines oriri quadantenus conceditis, dicere namq; caſu ac fortuito iſta contingere, epicureum foret. Et proueniūt ex eorundem influxu alia inſuper infinita, de quibus reddi alia fere ratio non poteſt, quam influentia cœleſtis, ſic ex occulta influentia ſtellæ poli Borealis ad ſe magnetem conuertunt. Quis vero huius ad polum conuerſionis aliam quam τὸ ὅτι afferat rationem, quia ſcilicet ita fieri id experimur. Sic cum ſole circumaguntur Heliotropion, Tragopogon, Ornithogalum, Lupinū. Tripolium floris colorem ter in die ad Solem mutat: mane candidum, meridie *De mirandis naturæ effectibus.*

purpureum, veſperi puniceum conſpicitur. Nulla hic alia afferri poteſt ratio, niſi, quod natura ita condita eſt. Idem eſto iudiciũ de cæteris. Sic ipſo die ſolſtitii, olea, populus alba & ſalices, folia circumagunt oriente Sirio, Parra auis ipſo die non apparet, donec occidat, & Thynni marini œſtro corripiuntur, occultatur Coccyx.

Certi poſitus ſtellarum certos in humano corpore humores, partes, ſenſus, aut vegetant aut hebetant, aut deprauant. At qualitatibus primis impreſſis aeri, cæteriſque elementis, non eodem modo afficiuntur mixta omnia. In ipſa Bruma vulgo floret vocatum Veratrum. Fauoniis ſpirantibus Thymelea effloreſcit, moxq; hanc inſequuntur Viola alba, Narciſſi & Triſſago, quæ primo Vere prodit. Faba floreſcens apiculam euocat, & hæc procedens, fabam florere indicat. Vtraq; finit frigoris indicium. Moro germinante, aut effloreſcente rubo, à frigoris iniuria nihil amplius periculi.

Animãtia omnia vniuerſales temporũ mutationes, & qui particulatim accidũt, tempeſtatum exortus ſagaciſſime priuſquam inualeſcant ceu odorantur. Propterea magna ex parte, aut hyeme ingruente, vel ſi aër infectionibus ſordeſcat aut obtorpeſcat, calidius puriuſque cœlum, priori deſerto, captant & quærunt: aut terra ſe condunt: aut exeſas & excauatas arbores ſubeunt, quoſve æſtate conſtruxerunt alueos, ac deliteſcunt tantiſper donec abeat frigus, & tepidiore blandioreque aura reniteſcat cœlum; aut ex ſyluis ac horridioribus locis in habitata & culta commigrant, intraque domos, ſi exaſperetur hyems, ſeſe abdunt; aut manent in ſyluis, quarum paucæ ſunt, vt Tetraones & Attagenes, aut ad aquas degunt. Quæ diſcedunt, fere ſtatis abeunt temporibus, ſtatiſque reuertuntur, vt olores, ciconię, feri anſeres, coturnices, & aliæ.

Quædam alia peculiari συμπαθείᾳ, *naturæ conuenientiâ*, occultantur æſtate, vt inter aues γνάφαλος ſeu fullo cognominatus: quædam hyeme, vt mures Alpini, glires. Vireo auis χλωρίων dicta, tota deliteſcẽs hyeme, ipſo die ſolſtitii prouolat. Noctuæ, ſexagenis diebus hyeme cubant.

Quædam alio modo afficiuntur. Caniculæ exortu mutant vocem, & canere deſinunt pariter Luſcinia & Coccyx. Milui à ſolſtitio podagra afficiuntur. Corui itidem ægreſcunt ſexagenis diebus, ſiti maxime, antequam fici coquantur autumno. Septem ante Brumam diebus Halcyones nidificant, & totidem ſequentibus pariunt.

Maturitatis hordei, & ſationis milii, ac panici ſigna præbent, circumuolantes veſperi Cicindelæ, quas λαμπυρίδας Græci vocant: & plurima Ariſtoteles & Plinius annotarunt. Formica minimum animal interlunio quieſcit, plenilunio etiam noctibus operatur. Habent obſeruationes ſimiles plurimas agricolæ.

Eodem modo eas, quæ in dies horaſque accidunt, mutationes qualitatum, aliæ naturæ aliis citius atque euidentius percipiunt. Argumento his ſunt præſenſiones, aut oborientium iam, aut paulo poſt ſecuturarum tempeſtatum, contagionum, & aliorum huiuſcemodi, in animantibus & plantis.

Pulmones marini, in pelago plurium dierum hyemem portendunt. Delphini tranquillo mari laſciuientes, flatum, ex qua veniunt parte, ſpargentes aquam turbato, tranquillitatem. Lolligo volitans, conchæ adhæreſcentes, Echini affigentes ſeſe, aut arena ſaburrantes, tempeſtatis ſigna edunt; Ranæ quoque vltra ſolitum vocales: & Fulicæ matutino clangore. Mergi anateſque pennas roſtro purgantes ventum

Digitized by Google

ventum indicant, cæteræque aquaticæ aues concurſantes. Grues in mediterranea feſtinantes: Mergi in maria aut ſtagna fugientes. At de auium præſagiis in ſecundo colloquio dictum.

Sic pecora exultantia, & indecora laſciuia ludentia. Boues cœlum olfactantes, ſeque lambentes cōtra pilum. Turpes porci, alienos ſibi manipulos fœni lacerantes. Segniter & contra induſtriam ſuam abſconditæ formicæ, vel concurſantes, vel oua progerentes. Vermes terreni erumpentes, eandem tempeſtatum atque imbrium ſignificationem habent. Præſagiunt tempeſtates Sciuri, obturatisque, qua ſpiraturus eſt ventus, cauernis, ex alia parte fores aperiunt.

Trifolium quoque inhorreſcere, & folia, contra tempeſtatem ſubrigere, certū eſt. Et montium ſonitus, nemorumque mugitus & ſine aura, quæ ſentiatur, ludentia folia, lanugo Populi, ſpinæve volitantes & aquis innatantes plumæ, prænuncia tempeſtatum obſeruata ſunt. Ægre de arboribus defluentia folia, & exciſa fagis fruſta lignea, ſi madeant, aſperam hyemem & intenſam præſagiūt: nimirum, quod occulto ſenſu ſecuturi frigoris tanquam de futuro cogitantes, ſeque neceſſariis inſtruentes, priuſquam terra gelu conſtringatur & duretur, abundantius ſuccos attrahunt. Aeris infectionem paſſeres & cæteræ ſentiunt aues. Quare contagionibus graſſantibus, ſi vis veneni amplificetur in tantum, vt aërem occupet & inficiat, abſcedunt.

Roſas etiam & violas, ſi ſub autumnum ſecūdo floreant, peſtilitatem adferre compertum eſt. Non enim iterato prodeunt, niſi conſtitutio aëris præcedat Auſtrina & ſqualida, quæ longo duret tempore. Huc pertinent quamplurimæ etiam ruſticorum obſeruationes ac regulæ inde extructæ omnino canonicæ, ex quibus de multiplicibus euentibus, de tempeſtatum cœlique conuerſionibus ac commutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate vel caritate annonæ, de aëris ſalubritate vel infectionibus, de externorum hoſtium incurſionibus, ſępe ſatis feliciter diuinant. Niuium, inquiunt, copia fertilitatē anni, roris & pruinę multitudo ſterilitatem potius, prænotant. Nebula deſcendens ſerenitatem, aſcendens imbres indicat. Tonitru & ecnephias ſunt indicia pluuiæ ſubſecuturæ. Maris tumor, venti, fluuiorum inſolitæ eluuiones, peſtis annuncia ſunt: terræ motus quoq; idem deſignant, teſtibus Ammiano, Procopio, & aliis.

Quoad impreſſiones, quæ per reflexionem lucis, circa vapores ac exhalationes fiunt (vt Iris, halo, coronæ, parelus, virgæ) naturalium præſenſionum prognoſtica cenſeri poſſunt, vt & hiatus, & quæ foueæ & feneſtræ vocantur, nec non flammarum illi tractus, quibus ignis fatui eſt nomen. Sunt enim effectus varii, exhalationis vel vaporis ſuperabundantis & vincentis obſtantia, vel interdum luminis victi ac profligati. Ex arborum quoque prouentu prognoſtica colliguntur, vt teſte Tullio:

Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Amygdalorum copia indicat meſſis abundantiam. Trifolium inhorreſcit, & folia contra tempeſtatem ſurrigit.

Ita ex aëris conſtitutione, quæ incidit in diē Medardi vel circiter, de tota meſſis tempeſtate: Ex ea, quæ Vrbani die cōtingit de vindemia coniecturas faciunt: quæ etſi non exacte ſemper cum euentu congruunt, raro tamen prorſus aberrant.

De numero hybernarū niuium cōiectant ex dierū numero, qui à prima niue ad proxi-

proximum ſuperſunt nouilunium, idque ex vetuſtis & ſępe comprobatis attentorum venatorum annotationibus, ita euenire conſtat.

Vſitatum eſt coloni: prædicere tot tempeſtates, pluuias æſtate oborituras, quot dierum in Martio nebuloſa fuerit conſtitutio, totque Paſcha conſecuturas pruinas, & Auguſto menſe effumaturas nebulas, quot noctibus Martius irrorarit.

Regula eſt ſi in globulis gallarum reperiantur vermiculi, quod vbertatem frugum promittant: ſi muſcæ, quod portendant bella: ſi aranei, quod peſtem minitẽtur. Forſitan quod vermiculi ex putrefactione nati, argumentum ſunt & indiciũ conſtitutionis cœli calidæ & humidæ, quæ fœcundat terram, & rebus naſcentibus ſuppeditat vigorem. Muſcæ vrentem ſiccitatem cœli arguunt, qua inflammantur corpora, & velut vſtulata implentur feruidis & acribus humoribus. Aranei ex venenata, contagioſa atq; impura putredine naſcuntur, quæ cum corripit & inficit corpora humana, in peſtilentes exardeſcit febres: hæ putredine augeſcente erumpunt in bubones peſtilentes & anthraces.

Verum hæc plebeia & in commune nota ſunt, quotidie enim occurrunt, atque à plerisq; facile obſeruantur, poſſuntq; quadantenus eiuſmodi in natura euentuũ ex ipſa natura rationes accommodæ atq; plauſibiles erui. At vero longe alia eſt ratio aliorum in natura effectuum, qui nõ ita incurrunt in ſenſus exteriores, ſed occulta quadam vi mirifice ſeſe exerũt. Verbi gratia, Vnde mira illa lapidum ac gemmarum vis? Certe non niſi primario à Deo, ſecundario vero ab aſtrorum influxu? cauſa namq; alia occultarum cuiuſque qualitatum reddi non poteſt. Sic lapis Æ-tites, qui in nidis aquilarum reperitur, & ſine quo oua parere aquilæ non poſſunt, alium in ſe habet lapidem, atq; in fœminarũ vtero fœtum retinere facit, occulta ipſi à Deo indita vi ac qualitate; ob id mulieribus ſiniſtro brachio alligatur, quouſq; partus hora aduenerit, qua aduentante, ilico à brachio religari, & ſiniſtrę coxæ imponi, vt ſubito & ſine labore enitatur, iam enixa tollatur à coxa, ne vterus ſequatur, nobis frequenti (inquit Ioannes Baptiſta Porta) & notiſſimo experimẽto cognitum. Chelidonius lapis è iuuencularum hirundinum, priuſquam terram attingant, ventriculis menſe Auguſto creſcente luna exſectus, & ſub ala geſtatus, lunaticos, id eſt, comitiales, inſanos ac languidos ſanare, quinetiam facundiam ac gratiã conciliare apud homines perhibent. Alectorius lapis, qui in ventriculo capi reperitur, in ore incluſus, ſitim validiſſime reſtinguere perhibẽt. Sed & Torchois vix credibili virtute ferentem ab imminenti periculo (tanquam videlicet innato contra aduerſa quæq; quodam amuleto medicamentoq;) geſtãtem fortiter vendicare celebratur: adde quod cor & oculos recreare, & hilaritatem proſperitatemque adſciſcere creditur. Corallum in mari mollius primum creſcit: inde vero extractum duratur, cumq; ſub aqua vireat, ſtatim atq; hanc ſuperauerit, rubeſcit, albeſcit aut nigricat; ſanguinem auget & expurgat, cor & ventriculũ roborat. Contra cardiacos & melancholicos affectus plurimum celebrantur Margaritæ. Chryſolitum nocturnis pauoribus ac moleſtis inſomniis aduerſari, crebro expertum. Smaragdo vires adſcribunt præſtãtiſſimas aduerſus venena omnia, præterea morbo comitiali vel à collo pendulam, vel annulo geſtatam prodeſſe. Tum vero apud omnes conuenit, lapidem hunc rerum venerearum impatientem eſſe. Topaſium in manu geſtans, citra iacturam manum aquæ bullienti intingere poteſt. Adamãtem contra venena atque incantamenta amuletum eſſe præſentaneum teſtantur, eumq; pręſente toxico madere confirmant, ideoq; peſtiferis cauſis reſiſtere creditur,

Digitized by Google

tur, negantque ferentem faſcinari poſſe, ab incubis quoque & ſuccubis eum tutũ aſſerunt, qui adamantem portat. Silenites, candidus ex Arabia lapis, pro Lunæ incremento creſcit, eius ſenio autem decreſcit.

Herbarum quoque quarundam vires admodum ſecretæ ſunt. Scylla in anno ter floret, ſanctiſſimum Trinitatis exemplum exhibens, inquit Ioan. Baptiſta Porta. Palma perpetuis iiſdem foliis virere conſpicitur, veterẽ comam non deponendo. Citria arbor toto anno nec fructu deſtituitur, nec floribus. Plantæ aquis incolæ vires adeo validas retinent, vt linguam cutimque exulcerare queant. Hippericon vehementiſſime dæmones eiicit, ob id fuga dæmonum dicitur, quippe quam obſeſſi nec odorari nec ſupra ſe ferre poſsũt. Ruta cõtra maleficiatos valet. Abrotani ramus, puluinari ſi ſubiiciatur, venerem ſtimulat, habeturque efficaciſſimum contra omnia veneficia quibus coitus inhibetur. Canabino ſemini tanta vis coagulandi ineſt, vt aqua affuſa eam coaguletſ ſic & cotoneorum ſemina. Centaurium ſubrufenti radice ad ſanguinis irruptiones & menſes: vis eius in vulneribus tanta, vt cohærere etiam carnes tradant, ſi coquantur ſimul. Orminum, centrum galli officinis dictum, cuius ſemen feſtucas, puluiſculos, aliaque oculis infeſta, quæ foris incidunt, eximit vi attractoria: ipſa vero herba aculeos ſpinaſque extrahit, ac morantes difficileſque partus accelerat, animiq; nebulas diſcutit: flores eius & ſemina contuſa vino ebullienti nouo indita, muſcatelli, imo vini Cretici ſeu Maluatici odorem atq; ſaporẽ addunt. Teſtatur Guilielmus Gratarolus, dum is in cõuiuio diſcumberet, oblatis & acceptis inuitantium omnium poculis ſe perſtrenue potaſſe, eo quod folium crudi caulis rubeſcentis præſumpſiſſet. Si acetum ſubito facere voles, betæ tuſæ radicem in vinum coniicito, poſt horas tres in acetum degenerabit; quod ſi voles in priſtinum ſtatum reſtitui, braſſicæ radicem inde. Si in dolium vini corrupti raphanus immittatur, & paulo poſt extrahatur, illud emendat, & vitium in ſe contrahit. Idem ſiccatus ac tritus in vino poſitus puluis, poſt aliquot dies acetum habes raphanatum, ad renum calculos deturbandos, aliaque multa ſummopere vtile. Gentiana minor, radicibus conſtat numeroſis vti vermibus, tuſa & emplaſtri modo ventri impoſita vermes necat. Pes teſtudinis marinæ dexter ſuper pedem podagrici dextrum, & ſiniſter ſuper ſiniſtrum, expellit podagram. Napellus flores purpureos oſtendit, qui priuſquam dehiſcant, defuncti hominis caluariam monſtrant, benignitate naturæ, vt huius cadaueris ſimilitudine, homines ab illius plantæ eſu & vſu auertat: adeo pernecabilis veneni vis eſt, vt vix antidoto aliquo ſuccurri queat. Aloe arbor perpetua & immortali virore donata, à terra eruta viuit, vindicat à putredine, non tantum viuorum ſed & mortuorum corpora addita myrrha. In melle eſt cœleſtis vis & naturæ potentia memorabilis, quod à putredine exanima ſeruat. Diophones inquit, ſi tritum ocymum operiatur lapide, & Soli exponatur, ſcorpionem g gni, & multis qui eo odore oblectarẽtur, in cerebro natum ſcorpionem inuenerũt. Citrio pomo, præterquam quod tineas veſtibus interpoſitum necat, poteſtas eſt aduerſus venena. Si citrium aut eius loco limonium etiam integrum in aqua roſacea & ſaccharo tamdiu coquatur, donec tabeſcat, & in ius reſoluatur, immunem ab omni veneno & peſte reddet eum, qui mane iuſculi talis ſeu electuarii cochlear vnum paruum aut alterum hauſerit. Res in peſtilentibus contagiis feliciſſimo ſæpenumero ſucceſſu experta.

EQ. Præſtantiſſimum etiam mangonium exinde conficitur pro mulieribus, qui virorum captare amorem impenſe ſtudent: Magnum limonium parte ſuperiore

riore aperitur, vt carnes & pulpæ interiores inſtar paruæ nucis educi poſſint, tum demum cauitas ſaccharo roſaceo vel cando vocato, cum aliquot foliis auri impletur, ſuo operculo clauditur, calentibus cineribus exponitur, & dum ebullit, remiſcentur omnia, ac mox ab igne tolluntur: vſus erit ex panno lineo hiſce miſcellaneis intincto, & per faciem blande circumducto; habebit faciem Ioue dignã. Hæc in gratiam aſtus muliebris obiter.

PH. Quercuum tam multiferum eſt robur, vt etiam viſcum & mella pariat; conſtatque rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis inſidere frondibus; fert boletos, ſquillas, gulæ notiſſima irritamenta, quæ circa radices gignũtur, promit, vt & aliæ glandiferæ, agaricum, fungum, antidotis efficacem: Serpens quoque iniectis frondibus quernis moritur. Moſcus lapideus, qui ſuper ſaxa naſcitur, certiſſimo experimento ad frangendos calculos valet. Hyſopus quoque qui naſcitur in muro, mire calculos renum deturbat, confecto ex eo ſyrupo cum tantundem aquæ parietariæ. Caltha flore luteo emicat, ſingulis menſium Calendis floret, quapropter vocata eſt Kalendula, cuius flos vino potus ciet menſes, ſecundas etiam mirifice educit, etiam arida ſuffitibus admixta. Oleum de roriſmarino, quod aquæ è roriſmarino deſtillatæ innatat, paralyticis & apoplecticis eo inunctis ſalubriter admouetur. Odor accenſi fruticis huius, peſtis contagia itemque ſerpentes fugat. Placida & hilaria inſomnia ex Meliſſa nouimus. Lauri folia, ſi puluino noctu ſubiiciuntur, veritatem ſomniorum cõciliant. Laurus intus ignem habet, affricatu enim excitat ignem, foris vero reiicit ac deteſtatur, quod videlicet ignis eius internus naturalis ab externo artificiali differat. Prodigioſum quinetiam miraculum eſt, quod etiam herbæ quædam nubilo die deliteſcentem Solem produnt, vſque adeo vt etiam die nubilo diei horas colligere poſſimus. Caprificus tauri quantũuis ferocis collo circũdata, adeo eum mirabili natura cõpeſcit, vt immobilis perſtet: & caules caprifici, ſi inter coquendum carni bubulę addãtur, magno lignorum compendio eam percoquit. Refert Hieronymus Cardanus, herbam Alexandrinam dictam hyeme tantum germinare ac lætius prouenire. De oxalide ſiue acetoſa, inquit Antonius Myzaldus, id ſum expertus, quod carnes quantumuis duras, coriaceas ac peruetuſtas, aptas edendo reddit ac tenellas, ſi illi concoquantur, ac præmaceratæ elixentur. Radix eius aquę incocta rubellũ vini colorem ementitur, grata ac ſalutari febrientibus impoſitura.

Sed & in auibus pariter atque quadrupedibus mira obſeruantur. Luſcinia dicitur non dormire; lepus multum dormit, Herinacius per annum ſine cibo durat. Ranæ latent hyeme, vere prodeunt; oleum ex iis paratum prouocat ſomnum. Aquila contra dracones, homines, aliudve quoduis animal pugnam animoſe init vſque ad mortis periculum, Chameleonti tamen cedit, attrahere auem ad ſe volantem ſupra ſe, ac voluntarie ſe præbere laniandam ferunt. Iecur Chameleontis aduſtum, referente Democrito, tonitrua excitat & pluuiam. Muſtela ſerpentem impugnat, & Baſiliſco muſtelarum fimus exitio eſt. Rubeta tamen muſtelam trahit. Mirum ſpectaculum. Muſtela ex arboribus ſtatim Rubeta conſpecta vociferat & auxilium implorat, deſcendit, & in os rubetæ illabitur, illa aperto & patulo ore hians expectat ac vorat. Officulum eſt in latere rubetæ, quo admoto aqua feruere dicitur, canum impetus cohibet, & amorem conciliat. Muſtela quoque attracto-

tractoriam vim obtinet vt & cerui; atque vt illi ſerpentes, ita hæc mures è cauernis ſpiritu extrahunt. Gallus gallinaceus terror eſt leoni; albus præcipue cantu & criſta ipſum fugat; & baſiliſcus tum eius aſpectum, tum vocem extimeſcit, qui tamen ex galli ouo, cum iam deſinit gallinas ſuperuenire, naſci dicitur. Paſſerculus (trogloditis) ſale tantum maceratus & crudus, & integer comeſtus, calculos conterit, & cum lotio excernit, renaſcique prohibet. Sui ſerpens aduerſatur, qui deuoratur ab ea, imo tanta & tam ingens vis Salamandræ, à ſuibus tamen innoxie manditur. Salamandra tactu ignem extinguit, non alio modo quam glacies; eius os geſtatum, ſecuritatem ab igne præſtat, incremabilem reddit & ſecurum contra incendium. Si Salamandræ ſanguine manus aut veſtem inunxeris, igne non adurentur. Ciconia ſerpentes deuorat, carnes eius contra omnia venena valent. Catellus lactens cuicunque corporis dolori admoueatur apponaturque tranſire in eum morbus dicitur, & præſertim quibus pilus concolor & non variegatus. Animalia voracia & inſatiabilia præſtant nobis facultatem ventriculum corroborandi, ac vim concoquendi. Mergus enim quod auis ſit voraciſſima & plurimum concoquit, ob id pellem eius cum plumis paratam à pellifice, & nocte ſtomacho applicatam, vim concoctionis promouere: & mergi ventriculus in cibo ſumptus ſtomacho imbecilli medetur; non ſolo calore innato (alioquin enim leonis ſtruthionisve ventriculi, quippe feruentiores hoc nomine potius commendarentur) ſed proprietate congenita ac qualitate occulta. Ex tauri ad internecionem fuſtibus cæſi viſceribus, loco obſcuriori relictis, viginti dierum ſpatio ingentia apum examina erumpunt, ſic vt totum cadauer illud illis obſideatur. Phœnix quingentorum, vt dicitur, annorum ſenio confecta, ſeipſam congeſtis lignis exurit, ex cuius buſto aut cinerum aceruo rediuiua exurgit illa; ſic materia lapidis ſi proprio ſuo exuratur igne, fit vena perpetua, non deficiens. Muſcæ, bombyces, ſingulis annis emori videntur, iiſdemque reuiuiſcere. Tantillus phalangii ſcorpionisque ictus, qui viſu ægre conſpici poteſt, tam exiguo veneno totam corporis molem inficit, ac velut grandine percuſſum congelat.

Cæterum vnum idemque diuerſos ſæpenumero imo etiam quandoque contrarios habet effectus, pro diuerſis obiectis, diuerſoque applicandi modo ac ratione.

Sic aquam è niue liqueſcentem ſitim non extinguere, ſed augere illam potius, conſtat experientia. Sal cum vino ebibitum ebrietatem inducit, ſi vero à ieiuno ſumatur, ebrietatem prohibet. Lactuca ex aceto caliginem oculis offundit, eadem illinendo medicamento adhibita, calidæ multum confert ophthalmiæ oculorumque ſuffuſioni. Arcet peſtilens illud virus cum caricula nux, cumque pauculis rutæ foliis ieiuno præbita. Eadem nux cum cepa & ſale remedium eſt valentiſſimum ſanando rabidi canis morſui.

Mira etiam in quibuſdam conſpicitur tam animatis quam inanimatis συμπάθεια aut ἀντιπάθεια, hoc eſt, conſenſio diſſidiumve. Verbi gratia: Inſanus ac furens Elephas, ariete conſpecto manſueſcit. Taurus, quantumcunq; ferox, miteſcit alligatus ad ficum. Ouium à lupo admorſarum carnes fiunt teneriores, ſed lana earum, neta etiam textaq; pediculos gignit. Equi, vbi veſtigia luporum contingunt, obſtupe-

obſtupeſcunt,& totis conuelluntur pedibus. Lupus ex contactu bulborum Scyllæ,reſolutus fathiſcit.

Homo,quem lupus prior viderit,obmuteſcit. Cancer Polypodio obiecto, callos pedum & vngulas exuens abiicit. Veſpertiliones hederæ ſuffitu necantur. Vipera fagi ramulo tacta ſtupet.

Ciconiæ platani foliis à nidis veſpertiliones arcent: Hirundines apio ſilphas & blattas: Noxias beſtias coruiaro: Vpupæ adianto: Cornices ſupina verbenaca: Perdices arundine: Galerita gramine. Aquilæ galli cantu terrentur: earundem pennæ cæterarum auium pennas deuorant. Echeneis remoratur naues. Ad Torpedinis contactum etiam ex longinquo prævalidi obſtupeſcunt artus.

Ruta ad ficum conſita lætius prouenit & ficum fœcundat. Braſſica inimica eſt vitibus. Magnes ferrum ad ſe trahit & viciſſim abigit, ſi allio confricetur: Extinctam vim recipit prolutus hircino ſanguine. Adamas & ſuccinum alliciunt arripiuntque paleas, pilos, feſtucas omnis generis, ſuccinum ſolum reſpuit ocimum. Adamas de ſolo hircino molleſcit ſanguine. Aſtroites aceto impoſitus vertitur in orbem. Sapphyrus ſcorpionum ictibus medetur. Argentum viuum auro amicum, cætera metalla non tranſmittit, ſed ſuſtinet, auro cedit, vt ſubſidat: auro item illitum, mox vbi ignem ſenſerit, auolat. Exanimata fere iumenta, & extincti pæne virium deliquio homines, obiectu panis reuocantur. Nec canum eiulatu, aut ferociore equorum hinnitu, editas euentorum præſenſiones rideo, quibus animalibus nullum homini familiarius.

Referri ad hanc claſſem etiam poſſunt diuinationes metallariis vſitatæ, quæ fiunt Sciotericis & virgula diuina. Eſt ea ex corylo deciſus bifidus ſurculus, quo venas illi auri argentive feraces explorant, inclinante ſeſe eo virgula, qua ſub terra venæ feruntur atque incedunt. Qua vi id ſoli corylorum præſtent ſurculi, & non item cæterarum arborum, quę in iiſdem prouenerunt locis eodẽ terræ altæ refectæque ſucco, obſcurum eſt: niſi, quod coniicio, συμπάθειαν habere corylos ad metalla connatam & occultam; eam augent roborantque ſucci cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggeſta radicibus terra, nutritionis cauſa ſugunt & hauriunt. Sciotericis vias ductusque venarum profundiſſimos, miro artificio peruestigant & deſignant, diriguntque operarios ne deuient ex planorum triangulorum natura.

Deſino recitare exempla: quippe tota mihi percurrenda eſſet, & exhaurienda rerum natura, ſi vellem integre perſequi partes ſingulas; & quantum in hac re, humana nauare poteſt, atq; aſſequi induſtria, doctorũ monumentis deſcriptum extat. Hæc autem recenſui, vt earum diuinationũ fontes, quæ vel ex animantibus & plantis petuntur, vel de ipſorum inſtituuntur occultis naturis, oſtenderem Phyſicos eſſe, non commentitios.

Quotus quiſque vero eſt, qui omnium iam dictorum naturæ mirabilium cauſam reddiderit? Ecquis calidarum fontiumque noctu feruentium, interdiu autem gelidorum rationem aſſignauerit? quis æſtum marinorum fluminum tam varie reciprocantium cauſas vnquam explicare aut aſſignare poterit? Quis metallorum, lapidum, plantarum, radicum occultas qualitates earumque cauſas perſcrutetur? Rumpatur licet, in pleriſque tamen aliam nullam reddet rationem, niſi ὅτι, id eſt, quia natura ita condita eſt, non vero διότι, id eſt, cur ex tali naturæ diſpoſitione talis effectus conſequatur. Omnia itaque diuina quadam

dam lege conſpirare, adeoque, vt Plato in Timæo docet, cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum dicatum eſſe, cuius influxu vires nanciſcatur atque exerat, videtur ſtatuendum.

TH. Ars longa, vita breuis eſt, animusque hominis nouis ſubinde inuſitatorum euentuum procellis concutitur, adeo vt continuis motibus fluctuet, nec rerum perueſtigare cauſas exacte queat. Etſi enim de pulchritudine rerum, ordine corporum, mirandisque rerum effectionibus, quæ in vſum & ſalutem hominum, protectionemve eorundem aut liberationem procurantur, abunde ſatis conſtat; attamen præter noua conſuetaque & naturæ conformia rerum effecta, interdum noua quædam, inuſitata & diſſimilima rebus naturalibus, non mole, aut vehementia, inſuetove tempore, ſed enormi, deformique, & toto genere diſcrepante ſpecie, animaduertuntur: quæ, ſiue natura tritam atque vſitatam, viam egreſſa, & degenerante à tenore ſuo, ac modo, ſiue nulla ex parte lapſa aut deerrante prouenerint, exterruerunt, omni tempore, animos humanos, correptos præſagiis triſtium & calamitoſorum euentuum, admirationeque, & metu affecerunt, in quacunque illa naturæ parte exiſterent & obſeruarentur. *De oſtētis.*

Inde *τέρατα, oſtenta*, Græci, & *τεράστια, res prodigioſas ſeu monſtroſas*, nominarunt, tanquam portendentia luctificum quiddam, & miſerum, hisque inſolita nouaque notarunt quæcunque: viſaque ſunt talia multa omnibus temporibus in quauis naturæ parte inuſitata, ac ſemper fere ſingulares caſus præcurrerunt.

PH. Latini oſtenta ea vocarunt, ab oſtendendo: Monſtra, à monendo, vel, vt maluit Cicero, à monſtrando: Prodigia, de Ciceronis ſententia, quaſi prædicia: vt cæteris placuit E ymologicis. quod diuinitus propagantur futuris & conſecuturis rebus, hoc eſt, ante illas propellantur: Portenta, quia, quæ porro ſunt, quaſi intentent.

Monſtrorum nomen iis tributum eſt, quæ ex animantibus naſcerentur, non ſui generis ſpecie, ſed aliena ac diſſimili, nimirum quæ, vel diuerſarum rerum formis varie confuſis, vel natiua rei facie diſtorta, confracta, aliove modo defœdata conſtarent, aut mutila eſſent, & truncata, aut plurium non neceſſariarum partium, integrorumve corporum adhæſu coalituq; naturæ modum prætergreſſa: Græcis *τεράστια*, prodigioſa ſiue monſtroſa ſunt. *Monſtra.*

Oſtentorum autem nomine, non ſolum in vicino aere, ceu picturis expreſſas, & ſæpe animaduerſas imagines confligentium exercituum, crepitus & fragores concuſſorum armorum ac ſimilium, ſed quæcunque, in ſublimiore illo ſiderum cœlo, perpetuis orbium circumuolutionibus, Dei iuſſu inſolenter accidunt, complector: è quorum ſunt genere, ſignum retroactæ vmbræ, ſtella toti humano generi exorta Chriſto nato, & à ſapientibus Arabum viſa ac notata. *Oſtenta.*

Fulgentium in aere effigierum magnam varietatem non vetuſta ſolum, ſed recentia etiam obſeruarunt tempora, quas alias aliæ cauſæ, Deus, ſancti Angeli, ſæpe Diaboli effingunt: ſæpe nubes vaporesve radiis perſperſi tinctique ſtellarum deſuper, & partibus aliis plus, minus aliis nitentes, vario poſitu exprimere videntur.

Anno 32. non procul ab Oeniponte, hæ viſæ imagines. Aquila ſtans in colle, ac trepidans, huic è regione obuiabant aliæ tres velut hoſtiles imagines, quarum prima Camelus erat reſpectans, & flamma in orbem circumdatus: Altera

 Lupus

Lupus flammam ore euomens, flammeo itidem orbe ſeptus: Hunc ſequebatur Leo, cui vir cataphractus ſtans in aditu montium, blande contrectabat iubam, & viciſſim blandiri huic Leo videbatur, pedem velut ſalutabundus porrigens.

Anno 34. tertia die Iulii, in oppido Schleſvvik, à meridie cœlo ſereno, conſpecti ſunt in aere Leones, ex locis diuerſis concurrentes ad conflictum, &, iuxta illos, cataphractus Eques, haſtam quatiens infeſtam. Non procul ab Equite, iacuit caput humanum, ſine trunco, ornatum diademate Imperatorio. Modico interuallo poſt, Apri caput aculeatum viſum eſt, & duo Dracones vomentes ignem. Deinde, vnicæ & ampliſſimæ vrbis effulſit imago, poſitæ ad lacum, claſſeque & terreſtribus copiis obſeſſæ, & ſupra hanc, Crux ſanguinei coloris, paulatim conuerſi in atrum. Alius item Eques prodijt, igneo flagrans colore, diadema geſtans in capite Imperatorium: quem inſecutus eſt equus ſine ſeſſore: poſtea, in ampla planicie, duæ ardentes enituerunt arces, vicinæ alio monti, ad quam hæſit Aquila grandis, dimidium ſui corporis, poſt montis latus, abſcondens: aliquot ibidem pulli Aquilarum, candido colore nitidi apparuerunt: item Leonis ſupini caput, inſignitum corona: Gallus gallinaceus roſtro feriens fodiensque caput tantiſper, donec id à trunco corporis ſolutum delaberetur & euaneſceret, corpore diu perſpicuo. Aſtiterunt & alii Leones, & iuxta Apri caput, Monoceros paulatim conuerſus in Draconē, aliaque plurima inuſitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arſit & in celſa rupe, arx, duobus cincta exercitibus, & viſa eſt integra regio, frequentibus oppidis, arcibus, & vicis referta: Sed, mox totus tractus, in quo hæc ſteterant, igne correptus conflagrauit, & ruinas vaſtæ terræ ſtagnum ampliſſimum obruit, extantibus tantum turribus, in eo loco, in quo antea magna illa vrbs apparuerat. Ad ripam lacus, grandis Camelus, bibenti ſimilis conſtitit.

Anno 45. altero die poſt Pentecoſten, in Sileſia hæ viſæ ſunt imagines. Duxit ab Oriente inſtructam aciem Vrſus, cui ab Occaſu Leo, armata manu occurrit: intra exercitum vtrumq;, luciſſima micuit ſtella: mox congreſſi inter ſeſe vtrinque, dimicarunt acriter, vt deſtillare ex ſauciatis corporibus ſanguis vbertim, & exanima concìdere cæſorum viderentur cadauera. Inter præliandum, Aquila, ex præcelſa rupe, ſupra copias Leonis, ſeſe librare, alarum remigio, viſa eſt. Vbi depugnatum eſſet, quaſi dirempto certamine, Leo rurſus inter ſuas effulſit cohortes: vrſi nulla apparuit ſpecies, ſed proſtrata & ſparſa iacuerunt cadauera, qua alter exercitus conſtiterat, quibus aſtiterunt ſenes canicie ſpectabiles & venerandi. Finito prælio, reduxit exercitum ad Occaſum Leo: quo aliquo vſque progreſſo, quidam albo & ornato vectus equo, à copiis rediit ad pugnæ locum, atq; in eum equū, iuuenem cataphractum ibi ſtantem collocauit, & verſus ortum procedentem, comitatus cum cæteris ſpeciebus euanuit.

TH. Quæſitum omni eſt tempore, quæ vis talia pingat ſimulachra: An, cum nunquam halitibus aer vacet, halitus illi, fortuito concurſu, aut, ſi ſparſim diuulſi ferantur, ex interuallis, cohæſione aliqua, ea conſtituant, ſed lumine cœleſti colorati, alias nitore fulgido, flammeo alias, & flagrante rubore, pro fumorum conditione: an vero intelligentes ea exprimant naturę, & ſecuturorum caſuum præſcię: ſeu nubibus fumiſve adhibitis, ſeu, abſque his, fulgida aliqua ſpecie: Ego vero pleraque, vel à Deo ipſo, vel à ſanctis Angelis confici conformarique exiſtimo, qui, amore generis humani, quā ex æterno Deo coram didicerunt, ideam & ſeriē euentorum,

torum, his imaginib. delineatã nobis contuendã proponunt, nõ vt præuideamus, quæ ſubterfugere aut elabi nullo modo poſſumus: ſed vt his admoniti, & de noſtris cogitemus peccatis, & magnitudinem periculorum metiamur animis, & admonitiones ac cõſolationes editas diuinitus redigamus in memoriam, atq; inter intentata immiſſaq; etiam tela, cum omnia lethum minabuntur, ad ipſius genua aduoluamur ſupplices, nec deſinamus caſtis pectoribus, & manib. in cœlum porrectis, votis precibusq; expoſcere, vt, quanquam ſcelera hominum malum flagitant, ipſe tamen ſuppliciter ad ſe, inque ſinum nos receptos tueatur, ac protegat ab omnibus capitis ſalutisq; noſtræ hoſtibus, & impendentia mala auerruncet.

PH. Prodigiorum quoq; magna varietas, quod ego nomen illis accommodo, quæ in Elementis, præter naturam, nouata atque inuſitata notantur, aut mixtis rebus. Ex aere, ſanguine, lacte, frumento, lapidibus, ſulphure, igne, antiquis temporibus ſæpe pluiſſe legimus. Noſtra ætate imbres ſanguineos, ſcintillantes inter pluendum guttas & feruidas pluuias, frumentaceas, inuſitatæ magnitudinis grandines, ceu arte figuris hominum expolitas multæ ſenſerunt gentes. Atratas paludes, ſanguine fluxiſſe. Terram in cruentas erupiſſe ſcaturigines, Ariſtas guttatim ſanguinem extillaſſe, Statuas & ſimulachra in templis copioſo ſudore diffluxiſſe etiam exterſa & ſiccata, hiſtoriæ tradunt. Et his annis ſimilia viderunt multi. *Prodigia.* *Exempla prodigiorũ.*

Variis etiam ſeſe ſpeciebus oſtendunt Dæmones, quas ſpectra & *φάσματα, viſa,* vocarunt, & Portenta etiam, ſi terribilia eſſent, & aſpectu horrida. De quibus in ſuperioribus abunde egimus. *Portenta.*

EQ. Habeatne ergo, quæ hoc modo præter naturæ ordinem eueniunt, aliquam futurorum præſignificationem? Non enim fieri poteſt, quin hominum animi præſertim timidiuſculorum ad tam inſolita apparitionum momenta admodum conſternentur.

PH. Sane quæ in hoc genere minus exorbitant, aut minus longe à natura & ſpecie ſui generis recedunt, ſiquidem aut caſu impedita propinquarum cauſarum actione, aut errore lapſa natura exiſtunt, nihil admodum deſignant, portẽduntve. Minorem etiam adferunt admirationem, quorum ex natura ortum habent cauſę, & intelliguntur: harum enim ignoratio fere terrorem auget.

Quæ vero inſolita prorſus ſunt, eaq; vel maxime, quæ ceu picturis cœlo illitis futura præfigurant, nunquam non ſingulares attulerunt caſus: & plurimis ac concordibus; tum ab antiquitate petitis exemplis, tum aſſumptis ex recenti memoria, declarare poſſem facilime, neque eximium aliquid, memorabile & magnum extitiſſe, non præcurrentibus deſignatum indiciis: nec noua & inſolentia conſpecta vnquam, aut obſeruata, quin attraxerint præcinuerintve, nouum aliquid & ſingulare, niſi cognitum vobis atque exploratum ante ſcirem.

Funeſtas clades, & ſæua bella, perpetuæ ſanguinis eruptiones atque effluxus, vel pluuiæ: frugum è cœlo delapſus, annonæ caritatem apportarunt.

Et quanquam oſtentorum monſtrorumque omnium explanationes non cuiuis ſunt obuiæ: non ſpernamus illas tamen his innexas iræ diuinæ indicationes & comminationes, nec pro nihilo pendamus profecta, ex immenſo amore, erga genus humanum præmonita: nec cogitemus caueri & abigi non poſſe, quæ his denunciata prodigiis Deus molitur in genus humanum: ſed certo confidamus, eum memorẽ, & miſericordiæ ſuæ, & editarum promiſſionum, confugientes ad ipſum nec repulſurum, nec deſtituturum eſſe, ſed decretum indictum, & impoſitum

iam

iam calamitatum iugum, pœnitentibus, & ſerio inuocantibus, aut detracturum, aut alleuaturum. Quod vt fiat, faxit Deus omnium rerum moderator malorumque auerruncator clementiſſimus.

EQ. Fuerunt hæc de quibus hactenus inter nos collocuti ſumus, quantum quidem meum ingenium concernit, aliquantum abſtruſa, impoſterum ergo, ſi placet, etiam politica tractabimus: nam iſthæc magis meo ſapiunt palato, nec carent inſigni iucunditate.

PH. Fiat pro veſtro arbitrio; verum alio tempore. Venter enim meus, qui auribus caret, dudum impatienti murmure latrauit. Ad cœnam ergo ibimus, vbi conuiuales cum iucunda delectatione miſcere ſermones erit locus atque occaſio.

Finis quarti Colloquii.

COLLOQVIVM QVINTVM
De Avla et Cavla.
Vbi

De Conuiuiis, regiis pariter atque ruſticis, de vita aulica ſimul atque priuata, aliiſque quæ huius ſunt generis, ſuo loco atque ordine agitur.

PHILOSOPHVS.

Conuiximus hactenus ſimul & conuiuati ſumus amice atque omnino iucunde, quo quidem per omnem mihi vitam nihil accidit gratius; nam is verus ac legitimus conuictus pariter atque conuiuationis eſt vſus, hilaritas nimirum & beneuolentia mutua; nec moror, etſi conuiuia noſtra non admodũ fuerunt ſplendida, multiſq; referta epulis. Nec enim conuiuium definitur ab epularum ſplendore ac magnificentia; ſed ab honeſta, ſuaui & iucunda amicorum hominum eiuſdem cibi atq; potus, adde etiam ſermonis, communione, mutui amoris amicitiæq; cum Deo pariter atq; hominibus partim contrahendę, partim tuendæ atq; confirmandæ cauſa, inſtituta; eſtq; vt Plutarchus *lib. 1. Sympoſ. probl. 1.* definit, oblectatio ſeu viuendi ratio inter pocula cum gratia quadam in amicitiam deſinens, atque adeo incremẽtum ſiue generatio quæ cum voluptate fit; proindeq; recte conuiuia eo metienda, non quod multum ſumptus, ſed quod iucunditatis plurimum iis ineſt. Planeq; abhorreo à conuiuiis illis, vbi cum iam feruet compotatio, ipſe quidem conuiuator veteratorie agens parum bibit, conuiuis autem multum infundi iubet.

TH. Conuiuium iuſtum atque legitimum, rem eſſe non modo honeſtam, vtilem & iucundam, verum etiam ſacram quodammodo, diuinam & religioſam, multis cum ſacrorum tum prophanorum auctorum teſtimoniis videtur poſſe comprobari. Ac primo quidem eius indicio eſt ſolenne illud Scytharum iuſiurandum per conuictum ſeu conuiuendi conuiuandique conſuetudinem ab illis fieri ſolitum, quod quidem ab illis factum minime fuiſſet, niſi conuiuali huic conſuetudini diuinam quandam vim tribuiſſent. Athenæus quoque *lib. 5.* ait, veteres cum coronis atque hymnis deorum propriis, tum menſæ miniſtris non ſeruis, ſed liberis & ingenuis in conuiuiorum celebratione vti ſolitos fuiſſe. Plutarchus

Digitized by Google

tarchus quoque in ſuis ſympoſiacis dicit, veteres menſam rem ſacram iudicaſſe. Vnde Aſclepiades, teſte Pauſania, moderatum conuiuium, deorum conciliabula nominauit, dum ad tale non modo heroas, verum ipſum quoq; Iouem, Deoſque omnes accedere poſſe credidit. Hinc Ouidius 5. Faſt.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

Quæ ſane Ethnicorum opinio à ratione atque veritate mihi minime videtur abhorrere. Nam & Deus ipſe in Paradiſo, in beatiſſimo illo florentiſſimoq; mundi rerumque omnium ſtatu, primos illos noſtros parentes firmo ſtabilique matrimonio copulatos, non μονοφάγυς inſtar Cycoplum, ſed ὁμοφάγυς & ὁμολεχύς, id eſt, victus communione coniunctos eſſe voluit; qua tamen illi συλλεχίᾳ, id eſt, victus conſortio, cum impie nefarieque fuiſſent abuſi, ſe pariter atque nos illorum poſteros in profundiſſimum malorum omnium gurgitem præcipitarunt.

PH. Finis igitur conuiuiorum auguſtus maxime eſt atque diuinus, proinde ipſa quoq; conuiuia auguſta atque diuina iudicabimus; qui quidem finis conuiuiorum proprius atque legitimus, ex ipſorum nominum, quibus ea inſignita ſunt, notationibus ſatis conſtat. Nam conuiuium Latinis dicitur à conuiuendo, quia vitæ habet coniunctionem & quaſi conuictum epularis illa amicorum accubatio, vti Cicero *in lib. de Senectute* teſtatur. Sic cœnam Plutarchus vult dictam eſſe quaſi κοινὴν, id eſt, communem, ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id eſt, communione, cuius nimirum ea ſit interpres, conciliatrix atque cuſtos. Eandem ob cauſam, quæuis etiam conuiuia veteres Ethnici, teſte Clemen. Alexandrino ἀγάπας, id eſt, charitates appellarunt. Et Plutarchus conuiuia appellat prima & humaniſſima hominum, quæ inter ipſos ſint commercia, quibus ſublatis, id quod de igne Thales affirmauit, miram rerum confuſionem ac perturbationem ſequi neceſſe ſit; quamobrem etiam, Sceletum illum Ægyptiacum conuiuiis inferri ſolitum, conuiuis non ad potum ac voluptates, ſed ad mutuam potius beneuolentiam atque amorem incitamento fuiſſe teſtatur, *lib. 2. Sympoſ. problem. vlt.* Non edendi, inquit, & potandi, ſed ſimul edendi potius ac compotandi gratia nos inuicem ad conuiuia vocamus.

EQ. Recte igitur feſtiuus quidam, quoties ſolus cœnauit, eo die ſe non cœnaſſe, ſed ediſſe tantum dixit; cum cœna ſemper communione & amicitia velut condimento quodam indigeat; cœnæ namque menſæque condimentum diuiniſſimum eſt amicus, familiariſque præſens, non ob cibi atque potus, ſed ſermonis potius communionem, veruſq; conuiua non obſonii modo, vini atque bellariorum, ſed etiam ſermonum, ioci, comitatis, quæ in beneuolentiam deſinat, participandæ atque fruendæ cauſa venit.

PH. Non igitur in Baccho & Cerere, hoc eſt, in cibi potuſq; delitiis ac voluptatibus, ſed potius in mutua animorum coniunctione, in mutuo amore ac beneuolentia tuenda atque augenda conuiuium conſiſtit. Siquidem verum hominis alimentum non tam planta eſt beſtiaq;, quam homo. Seorſim enim ab alterutro non ſine moleſtia viuimus, vna iucundiſſime conuiuamur.

TH. Atque ex his etiam cõſtat, vt victus communio magnam vim obtinet ad homines eiuſdem vitæ amicitiæq; vinculo coniungendum, ita contra vitæ cõmunionem ſocietatemque non facile inter illos conſtare poſſe, qui diſſimili ac diſpari

victu vtuntur. Proinde neque hodie adhuc inter Chriſtianos & Iudæos contrahi amicitia poteſt, neque etiam debet. Iudæi namque Sapientum ſuorum (quos inſipientes verius dixerim) præceptis atque mandatis cum Chriſtianis cibum potumque capere prohibentur, vt ex libro quodam illorum, qui inſcribitur *Liber fidei*, conſtat. Ac proinde omnis, qui cum Chriſtianis cibum capit, perinde habetur impurus & immundus, ac ſi cadauere aut animali in agris capto veſceretur. Atque adeo tam grauem illis laqueum hi illorum magiſtri iniecerunt, vt ne caſeum quidem aut butyrum à Chriſtianis coctum aut ſale conditum comedere auſint. Sed & lacte quod Chriſtiani mulſerunt, quidam Iudæorum veſci nefas ducunt, & quocunque alio cibo quantumuis licito atque conceſſo ad veſcendum niſi is illis ſpectantibus, ac ſecundum illorum voluntatem coctus fuerit. Denique quo magis acerbum illorum odium quo Chriſtianos proſequuntur, pateat, vaſe quoque, quo Chriſtianus aliquis vſus ſit, vt caldario, paropſide & his ſimilibus Iudæi nequaquā vtuntur, donec illud prius feruidis & bullientibus aquis ſemel atque iterum eluerint ac defricarint. Vaſa quoque fictilia Chriſtianorum omnia confringunt. Atq; hæc quidem ſunt ſapientum illorum doctorum inſtituta atque præcepta, quæ ſuperſtitioſiores qui ſunt inter illos, diligentiſſime ſeruant; ex quibus, quam graui & immani odio à Chriſtianis Iudæi diſſideant, ſatis ſuperque conſtat.

EQ. Quo magis deteſtanda eſt inconſulta illa Chriſtianorum quorundam conniuentia, dum non tantum putidum ac fœdum huiuſmodi genus hominum ad ſua ipſorum conuiuia ſæpenumero adigunt, verum etiam in ipſorum quaſi fauorem, quiduis pro ipſorum Iudæorum arbitrio faciunt ac liberaliter ipſis præbent. Iudæus fœtidus bibere detrectat niſi prius ſatis ſuperque eluto Chriſtianorum poculo, panem cultro Chriſtiani diſciſſum, ea in parte in qua diſciſſus eſt, ſuo ipſius cultro diſcindit ac canibus deuorandum proiicit, Chriſtianum quemque eodem loco atque numero nefarie habens. Ipſe præbens propinansve Chriſtiano, oris impuri eluuiem, qualem de barbis labiiſque fœtidis atque vlceroſis Iudæorum profluere crebro cernimus, cantharo cyathove immittit. Sciunt ac tolerant hæc Chriſtiani, & non tolerant modo, verum etiam Iudæorum conuiuiis ſeſe haud raro ſtudioſe ac gnauiter inſinuant. Sunt etiam non pauci, iique ex paupercula potiſſimum Chriſtianorum plebe, qui perexigua à Iudæis conducti mercede, diebus ipſorum Sabbatinis, opera ſeruilia, quæ Iudæorum legibus ſunt interdicta, in Iudæorum ædibus pro ipſorum iuſſu ac voluntate faciunt, proindeque vltro ſeſe Iudæorum vanitatibus ac ludibriis mancipant, Chriſtianumque adeo auguſtum nomen hoc modo turpiter proſtituunt. Apud alios interim magnifice gloriantur, quam egregie particula, verbi gratia, lardi, aut alius cuiuspiam rei, à quo Iudæi abhorrent, eos deluſerint, q̃ videlicet cereuiſiæ immiſcuerint, veſtibusve ipſorum adſuerint, ipſi interim fœdiſſime ab ipſis Iudæis vel centies deluſi. Sed abeant ſues iſtæ ad ſua quæ adeo ipſis arrident, ſterquilinia. Nos antiquam eamque honeſtam atque omnino innoxie iucundam conuiuiorum retinebimus teſſeram, quæ eſt, ciuilis ſocietatis, amicitiæ concordiæque conſeruatio. Cuius generis ſunt etiam (antiquorum conuiuiis ſimilia) publica illa ducum Venetorum conuiuia, quæ quater in anno nobilibus exhibent, nec non φυλετικὰ, id eſt, tribulia Heluetiorum conuiuia, quæ quidem omnia ad ciues ab odiis, inimicitiis, vindictæ ſtudio atque litibus, ad pacem, ad amorem beneuolentiamque mutuam reuocandum antiquitus fuerunt inſtituta. Neapolitanorum quoque

regum

Digitized by Google

regum inſtitutum fuit, ſingulis annis ſtatis quibuſdam diebus parari nobilitati epulum ad ædem Mariæ coronatæ, adhibitis etiam præſtantiſſimis matronis, vt nobilium & clarorum in vrbe hominum animi reconciliarentur, teſtis eſt Pontanus *in lib. de continentia.* Sic Cornelius Tacitus ſcribit, Germanos veteres in conuiuiis ſolitos fuiſſe inimicos ſibi inuicem reconciliare, atque in gratiam reducere, amicitias affinitatesque contrahere. Multas præterea graues & diuturnas priuatorum hominum ſimultates & inimicitias conuiuiis olim extinctas atque ſublatas fuiſſe legimus, vt etiamnum hodie ſæpe homines diuturnis à ſe inuicem & capitalibus odiis atque inimicitiis diſſidentes cōuiuiorum occaſione ſibi inuicem rurſus reconciliantur. Sic Marcus Craſſus ad bellum Parthicum profecturus maluit Ciceronem amicum quam inimicum relinquere; quare cum amice compellans, apud eum ſe dixit velle cœnare, quem Cicero comiter inuitauit. Paucis interpoſitis diebus adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinii, vt illum quoque Ciceroni (nam erat inter illos grauiſſima ſimultas) reconciliarent. Quibus Cicero: Num & Vatinius apud me vult cœnare? teſtis eſt Plutarchus *in Cic.* Memorabile quoque eſt illud exemplum, quod Liuius *lib. 8. ſecundi belli Punici* commemorat. Syphax rex Scipionem & Asdrubalem ad ſe vno tempore caſu venientes, ac pacem amicitiamque ſuam petentes, etſi populorum duorum ſibi inuicem infeſtiſſimorum legatos, tamen vtrumque in hoſpitium inuitauit, quos ad colloquium ſimultatum dirimendarum cauſa contrahere conatus eſt. Verum Scipio id renuit, dicens, haud priuatum ſibi cum Pœno odium eſſe, quod colloquendo finiret, nec de republica ſe cum hoſte agere quicquam iniuſſu Senatus poſſe. Verum ita rege contendente, ad eaſdem epulas venerunt, ſimulque apud regem cœnauerunt, & eodem lecto Scipio atque Asdrubal (quia regi ita cordi erat) accubuerunt. Pulchrum ſane barbari regis & imitabile exemplum, quo monemur per quamcunque occaſionem hoſtium animos inter ſe conciliari. Sed & in eo conuiuio Scipio quoque præſtitit, quod legati magnorum Principum merito imitentur. Tam comem enim ſe in eo præſtitit, vt non Syphacem modo barbarum, inſuetumque omnibus moribus Romanis, ſed hoſtem etiam infeſtiſſimum facunde alloquendo ſibi conciliarit.

TH. Recenſebo non minus inſigne exemplum, quod de Rodolpho Habſpurgenſe Cuſpinianus ſcribit. Is enim cum Abbate S. Galli grauiſſimum bellum gerens, paucis comitatus & inermis in monaſterium S. Galli ſponte (dum Abbas adhuc cœnaret) venit, menſæque aſſedit, atque ita inter cœnandum ſecum inuicem in gratiam redierunt, adeo vt mutua quoque auxilia aduerſus alios quoſdam ſuos hoſtes ſibi inuicem polliciti fuerint. Huc quoque referri poteſt, quod Iuſtinus lib. 2. de Arthemeno & Xerxe fratribus memoriæ prodidit. Hi enim, quum de regno grauiter contenderent, certamine concordi animo ad Anapharnem patruum ſuum, veluti ad domeſticum iudicem delato, in ipſo litis tempore & munera inuicem miſerunt, & iucunda quoque inter ſe, non ſolum credula conuiuia habuerunt. Atque huc facit præclara illa Benſyræ Rabbi ſententia: *Menſa parata ſiue poſita, contentio tollitur*; qua ſignificatur, menſæ communione ſiue conuiuiis ſæpe tolli contentiones, rixas, inimicitias, & gratiam reconciliari.

PH. Hic nimirum verus ac genuinus eſt conuiuiorum finis. Cæterum conuiuiorum extremi defectus videntur eſſe quatuor ſpecies. Prima eſt, cum quis

ita omnino à conuiuiali hac conſuetudine abhorret, vt neque alios ad epularum ſuarum communionem vnquam inuitet, neque inuitatus ad aliorum conuiuia accedat, id quod feræ cuiuſdam immanitatis videtur eſſe, quippe quum ipſa natura atque humanitas omnino hanc vitæ cœnarumq; conſuetudinem poſtulet. Secunda ſpecies eſt, cum quis alios quidem inuitat, iiſque epulas ſuas impertit, at aliorum epulas & conuiuia aſpernatur, id quod inſolentiæ, ſuperbiæ atque moroſitati cuidam videtur aſcribendum. Tertia eſt, quum quis inuitatus libenter quidem ad aliorum conuiuia accedit; at ille neminem inuitat; id quod cum auaritiæ tum ingratitudinis cuiusdam impudentiſſimæ vitium eſt, quo qui laborat, ἀλλοτριοφάγος dici poteſt. Quarta ſpecies eſt eorum, qui inuitatos ad conuiuium nimis tenuiter atque ſordide tractant, ſemifamelicos atque ſitientes dimittunt, qui μικροτράπεζοι poſſunt appellari; quo nomine ſordidi Græculi olim fuerunt appellati. Sed in his omnibus excipi debent illi, qui vel præ aduerſa valetudine, vel negotiorum multitudine, vel denique inopia & egeſtate conuiuiali huiuſmodi officio minime fungi poſſunt.

Porro quod ad alterum conuiuiorum extremum, exceſſum nimirum, attinet; eſt is nihil aliud quam inordinata, immoderata & effrænata conuiuiorum cupiditas, non ex honeſtatis charitatisque erga Deum atque proximum ſtudio, ſed ex ambitione, ſuperbia, inſatiabili quadam inexplebiliq; voluptatum cupiditate promanans. Hoc enim vitio ac labe infecti qui ſunt, curare id ſolum videntur vt comedant, neque conuiuia exercent conuiuandi gratia, ſed comeſſandi, dumque aſſidue & liberaliter potent, dum ventrem impleant, dum palato indulgeant, cæterorum obliuiſcantur omnium. Extantque huiuſmodi intempeſtiuorum, profuſorum luxurioſorumq; conuiuiorum exempla in hiſtoriis infinita.

TH. Non eſt opus aliunde exempla ex hiſtoriis depromere, apud nos ſiquidem, nos inquam Chriſtianos ille conuiuiorum luxus atque luxuria ceu lues quædam contagioſa atque peſtifera breui tempore ita creuit, vt ad ſummum perducta, nihilque ei amplius addi poſſe videatur. Imo proh dolor, barbaros illos & à Chriſtiano numine atque nomine aleniſſimos hac in parte longe vincimus & ſuperamus, ita vt contra nos paſſim ab illis armis belliſq; vinci minime profecto ſit mirum. Sed nec in ſumptuoſiſſimis huiuſmodi luxurioſiſſimiſq; conuiuiis, Dei gloria, non proximi ſalus, non mutuus amor, beneuolentia atque charitas (quæ ab orbe Chriſtiano omnino videtur exulare) quæritur, ad quæ ceu veros legitimosque fines conuiuia omnia dirigi atque referri debent, ſed longe alii peruerſi præpoſterique fines in conuiuiis noſtris nobis plerunque ſunt propoſiti; quorum non poteſt iniri numerus.

Cōuiuiorū abuſus.

EQ. Scio ego, pleroſq; vana quadam & inani ductos ſeu potius ſeductos gloria, ſuæ magnificentiæ, potentiæ atque opulentiæ oſtentandæ gratia, huiuſmodi conuiuiorum luxuriæ ſtudere. Huiusmodi autem vana & inani oſtentatione nihil aliud aſſequuntur, quam quod plurimorum aduerſus ſe odia, inuidiam atque inſidias concitant. Et dum nimis ſtulte ſuas opes oſtentant, illas ſimul profundūt, quibus amiſſis vel diminutis, omnium ludibrio atque riſui exponuntur. Eſtque hic finis plerunq; non regibus tantum atque principibus viris propoſitus, vt conuiuiorum luxuria, quemadmodum olim Antonius & Cleopatra, (ô infelix & funeſtum certamen) inter ſe certent, quum virtutibus potius inter ſe certare deberent; Verum eandem quoque tenuis ſortis atque conditionis homines plerunque imitan-

Digitized by Google

imitantur; qua quidem ambitioſa ſtultaq; ſua æmulatione res ſuas diſſipãt, tãtumque in conuiuiorum celebritatib. atq; feſtis decoquunt ac prodigunt, vt dieb. deinde profeſtis eſuriales, vt Plauti verbis vtar, ferias agere cogantur. Plurimi quoq; quo ſuorum ſcelerum atq; flagitiorum, quæ vel iam perpetrarũt, quorumq; conſcientiæ dies noctesq; anguntur, vel quæ deſignare in animo habent, impunitatẽ cõſequantur, iudicum atq; magiſtratuum ora linguasq; huiuſmodi quaſi iniectis offis obturare, ac illorũ mentis oculos, quo minus iuſtum & æquũ cernant, excæcare nituntur. Hinc Cato grauiſſimus morum cenſor, quum L. Murænam conſulem ambitus nomine accuſaſſet, inter alia hoc quoq; illi obiecit, ꝙ ſpectacula tributim dediſſet, & ad prandiũ vulgo multos vocaſſet, quo nimirum facilius conſulatũ adipiſceretur. Fit autem ſæpenumero, idq; iuſtiſſimo ſane Dei iudicio, vt qui hac via ad honores atq; dignitatem nituntur, præter iacturam rei familiaris, quam effuſis iſtis conuiuiorum ſumptib. fecerunt, ſpe ſua fruſtrati, pro honore & dignitate dedecus & ignominiã reportẽt, & illis quos epulari largitione corrũpere fuerũt conati, nõ fautorib. & ſuffragatoribus, ſed aduerſariis potius acerrimis vtãtur.

Deniq; conuiuiis homines ſæpe amicitiæ ſpecie & ſimulatione ad aliorum exitium interitumq; abutuntur, dum inuitatos vel vi aperta, vel clam & veneno impie nefarieq; priuant. Huiuſmodi vero tragica, tetra, funeſta & immania cõuiuia peruulgatis prouerbiis appellantur Thyeſtea, Agamemnonia atq; Cyclopica. Nota eſt fabula de Thyeſte Pelopis filio, cui Atreus frater epulandos ſuos ipſius liberos appoſuit. Et refert Homerus *Odyſſ.Δ.* quomodo Ægiſtus adulter lautum apparauerit conuiuiũ ad Agamemnonem excipiendum, quo illum nihil mali ſuſpicantem interemit. Huc referri poteſt crudele Aſtyagis Medorum Regis factum, qui Harpago amico conſiliorum omnium participi epulandum filium appoſuiſſe legitur apud Iuſtinum.

TH. Extant etiam huiuſmodi cõuiuiorum tragicorum exempla in hiſtoria ſacra. Sic in conuiuio Godolias fortiſſimus heros, qui Iudææ à Nabuchodonozore Babyloniorum Rege præfectus fuerat, vna cum multis aliis Iudæis atq; Chaldæis in Mizbach immaniſſime occiſus fuit, *Ierem. 4. & 2. Reg. 25.* Sic Amnon filius Dauidis ab Abſolomo conuiuio exceptus magnifico temulentus obtruncatur, *1. Reg. 13.* Similiter Simon ſacerdos vna cum duobus filiis à Ptolomæo Alobi filio ad conuiuium vocatus & inebriatus occiſus fuit, *1. Macch 13.* Veſpaſianus quoq;, teſte Suetonio, ſuſpectiſſimum quemq; ſibi per theatra & caſtra ad cœnam inuitãdo haud cunctanter oppreſſit. Sic Ioannes Baptiſta ab Herode, Quintus à Perpenna, alii ab aliis oppreſſi ſunt.

EQ. Tale conuiuiũ fuit Vaccenſium Vaccæ oppidi Numidię inhabitatorũ, cuius Saluſtius meminit *de bello Iugurthino*, qui eo tempore, quo Romani cũ Iugurtha bellum geſſerunt, die quodã feſto, qui celebratus per oẽm Africam, ludum & laſciuiam magis ꝗ formidinẽ oſtentabat, centuriones tribunosq; militares Romanorum, & ipſum præfectũ oppidi Titum Turpiliũ Syllanum, alius aliũ domos ſuas inuitarunt, eosq; oẽs præter Turpilium inter epulas obtruncarũt. Paria his lanienarũ huiuſmodi exẽpla ſubminiſtrat ætas noſtra quã plurima, paſſim cuiuis obuia.

TH. Immane profecto & inexpiabile hoc ſcelus eſt, conuiuio, quod ad ineundam, tuendam atq; conſeruandam mutuam hominum amicitiam plurimum habet ponderis, ad hominum pernitiem atq; cædem abuti, atq; ſub amicitiæ ſpecie malum aliquod ingens, ſiue exitium alicui conciliare.

Digitized by Google

EQ. Quid vero de Eſthera ſentiendum? illa enim, quantumuis ſancta & religioſa mulier, tamen Hamanum amicitiæ ſpecie & ſimulatione ad conuiuium vna cum Aſuero Rege inuitatum curat è medio tolli, annon hoc videtur fuiſſe à probæ religioſæque illius fœminæ officio alienum?

TH. Hoc illius factum fuit extraordinarium, ac proinde non temere ad imitationem trahendum. Id namq; fecit nō ſolum Mardochæi ſuaſu & hortatu, verumetiam ipſius Dei ſingulari quodam impulſu atq; inſtinctu, vt nimirum vniuerſus populus Iudæus præſentiſſimo funeſtiſſimoq; internecionis periculo liberaretur, iuſtiſſimo Hamani ſupplicio, atq; ita ſimul Dei iuſtitia atq; gloria aliis fuit ſaluti. Idē etiam dici poteſt de Iuditha, quæ ſimiliter videtur eſſe vituperanda, quod amicitię & amoris prætextu acceſſit ad Holophernis conuiuium, eo animo atq; conſilio, vt illum hac occaſione è medio tolleret, *Iudith.12.* Nam hoc illa fecit nō ſuo quodam prauo affectu, ſed Dei inſtinctu impulſa. Nam quoniam Holophernes nō animo amico & honeſto, ſed inimico potius & inhoneſto, illius nimirū pudicitiæ violādæ gratia, illam inuitarat, factum eſt iuſto Dei iudicio, vt ab ea quam ipſe per ſummū nefas pudicitia ſpoliare eſt conatus, vita ſua priuaretur, id quod ſimul cum ad Dei gloriam, tum ad vniuerſi populi ſalutem ſpectauit. Fuitq; hoc facinus Iudithæ vere heroicum, quod aliis mulierculis non temere ad imitationem eſt proponendū.

EQ. Hoc ita ſe habere lubens largior. At in genere omnia alia intempeſtiua luxurioſaq; conuiuia, Thyeſtea, Agamemnonia & Cyclopica merito appellari poſſunt. Nam in iis alii alios ceu Anthropophagi quidam feri ac immanes deuorant, alii aliis mortem interitumq; & animi & corporis fortunarumq; omnium accelerāt. Nam primo immodicæ illæ intemperantesq; cibi potusq; ingurgitationes (ad quas ſeſe mutuo in conuiuiis inuitant ſeu potius cogunt compotores) quid quęſo ſunt aliud, quam venenata quædā pharmaca, quibus omnis generis morbos, mortemq; adeo ipſam ſibi inuicem celerem & immaturā accerſunt? Deinde ſumptus illi infiniti & immanes pecuniarum, quæ in conuiuia illa profunduntur, iacturæ, quo quæſo alio ſpectant, niſi ad ſuiipſorū omnem perditionē? Ad hæc in luxurioſis profligatisq; iſtis cōuiuiis homines vino ciboq; nimium onerati ac proinde mentis impotes, mutuis ſeſe plerumq; cōuitiis (vt Paulus ad Gal. loquitur) mordēt atque comedunt. Vt nihil dicam, id quod creberrime fieri experimur, quod in illis ipſis luxurioſis conuiuiis ſæpe homines Baccho atq; Cerere, ceu peſſimis conſultoribus impulſi, in mutua verbera, corporis mutilationes, vulnera atq; cædes proſiliunt atque prorumpunt.

PH. Atq; hæ nimirum cauſæ fuerunt, propter quas tot numero leges de cœnis & ſumptib. ad populum olim latæ ſunt, imperariq; cœpit, vt patentib. ianuis prandſitaretur & cœnitaretur, vt hoc modo oculis ciuium teſtib. factis luxuriæ modus fieret. Ac præ cæteris etiā illuſtres fuerunt illæ Romanorū antiquæ ſumptuariæ leges, Ethnicorum ſcriptorū monumentis admodū celebratæ. Huc ſpectat etiā lex Fannia à C. Fannio & M. Meſſala Conſulib. lata. Ea lex ſtatuit, ne quid volucrum præter vnam gallinā, quæ altilis non eſſet, apponeretur, neve ſingulis dieb. præterquam Saturnalib. & Romanorum ludis, vel plebeis plures denis aſſibus domeſticis cœnis impenderentur. Quid ꝙ quidam Principes, qui etiā Bacchanalia ipſi viuerent, tamen luxuriā ſuorum ſubditorū refrænare ſeueris legib. fuerunt conati, vt de P. Sylla Macrobius, de Tiberio Cæſare & aliis, teſtis eſt Plinius *lib.14.c.14.*

TH. Optandum ſane eſſet, Chriſtianos rerumpub. atq; regnorū moderatores, ad Ethni-

Digitized by Google

ad Ethnicorum illorum exemplum & imitationem inſanam hanc & immanem conuiuiorũ luxuriam, quæ maiora indies incrementa ſumit, imo quæ ad cumulũ ſummum videtur perueniſſe, cum ſeueris legum ſanctionibus, tum vero atq; inprimis ſobriæ & frugalis ſuæ vitæ, ceu viuæ legis exemplo refrænare. Verum quoniam, proh dolor, pleriq; Chriſtianorum proceres tam ſeculares quam eccleſiaſtici ſplendide ampliterq; viuunt, & huic luxurię peſtifero morbo nullam ſalutarẽ medicinã adhibent, verũ etiã illum luxurioſæ profligatæq; ſuæ vitæ exemplo magis magisq; augent: Hinc fit, vt vniuerſa reſpub. Chriſtiana magis magisq; diminuatur ac deformetur, & quotidie fere propius ad fatalem ſuũ caſum interitumq; appropinquet. Atq; huc facit Chriſtiani cuiuſdam Imperatoris dictum ad milites à Sarracenis victos: illi enim cum cauſam acceptæ cladis in vini inopiã coniiceret, quod ſcilicet vinum ſoleat hominum animos accendere, & corpori vigorem agilitatemque addere; dixit: At, qui nos vicerunt, aquam potãt, quippe quum eorum legibus & inſtitutis Mahometanis vini vſus prohibeatur.

PH. Philoſophicum ergo præſtat quam Ahaſuericũ ſiue Cleopatricum conuiuiũ, in quo cũ Romulo feruentia rapa vorare facile addiſcet, qui cõuiuia init philoſophica, vt Senecæ verbis vtar; quale etiam fere fuit illius Icci Tarentini, luctatoris, quem toto certaminis tempore temperatiſſimo victus genere vſum Venerisque omnis expertem fuiſſe, Ælianus *lib. 11. var. hiſt.* ſcribit. Fuit namque philoſophorum illorum temporum, in conuiuiis frugalitas, temperantia nimirum atque modeſtia, diſſerendoque de rerum natura cœnare ſolebant. Talis fuit olim cœna Platonicæ; Plato namque mediocrem cœnam apparare ſolitus fuit iis, quos ad ſe inuitauit, eosq; excepit tenui ac moderato victu inflammationem nullam pariente, qualem ſomnus tranquillus, nec crebris interruptæ ſomniis imaginationes, ſed cum corporis alacritate tranquillitateque coniunctæ ſequuntur. Vnde quidam Timotheus Cononis filius poſtridie cum apud Platonem cœnaſſet, dixit, eos qui apud Platonem cœnarent, etiam ſequenti die bene ſe habere. Talia quoq; omnino fuerunt conuiuia Muſica, abſque graui apparatu, medioeri ſalis copia iniecta, teſte Plutarcho. Tales inſuper fuerunt cœnæ ruſticæ, item Laconicæ dictæ, quas Horatius *lib. 2. Sat. 5.* itidem vocat tenues & minime ſumptuoſas, poſt quas dicit ſe noctes ducere quietas & tranquillas, ſomnosque capere placidiſſimos, neque à cibo immoderato nimiaque potione interruptos. Talis fuit olim *νηφάλιος θυσία*, hoc eſt, ſacrificium abſtemium, pro conuiuio vehementer frugali & ſobrio vſurpatum: poteſtque accipi pro quouis prandio vino carente ſiue abſtemio, in quo videlicet nihil vini potatur, quod etiam caninum dicitur, quod canis vino caret, teſte Gellio *lib 13. c. vlt.*

EQ. Huiuſmodi *ἀκάπνοι θυσίαι* ac fumo carentia ſacrificia atque conuiuia, in quibus nihil cocti obſoniique, aut conuiuia Cynica, in quibus præter ſiliquas ac legumina nihil apponitur, aut prandia paſſerina, quæ adeo exiguo ac minuto bolo conſtant, vt paſſer abſumere poſſe videatur, quis quæſo ſanus approbet? Ego profecto minime. Malim certe aliquanto lautius cõuiuari, quam cum Iro trimeſtrem rodere panem, ac rodendo defatigari.

TH. An neſcis illud Salomonis, *Prouerb 15.* Melius eſt conuiuium oleris, vbi ſit dilectio, quam bouis ſaginati, in quo ſit odium. Quod dictum poeta quidam eximius eleganter ita reddidit: *Si dat boluſcula menſa minuſcula pace repleta, Neu pete grandia, lautaq; prandia lite referta.*

EQ. Dictum

EQ. Dictum Salomonis ſanctum eſt, atque ab omnibus ſtudioſe obſeruandũ. Sed vos perperam detorquetis ad alienũ ſenſum, meq; ſpecioſa allegatione ac detorſione huius dicti eo ablegare vultis, quo ne ipſi quidẽ vos ablegari ſuſtinueritis. Noui enim Theologorum palatum atq; ingenium, quippe qui guſtu valẽt exquiſitiſſimo, proinde adipalibus medullatis ac cerealibus adeoq; delicatiſſimis delectantur atq; inhiant dapibus, vinoq; defecato, eoq; optimo.

TH. Et ego quoq; nocturna Equitum conuiuia noui, quę poſt cœnam agunt, intempeſtiua ſcilicet illa, luxurioſa, laſciuiæ petulantiæq; plena, ex quibus nocturni illi concurſus cum facibus muſicisq; inſtrumentis ad amicarum fores; omnino vt feſtum agere videantur, luxurioſi illius comeſſationũ nocturnarumq; ſaltationum olim dei pręſidis, quo coronati noctu iuuenes ad amicarũ fores ſaltandi cantandiq; gratia cõcurrebant, procaciterq; laſciuiebant, adeo vt fores cõfringerent.

EQ. Tam exacte adeoq; comice loquitur Dominus Theologus de nocturnis illis vagationibus, quaſi illis ipſis aliquando etiam interfuerit, proindeque eo facilius experto credo Ruperto. Iuxta fornacem enim nemo me facile quæſiuerit, niſi ipſe prius inibi latitauerit, idq; caute admodum. Verum enimuero, an non ſacerdotales, pontificales, augurales, ſaliares cœnæ, Perſica opulentia luxuriaq; admirabiles apud auctores tam Græcos quam Latinos paſſim celebrantur, hodieque adhuc ſumptuoſis magnificisque conuiuiis vſurpantur? Nemo, *opinor*, negabit, conſtat id experientia, conſtat modernorum editis publice hac de re ſcriptis ſatis copioſe.

Conuiuia Põtificalia.

TH. Non exiſtimes omnia ſplendida, magnifica ſumptuoſaque conuiuia eſſe vituperanda. Conſiderandum enim eſt diligẽter, quis ſit ille, qui ſumptuoſum apparat conuiuium, & quæ ſuppetant facultates. Nam ſi quis, cui tenues & exiguæ ſunt opes, magnificentiæ conuiuiali vel etiam aliis in rebus ſtudere velit, is merito ſtultus foret habendus, cum id faciat, quod eſt pręter dignitatem & decorum. Magnis ergo opibus præditos homines conuiuialis huiuſmodi magnificentia decet. Cæterum vt de conuiuiis Pontificalibus exactius conſtet, ego ipſe formam illorũ ac modum *ex lib. 1. ſacrarum ceremoniarum ſiue rituum eccleſiaſticorum S. Rom. Eccleſiæ,* (impreſſo Venetiis apud Iuntas Anno 1582.) recitabo. Aliorum namque recitationes mihi forent ſuſpectæ, verendumque vt aliquid, quod in aulæ Romanæ vergat quadantenus ignominiam, vſpiam addant. Sic igitur in dicto tractatu *lib. 1 ſect. 3. c. 1.* extat: Paratur aula conuiuii aulæis, & pannis ſericis aureisque pro temporis & loci conditione. In capite aulæ eſt ſuggeſtus, ad quem triplici gradu aſcenditur, longus pro latitudine aulæ, in medio ſurgit quadratus thalamus palmi altitudine, ſuper quo menſa paratur Pontificis: apud parietem eſt ſedes Papalis, ad quam paruo & deinde magno ſcabello aſcenditur: ornaturque ſedes cum panno aureo, pendente ſupra caput. Menſa eſt alta ad iuſtam proportionẽ ſedentis: à ſiniſtra ſuper ſuggeſtum, paratur alia menſa pro Credentia Papæ cum vaſis aureis & argenteis, vino & aqua, & aliis conſuetis. Credentiam appellant menſam, ſupra quam vaſa argentea ſiue aurea ad conuiuium opportuna præparantur. Et ſimiliter in diuinis, ſupra quam ad ſacrificandum neceſſaria continentur. A dextra parte aulæ infra ſuggeſtũ parantur menſæ pro Epiſcopis, & presbyteris Cardinalibus, & paulo inferius, pro aliis prælatis. Et pro Cardinalibus ſunt aliquanto altiores: & ſedilia habent gradum vnum, ſupra quem tenent pedes Cardinales.

A ſiniſtra è regione menſæ Cardinaliũ, paratur menſa pro Diaconis Cardinalibus

Digitized by Google

bus eiuſdem altitudinis, & cum gradu. Et inferius aliæ menſæ pro Oratoribus nobilibus, & Officialibus. In fine aulę, vel in aula præcedente, ſi eſt commoda, paratur Magna Credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam, & alia ſuper longam menſam cum vaſis, quibus in conuiuio vtuntur.

Si huic conuiuio intereſt Imperator, paratur pro eo ſedes ad dextram Pontificis; & menſa ſuper plano ſuggeſtus, ſuper quam ſolus comedit Imperator. Sedes habet ſcabellum paruum viride: & eſt ornata panno aureo, nec habet pendentem ſupra caput: ſimiliter paratur pro eo credentia iuxta credentiam Papæ à ſiniſtris, & ibi ſunt familiares Imperatoris pro ſuo ſeruitio. Si vero adeſt Rex aliquis, paratur credentia pro eo, paulo remotior ab ea.

Sedes vero nulla paratur; quia ſedet in menſa poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Imperator ſiue Rex habent tot ſeruitores, quot eis opportunum videtur. Cardinalibus vero ſingulis ſufficiunt quaterni miniſtri, quorum vnus vinum propinat: alter carnes concidit, alter de Cultello fercula infert, quartus prægustat vinum, & aquam, & alia ſubminiſtrat. Pontifici ſeruire ſolent nobiliores, qui ſunt in curia laici, etiam ſi ſunt fratres, aut filii Regum, præſertim in illorum præſentia. Pontifex igitur cum paramentis Pontificialibus ſi celebrauit ille die, vſq; ad Dalmaticam incluſiue, & cum ſandaliis indutis, ſupra Dalmaticam mãto rubro, aperto à parte anteriori, & mitram habens in capite ſupra fauonem, medius inter Diaconos, ducitur ad menſam. Cardinales, & prælati omnes habent ſuperpellicium ſuper rochetum, ſiue ſupra veſtes ſui ordinis, ſi ſint religioſi, & mitram albam in capite: ſupra ſuperpellicium Cardinales, & prælati ſeculares, habent mantellum ſine cauda, apertum à parte ante, & coloris violacei ſiue obſcuri.

Religioſi vero colores ſui ordinis, ſed eodem modo apertos, cæteri omnes in ſuo habitu quotidiano. Adſunt familiares Pontificis & alii ſeruitores in copia. Adſunt etiam ſeruientes armorum bene ornati cum ſuis baculis argenteis, qui præeunt ante portantes fercula, & remouent multitudinem à via. Magiſter ſacri hoſpitii, & Magiſter Domus prouident in tempore de modo & ordine ferculorum, de ſeruitoribus, qui prius, & qui poſterius, & quod quælibet menſa habeat præfectos ſuos. Quæ vina primo, quæ deinceps, & per quos ferenda, & ſic de aliis rebus opportunis.

Pontifex remota prius menſa, ad partem ſedet in ſede cum mitra, & mantum poſt collum apertum, vt nihil ante pectus dependeat. Cardinales, principes, & prælati, & alii conuiuæ, ſtant ante menſas paratas. Nobilior Laicus, etiam Imperator aut Rex, aquam ad lauandas Pontificis manus, primo fert hoc ordine: Magiſter ſacri hoſpitii cum Clerico cæremoniarum, quem adeſſe oportet in ordinandis hiſce rebus omnibus, cum ſeruientibus armorum. Et ſi Imperator aut Rex aquam ferre debet, cum aliquibus etiam Principibus ſociatus, Imperatorem aut Regem ad credentiam ducit. Si eſt nobilis inferior, ſolus eſt, & in credẽtia, aquam prius à miniſtris probatam & prægustatam accipit in peluibus fertque conſuetis cæremoniis ad Pontificem, præeunte vno ex auditoribus cum mantili ad tergendum manus Prior Epiſcoporum Cardinalium, & duo Diaconi aſſiſtentes, depoſitis in manibus ſeruitorum mantellis, & mitris, ſic in rochetto ſeruiunt Papæ, dum lauat, Epiſcopus aquam cum portante infundendo, & Diaconi mantile, quod ab auditore acceperant, hinc inde tenendo.

Dum Papa lauat manus, non prælati ſed laici omnes genu flectunt, Cardinales & prælati ſtant capite detecto. Cum Papa lauit, reaptatur menſa ante eum, & tres Cardinales, qui illi ſeruierant, capiunt ſuos mantellos, & mitras; & vadunt ad loca ſua: & Imperator apud ſedem ſuam primo ſtans lauatur ſuis cæremoniis, deinde domini Cardinales lauantur ſtantes ante menſas cum mitris in capite: poſt eos lauantur prælati ſtantes ſine mitris, & ſeculares, ſi qui ſunt, detectis capitibus; ſtant ante menſas lauantes eo ordine, quo ſedere debent, in menſa, prior Epiſcoporum in capite ad dextram: ſi adeſt Rex aliquis, eſt à ſecundo loco: ſi plures Reges, miſcentur cum primis Cardinalibus: primo Cardinalis, deinde Rex ſucceſſiue, ſi ſunt mixti Principes, aut filii, vel fratres Regum (ſi non ſeruiunt Papę) ſedent inter Diaconos Cardinales, vel poſt eos, pro eorum dignitate, & conditione. Primogenitus autem Regis, quia Rex futurus putatur, poſt primum presbyterum Cardinalem ſedet. Sed nullo modo inter Epiſcopos. Et hoc tam in conuiuiis, quam aliis publicis actibus, quamuis noſtro tempore aliquorum ſiue ambitione, ſiue ignorantia aliquando ſit ſeruatum contrarium.

Conſueuerunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Eccleſiarum principalium inter Epiſcopos Cardinales mixtim, noſtro tempore (credo propter declinationem, ſiue potius extinctionem illarum, cum ſunt tantummodo titulares) ponuntur immediate poſt Cardinales: deinde aſſiſtentes Papæ, tum oratores prælati: inde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Subdiaconi, Auditores, Clerici Camerę, & Acoluthi. Ad ſiniſtram vero ſunt Diaconi Cardinales, & cum eis Principes, quos prius diximus (ſi adſunt) poſt eos autem, ſi præſentes ſunt, alii Principes inferiores illi tamen, qui ſolent præcedere oratores Regum. Deinde ſunt oratores laici & non prælati, & cum eis Senator, & tres conſeruatores vrbis. De aliis autem laicis qui ſunt extraordinarii, nihil dico: nam admitti ſolet ad voluntatem Pontificis non ordinarie.

Aduertere tamen neceſſe habet Magiſter Domus, vt prius cum Clerico cæremoniarum ponat in ſcriptis nomina, & ordinem inuitatorum ad conuiuium, & maxime laicorum, & ſi quæ ſunt contentiones de præſidentia, componuntur prius, quod ſi ibi oriuntur, ſi nolunt componi, ambo contendentes honeſte iubentur exire, ſi tamen eſt colorata contentionis cauſa, & non temeraria, tunc ſolus temerarius eiicitur.

Quod autem de Imperatore dico, intelligo de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum, nam ille vt Rex tractatur. Cæterum lauantur poſt primos plures eodem tempore. Poſtquam omnes lauerunt, Pontifex benedicit menſam, ſtans ſine mitra: & tum Diaconi aſſiſtunt, finita benedictione ſedet; imponitur mitra, & Diaconi vadunt ad loca ſua, & ſedentibus omnibus ordine, quo ſteterant, fercula portantur. Primum ferculum portat nobilior Princeps, ſiue Imperator ſiue Rex ſit. Secundum alius dignior poſt eum, & ſic ſucceſſiue. Et ſi ſunt ex illis qui debent ſedere in menſa, portato ferculo ſedent in loco ſuo.

Porro Imperator, Rex, ſeu maximus Princeps, capit ferculum, quod portare debet ad Pontificem, extra portam aulæ conuiuii ab aliquo familiari Pontificis illuc apportatum. Alii inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt, Magiſter ſacri hoſpi-

hoſpitii & Magiſter Domus baculos in manibus tenentes & in habitu ſibi condecenti deducunt portantes fercula, quæ quidem fercula ad Pontificem, & Imperatorem tantum cooperta portantur, aliis autem, etiam regibus, detecta: & ſimiliter vinum.

Portantur tamen & maxime principibus quandoque vſque ad aulam conuiuii, & deinde antequam appareant in conſpectu Papæ, deteguntur. Item in præſentia Pontificis nulli omnino fit publice prægustatio niſi ipſi Pontifici & Imperatori tantum. pro Rege autem, aut maximo Principe fit à ſuis, ſi voluerint, in credentia vel vbi capiunt fercula. Pro Pontifice, & Imperatore fit ibi, vnde capiuntur à dantibus & in menſa à portante, & de omnibus rebus. Cum primum conuiuium incipitur, in loco conuenienti ponitur pulpitum, & ſubdiaconus, ſiue Capellanus Papæ, aliquid de ſacra ſcriptura legit vſq; in finem conuiuii. Interim cum ſilentio & ſine ſtrepitu, omnia adminiſtrantur quam diligentiſſime. Cum Pontifex bibit, conſueuerunt omnes aſtantes, præter Epiſcopos, & ſuperioris dignitatis viros genu flectere, quod ſeruari noſtris temporibus vidi, quamuis in nullo cæremoniarum libro legi. Epulis abunde ſubminiſtratis, fit ſecunda lotio manuum & tunc ſecundus nobilis laicus, portat aquam conſuetis cæremoniis. Prior Epiſcoporum Cardinalium, & duo Diaconi dimiſſis mantellis, & mitris, vt ſupra, ſeruiunt: deinde reuertuntur ad loca ſua; lauantur & alii ordine ſuo, quo ſupra, ſedentes tamen, & dum Cardinales lauant, vnus ſeruit alteri de mantili illud explicando, & tenendo dum alius lauat, & ſic ſucceſſiue. Ponuntur deinde vinum & confectiones, ſiue ſpecies, & demum finito conuiuio lector dicit: *Tu autem Domine miſerere noſtri*, niſi ſit in Cæna Domini, quia tunc non profertur: *Tu autem*. Surgit Pontifex ſine mitra, aſſiſtunt ei Diaconi, & redduntur gratię. Omnibus completis reducitur Pontifex ad cameram ſuam, & alii ad propria diuertuntur.

Si autem ſolenne conuiuium huiuſmodi ſit in die quo Pontifex ſacra publice non celebrat, omnia, vt prædicta ſunt, ſeruantur, niſi de ſacris veſtibus. Papa indutus amictu, alba longa, cingulo, ſtola precioſa, & manto rubro cum paruo caputio ſubtus, ſiue, ſi calores ſunt, ſine manto cum caputio tantum ducitur ad menſam, Cardinales & prælati ſunt in mantellis conſuetis ſine ſuperpelliciis, & ſine mitris: alia omnia, vt ſupra. Aduertendum tamen, quod nunquam in conuiuio Pontificis admittuntur mulieres, etiamſi imperatrix, Regina vel Pontificis conſanguinea eſſet.

De publica quoque compotatione ſiue collatione, quæ potus in aula antiquitus vocitatur, eodem ſupradicto ſacrarum ceremoniarum tractatu, *lib. 2. cap. 10.* ita legitur.

Si ſolennis collatio, prout aliquando Pontifices conſueuerunt facere, fieri debet: in prima aula palatii, parantur omnia ad inſtar publici Conſiſtorii. Paratur credentia magna eminens duodecim vel circiter gradus habens pro vaſis aureis, Cryſtallinis, & argenteis deſuper ponendis ad magnificentiam tantum: Credentia huiuſmodi eſt altitudinis à terra vſq; ad eius planum ſiue menſam palmorũ ſeptem, vel circa: Menſa eius eſt longitudinis palmorum XXII. & latitudinis ſeptem vel circa, & deſuper gradus (vt diximus) qui ſatis ſunt pro vaſis ſupradictis quæ ſuo

 ordine

Digitized by Google

ordine locantur. In ſecunda vero aula, parantur duæ credentiæ, vna parua pro Sanctiſſimo Domino noſtro, & alia longior pro Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus, vbi conſtituuntur vina, confectiones, aqua, Confecteriæ, mantilia, mappæ, ſciphi, phialæ, & alia pocula, vaſaque aurea, ſiue argentea opportuna in competenti numero, & quantitate. Magiſter Domus Apoſtolici palatii prouidet in tempore de vino diuerſi generis, confectionibus diuerſarum ſpecierum, vexillulis longitudinis vnius palmi cum inſignibus Papæ, & Cardinalium in confecteriis ponendis, & centum intorticiis pro collatione, & matutinis. In vigilia igitur Natiuitatis Chriſti, ſi veſperæ in capella palatii celebratæ ſunt, pontifex finitis veſperis in ſede ſolii ſui deponit mitram, & pluuiale, & imponitur ei cappa de cramesino. Interim etiam omnes Cardinales intus, Prælati vero, & alii omnes extra cancellos capellæ, paramenta, & ſuperpellicia deponunt, & cappas accipiunt. Pontifex venit ad aulam, vbi collationem eſt facturus, cruce præcedente. Si vero veſperæ huiuſmodi in Baſilica S. Petri ſunt celebratæ, illis finitis pontifex reuertitur ordine conſueto ad cameram Papagalli, vbi depoſitis pluuiali & mitra accipit cappam, vt ſupra. Cardinales vero, prælati, & alii omnes, qui ſua paramenta & ornamenta in baſilica prædicta poſt veſperas depoſuiſſe debent, & cappas accepiſſe, ponuntur in dicta camera Papagalli, & expectant, qui, cum Papa venit ad aulam prædictam Cardinalibus ſubſequentibus, ſine cruce tamen, manebunt vſq; quo collationem perfecerit.

Pontifice igitur ſedente, nobiliſſimus totius curiæ, etiamſi Rex aut Imperator ſit, ducitur ad credentiam Papæ, ad dandam aquam hoc ordine: Duo ſeruientes armorum præcedunt, Magiſter cæremoniarum in ſuo habitu, Magiſter Domus baculum ferens, mantello indutus, Auditor ſine mantili, auditor mantile portans cum ſua cappa larea, deinde aquam ferens medius inter Magiſtrum ſacri hoſpitii, & ſeneſcallum ſecretum. Papa manus lauante Diaconi aſſiſtentes adiuuant, & omnes Cardinales ſurgunt, alii omnes genuflectunt. Dum Papa lauat, Cæremoniarius acceptis aliis duobus ſeruientibus armorum vocat alium poſt prædictum nobiliorem, qui portabit primum ferculum; quem ducit ad credentiam Papæ, deinde cum ferculo ad Pontificem hoc ordine: Duo ſeruientes armorum, Cęremoniarius, Magiſter Domus, qui expectat ad gradus ſolii, auditor ſine mantili, auditor cum mantili, Scalcus ſecretus, deinde ferens ferculum ſolus, ſimiliter ibit ſolus poſtea qui potum portat. Omnes hi, excepto Magiſtro Domus, aſcēdunt ad Pontificē, & Cardinales aſſiſtentes extendunt ante Pontificem tobaleam, quam auditores hinc & inde genuflexi tenent: deinde aſſiſtens à dextris dat ad prægustandum ex ferculo latori, & ambo aſſiſtētes detectis capitibus ſtantes apponunt manum ad conſecteriam, ex qua Pontifex cibum ſumit, & exinde deſcendunt omnes, qui venerunt, & aſcendunt, alii cum primo eo, quem deducunt Magiſter hoſpitii, & Cardinales aſſiſtentes, ſimiliter aliam tobaleam de manibus auditoris, ſecundo venientis, accipientes, illam extendunt ante Pontificem, quam auditores tenent, vt ſupra. Deinde facta per portātem vinum credentia in vaſe, quod ad partem portat, & per alium Scutiferum Papæ aquam portantem ſimpliciter de aqua, Cardinales aſſiſtentes iuuant miſcentem aquam vino Papæ: Recepto potu per Pontificem deſcendunt iſti, & aſcendunt alii, & hic ordo vſque ad finem collationis ſeruatur, Scalcus ſecretus, & Magiſter hoſpitii viciſſim comitantur cibos & pocula, quæ portantur per nobiliores proceres, ſiue oratores præſentes, Clerico Cæremo-

remoniarum ordinante, & ſecrete deducente, & incipiente à nobiliori, etiam ſi eſſet Rex, aut Imperator.

Solent quatuor ſpecies confectionum haberi, & quater vinum ad potum miniſtrari. Deſcendente à Pontifice illo, qui vltimum potum dedit, deſcendunt etiam Cardinales aſſiſtentes, & ad ſua loca vadunt. Tunc vnus ex cubiculariis Papæ præcedente alio cubiculario, & cæremoniario, portat mappam longam mundam ante priorem Cardinalem, cuius vnum caput ipſe ibidem tenet, aliud caput ſecundus cubicularius, & illud extendit vſque ad vltimum Cardinalem vbi illud tenet. Quod ſi forte vna mappa tam longa non ſit, portantur aliæ, quæ ſufficiunt; Ita tamen quod pro qualibet ſint duo Cubicularii, qui eam per capita, vt ſupra tenent, tum præcedente Scalco Papæ, cubicularii in ſuo habitu ſinguli habentes mappulas breues in humeris ipſum ſequuntur, portantes vnusquiſque vnam confecteriam diſco coopertam, cōfectionibus plenam, & in qualibet confecteria eſt vnum vexillulum ab vna parte habens inſignia Pontificis, & ab alia illius Cardinalis, cui defertur. Primus cubicularius portat confecteriam priori Cardinalium. Secundus alteri ſeniori Cardinalium, & ſic de aliis. Primum cubicularium ſequuntur duo ſcutiferi prioris Cardinalium, primus mappulam habens in humeris, & poculum vini in dextra manu, ſecundus vas cum aqua ſine mappula. Secundum cubicularium ſequuntur duo ſcutiferi ſecundi Cardinalis, ſimiliter vinum & aquam portantes, vt primi, & ſic de ſingulis. Quatuor etiam vicibus, quatuor ſpecies confectionum, & vinum, prout Pontifici & Cardinalibus, portant. Finita collatione, Cardinalium ſcutiferi cum mappulis ad collum, aliis ſeruiunt, videlicet oratoribus, prælatis, & aliis omnibus, ad Scabellum Papæ ſedentibus. Sunt de quolibet ferculo octo bacilia, & multo plura cum vino, & vaſa aqua plena, reſiduum quod in bacilibus remanet inter ſcamna Cardinalium ſedentibus, & aliis circumſtantibus ſpargi ſolet. Finita collatione reducitur Papa ad cameram ſuam, & omnes diſcedunt.

PH. Videntur hæc mihi aliquatenus exorbitare à ſimplicitate veterum: eſt namque hic quem iam recenſeri cum ſtupore audiui, plus quam regius apparatus; ac recordor iam illius, de quo ſuo etiam tempore, S. Bernhardus *in Cant. Cantic. Serm 34.* grauiter conqueſtus fuit: *Vnde hic eſt,* inquit, *quem quotidie videmus, habitus hiſtrionicus, regius apparatus? Inde aurum in frenis, aurum in ſellis & in calcaribus. Plus nitent calcaria, quam altaria. Inde menſa ſplendida & cibis & ſcyphis. Inde comeſſationes & ebrietates. Inde cithara & lyra & tibia: redundantia torcularia & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia.* Idem ad Paſtores in Synodo quadam: *Dicite ergo Archidiaconi, dicite presbyteri, dicite etiam Pontifices, in frenis, in ſellis quid facit aurum, & in veſtimentis tantus ornatus? In cibis tam ſuperfluus apparatus?*

TH. Bona verba quæſo. Nam & ſcholaſtica, hoc eſt, rectoralia, doctoralia atq; magiſtralia conuiuia, quæ in omnibus fere literarum Academiis atque Scholis valde trita ſunt & vſitata, omnem plerumque modum excedunt, & magno cum luxu, eorumq; qui illis honorum inſignibus decorantur, detrimento atq; ſumptu celebrantur. Quas enim pecunias par erat in libros, in veſtes, in res alias vtiles & neceſſarias conferri, hæ in luxurioſa atq; ſuperuacanea illa conuiuia ab honorum illorum candidatis profunduntur, vnde æris ſæpe alieni tantundem ab illis contrahitur, cui ſoluendo vix vel ipſi, vel illorum parentes pares vnquam eſſe poſſunt.

Digitized by Google

Hunc certe conuiuiorum luxum ſumptumq; ſuperuacaneum, qui literarum ſtudioſos illorumque parentes ſæpe ad æris alieni atque paupertatis ſcopulos detrudit, vel omnino tolli, vel certe imminui, & ad mediocritatem reuocari vehementer ſane eſſet optandum. Trabem igitur prius ex philoſophorum ſcholis eiicito, ac tum demum feſtucam ex aula Pontificali, ſi quid vales, extrahe.

EQ. I. nunc & ſuperne ligna ſeca, ſubito certe experieris, particulas ligneas affatim tibi in faciem decidere. Qui nimirum quæ vult dicit, is viciſſim quæ non vult, audiet. μεγαλοπρεπὴς, id eſt, magnificus ſiue munificus non quiuis poteſt eſſe, ſed ii tantum qui amplitudine pollent diuitiarum, quæ ſi deficiant, in præſentiſſimum omnia vergunt detrimentum ſummo cum ludibrio omniumque deſpectu coniunctum. μεγαλοπρεπείαν ergo ſiue magnificentiam exerceat quiſquis poteſt, ac cui lubet; res tamen prius metiatur ſuas, ne in ipſo magnificentię vigore, interueniente cuiuſpiam rei penuria labaſcat atque inde ab omnibus irrideatur.

Magnificentia igitur proprie competit Imperatoribus, regibus atque principibus, adeoque iis, qui vnde magnificentiam exercere poſſint, abunde ſatis habent. Illi namque quorum vmbroſa magnificentia, ceu gurgite quodam immaniſſimo miſerorum ſubditorum opes abſumuntur, ipſique ad ſitim, ad famem, & tantum non ad extremam mendicitatem detruduntur, valde ſunt ridiculi.

TH. Regalium conuiuiorum, quæ in regum præſertim inaugurationibus vſurpata fuerunt, fit etiam mētio in ſacris literis. Extat prolixa deſcriptio illius conuiuii Dauidis, quod in illius inauguratione per triduum ſumma cum lætitia ab vniuerſo populo quorum numerus cenſebatur 340822. celebratum fuit, *1. Paral. 12.* Idem porro poſtquam arca Domini ex alieno ſolo aducta, & priſtinæ ſuæ ſedi dignitatique reſtituta fuit, liberali ſeu munifico potius epulo vniuerſum populum excepit atque tractauit, *2. Sam. 6.* Idem fecit Salomon in templi Hieroſolymitani dedicatione, *1. Paral. 16.* Sic Adonias Dauidis filius, cum regnum, quod iure forſan primogenituræ ad ſe pertinere exiſtimabat, inuadere vellet, more eorum qui regno inaugurantur, ſacrificium epulare & quidem magnificum, mactatis ouibus, bobus, altilibus animantibus in loco celebri iuxta fontem Rogel, ad lapidem Zoheleth adornari curauit, ad quos omnes regis filios, excepto Salomone, nec non miniſtros, regni proceres, qui illius factionis erant, inuitauit, qui quidem illum fauſtis & vſitatis acclamationibus (viuat Rex) fuerunt proſecuti. Quod cum Dauid reſciuiſſet, continuo Salomonem regem vngi ac proclamari voluit: cuius rei fama ſimulatque ad Adoniæ & eius conuiuarum aures peruenit, illi metu perculſi & conſternati ilico dilapſi ſunt, & huc atque illuc diffugerunt. Ipſe Adonias in templum ſe, ceu in aſylum tutiſſimum recepit, & altaris cornua apprehendit, *1. Reg. 1.* Atque hic quidem læti illius conuiuii initialis triſtiſſimus exitus fuit. Conuiuium Ahaſueri illud vere magnificum notum eſt ex Eſth. *1. cap.* & Ioſeph. *lib. 1. cap. 6.*

PH. Maximus, D. Dionyſii interpres, *Hilaria* dicit fuiſſe appellata cum alias feſtiuitates priuatas, tum publicas celebrari ſolitas ob regis alicuius creationem. *Erant, inquit, quidam dies Idolatris, quas Hilarias ſeu feſtiuitates vocabāt. Horum alii erant priuati & feſtiui, vt cum quis vxorem duxerat, aut alicui filius natus erat. Communes autem & publicæ feſtiuitates Hilaria dicebantur, vt cum quis Rex creatus erat, is publicas feſtiuitates populo exhibebat. In his nulla erat licitum luctus inſignia geſtare, luctus omnis ceſſabat, ſpectacula, ludi, ſacrificia, epula per totos illos dies agitabantur.* Legimus præterea ſemel quot-

quotannis apud Perſas eo die, quo quis Rex creatus fuerat, magnificam ſplendidamque cœnam adornari fuiſſe ſolitam. Apud Romanos quoque moris fuit, vt magiſtratus deſignati atq; creati populo cum alia munera, tum magnificas ſplendidaſque epulas exhiberent, *Plin.lib.14.c.15.*

E Q. Ad noſtrorum temporum mores atque exempla tranſeamus. Eſt enim in Imperatorum, Regum, Principum atque magiſtratuum creatione atq; inauguratione mos conuiuia agitandi noſtris quoque temporibus cum apud Chriſtianos, tum alios quoque populos ſane vſitatiſſimus. Ac apud Germanos quidem illuſtre inprimis atq; magnificum eſt conuiuium Cæſarianum ſiue Imperatorium, quod poſt Imperatoris alicuius electionem his fere ceremoniis celebrari conſueuit, cuius exemplum nobis ſuppeditat præclarum Maximiliani Auſtrii II. Rom. regis electio & inauguratio, quæ Francofurti ad Mœnum Anno 1562. facta eſt celebratis in fano omnibus ceremoniis, in curiam inde ad prandium pro Cæſare, Rege ac reliquis Imperii ordinibus ſumptuoſiſſime apparatum proceditur. Pone tres Regii ſtipatores inſequuntur, qui equis inſidentes, in vulgus miſſilia iactant, nummos ſcilicet aureos & argenteos, ita vtrinque ſignatos, vt in altera parte, *Maximilianus D. G. Bohemiæ Rex*: in altera: *coronatus eſt in Regem Romanorum anno 62.* legeretur. In curiam vt ventum eſt, vbi Cæſar & Rex ſuæ menſæ, omnibus aliis ſeptẽ gradus editiori, conſidere cœperunt Electores, ſinguli ſua ex aureæ bullæ ordinatione officia obeunt. Et quidem omnium primo Brandeburgicus, qui pocillatoris munere fungitur, curia deſcendens, in generoſum equum aſcendit, & ad menſam quandam medio fori ſtratam properans, auream inde peluim & mappam accipit, iiſque in curiam rediens, Cæſari & Regi, vt manus lauent & abſtergant, adminiſtrat; poſt pelui, mappa & equo comiti Zollerano ex iure antiquo cedentibus. Deinde Saxo, qui Enſiferum & Mareſchallum agit, in equum agillime inſiliens, eo in auenaceum aceruum prope curiam effuſum incitato celerrime fertur, indeque modium implet argenteum, ſemper modio & equo inferiori Mareſchallo, Friderico Pappenheimio attributo, auena autem pro derelicto habita vulgique direptioni conceſſa. Poſtea Palatinus Archidapifer, ad coquinam extra curiam prope Franciſcanorum ædem conſtructam expeditus in equo aſpirat, indeque aſſumptis ferculis Curiam verſus reditum maturat: ibi equo relicto, fercula ad menſam Cæſaris, ei Saxone nigrum bacillum præferente, defert. Eius equum vna cum argenteis, quibus fercula geſtabantur, patinis iure quodam peculiari dominus Seldekius adipiſcitur. Conſecrant menſam Archiepiſcopi, Treuerico verbis præeunte, cui reliqui duo reſpondent. A conſecratione Moguntinus, ſe comitantibus Treuerico & Colonienſi, codicillos Imperiique ſigilla ex oblongo argenteo bacillo plus minus duodecim marcarum pretio, dependentia Regi affert, Rex ſigilla allata Moguntini collo accommodat, recipiens ſe ſibi cum ipſos Archicancellarios electoreſque reliquos ac vniuerſos Imperii ordines quam commendatiſſimos habiturum: tum iura atque priuilegia ipſorum non modo ab omni defenſurum violatione, ſed cum res ita ferer, etiam amplificaturum eſſe.

Conuiuia Imperatoria ac regia.

Hiſce officiis poſteaquam Electores ſolenniter ſunt defuncti, ſinguli ſeparatim menſis in eadem aula ſplendidiſſime inſtructis diſpoſitiſque ad vtrumque Cæſaris & Regis menſæ latus diſcumbunt. A latere dextro primam occupat Moguntinus, alteram Palatinus. Ad ſiniſtram poſitarum primam tenet Colonienſis, ſecundam Saxo, tertiam Brandeburgicus. Contra Cæſarem & Regem menſa poſita erat, cui

Treue-

Treuericus iuxta legis Carolinæ formulã accumbit. Hæ autem menſæ omnes tam Cæſarum quam Electorum, aureis adornatæ ſtragulis magnificentiſſime nitebāt, ſupra etiam & à tergo aureis aulæis affabre ſumptuoſiſſimoq; opere confectis dependentibus. Præter iam dictas menſas aliæ duæ oblongæ in eadem ſtabant aula, ad quas collocantur Teutonicæ familiæ Magiſter Wirtziburgicus & Spirenſis Epiſcopi; item Bauarus, Iuliacenſis, & plures alii duces atq; Principes viri. In contiguo aulæ hypocauſto, etiam quatuor aliæ menſæ inſtructæ erant, quarum primæ legati Colonienſes, ſecundæ Aquiſgranenſes, tertiæ Norici, quartæ Francofurtenſes accumbebant. Menſis ſingulis ſinguli abaci, omnis generis aureis atque argēteis vaſis in tricliniis expoſitis opulentiſſimi, adiecti. Menſam Cæſarianam procurabant præter cæteros duodecim præcipui Imperii comites Electorum vicem obeuntes. Habebant quoque Electores & Principes ſuos ſinguli comites, nobiles, qui illis à dapibus & poculis erant. Legatis quatuor ciuitatum certi etiam attributi miniſtri. Cæterum licet conuiuium inſigni magnificentia ingentique epularum apparatu inſtructiſſimum ſenis ſic præberetur ferculis, vt dena ſimul edulia apponerentur; inter ea tamen plurima eſui non apta, digna ſolum erant, quæ cum admiratione oculos paſcerent. Bellariis etiam ſecundæ præſertim menſæ conquiſitiſſimis viniſque pretioſiſſimis fuerunt inſtructæ. Interim dum ſic

Regifice extructis celebrant conuiuia menſis,

Ante Curiam album & rubens merum, duabus fiſtulis per ſpeciem bicipitis Aquilæ, editæ columellæ impoſitæ, ſubterranea deriuatione profundebatur. (Sic Neapoli in Federici Cæſaris aduentu pluribus diebus nobiliſſima vina in ſpeciem aquæ extemporariis fontibus vbertim fluxere, *Sab. lib 8. c. 7.*) Veteri etiam conſuetudine Bos integer, multis aliis animalibus fartus ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte alia ad inauguratum Romanorum regem delata, reliquum multitudinis direptioni ceſſit. Menſis remotis Treuericus gratias egit: poſtea Cæſar & Rex ſuis ornati inſignibus, ab Electoribus cæteriſque Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus & anteambulonibus domum deducuntur, quibus deductis ſinguli in ſua ſe receperunt palatia.

Simile Imperatorium ſiue Cęſarianum epulum in Caroli V. Cęſaris coronatione, apud Aquiſgranum magnificentiſſime celebratū, plenius Hartmannus Maurus ceu teſtis oculatus hunc in modum deſcripſit: Regia Maieſtas Imperiali habitu atque ornatu induta, delatis ante ſe Imperii inſignibus, maximo Electorum cæterorumq; Principum comitatu, palatium tota Germania celeberrimum, cuius latus forum ſpectans Imperatorum marmoreis ſtatuis eſt ſpectabiliſſimū, aſcendit, vbi omnia ad ſplendorem gloriamque magnificentiſſime aureis periſtromatibus, ſtraguliſque aureis ſic adornata fuere, vt maximam rationem publicæ dignitatis habitam fuiſſe dixiſſes, ſolennique conuiuio, præter Principes Germanos ſtatuſq; Romani Imperii nemo interponebatur.

Statim atque Rex aſcendiſſet, minor Imperii Mareſcalcus Vlricus de Pappenheim, equo cui inſidebat in cumulum auenæ vſq; ad pectus, adacto argenteo modio duodecim marcarum, publice in foro, ex more, vice ducis Saxoniæ auenam demetiebatur. Aqua deinde aurea pelui regiis manibus à Marchione Ioanne de Brandenburg, & minore Imperii pincerna dabatur: tenuitque comes Palatinus & alii aſtantes Principes mappam, qua aſpergebantur manus regiæ. Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente Submareſcalco geſtante eleuatum bacillum,

cum

Digitized by Google

cum D. de Roy magno & aliis minoribus magiſtris curiæ, ad coquinam deſcenderunt regiam.

Antequam reuerterentur Electores, Eccleſiaſtici benedictionem menſæ legerunt. Quamuis autem hoc antiquæ annotationes Archiepiſcopo Colonienſi coronatori ſaltem illa die tribuerunt, tamen Treuerenſis ſibi hoc competere cõtendebat, ob cauſam, quod ſenior in conſecratione foret. Archiepiſcopus igitur Colonienſis ob ea quæ in aurea bulla continentur, cuius autoritas in dubiis merito ſequenda, æquo animo ceſſit.

Poſt benedictionem Archiepiſcopus Moguntinus, aſſociatis duobus Archicancellariis, Colonienſi à dextris, Treuirenſi à ſiniſtris, ſigilla regia à baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, regiæ menſæ oblata, cum retraderentur, Moguntinus ea collo aptauit, totaq; die publice inde dependentia geſtauit. Tametſi Treueri contendebant, Aquiſgranum eſſe Archicancellatus Gallici.

Ante dapes venere tubicines atque æneatores Regis. Heroldi quoque inſigniter ornati: inter quos Anglicus quoque Heroldus cum inſignibus Regis ſui honoris cauſa conſpiciebatur.

Tubicines præcinentes, vbi ad medium atrii peruenere, ſubſtitere: tubis tamen omnia perſonantibus, quouſq; Dominus Palatinus per deuexum aſcendendo ſeptem gradus, primum ferculum coopertum, Regiæ Maieſtati reuerentiſſime appoſuiſſet. Controuerſia erat inter legatum regis Bohemiæ, & Subpincernam Imperii N. de Limpurch, vter eorum Regi vinum aqua dilutum ex more propinaret. Sed excuſſum pridie fuit, pro Friderico agnomine, & officio Pincernæ, cum ille ſemel & primo propinaſſet. Poſt durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus principum Electorum officiis ſolenniter defunctis ad menſas ipſis præparatas, Principes ſeſe repoſuere. Singuli ſuos Comites atque nobiles habuere, quibus inter epulas miniſtris vtebantur.

Hic oportunũ de ordine menſarum relationem facere. Regia menſa poſita latere dextro, quod forum reſpicit inter columnas, in meditullio aulæ, & parietem, ſubſtructas, eleuataque fuit faſtigio ſeptem pedum. Electorum vero menſæ modicis interuallis poſitæ, pedalis altitudinis faſtigium habuere, & tam Regis quam Electorum menſæ aureis ſtragulis ſtratæ. Aulæa quoque aurea ſupra & à tergo propendebant magnificentiſſimi operis. Licet prandium prælautum, omnibuſq; cupediis ciborum inſtructiſſimum abundatiſſime quinquaginta ſcilicet ferculis ſic præberetur, vt dena ſemper edulia apponerentur, inter ea tamen multa non eſui apta, digna ſolum erant, vt cum admiratione ſpectarentur. Licebat enim videre ſpecies caſtellorum, arborum, leonum, aquilarum, vnde Romani Imperii regnorumque Hiſpaniæ vexilla dependebant, menſis ſingulis ſinguli abaci ordinatim diſpoſiti, primis primi miniſtri quoque fuere.

Marchio Caſimirus ſtructor ſiue prægustator Regiæ Maieſtatis fuit. Regem ſedentem in aurea ſella circumſtabant dexteriore latere D. Marchio de Arſchot, & Epiſcopus Leodienſis, ſiniſtro latere Comes de Zorn, ſceptriger, pluresque alii principes, atque Comites, Germaniæ atq; Hiſpaniç. A ſiniſtro erat abacus regius, ornatus ſpectabiliſſimis vaſis veteris cælaturæ, omnis vſus, duo præſertim vnicornia, admirandæ prodigioſæq; magnitudinis. Vas item aureũ ingentis capacitatis, Regiæ Maieſtati dono à Rege Anglorum, gratulandi cauſa miſſum, vt ferebatur,

Digitized by Google

viſebatur. Latere dextro, duobus paſſibus infra Regem primæ menſæ aſſedit Archiepiſcopus Colonienſis. Qui ſecus contenderunt, ob annotationes imperiorum ſcilicet, quod primus diſcubitus Regi Bohemiæ deberetur, illi auream bullam, normam ceremoniarum principum non viderunt, quæ his rebus ſtatum modum præfinit, moriſque Imperii non ſatis gnari, cæcutierunt. Tametſi ſecundo loco menſa Regi Bohemiæ ſtrata præparataq; fuiſſet, vacua tamen edulio manſit.

Tertia menſa pro duce Saxoniæ vacua. In quarta prandium ſumpſere Epiſcopi, Vormatienſis, Ratisbonenſis, Dux Otto Henrici Bauariæ. Quinta ad tempus fuit vacua: poſt occupabatur à regiis conſiliariis. Sextæ aſſidebat magiſtratus Aquiſgranenſis. Nurenbergenſes legati, qui imperialia ornamenta aduexerunt, ad ſeptimam menſam collocati fuerunt. Reliquæ duæ menſæ conuiuarum vacuæ manſere.

Latere ſiniſtro prope columnam, prima menſa Moguntini Archipræſulis. Secunda D. Palatini. Marchionis de Brandeburg tertia, ſed eſculentorum vacua, ob Marchionis abſentiam. Quarto loco duces Brunſuicenſes & Iuliacenſes accubuere. Quintam occuparunt miſſi à ciuitate Colonienſi.

E regione Regis directe poſita fuit menſa Treuerenſis Archiepiſcopi. Paulum infra menſa Colonienſis atque Moguntini Archiepiſcoporum. Conuiuium Regium opiparum lautiſſimumque quatuor fere horis quaſi regali cum ſilentio agebatur. Expleto prandio, gratiis à Treuirenſe dictis, omnia tubis tympaniſque perſonabant, ſtrictoque diui Caroli gladio, iterum Regia Maieſtas viros equeſtris ordinis creauit.

Omnibus abſolutis, Rex imperialibus ornamentis indutus, cum Electoribus ſuo quoque peculiari habitu veſtitis, ingentique Principum frequentia atque comitatu, præcedentibus æneatoribus, hoſpitium intrauit: Regeque deducto ſinguli Principes ad ſua quoque hoſpitia diuerterunt. Archiepiſcopus Moguntinus ſtatim Regi ſigilla cum argenteo illo baculo, cuius antea mentionem feci, inſuper candidum eximiumque equum dono miſit. Quæ omnia à Cæſare mox remittebantur. Rege ſubiungente, ſe fidem Moguntini adeo exploratam perſpectamque habere, vt ſigilla regia nulli tutius quā eius fidei credi poſſint. Regem inſuper futurum ſuæ perſonæ gratioſiſſimum Dominum, Epiſcopatumque Moguntinum potenter efficaciterque protecturum. Moguntinus fidei eius commiſſa ſigilla quidem retinuit, argenteum autem baculum equumque D. Nicolao Ziglero, homini ſolerti, Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

His porro addere libet tertium epuli Cæſariani exemplum, quod in eiuſdem Imperatoris Caroli V. coronatione apud Bononiam celeberrimam Flaminiæ vrbem præſente Clemente VII. Rom. Pont. magnifico apparatu agitatum fuit, & à Corn. Agrippa eleganter admodum literis memoriæ proditum.

Hac magnificentiſſima pompa inclinante ſe iam die, reuerſus ad Palatium Imperator, deſiliens equo, primum eos qui ſigna & vexilla præferebant, tum vmbraculum geſtauerant, & alios pleroſque cum nobiles, tum ciues & ſcholaſticos, equeſtris ordinis auratos milites, procreauit. Deinde Baſilicam ampliſſimam aulam auratis laqueariis, & Babylonicis peripetaſmatibus ſuſpenſam tapetiſque inſtratam principibus comitantibus aſcendit. Cernebantur ibi appenſi laquearibus argentei polymyxi penſiliaque candelabra, quæ luminoſis cereis redolentibuſque lychnis referta, lumina late profundebant. Conſpiciebatur ibi etiam extructus ampliſſi-

ampliſſimus abacus varii generis aureis eſcariis & poculis, puta lancibus & lebetibus, œnophoris, amphoris, phialis, ſcyphis, cyathis, pateris, tragematariis miro artificio cælatis, gemmatiſque calicibus, & id genus epitrapez is confertus.

Ad caput autem Baſilicæ ſub aureo conopæo Imperatoris menſa ſita erat, & iuxta non longe altera menſa, qua magnificentiſſimus Sabaudiæ dux cæterique Principes, qui coronationis inſignia portarunt, recubituri eſſent. Erant etiam cæteris principibus ac prælatis primoribuſque ſatrapis ſuſpenſa periſtromatibus & inſtrata aulæis, ſuiſque abacis & menſis magnifice parata cænacula. Iam hora aderat conuiuii, & inſtructis menſis accumbebat ſummum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri Principes ſuas menſas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & ſolenni oratione menſæ benedicitur. Tunc primores Satrapæ (Dapiferos idcirco vocant) præeuntibus cum ſuis ſcipionibus architriclinis, argenteis caniſtris panem, & auratis patinis naria tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt.

Deinde ſecundis menſis grandioribus lancibus exquiſitiſſimas per ordinem epulas copioſe apponunt, aſſa, elixa iuſculenta, frixa, paſtilia, promulſidaria, pultaria, cruſtulenta, aliaque lautiſſimorum eduliorum genera ſapidiſſimis ſuccorum multiiugis condimentis ſuffuſa, multa quoque ſupra appetentiam diſcumbentium magnificentiæ cauſa illata ſunt.

Porro tertiis menſis, quæ cænam clauderent, variegata coquinariis artificiis multarum figurarum tragemata bellariaq; miniſtrabantur: nec deerant toto conuiuio varii generis generoſiſſima vina, ſtabantque præſto pincernæ pocula ſingulis pro libitu ingerentes, propinatoreſque ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoque magnificæ liberalitatis ſpectaculum multis admirationi fuit, quod poſt ſingulas dapes leuatæ mappæ & mantilia, vna cum auratis argenteiſque patinis & lancibus, cumque cibariis è feneſtris in forum præda plebi proiiciebantur: ſtructoribus interea alia ſupra alia imponentibus. Cumq; iam abſoluta eſſet cæna, dilutis pro more odoratiſſima aqua manibus, remotis menſis iterum ſolennibus precibus redditæ ſunt Deo gratiæ. Tunc Imperator accepto in manus gladio ſacro, plurimos rurſus cum nobiles tum conſulares viros ad equeſtris ordinis honorem dignitatemque prouexit. Magna denique parte noctis tranſacta Principes ſinguli conſalutato Imperatore ad ſua diuerſoria cubitum diſceſſunt, populo Bononienſi adhuc pluribus florulentis diebus ignitiſque noctibus feſtiuitatis celebritatem iugiter continuante. Eiuſdem feſtiuitatis ſane magnificentiſſime Iouius quoque meminit, *lib. 37. de Caroli V. coronatione.* Is, inquit, dum Bononiæ coronabatur, è lacubus, qui in ſummo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti per ſiphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in ſubiectos milites ſpargebantur, torrebaturque in machina verſatili, bos integer, ingens, hædis, veruccibus ac omni fere volucrum genere farctiſſimus, vt in tanta, feſta hilaritate milites ſub armis in acie ſtantes, ad manum paratis obſoniis cum iucunditate veſcerentur. Hactenus Iouius. Hinc magnificentia regiorum & Imperatoriorum conuiuiorum in illorum initiatione ſiue creatione agitari ſolitorum, euidenter conſpicitur.

PH. Felices ergo, quibus hoc vitæ genus obtingit, inque principum aulas ſuſcipiuntur, in quibus adeo ſplendide viuitur.

Vita aulica.

EQ. Felicitatem illam vmbroſam cautius mercabitur quiſquis ſapit. Nec enim omne quod ſplendet, aurum eſt. Scio ſane inſtare ſæpenumero quamplurimos & nobiles & magnos viros, qui Regum principumque aures obtundunt, atque in ipſorum aulas recipi precibus poſtulant. Putant nimirum illi, vitam beatam apud Reges & Principes ſolummodo inueniri: At poſtea recepti, ſuapte vtplurimum renunciant.

TH. Caue, ne diuinis aduerſere præceptis, dum Regum ſuades euitari ſeruitia; Cum Petrus, Apoſtolorum Princeps, & Caput Eccleſiæ, *ſubiecti eſtote*, dicat, *omni creaturæ humanæ, propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue Ducibus, quaſi ab eo miſſis.*

EQ. Abſit à me ſcelus hoc, vt Apoſtolo contradicam, vel Regibus dicam non eſſe parendum. Cum & veritas in Euangelio, Reddi, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari iuſſerit, & quæ Dei ſunt, Deo. Cumque ad Romanos Paulus, Doctor Gentium, dicat: *Omnis Anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Clamo & ego, *Obedite Principibus veſtris omnes populi: Subiicite vos ſublimioribus poteſtatibus omnes gentes.* Et Petrus, propter Deum vt ſubiiciamur, non propter opes, potentias, honores, grauiſſime admonet. Interim & hoc monemur per prophetam: Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, *Pſal. 146.*

PH. Diſſuadere nimirum nititur Eques vitam aulicam, vt ſolus ipſe cum paucis ea perfruatur. Hæc nimirum boni alicuius potiundi via eſt commodiſſima nam idem in ſimili negotio diſſuaſiſſe legi Syluium. Cum enim ad illum duo iuuenes Senenſes acceſſiſſent, & an regibus ſeruire conduceret, percunctati fuiſſent, ſic reſpondit: Menippus, cum adoleſcens apud Homerum Heſiodumque diuerſa Deorum ſcelera legiſſet, ea licita eſſe, atque honeſta credebat. Nam quod Dii faciant, quis non arbitretur honeſtum? Hic vir poſtea factus, cum illa, tanquam turpia prohiberi legibus animaduerteret, incertus animi, Philoſophos adiit, ſciſcitaturus ab eis, quænam eſſet optima vita. Sed neque Philoſophi ſatisfecerunt, cum inter ſe diſſentirent; Et alii voluptatem; alii vacuitatem doloris; virtutem alii; Quidam vero Animi, Corporiſque, & Fortunæ bona ſimul iuncta, vitam dicerent præſtare beatam. Incertior igitur ille multo quam antea, vt verbis vtar Terentii, cōſulere mortuos decreuit, & ad Inferos penetrauit; ac ex Thireſia, qui & ipſe Vates diuinatorque fuit, vbi vita beata eſſet, perquiſiuit. Cui cum Vates diu reſpondere negaſſet, in aures tandem inſuſurrans, Apud priuatos, inquit, Optimam vitam, hoc eſt, Felicitatem inuenies. Gyges quoque, Lydorum Rex, qui ſe præ cæteris fortunatiſſimum reputabat, Apollinem conſuluit, quis ſuo tempore felix eſſet. Contemſit oraculum regias opes, & apparatus, atque Aglaum quendam Arcadem, modici ruris cultorem, qui metas agelli ſui cupiditate nunquam exceſſerat, felicem eſſe reſpondit.

Vos igitur, ô Iuuenes, ſi quo modo viuatis optime, quæritis, minime Reges adibitis. Nam cum ipſi felicitatis expertes ſint, felices, qui ſibi dicati ſunt, nullo pacto poſſunt efficere: quippe quod Principibus ſeruientes nihil ſibi libertatis relinquunt; vt ea conſequi poſſint; quibus potiti multo ſint quam antea miſeriores. Virtutes enim, ô Iuuenes, felicis vitæ ſunt effectrices, quæ à Principum domiciliis excluſæ, ſi quando caſu, aut errore, limen ingrediuntur, è veſtigio coguntur fugere, perterrita ſiniſtris moribus, quibus in altis palatiis viuitur. Hæc Syluius. Illi

igitur

igitur duo iuuenes ab inſtituto reuocati, domi manere, ac ſibi ac muſis viuere decreuerunt. At paterna vox minus in filio quam in extraneis potuit, nec enim Æneam Syluium filium ab obſequiis aulicis auocare pater potuit.

TH. Ita eſt. Eques coram aliis aulas deteſtatur, vt ſolus ipſe vel cum paucis voluptatibus aulicis potiatur. Sicut apud Mediolanum, qui Bernardino prædicatori contractus vſurarios accuſabat, vt prohibitis ab his reliquis ſolus ipſe fœneraretur.

EQ. Longe aliter ſe habet. Non enim exiſtimetis, me in mei commodum priuatum atque emolumentum vitam quadantenus carpere aulicam, ſed in Regum ac principum gratiam; Quia namque quamplurimi ſæpenumero eodem tempore in aulas ipſorum recipi petunt, adeoque vitæ aulicæ ad inſaniam fere inhiant, quos tamen vtiliter recipere, ſed neq; etiam honeſte repellere audent Principes, in magnaque propterea ſint anxietate, proinde non minimam demerebor apud ipſos gratiam, ſi quibuſdam perſuaſero, vt ſuapte deſiſtant atque renuncient. Magno enim ipſos hoc modo leuabo oneri. Ad me quod attinet. Verſor ſane & ego in aula, non ideo tamen, quod aula mihi placeat, ſed ne leuitatis accuſer, qui genus vitæ receptum, neſciuerim proſequi; ob hanc inquam, cauſam, aulis adhuc inhæreo. Verum enimvero vt quod res eſt, dicam: Accidit omnibus aulicis vt coniugatis. Sunt enim admodum multi, qui viuente coniuge, matrimonium damnant, & vxoris obitum cupiunt, libertatis amore: ſemperque illius ad Corinthios Pauli mandati meminerunt; *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* At hi poſtquam libertatem ſunt aſſecuti, mox alteram ducunt coniugem, vt vix quidem exequias defunctæ valeant expectare.

Sic enim eſt hominum calamitas, vt vitam quam viuunt, diuque vixerunt, etſi malam ſciunt, mutare tamen aut nequeant, aut neſciant. Hinc Horatius, *Sermon. lib.1. Sat.1.* ad eos, qui ſuam vitam damnantes, alienam laudant,

Iam faciam quod vultis (inquit) *eris tu, qui modo Miles,*
Mercator: Tu, *Conſultus modo, Ruſticus, hinc vos,*
Vos hinc, mutatis diſcedite partibus; eia
Quid ſtatis? Nolunt.

PH. Nullum vitæ genus eſt, quod non inſignia vbiuis ſentiat grauamina; itaque caute in quouis vitæ genere agendum. Quamobrem etiam viri docti atque experti cautiones in quolibet vitæ genere obſeruandas publicis ſcriptis præſcripſerunt, quæ ſi quis attente obſeruet, næ ille cuilibet vitæ generi ſe ſine periculo accommodare facile poteſt. Et quia in hunc de vita aulica ſermonem incidimus, ego aliquot præcepta aulica Eraſmi Roterodami, qui & ipſe ab ipſa pueritia ad annum vſque quinquageſimum in aulis principum militauit, recitabo:

Primum præceptum. Primum illud tecum ſtatuito, ne quid cui credas, quantumuis in ſpeciem amico, quantumuis arridenti, complexanti, pollicenti, deieranti nec quenquam exiſtimes tibi ex animo amicum, nec tu ſis cuiquam amicus ex animo, tamen perinde, quaſi neminem non ames, ita blandus & comis eſto ſingulis.

II. Eſto largiſſimus eorum officiorum, quæ tibi nihil afferunt impendii.

III. Saluta blande, complectere, cede viam, aperi caput, ſubinde repete honoris & charitatis titulos, lauda affatim, pollicere benigniter.

Digitized by Google

IV. Prius igitur domi vultum componito, vt is tibi paratus ſit ad omnem fabulæ partem, ne quid veri affectus in facie ſubluceat. Meditanda domi eſt actio, vt oratio vultui, vt vultus ac totius corporis geſtus orationi fucatæ ſubſeruiat. Hæc ſunt Aulicæ Philoſophiæ rudimenta, ad quæ nullus erit idoneus, niſi prius omnem pudorem abſterſerit, ac vultu natiuo domi relicto, quaſi perſonam ſumſerit.

V. Proximum erit, vt factiones totius Aulæ ſubodoreris: ſed ita ne cui te facile admiſceas. Si quos, aut ſi quas videris, nihil non poſſe apud Principem, vide vt te ſemper inflectas ad latus nauis felicius.

VI. Nec pudeat aut pigeat aſſentari Morionibus etiam, quos animaduerteris gratos eſſe Ioui.

VII. Sed hunc ipſum technis omnibus captabis.

VIII. Quoties in illius conſpectu conſiſtes, arte præ te feres ſimplicem quandam alacritatem, quaſi gaudio geſtias, quoties illi datur adeſſe: & poſteaquam comperiſti, quibus rebus offendatur, quibus oblectetur, non multum erit negocii apud illum quamuis magnam inire gratiam.

IX. Commode ſubſeruies, ad orationem arridebis, ſi loqui non dabitur, applaudes velut admirabundus. Sed apud alios plenis, vt aiunt, tibiis, illius laudes decantabis. Aliqui certe perferent ſi paſſim prædicaueris.

X. Nunc hic, nunc ille tibi captandus erit munuſculo, ſed eleganti, & apto magis, quam precioſo, ne videaris aureo piſcari hamo, precium addes oratione: Excuſabis tenuitatem fortunæ, vbi illa contigerit opulentior, polliceberis montes aureos.

XI. Si qua præda affulſerit, caue quiſquam Deorum aut hominum tibi tam charus ſit, vt illi cedas.

XII. Semper tibi proximus eſto. Quoties de re agitur, vel patri verba danda ſunt.

XIII. Non ſemper in Aula ſpirant venti ſecundi; Vbi ſpirant, arripienda eſt occaſio. Nullius iuriſiurandi tam ſancta ſit tibi religio, vt huius gratia patiaris opimam prædam elabi de manibus.

XIV. Si quis Principem ſenſerit vehementer offenſum, ac diuerſam factionem geſtire victoria, ſemper accommoda te felicioribus: ſed ita, vt alteram partem non lædas capitaliter, niſi id fiat tuo magno certoque bono. Solent enim Principum fauores, ventorum in morem, ſubinde reflare in diuerſum.

XV. In ſumma, vbique venare commodum tuum.

XVI. Ne quem aperte lædas.

XVII. Caue menſam habeas domi: ea res exhauriet te ſumtibus. Longe præſtat conuiuam eſſe quam conuiuatorem. Noli ſupputare quanti conſtet vna cœna domi data, ſed ſubducito rationem ad quantam ſummam poſt annum ea res tibi ſit reditura.

XVIII. Proceres aliquot cole; Horum menſis te adiungito: ſed ita, ne crebrius ad eundem. Hic comis & commodus eſto conuiua, ſed feſtiuus ac lepidus vt ne quem offendas.

XIX. Si quid in te dictum erit petulantius, in luſum iocumque vertito, etiamſi ſeria res ſit.

XX. Ab omnibus tanquam ab hoſtibus caueto.

XXI. Ne cui concredas vnde te poſſit lædere.

XXII. Si quos ſenſeris tibi parum amicos, fac artificio ſummo diſſimules, & communibus officiis hoc magis apud illos amicum agas.

XXIII. Lauda apud eos quos ſuſpicaris renunciaturos: hac arte aut fient amici, aut mitius erunt inimici. Tantum caue ne qua detur anſa lædendi.

XXIV. In cæteris nugis Aulicorum eſto lepidus congerro.

XXV. Tantum ab alea temperato. ſi quidem ad hunc ſcopulum multi fecere naufragium, ſic vt vix licuerit enatare nudos.

XXVI. Da operam vt quam minimum inquineris.

XXVII. Ad rem augendam, & conſtabiliendam vbique vigila.

XXVIII. Vbi ſatis pingueris, excogitanda ratio, vt, quod paucis contigit, feliciter ab Aula te ſubducas, tibique viuas.

XXIX. Neque perpetuus adſis Principi, neque nimium diu abſis: quorum alterum parit tædium & ſatietatem, alterum obliuionem.

XXX. Vt autem etiam commodo tuo abſis, ambi Legationes, ſed fauorabiles, minimique negocii: ita ſubinde redibis nouus ad Principem tuum.

XXXI. Semper eſto querulus ac petax, & quemadmodum callidæ meretrices, variis nominibus ac modis ſemper aliquid auferunt ab amatoribus, ita tibi ſtudio ſit ſemper aliquid auferre à Principe.

XXXII. Sed ea potiſſimum petenda, quæ ille ſine ſuo ſumtu largiri poteſt. Quod genus ſunt Sacerdotia, Præpoſituræ, Abbatiæ.

XXXIII. Si quid erit tale, cuius tu capax non ſis, ſuborna qui petant ſuo nomine, ſed tuo commodo.

TH. Inter aulicæ philoſophiæ peſtes nulla certe eſt pernicioſior quam adulatio, malum haud quaquam ſimplex, ſed omnium calamitatum Iliada trahens, adeo vt maximos Monarchas & alioqui ferociſſimos gentium domitores vna cum ampliſſimis regnis in exitium pertractos eſſe per iſtud adulationis malum ſæpius cōpertum ſit; proinde, quo magis vſurpatur, atque in aulis præſertim, in quibus fere nata videtur (vnde etiam Grammaticis quaſi Adaulatio dicta) eo magis tam infimis quam ſummis vitandum; Atque inprimis principibus viris ab illis ſedulo cauendum, qui huic ſeſe vitio dedunt. Hinc quidam Heresbachius IC. grauiſſime monet, vt Princeps omnes ſuſpectos habeat, qui vbiq; ſtudent eſſe plauſibiles, omnib. ſententiis aſſentiuntur, ſemper parati vel laudare vel vituperare, ad alterius gratiam captandam: Qui in honorum exhibitione, in ſalutationibus, in operā pollicenda, ac ſimilibus officiis vulgaribus, ſunt plus ſatis prodigi, qui quibuslibet prompti dextram ad ſex vlnas vſque porrigunt, altera videlicet panem oſtendentes, altera lapidem abſcondentes. Qui nuſquam non corpus, facultates ac ſanguinem offerunt, qui ſecreta omnia rimantur expiſcanturq;, & ſimulata quadam ſimplicitate factiones ſubodorantur, potentioribus ſe adiungunt, ſuos in procerum ac heroinarum numero patronos captant, ab omnibus fauorem emereri ſtudentes, non habita ratione, ſiue id virtute an ſcelere fiat, qui minores quidem Deos venerantur, ſed vt apud Iouem ipſum patrocinentur. Huc omnia artis ſuæ ſpecimina dirigunt, adeo vt etiam morionibus ac catellis, quæ illis in deliciis ſunt, non dubitent adulari. Si videant Principem venationibus, aucupiis, deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres crepant, identidem vi

à

à ſe ingentem feram clamitantes. Si luxum aut ſplendorem, nihil præter gemmas bracteataſque veſtes ingerunt; hæc Principe, inquam, digna veſtis. Si crapulis poculiſque delectari ſentiant, ſubinde comeſſationes adornant, quin & ipſi quoq; ebrietati vacant, atque cum ingentem pateram exhaurire Principem, vident, ô dignum Principe hauſtum, ſucclamant. Si erga eos quos vocant Euangelicos, Princeps ſit propenſior, in promptu ſunt in Pontifices & Eccleſiaſticos conuitia. Si rurſum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias, eoſque vt ſeditioſos tollendos, vt hæreticos cremandos. Sic Dionyſii crudelitatem adulatores iuſtitiam appellabant. Aſſueri aſſentatores acclamabant, *iuſta eſt Regis indignatio*. Breuiter, ad omnem ventum pallium, vt dicitur, ſubducunt huic arti vacantes. Quam tamen plærique ſic attemperare callent, vt, quemadmodum Quintilianus ait, præcipuum artis eſſe ipſum artificium cælare, ita nihil minus quam adulari videantur. Apud cordatiores Principes de virtutibus grauiter diſſerunt, ſed tamen fucate. Nonnullos ſic impudenter adulari videas, vt amoris atque affectuum paritatis ſimulatione in periculum ſe coniiciant. Qualem fuiſſe referunt eum; qui ad gratiam eius quem captabat, vxorem repudiabat, quod ſciebat illi, cui adulabatur, coniugem parum gratam. Quoſdam accepimus noſtro tempore apud maximum Monarcham morbum ſimulaſſe, ac vna cum Principe in periculoſorum remediorum ſocietatem deſcendiſſe. Ita Dionyſii adulatores pocula patinaſq; in menſa ſubuertebant, ſimulantes ſe eodem cum Rege caliginis vitio teneri, atque ita tandem in magnum Principem exitium perduxerunt palpones. Quo non perpulerunt Antoninum? De Commodo traditur, eum huc perductum ab adulatoribus & calumniatoribus, vt nulli non calumniæ fidem adhiberet. Neminem amicum adiungebat, cui virtus aliqua adeſſet, ſed à cunctis rectis ſtudiis animum auocabat, neminemque non à limine tanquam inſidiatorem ſubmouebat, quem aut probitas aut diſciplina illuſtraret. Scurras vero, & qui turpiſſima repræſentabant, quaſi addictos ſibi habebat. Alexander Magnus, præclaris alioqui virtutibus inſignis, à palponibus perſuaſus, immortalem ſe fore, ac pro Deo adorari ſe paſſus, tandem eorundem Commercio eo raptus eſt, vt eximios ac fideliſſimos amicos ſuſtulerit. Et ego Principem vnum atque alterum noui, qui adulatorum conſiliis obſecuti, tandem è principatu exacti ſunt. Hucuſque Heresbachius.

PH. Nullum itaque maius boni imperii inſtrumentum ad eiuſmodi adulationum ſimiliumque malorum ſentinas auerruncandas, quam boni conſiliarii, vt etiam Tacitus grauiſſime monet. Magnum inquit, ornamentum Principi, corona ſenum & cordatorum conſiliariorum cinctum eſſe: Eſtque idem non ſolum ornamento, verum etiam felicem actionum ſucceſſum præbet, & aduerſariis metum incutit conſiliariorum reuerentia, & ſubditi libentius parent.

Boni & fideles conſiliarii perinde atque boni & cordati ac pii Principes peculiari Dei dono conceduntur: Nam Deus volens perdere Remp. Iſraelitarum, minatur illis pueros Principes, & conſiliarios effœminatos. Conſilium Achitophel infatuatum fuit à Domino. Contra, quando Deus vult fortunare imperia, concedit fortes & prudentes, vt ex Regum hiſtoria, & Eſaia liquet.

Aſciſcendi in conſiliarios & cooperarios adminiſtrationis, quales Ietro ſuaſit genero ſuo Moyſi, qui ſint ſpectatæ integritatis: *Sapientes, Deum timentes, Veraces,*

Incor-

Incorrupti, & cuiuſmodi amici Reip. à Socrate commemorantur apud Xenophontem, qui priuatis commodis publica præponant, qui mediocria poſſidere, quam virtutem deſerere malint, qui voluptatibus non vincantur, iniuriam priuatam negligant, publicam vindicent, neque ambitioni, neque largitioni obnoxii. Syrach docet in conſilium adhibendos, qui earum rerum, de quibus deliberandum, periti ſint: Siquidem belligeraturo non capiendum conſilium cum imbellibus & rei militaris imperitis neque cum impiis de Religione, neq; de Iure dicundo cum Iuris imperitis ac ſceleratis. Alexander Imperator cum de iure ac Ciuilibus negotiis tractaret, doctos & Iureconſultos adhibuit: Si de re militari, veteres & ſenes milites, locorum peritos, bellorum hiſtoriarumq; non ignaros, requirens quid in ſimilibus cauſis veteres Imperatores Romani vel externarum gentium, feciſſent.

Cum autem in controuerſiis dirimendis, & iure dicundo, Iureconſulti neceſſarii, accerſendi non quæſtuoſi illi litium magis conſtituendarum quam tollendarum artifices, quique linguam & conſilia venum exponunt: Sed qui non magis iuris quam iuſtitiæ conſulti, quique omnia, quæ à Iure Ciuili proficiſcuntur ad facilitatem æquitatemque referant, qualis S. Sulpitius à Cicerone deſcribitur: Et Papinianus ſingularis integritatis & fortitudinis exemplar, qui capitis ſui periculo non veritus, quæ iuſta fuerant reſpondere. Tales fuerunt Ioſeph & Daniel. Requirendi autem, qui ſint ingenio alacri, & ad functionem, cui adhibentur, accōmodi, eloquentia linguarumque peritia non deſtituti. Sæpe enim fit, vt peregrinę linguæ legatis reſpondendum, deque rebus ſecretis, & arduis conferendum ſit. Adde vt ſint Reip. ſtudioſi, eiuſque adminiſtrandæ nō imperiti. Indigenas & ſubditos malim, & φιλοπατρίδας. Nam & populus amat magis, & obtemperat libentius ſuæ gentis magiſtratibus cooperariis, quam externis. Quod ſi negetur, & externis regantur hominibus, incredibile quantū hac re animi alienentur, & ad factiones, & alios ſæpe Principes euocandos incitentur. Exempla prætereo, ne quis offendatur. Tyranni ſiquidē peregrinis magis quam ciuibus ac ſubditis vti malunt, idque exiſtimant tyrannidi ſtabiliendæ conuenire, vt Ariſt. docet.

Conuenire etiam videtur ad communem ordinum concordiam, vt conſiliis adhibeantur, non ſolum proceres è nobilitate, verum etiam è præcipuis ciuitatibus graues, prudentes, rerumque politicarum periti ciues.

Vitandi vero ambitioſi, faſtuoſi, præfracti, iracundi, furioſi, ac contumelioſi: item philauti, & adulationibus obnoxii ac calumniis: item ſimulatores & veritatis occultatores. Non ſunt huc admittendi futiles, leues, & ſecreti parum continentes. Non ſint fumiuendi neq; pleonectæ. Arceantur qui ſeipſos inſinuant, vel fauore ac potentia ingeruntur, & qui præfecturas & prouentus Principum, vel fiduciaria poſſeſſione, vel oppignoratione occupant: neque qui officiis & pręfecturis præpoſiti, aut Eccleſiaſticis miniſteriis mancipati: ne alterius occaſione alteram deſerant, vel neutram functionem fideliter adminiſtrent.

Non ſunt huc tam accerſendi qui vafritia atq; adeo huius mundi veteratoriis artib. inſtructi, quam probitate, & integritate atque induſtria commendati. Prudentia Dei donum eſt, iuxta illud; *vt auris audiat & oculus videat, Deus facit.* Cæterum ea quidam abutuntur ad priuatum commodum, & ad nocendum proximo. *Propter prudentiam*, inquit Sapiens Rex, *laudabitur vir, ſed improbus pudefiet:* monens prudentia ſicut aliis bonis creaturis, non abutendum, atque etiam vitandos qui ea abutuntur, nam eos pudefieri, ac tandem infelices euentus parere, vt in Achi-

Digitized by Google

tofel & Doëg declarat ſacra hiſtoria. Quare ſequendi, qui verbo Dei mentes regunt, non qui freti vel eloquentiæ viribus, ac humana prudentia, conſilia cæcis affectionibus & fortunæ priuatiſque vtilitatibus accommodant.

Suaſerim & hos vitandos, qui aliis Principib, mancipati ſunt ſtipendiis aut beneficiis. Etſi enim ſcientes patiuntur plærique magni Principes conſiliarios ſuos ſtipendiis ac muneribus ab aliis honorari; at meo iudicio ſcientes ac volentes in ſinu ſerpentes fouent, mirum non intelligi hæc gratis nõ fieri. Ptolomæi Philometoris adhuc pueri largitionibus corrupti conſiliarii, Antiocho auunculo Regem ſuum per ætatem nondum ſatis intelligentem miſere prodiderunt, vt Danielis vaticinii explicatione declaratum.

Breuiter, talis eſſe debet conſiliarius, qui nihil nebuloſum, nihil fallax, nihil ſimulatum, nihil deniq; improbum aut maleuolum fucatumve referat, quod vitam aut famam refellat, vt Ambroſius docet in officiorum libris. Alexander Imperator amicos ſi malos comperiſſet, puniebat aut dimittebat, dicens; *His carior eſt mihi Reſpub.* Hæc niſi obſeruet Princeps, Aula ipſius nihil aliud erit, quam collegium Gigantum, hoc eſt, famoſorum nebulonum conuentus, theatrumq; peſſimorum ſatellitum, morumq; corruptiſſimorum ſchola, & execrabilium ſcelerum aſylum: vbi ſuperbia, faſtus, tumor, rapacitas, libido, luxus, liuor, ira, crapula, violentia, impietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, crudelitas, & quæcunq; vſpiam ſunt vitia, moresq; corruptiſſimi, habitant, imperant atq; regnãt: vbi ſtupra, raptus, adulteria, fornicationes aulicorum ludi ſunt: vbi etiam Principum Regumque matres nonnunquam filiorum lenę ſunt. Ibi ſcelerum omnium procellæ, virtutumque omnium inenarrabile naufragium; probus quiſq; illic opprimitur, peſſimus quiſq; prouehitur, ſimplices irridentur, iuſti vim patiũtur, audaces & impudentes erigũtur, ſoli illic proſperantur adulatores, ſuſurrones, detractores, renunciatores, calumniatores, ſycophantæ, pſeudoli, famicidæ, ſupplantatores, inuentores malorũ, cæteriq; tempeſtatum populi, quibus peruerſiſſima quæque facinora in profeſſo ſunt: quorum vita omnis turpiſſima; quicquid vſpiam eſt teterrimarum beluarum peruerſitatis, tota hæc & omnis in aulicum iſtum gregem, quaſi in vnum corpus conflu it. Quo quidem nihil poteſt contingere exitioſius. Atque eiuſmodi Aula tanquam Cometes malorum omnium prænuncia, ac veluti contagioſiſſima peſtis, quocunq; applicat, pernicioſiſſimam cladem ſecum fert: vndecunque migrat, inſanabilia, veluti eorum, quos rabidus canis momorderit, relinquit veneni ſui veſtigia. Comitatur illam perpetua rerum caritas, dum quiſq; ex ea lucrum captare nititur, exaucto rerum precio, quod nunquam poſtea remitti poteſt, magno detrimento. Comitatur & luxus cibariorum, quo introductis peregrinis epulis, populus ipſe patrios cibos faſtidire incipit, paſſimq; popinæ & gulæ indulgens, res ſuas turpiter abſumit. Comitatur & faſtus, quem dum ciues mulieresq; imitari conantur, & ſingulæ domus diſpoſitionis ſuæ formulam habitumq; inde mutuantur, omnia ſua in veſtes & pompam profundunt. Sequitur corruptio morum introductis peſſimis vitiis, pernitioſiſſimum malũ. Mariti adulteras cõperiunt vxores, alii ſtupratas, & vel abductas in ſcorta filias, alii ſupplãtatos filios, alii corruptos ſeruos & ancillas. Scio ego famoſam Galliarum vrbẽ ea cauſa ſic peruerſam, vt vix aliqua ibi matrona pudica ſit, vix filiæ nubant virgines: quin & palatinum ſcortum fuiſſe ſummi honoris eſt: & ſeniores matronę iuniorum lenę ſunt: eaq; turpitudo ſic inualuit, vt nullus verecundiæ locus ſit: vix maritis ipſis vxorum meretricatus curæ

eſt,

eſt, modo (vt ait Abraham ad Saram) bene ſit illis propter illas, viuantque laute ob gratiam illarum.

EQ. Tu philoſophice quadantenus de aulæ ſtatu iuſto pariter atque peruerſo diſſeris. Ego vero eiuſmodi aularum peruerſarum, in quibus conſilio nihil, autu vero temerario pleraque aguntur, aliquando fui particeps, Comice de illis diſſerā. Videas ibi Thraſones, qui faſtu, luxu & pompa inſaniunt: induti purpura & byſſo, & opere plumario, veſtibus deauratis & circundatis varietate, quibus

Scorta placent, fracti curuique è corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot noua nomina veſtu.

Hi vires omnes in Venerem frangunt, tum illorum ingenioſa gula eſt & guſtus, per omnia cultum quærunt, epulantur ſplendide, dant & accipiunt conuiuia. Inter hos laudi plerunq; ducitur, ſi illuſtri conuiuio ſic ſua prodigāt ſemel, vt trimeſtri toto impudenter menſas circumeant alienas. Ad iſtos vndique confluunt Citharœdi, Tibicines, & omne genus Muſicorum, Mimi, Hiſtriones, Paraſitæ, Meretrices, Lenones, Saltatores, Venatores, & huiuſmodi prodigia hominum; aluntúrque canes, equi, lupiceruarii, accipitres, cæteræque armatæ aues, ſimiæ & Pſittaci, & ſi qua monſtra ſunt ac naturæ probra, vrſi, leones, leopardi, tigrides. Colloquia eorum meræ nugæ & otioſæ fabulæ: obtrectant, deferunt, effutiunt, mentiuntur, ac veris falſa commiſcent. Hi de canibus, de venatibus, de ſyluæ ambitu, de ambage luſtrorum, de venationum euentibus, multa fabulantur; illi de equis, de militia, & fortiter ab ſe factis multa mentiuntur. Si adeſt, qui inuideat æmulus, aliorum ſermones obſtrependo diſcutit, alias inſerendo nugas, & quæ ſibi putet laudem gignere, ſua inſolenter narrat facinora: hunc alius ſæpe de mēdacio conuincit, & variis ſcommatibus explodit, vnde totum tunc conuiuii colloquium frequenter in iram & contumeliam deſinit; & velut in centaurorū conuiuiis Bacchi munera non ceſſant, donec eliciant ſanguinem: Ita & in iſtorum aulicorū conuiuiis ſæpe hoſpites redeunt cum cicatricibus, ac ſi hoc edicto inuitati videantur,

Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.

Proinde vero ſumma iſtorum diſciplina eſt, obſeruare tempora Principum, ne quid intempeſtiue illis ingerant, eaque non ab aſtris, à cœlis, ab Ephemeridibus captant, ſed à vino, à prandio, à conuiuio, à venatione, ab accubitu, dum exhilaratus eſt Princeps & voluptatis alicuius compos, & quos alios molles aditus & tempora norunt. Tunc nouitatum rumuſculos primum aſpergunt, quibus Principis aures titillant: deinde paulatim ad ea, quæ cupiunt procedunt, inſcriptum à natura ſua habentes Ariſtotelis ad Caliſthenem diſcipulum conſilium hortantis, vt cū Rege aut nunquam, aut iucundiſſime loqueretur, quo ſcilicet apud Regias aures vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior.

Quod ſi tunc cuiuis illorum Princeps aut Rex arriſerit, & ad id quod loquitur annuat, ſi gratum quid quod dixerit aut fecerit, ſi illi quid crediderit, ſi illum confabulatorem ſecum ſecreto abduxerit, atque aliis non ita, profecto magnus tunc eſt ille in oculis hominum, iamque omnia audet, mordet omnes, ridet omnes, floccipendit omnes, detrahit clanculum, reprehendit palam, loquitur grandia: nihil non audet, quo metuant eum omnes: conculcat inferiores, contemnit pares, ſuperiores dedignatur, honorem & adoratio-

nem exigit, etiam per contumeliam totus tumet & effertur, & potentiam adfectat. Neq; ii tunc ſolum paribus inferioribusq; infeſti ſunt, ſed & Principibus ipſis ſæpe pernicioſiſſimi, quibus veritatis, prudentię, correptionis & conſiliorum imagine perditiſſime adulantur, & in nefanda ſcelera ſæpiſſime impellunt: quemadmodum apud Lucanum Curio inſtigat Cæſarem:

Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur; deeratne tibi fiducia noſtri?
Dum manet hic calidus ſpirantia corpora ſanguis,
Et dum pila valent, fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumq; Senatus?

Similes Alexander Magnus habuit inſtigatores, qui illum ſuapte natura inſanientem, magis magiſq; in bella & cædes incenderent. Tales habuit & Roboam Salomonis filius conſultores, tales habēt & noſtri ſeculi Principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne ſcelus parent, hortanturque, aut ſi diſſuadent, vt fortius impellant, dum rationes ſuas tam futiles & infirmas opponunt, vt ſic ſe conuictos paſſi credulorum Principum confirment errorem; vtrobiq; ſic decipiētes vt nō poſſint argui, ſed de proditionis perfidia inſuper gratiā mercātur.

Cæterum iuxta hoc genus hominum ſunt etiam quidam plebei aulici, homines improbi animi, qui nulli in vita præeſſe ſciunt, ſed ipſi ſubiectione continua gaudent, ii circumeunt nobilium domos, illiſq; paraſitantur, menſis viuentes alienis:

Et bona ſumma putant, aliena viuere quadra.

Omnibus idcirco obſequuntur, omnibus adulantur, omnibus paraſitantur, & omnibus omnia fieri ſtudent, plures quam Proteus ſpecies mentiētes, atq; in plures formas ſeſe vertentes, quo potentiorum fauorem ſibi concilient. Conuiuarum ſermones explorare ſtudent, vt habeant, quod renuncient: diffidentium autem ſecretos rumuſculos vulpina aſtutia inquirunt, eoſdemque nunc ad amicos, nunc ad inimicos perferunt, vtriſque ſe gratos præbentes, dum ſunt vtriſque perfidi; eoque magis proditionibus idonei, quo ob imaginem ſimplicitatis minus habentur ſuſpecti. Quumque nullum facinus ſceleratius habeatur quam proditio, nullum tamen ad diuitias & dignitates comparandas vtilius ipſis ac compendioſius. Adhærent itaque nobilium liminibus, &

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

Quod ſi ſemel fuerint turpitudinis aut proditionis alicuius conſcii, iam euaſerunt, iam caput extulerunt. Nam

Charus erit Verri, qui Verrem tempore quouis
Accuſare poteſt.

Iam familiaritas, imo neceſſitudo quædam nobiliorum contracta eſt, qua freti ad ea quæ deſiderant, facile accedunt. Eos itaque tunc ſolicitant blanditiis, inſtant obſequiis, & ſe munerib. ingerunt ratione cōſortii, aut alia quauis arte, & quæcunque ab aliis aut periculorum metu, aut laborum intolerantia, aut lucri penuria relinquuntur, iſti auidiſſime quærunt, vigilant dies & noctes, peregrinātur, & ſuſceptas ferunt, referuntq; legationes & literas, labores immenſos aggrediūtur & perferunt, & audent quid, breuibus Gyaris & carcere dignum, donec iis meritis aut ſcriniis præficiantur, aut conſignandi ſuſcipiāt officium, aut ærarii cuſtodiam obtineant, aut cenſus varia ratiocinia illis cōmittantur. Iamq; egreſſi laborum anguſtias, nullū obſequium eorum amplius gratuitū eſt, ſed omnia deinceps ad preciū

Digitized by Google

venalia habent,& cum nouo honore mutatis moribus, omnium, quæ retro ſunt, obliti in anteriora tendentes, priora ſua contemnunt, vlteriora concupiſcunt, auaritiaque contracti ad prædam ſtrepitumque lucri omnia vertunt,fide parci,verborum prodigi,blandi pariter & inſidioſi, ſermone obſcuri,& oraculorum inſtar ambigui,quicquid vident,quicquid audiunt, quicquid dicitur, quicquid agitur, coniectant omnia in peiorem partem,ſibi ſoli fidunt,ſe ſolos amant, ſibi ſoli ſapiunt,nullius fidei aut amicitiæ credunt, ſodalitatem nullam, niſi lucri cauſa, colunt,commodum proprium omnibus præferunt, amicos, hoſpites, propinquos, ſocios,quicunque lucrum non adferunt,tanquam ſteriles arbores,deſpiciunt,priſtinos ſodales ſi quis eorum occurrat,prætereunt,quaſi ne norint quidem: ſi quis illorum implorat opem,hunc verbis & promiſſis abunde paſcunt, plusq; promittunt quam pręſtant;ſi nihil attulerint,auxilio deſtituunt,& vel cauſa ſpoliant,gratiam omnem venalem habent,virtutem omnem contemnunt, aliorumq; laudes diuerſis ſententiis frangunt,& poſt terga artificioſe cuilibet detrahunt. Ipſi neminem ſine exceptione laudant,quemadmodũ Orator ille,Iulium fortunatum (aiebat)fateor,virum fortem,& quem conſtat ſtrenue egiſſe quam plurima;quo tamẽ pacto iudicium repetundarum apud Iudices iuſtos euaſerit,mirarer quidem, ſi vis eloquii eius mihi eſſet incognita. Præterea aulicis muneribus, Vulturum inſtar, ſemper inhiant, vndecunque venantur prædam,eamque quibus poſſunt, veluti Phineo obſonium,vel ipſis è faucibus,Harpiyarum inſtar,pręripiunt: Æmulorum calamitatibus gaudent, nullius malo compatiuntur, nulli promiſſa ſe debere putant,niſi pro ſua libidine,nulli gratiam referunt, ſed omnes pariter aut beneficio indignos iudicant,aut negligentia prętereunt,nonnullos odio compenſant,ſed in odio gratiam fingunt,& diſſimulant iram: præter Principem aut Regem, nullum alium obſeruant aut verentur: ſed ne hos quidem niſi aut metu,aut pro cõpendio. Cumq; iam ad canos vſque in proditionibus,in fraudibus,in ęrumnis & laboribus verſati, anxiis his ſordibus ingentes opes ſublimesq; honores corripuerunt, tunc fasq; nefasq; confundunt, vt filios non tam honoris quam rapinæ ſimul & iniquitatis relinquant heredes.

Atque hæ ſunt adulatorum iſtorum artes, quibus multi ex infima hominum fæce ad ampliſſima munera,quæſturas,dignitatesq; conſcendunt, proximamque apud Principes & Reges ſuos auctoritatem adepti,diuitias Principibus pares conflant,Regia extruunt palatia,nobilium fundos emunt, atque adeo in illorum locum his ſuis ſceleſtiſſimis artibus ſuccedunt.

Cæterum abſit à me,vt vitam vere aulicam vllatenus carpam,quippe quæ cum inſigni grauitate,atque morum honeſtate eſt coniuncta. Hæc vero,de qua hactenus dixi,quantumuis in aula tranſigatur, vere tamen aulica non eſt, ſed cyclopica iuxta ac veteratoria. Neque etiam me tamdiu in Aulis detineri ſuſtinuiſſem, niſi me aulicorum bonitas atque integritas allexiſſet atque confirmaſſet.

PH. Sed neque iſtis quos dixiſti,aſſentatorib. omnia bene cedunt: nam ſumma cum ignominia atq; dedecore,vt plurimum etiam morte,prauitatis ſuę dignas luunt pœnas. Exemplum præbet inter cæteros,quidam Petrus Landovvichus, in quem cum Britanniæ rex fiduciæ nimium collocaret,tota Nobilitas coniuratione facta eo ipſum regem adegit, vt miſellum illum Petrum dedere Nobilitati cogeretur,cuius gulam laqueo propediem fregerunt. Ac ſane quam lubrica & fluxa ſit Fortuna eorum,qui in aulis ex inferioribus ad ſummos gradus ambitioſis artibus

Digitized by Google

emergere nimioq; plus ditari ſatagunt, exempla teſtantur innumera. Didicit hoc malo ſuo quidam Maio dictus, qui cum ob inſolentiam intolerabilem ad regnum Siciliæ aſpirare cœpiſſet, à Matthæo Bonello occiſus eſt. Fuit is, ſicut Thomas Fazellus prolixe deſcribit, natione Apulus, patria Barenſis, humili ortus genere, quippe cuius pater oleum Bari vendere ſolitus fuit. Hunc ex tenui fortuna Gulielmus (fuit is primus huius nominis rex Siciliæ, & ob crudelitatem & auaritiā Malus appellatus) primo in curia, poſtmodū gradatim Cancellarium, ac demū magnū regni Admiratū conſtituit, & ad opes maximas prouectū, longe ſupra cęteros regni ꝓceres amore proſequebatur. Quibus hic opib. licentiaq; abutens, nihil crudelitatis, nihil violentiæ, vt aliquid ageret, p̃termittebat. Ingenium illi ad omne verſatile, cui facundia non diſpar, atq; ſimulandi & diſſimulandi q̄cunq; vellet, facilitas inerat: In venerē p̃ceps, ſtupro virgines fœdare, laudi ſibi ducebat, tantoq; ſe clariorem exiſtimabat, quanto ſplendidiores cōcubitus quacunq; ratione aſſequi potuiſſet. Is itaq; cum iam totius regni adminiſtrationē haberet, Regemq; (cum quo ſolus regni negotia, cæteris ꝓcerib. excluſis, tractabat) quo vellet, attrahere poſſe confideret, in regnādi cupiditatem ꝓlapſus, etiā de inuadenda tyrannide atq; interficiendo rege conſilia agitare ſpe animiſq; inflatis inſtituit. Eo aūt dicitur hominis amentia erupiſſe, vt cum iam id minime diſſimulanter p̃ ſe ferret, mentionē facere cum amicis de regno Gulhelmo abrogando auſus fuerit; quinetiā per interpoſitā iuriſiurandi religionē fidem ab iis accipiebat, ſocios futuros ad regnum à malo vindicandum, vbicunq; gerendæ rei occaſio atq; oportunitas adeſſet, q̃ viris fortib. minime diu videretur defutura. Quinimo ad cōfirmandā ſuam auctoritatē Matth. Bonelliū genere Siculū, nobilitate inſignē, multorū oppidorum dominū, affinitate cum plurib. Calabrię ꝓcerib. coniunctū, integrę apud oēs opinionis, militia ſtrenuū, in generū delegerat. Qui tñ paulo poſt ob humilitatē generis à nuptiis cœpit abhorrere, & gener ſocerū, rege id approbante, ob affectatū regnū occidit. Huc ſpectat recens hiſtoria de Dauide quodā Rizio, eleganter deſcripta à G. Buchanano, *Rer. Scot. lib 7.* Is erat inter aulica miniſteria reginæ Scotiæ; Auguſtæ Taurinorū natus, è patre homine ꝓbo, ſed pauperculo; vt qui elementa Muſices docendo, ægre ſe & familiā ſuſtentaret. Hic cum nullū q̃ ſuis patrimoniū relinqueret, haberet, liberos vtriuſq; ſexus pſallere docuit. Ex his cū Dauid in adoleſcētiæ vigore cōſtitutus, & non inamœna voce p̃ditus, & à patre in muſicis inſtitutus eſſet, in ſpem fortunę liberalioris erectus, Niceam in aulam Ducis Sabaudię, nuper in ſuam ditionem reſtituti, profectus eſt: ſed ibi non pro ſpe acceptus, cum omniū rerum egenus omnia circumſpiceret, tandem in Morretiū incidit, iam tum, Ducis miſſu, iter in Scotiam adornantē. Hunc cum ſecutus eo veniſſet, nec Morretius, homo non admodū copioſus, operam eius aut neceſſariam aut vtilem ſibi exiſtimaret, ibi ſubſiſtere paulum & fortunā denuo experiri decreuit; eo maxime adductus, quod regina diceretur cantionibus valde oblectari, nec ipſa muſices omnino experta eſſet. Igitur, vt primum ſibi aditum ad eam patefaceret, egit cum cantoribus, quorum pleriq; Galli erant, vt inter eos appareret; ſemel atq; iterū auditus placuit, ſtatim in eorū collegium adſcriptus eſt. Ibi breui, cum reginę ſenſum atq; mores intellexiſſet, partim adulando, partim alios miniſtros calumniādo, perfecit, vt non minore eſſet apud reginam gratia, q̃ apud cæteros eſſet odio. Neq; tamen hoc fortunæ blandientis fauore contentus, cū æquales omnes partim viliores feciſſet, partim variis criminationib. expuliſſet, paulatim aſſurgere & maiora negotia tra-

tia tractare cœpit: donec ab epiſtolis aſſumptus eſſet; & hoc prætextu ſecretius & ſeorſim à vulgo agere cum regina poſſet. Iam ſermonib. materiã dabat repentinus hominis, tantum non mendici, ad opes non mediocres ꝓgreſſus, & ſupra virtutem fortuna, ſupra fortunã arrogantia & æqualiũ cõtemptus, & cum ſuperiorib. æmulatio. Alebat hanc vaniſſimi hominis inſaniã magnę partis nobiliorũ adulatio, qui amicitiã eius captabant, ſalutãdo, orationi eius ſubſeruiendo, forib. obambulando, exitus reditusq; eius obſeruãdo. Eò tandẽ peruentum eſt, vt ille cũ vno atq; altero quotidianus reginæ cõuictor eſſet. Quę ſane res & inuidiã & ſuſpiciones inſigniter mouebat, & ſiniſtris ſermonib. materiã ſuppeditabat. Acceſſit ad hominũ iam in peius ꝓcliues cogitationes inflãmandas, ꝙ ſupellectili, cultu corporis, equorum & genere & numero, longe regem ſuperabat. Rex itaq;, concurrentib. inſuper aliis haud leuib. ſuſpicionũ cauſſis, quæ ſupra dicto loco à Buchanano ꝓlixe recẽſentur, ingentem irarũ molẽ animo coquens, cum familiarib. fidiorib. de tollendo Rizio, quo ſaluo neq; rex dignitatem, neq; nobilitas columitatẽ tueri poſſet, deliberare cœpit. Igitur paulo poſt Dauid in cellula anguſta vna cum regina & aliis paucis cœnans, à rege introductis familiaribus, ab iisq; extractus, multis vulnerib. confoſſus eſt. Idq; præter omniũ, qui in cædem eius conſpirauerant, voluntatẽ, qui eum publice ſtrangulandũ, populoq;, cui gratiſſimum fore ſciebant, id ſpectaculũ prębere deſtinabant. Vſq; adeo vera eſt illa ſententia, Dedecus & detrimentũ eſſe comites & veluti pediſſequas ſuperbiæ & inſolentiæ. Cæterũ experientia teſtatur, plerunq; eos, qui ex opificũ ꝓgenie & ſordida plebe (licet nõnulli, ſed raro, ex iis, multis virtutib. claruerunt) emergunt, atq; ad dignitates altiores vel ingenio ſuo, vel alia ſolertia aſcendunt, multo inſolentiores & ꝓpemodum intolerabiliores magna cum Reip. iactura eſſe ſolere, ꝙ̃ qui nobili, veteri & celebri ſtirpe geniti ſunt, (ita vt veterum ille recte dixerit: Baiuli imperant, & mali ſunt ſuperiores bonis: metuo ne nauem fluctus opprimat.) Teſtis eſt inter alios Pallas, Claudii Cæſaris libertus, qui ſub eo Principe immenſis opib. cõparatis, cum à Peto accuſaretur in Neronẽ conſpiraſſe, atq; ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerẽtur, coactus eſt Pallas, vt innocentiã ꝓbaret, ſuperbiæ ſuæ magnitudinẽ detegere. Affirmauit n. moris ſui eſſe nunꝙ̃ miniſtrorum ſuorum quempiã alloqui, ſed, ſi quid vellet, id eis aut manu aut nutu indicare. Et ſi quid eſſet, quod longiore oratione declarandũ eſſet, illud eis ſcribere. Id autem agebat, ne cum miniſtris ſuperbæ vocis ſuæ dignitatem communicaret.

TH. O immanem faſtum, adeo nimiæ fortunæ felicitate Pallantem efferri, vt primæ fortunæ gradum obliuiſceretur, & his, in quorum ordine fuerat, adeo ſe illius rei auarum præberet, quod large ſine vllo detrimento communicari poteſt.

EQ. Attamen commiſeratione quadantenus digni ſunt, qui intempeſtiuo huiuſmodi faſtu atq; ſuperbia punguntur, atq; exinde etiam ſuperbiæ pœnas luunt haud leues, excuſationem tamen merentur minime, quia ipſorũ faſtus ꝙ̃ plurimis eſt exitioſus. Cæterum ridiculi admodum ſunt alii quidã, atq; innoxie ſuperbi, qui ſibi ſolis placentes, alienigenas ementiuntur veſtes, alienigenosq; nutriunt famulos, vt alienarum linguarum cognitionem habere apud vulgus videantur, cum tamen maternam vix calleant. In huiuſmodi oſtentatores ridiculos Thomas quidam Morus eleganti carmine inuehitur, introducitque amicum quendam ſuum, quem vocat Gallicæ linguæ affectatorem:

Amicus, (inquit) *& ſodalis eſt Lalus mihi*
Britanniaq; natus, altusq; Inſula At cum

At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores, dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitq; cuncta Gallica.
Toga ſuperbit ambulans in Gallica,
Amatq; multum Gallicas lacernulas,
Zona, locello, atque enſe gaudet Gallico,
Filtro, bireto, pileoq; Gallico,
Et calceis, & ſubligare Gallico,
Totoque denique apparatu Gallico.
Nam & vnum habet miniſtrum, eumq; Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipſa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallice,
Stipendii nihil dat, atque id Gallice,
Veſtitq; tritis pannulis, & Gallice hoc,
Alit cibo paruo, & malo, idque Gallice,
Labore multo exercet atque hoc Gallice,
Pugnisq; crebro pulſat, idque Gallice.
In cœtu & in via, & foro, & frequentia,
Rixatur obiurgatq; ſemper Gallice.
Quid? Gallice illud? imo ſemigallice.
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem quam Latinum Pſittacus.
Creſcit tamen, ſibique nimirum placet
Verbis tribus ſi quid loquatur Gallicis:
Aut Gallicis ſi quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licet non Gallicis,
Sonoq; ſaltem perſonare Gallico,
Palato hiante, acutulo quodam ſono,
Et fœminæ inſtar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ:
Balbutiens videlicet ſuauiter,
Preſsis quibuſdam litteris, Galli quibus
Ineptientes abſtinent, nihil ſecus
Quam Vulpe Gallus, rupibusq; nauita.
Sic ergo linguam ille & latinam Gallice,
Et Gallice linguam ſonat Britannicam,
Et Gallice linguam refert Lombardicam,
Et Gallice linguam refert Hiſpanicam,
Et Gallice linguam ſonat Germanicam,
Et Gallice omnem, præter vnam Gallicam,
Nam Gallicam ſolam ſonat Britannice.
At quiſquis Inſula ſatus Britannica,
Sic patriam inſolens faſtidiat ſuam,
Vt more Simia laboret fingere
Et æmulari Gallicas ineptias,
Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.

Digitized by Google

Ergo ex Britanno vt Gallus eſſe nititur,
Sic dii iubete fiat ex Gallo capus.

PH. Sint licet ridiculi; interim tamen in ſumma ſunt apud Principem gratia quinetiam tranſeuntibus per compita, obuiantes ipſis inclinant, capita denudant, loco cedunt, manus oſculantur, poſſunt namque ſubditis obeſſe pariter atq; prodeſſe quamplurimum, feudisque atque beneficiis à principibus affatim donantur, vnde magnopere ſæpius ditantur, exinde voluptatibus atque otio indulgere pro libitu poſſunt.

EQ. Splendida ſunt quæ profers, ſi tantundem in receſſu foret, quantum in fronte ſpondetur. Tu qui in vmbra philoſopharis, vnamquamque rem ſtrenue laudare, conſilia dare, ac de rebus maximis acutiſſime diſputare potes, verbis abunde inſtructus, at ſi id vitæ genus aliquamdiu deguſtaſſes, longe aliter differeres. Nam & ego, antequam hoc vitæ genus inirem, animo meo aureos ſomniabam montes. Admirabar nimirum, veſtium nitorem, aurum & gemmas, quibus erant admodum cõſpicui aulici. Ac illos Arabice olentes Purpuratos, vt Deos, verebar. Deinde magnifaciebam, his conuerſari, ad quorum conſpectum etiam, ſumma contentione, maxima ſæpe multitudo procurreret; hisq; colloqui, & eorum familiaritate cenſeri: ac illas affectabam immunitates, & diuites omnes putabam, qui ſic ornarentur. Cumque patrimonium mihi eſſet perexiguum, facile hoc loco diteſcere proponebam. Quædam pręterea inſita fuit & iuueni, & imperito, vt multis, *Ambitio.* Nam aliquando videns ex Aulicis reuerenter aliquos appellari, ac orari ab his, qui aliquid apud Principem captabant, deinde muneribus quoque peti: Rebar omnes in Aula conſueſcentes, potentia plurimum valere, ac facile audiebam, cottidie increpantes me his verbis: Quin tu in Aulam te confers, vt prodeſſe & tibi poſſis, & omnibus tuis, aliquam adeptus præfecturam, aut ad aliquod promotus officiũ, vel aliter Principi carus? His ego, Syrenibus, cum occinuiſſent, neq; ego, Vlyſſis cõſilio, cæra aures obturaſſem, ſubuertendũ me præbui, deceptus miſer, cũ minime præſentiſcerem, in quæ mala, Deo irato meo pronoluerer. Nam quid Veſtes admirabar ſtultus, quæ truncum etiam ornant, & animum non arguunt? cum ex animo conſtet homo, nec ad eum aliquid pertineat eorum, quæ exterius adhærent corpori.

PH. Illius igitur te iam meminiſſe, quamuis nunc ſerius oportet, quod Crœſo obiectum à Solone eſt. Nam ille cum adhibito Solone, aurea ſe ſponda molliter ac regie adornatum, nitide compoſuiſſet, ac ab illo percontaretur, nunquid vnquã ſpecioſius vidiſſet? Reſpondit Solon; Gallos gallinaceos, Pauones, & id genus animalia: In his enim admirandum Naturam ſpectaculum exhibuiſſe: Regis ſtoliditatem arguens, ac iſtiuſmodi fucorum contemptum innuens.

EQ. Vere maſculum id fuit Solonis reſponſum, ſcio enim alioquin libertatem monendi ab aulis vtplurimum exulare, vſque adeo vt ſæpe etiam viri fide & innocentia præſtantes, gratia regum ac principum, quam ſibi benefactis peperiſſent, minima occaſione quandoque etiam vel ob nudam quampiam ſuſpicionem vitæ periculum ſubierint, vt omnium gentium hiſtoriæ abunde teſtantur. Quantus vir Parmenio apud Alexandrum fuit, tamen optimus ſenex, tam de patre, quã filio rege, præclare meritus, cum filio Philota miſerabiliter necatur. Euſenidem anta apud Ptolomæum regem gratia florentem, vt nihil ad eam accedere poſſe putaretur, Rex cum muliere à ſe adamata colloquentem deprehendens, ante ædes

eius, venenato poculo extinctæ, ſtulta Zelotypia ſuſpendi iubet. Alcimenides, referente Plutarcho, Pannonianum in tantum faſtigium euectum, vt ſolus regni negotia, magno cum Reipubl. commodo atque honore adminiſtraret, locum venationis, ibi, vbi ipſe aſſereret, eſſe negantem, præcipiti ira accenſus, eodem ductum capite truncat. Philippus Rex Macedonicus, Aratum Sicyonium, virum ſapientia, iuſtitia ac moderatione inſignem, cuius conſilio multa præclare geſſerat, vna cum filio, veneno tollit. Valentinianus Imperator, Aëtium præſtantiſſimum Ducem, cuius opera ingentes Attilę copias in campis Catalaunicis profligarat, falſa ſuſpicione motus interimi curat. Et quas Iuſtinianus in celeberrimum ſui temporis Ducem Belliſarium cauſas ſæuitię alias, præter falſas ſuſpiciones habuit, cum eum poſt deuictos Vandalos, ac Perſas, omni dignitate oculiſque priuatum, ad ſtipem mendicandum compulit?

PH. Vere itaque Thomas Morus, (qui & ipſe huiuſmodi fortunæ aulicę non fuit expers, quippe qui, cum alienus eſſet ab omni aſſentatione, & in nouo matrimonio regis ſui à reliquis aulicis diſſentiret, capite tādem innocenter plexus fuit) ad quendam amicum ſuum de ſuo ipſius ſtatu aulico, hoc breui ſcripſit carmine:

Sæpe mihi iactas faciles ad Principis aures
Liber, & arbitrio ludis vt ipſe tuo.
Sic inter domitos ſine noxa ſæpe leones
Luditur, at noxa non ſine ſæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio cauſa,
Et ſubito mors eſt, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non eſt, vt ſit ſecura voluptas,
Magna tibi eſt, mihi ſit, dummodo certa, minor.

De Cambyſe quoque rege, prętantiſſimi regis Cyri filio degenere, extat regalis eiuſmodi impatientiæ inſigne exemplum. Cum enim nimis eſſet vino deditus, ex chariſſimis eius vnus, fretus familiaritate regia, illum admonuit, vt parcius vino & moderatius vteretur; quod regi turpe foret, in quem omnes coniectos oculos haberent, ebrietate agi. Hac libera ac fideli admonitione adeo Cambyſes excanduit, vt non modo non abſtinuerit, ſed liberalius capacioribuſque quam alias ſcyphis quum bibiſſet, adduci ſibi iuſſerit ab ipſo monente filium, in quem rex arcum intendens, eius pueri cor ſagitta transfixit. Vide, inquit, an regis ebrii certá ſit manus & oculus? Harpalus quoque cum liberior in admonendo ſuo rege fuiſſet, ea libertate ita commotus eſt rex, vt epulandos illi liberos appoſuerit. Sotades præterea ob libertatem monendi iuſſu Philadelphi regis Ægypti miſere periit. Quum enim Arſinoen ſororem ſuam Philadelphus duxiſſet vxorem, Sotadem fretum familiaritate regis dixiſſe ferunt: *εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὰν τὸ κέντρον ὠθεῖς, Ne in ſanctam rimam trudas aculeum.* Hanc liberam vocem rex adeo indigne tulit, vt plane immemor familiaritatis priſtinæ, Sotadem carceri mancipauerit, vbi miſere contabuit. Caute igitur Demaratus apud Herodotum ob hāc cauſam reſpondit Xerxi in expeditione contra Græcos, quum ſententiam ſuam dicere iuſſus eſſet: Vtra, inquit, apud te rex vtar veritatene an iucunditate? Quod ſi Apollodorus, architectus celeberrimus, qui Traiani forū & odæum & gymnaſium Romæ fabricauit, hac cautione erga Adrianum Cæſarem vſus fuiſſet, non eius iuſſu ſublatus eſſet. Quum n. deſcriptionem & formam templi Veneris, vt à Dione Caſſio refertur, ad eum exulem miſiſſet, quippe ſignificans, ſine illius opera & miniſterio etiam ingentia ædificia ex-

cia extrui poſſe,& quæreret,num id templum bene &ratione ædificatum eſſe videretur,reſcripſit Apollodorus,altius ampliusq; multo fieri oportuiſſe,quo magis & ꝓpter altitudinem ipſius in viam ſacram emineret,& ꝓpter amplitudinem machinas reciperet,quæ clam in eo compactæ,de improuiſo in theatrum perducerentur. Porro ſimulachra maiora facta eſſe dicebat, quam ratio altitudinis amplitudinisq; templi pateretur. Etenim,inquit,ſi deæ ſurgere atque inde exire voluerint,nō poterunt. Quæ quum Appollodorus aperte reſcripſiſſet,Adrianus ira incitatus, magnum animo dolorem cepit,propterea quod inciderat in eum errorem quem iam corrigere non poterat: Itaque hæc res tantum ei cruciatum doloremque attulit, vt illum ob eam cauſam interfici iuſſerit.

TH. Nouerimus ergo,potentiorum familiaritatem eſſe periculoſiſſimā. Etenim cum velint excellere & coli,nec quiſq̄ adeo circumſpectus & cautus ſit, vt nō interdum aliquid dicat,aut faciat cōtra eorum voluntatem, facile offenduntur, & offenſi,ſpe & opinione multorum citius,cupiditati vindictæ frenos laxant. Imo, quemadmodum in vulnere prius apparet ſanguis,quam plaga; & quemadmodum prius emicat fulgur,quam tonitru audiatur: Ita ex ſententia Plutarchi,apud Principes fere omnes, prius erumpit condemnatio, quam probatio, & periit delatus prius quam coarguatur. Vnde veteres Græci, referente Suida, rectiſſime præcepere: ἄλευ ἀπὸ μείζονος ἀνδρός: *Maiorem vitato virum.* Et Salomon *Prouerb.c.23.* idem admonens,inquit: *Cum ſedes vt comedas cum potente,ſis cautus,& ponas cultrum in gutture tuo,vt ſerues animam tuam.* Et idem non ſine graui cauſa dixit: Iram Regis, nuncium eſſe mortis. Extant quoque ea de re aliæ admonitiones, hinc inde, non tam poeticæ,quam politicæ, vt:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici, *Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,*
Expertus metuit. Item: *Viue tibi, & longe nomina magna fuge.*

Nec illa Senecæ præclara ſententia omittenda eſt: *Stet quicunq; volet potens Aulæ culmine lubrico: Me dulcis ſaturet quies.* Amicitiæ namque regum ac tyrannorum, vt Plutarch.*in vita Arati*,inquit,feruentes ac repentinæ ſunt, & ardore quodā amoris ſubito incēduntur,ſed labefactari expugnariq; facile poſſunt & veluti ventis inuidiæ atq; flatib. calumniæ aſſidue agitātur. Fitq; ſæpe vt ob rem nihili vel etiā verba ſiniſtre intellecta,tā opere excandeſcant atq; inflāmentur, vt magna deprecatione opus ſit,neque tamen ſæpenumero ſeſe placari ſuſtinent,ſed eos qui caſu illos,non ſtudio neq; data opera offenderūt,pecunia pariter ac libertate mulctant,nōnullos etiam vita ſpoliant,adeoq; in nugis etiā ſæpe tragœdias agunt. In omni ergo ſermone qui cum Principe miſcetur,maxima cautio eſt obſeruanda, habent n. aures admodum delicatulas; ſuntq; interdum afflatus ipſorū qui humanitatem quā iam ſingularē præ ſe ferunt,inſidioſi,quos illi ob id blande conferunt,vt ſuorū animos explorēt,& affectos hac benignitate,ad effundendū aliquid temere inducant. Plurima n. oportet ſimulare ac diſſimulare Reges atq; Principes. Neque id ſine cauſa. Habent n.& illi,etiamſi in adminiſtratione atq; regimine ſubditorum ſint æquiſſimi,ſuos oſores,qui de ipſis & ſiniſtre ſentiūt,& ſi quę poſſunt,ipſis mala machinantur; id quod etiam Marcellus quidam Palingenius hoc carmine innuit:

Nam qui ſumma tenent rerum faſtigia Reges,
Sollicitudinibus maioribus, atque tumultu
Iactantur grauiore quidem; Sed vulnera vulgo
Tanta latent, tacitiq; gemunt,celantq; dolorem.

Adde aliud quoque, quod cruciat comes improbus ipſos
Aſſidue. metus atque timor: Suſpectaq; eiſdem
Omnia ſunt. hinc inſidias, hinc dira venena
Concipiunt, ſoli nec poſſunt ire, nec audent.
Nec ſine fas illis prægustatore comeſſe.

PH. De tyrannis hæc vera exiſtimo, de bonis principibus non item; quamuis & hi interdum ſunt iræ feruentioris; cuius tamen deinceps pœnitentia rurſus ducuntur, id quod etiam de Alexandro Magno refert Arrianus, quod ſicut interdũ præceps ad delinquendum fuerit, ita ſtatim hoc eum pœnituerit. Vnicam enim peccati medicinam eſſe cenſeo, peccati agnitionem & confeſſionem, manifeſtumque pœnitentiæ documentum edere. Quo nomine inſigniter commendatur Ludouicus XI. Galliarum rex perſpicaciſſimus. Cum enim forte ob intemperãtiam linguæ lapſus eſſet, & durior fuiſſet, mox agnouit culpã, & conuerſus ad eum quem offenderat: Non me latet, inquit, obfuiſſe mihi linguam; ſed & profuit aliquando: Nunc autem vt quod illa peccauit, emendem, ęquum eſt, ac ſimul cum ad eum modum familiariter ageret, donum aliquod dabat non contemnendum. Recte itaque in huius hiſtoriæ recenſione Cominæus addit: Eſt profecto magnum Dei beneficium, agnoſcere quod vitioſum eſt, ac mentem ad meliora conuertere. Melior eſt enim in malis factis humilis confeſſio, quam in bonis ſuperba gloriatio, vt D. Auguſtinus ait.

EQ. Non igitur mirum deeſſe, qui illos grauiter atque ex animo moneant, ſi quidem tantis ſeſe immergunt difficultatibus, ſi aliquanto liberius illis colloquuntur. Hinc eſt, quod quidam Principes quandoque perſonas plebeiorum ementiuntur, atque ita incogniti apud ſubditos expiſcantur, quid de ſe priuatim ſentiant. Sic Matthiam Huniadem tradunt hiſtorici, ſolitum ſæpe data opera à comitatu in venationibus ſuo ſeſe abducere atque in ſolitariis caſulis ruſticorum vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores, de rege & adminiſtratione Reipubl. Ita illum nihil ferme vitiorum, vel quibus ipſe vel quibus ſui laborarent, neque vlla peccata adminiſtrationis fugiſſe. Antiochum regem eum qui Parthos oppugnauit, ferunt in venatione aliquando aberraſſe à comitatu ſuo, & diu per ſyluas ignarum loci vagatum, tandem in caſam ruſticam delatum, quum illum nemo eorum qui incolebant, regem eſſe ſciret: quumque in cœna forte ſermo de Rege iniectus eſſet, adiuuiſſe hunc & produxiſſe longius, cupidum reſciſcendi, quid de ſe plebs ſentiret atq; loqueretur. Nullo autem crimine illius, ac contra plurimis virtutibus commemoratis, niſi quod in exequendis regni negotiis vteretur miniſterio improborum hominum, quibus nimium fidei haberet, neque ipſam Rempublicam reſpiceret atque capeſſeret, quod venandi ſtudio totus eſſet deditus, atque vni occupationi iſti vacaret; Regem quidem tunc tacuiſſe; ſed quum mane veſtigia illius ſecuti ſatellites cum inſignibus regni adeſſet, contemplatum diadema & purpuram dixiſſe: Heri primum, ex quo vobis vtor, audiui de me veritatem. Sed ad recentiora exempla tranſibo. Franciſcum Galeatium Iouius ſcribit, ita amari ſimul & metui cupiiſſe, vt nonnunquam ſordidi mercatoris ſimulato habitu diſcurrens per ditionis regiones, oblatos in via aut in diuerſoriis hoſpitalibus ſimpliciſſimos homines ad ferenda de Principe colloquia pertraheret, eruendo certiſſimos de ſe rumores, vtraque ſui nominis fama frueretur, paratus vtique ad præmium exſoluendum, aut infligendam pœnam. Extat

Digitized by Google

etiam egregium epigramma Georgii Sabini poëtæ inſignis de quodam duce Norico, quod propter eius elegantiam recitabo.

Sæpe (inquit) *rudes inter mutata veſte colonos*
Noricus agricola dux faciebat opus.
Nunc paſcebat oues; nunc gramina falce ſecabat,
Vomere proſcidens nunc ſubigebat humum.
Et ſimul illato de ſe ſermone, rogabat
Plurima, nempe quibus moribus ipſe foret?
Iuſtus an exigeret pœnas à ſontibus vltor?
Debita conferret præmia numne bonis?
Quærenti vero cauſam, cur regibus ortus
Princeps, agricolam ſe ſimularet? ait:
Me iuuat è rudibus cognoſcere vera colonis,
Seruit adulatrix auribus aula meis.

PH. At enim pulchrum tamen eſt cum viris Principibus habere conſuetudinem, quippe quorum quaſi radiis coruſcat is, qui cum ipſis familiariter ita conuerſatur, fitque adeo apud omnes honoratior, vt ad eius aduentum aſſurgant, capita nudent, locoque cedant omnes.

EQ. At vbi tranſiit, digitos retrotendunt, ipſique ſubſannant. Et ille eſt, inquiunt, qui Principem noſtrum ſeducit, qui bellum ſuadet, qui vectigalia auget, qui onera nobis importabilia cumulari facit, qui verſo pollice, quos vult, ex nobis occidit; quem dii deæque omnes perdant, ne ſub eius tyrannide diutius ſimus. Sed & familiaritas illa, quam tãtopere deprædicas, demiſſum adeo ſeruitium, imo verius mancipium ſecum trahit. Nam ad ſeptimam ſtatim horam matutinam, & quidem ſæpenumero per horas aliquot ſtandum ad Principis conclaue, quem ſic operiri ceremonia eſt; nullum alium in vſum, niſi officii cauſa, dum aliquid ille iubeat, aut ne quo incomitatior exeat. Pulchrumne igitur exiſtimas ab alterius iuſſu ac imperio totum pendere? Quid? illud deforme non eſt, ad ſubitum tintinnabuli pulſum, quaſi fulmine territum ſic exilire? Abiectis omnibus ad ſummi illius fores conſiſtere? ibiq; non tantum quid ille iubeat, ſed & quid nutu ſignificet, aut digito crepet, religioſe & ad anxietatem vſq; obſeruare? Nullum habere ſibi tempus, nullũ locum proprium? omnia precario? aliena viuere quadra? ad omnem Principis occurſum pallere? erubeſcere? fugitare? Nonnunquam timere ac obſtupeſcere? tum multa ſimulare ac diſſimulare? Toties genua inflectere? tantiſper nudo eſſe vertice? omnia ſeruiliter, omnia ſuppliciter agere? Nunquam tui iuris eſſe? Magnis diu laboribus, multis vigiliis fauorẽ hominis captare? obſeruare, ne quid dicas, quod ille probaturus non ſit, nedum ne quid facias? perpetua cum paribus inuidia conflictari? laudem pariter ac vituperationẽ indigno loco ponere? Nihil dicere quod ſentias, ſed quod conueniat? Plurima debere, plurima accepta referre? aſſentari? adulari? ipſum te negligere? omnia alterius curæ mancipata habere? indigna multa facere, multa pati? ſæpe contra naturam conformare te aliis?

PH. Tædioſa ſint licet quadantenus ſeruitia huiuſmodi, habeat tamen etiam ſuum emolumentum. Etenim longe melius moratos cernimus eos, qui in aulis quam qui in caulis enutriti ſunt: hi namq; agreſtis ac beluinis moribus ſordeſcũt, illi vero comis humanioribusq; moribus enitent atque commendantur.

EQ. Genuini ſane aulicorum mores compti ſunt atq; admodum humani. At ſi

Digitized by Google

degenerant;tum peiores quorumcunque ruſticorum euadunt. In quos eleganter Henricus quidam Stephanus inuehitur hoc carmine:

Quæ tu cunque facis,quæ dicis cunque Charine,
Aulica tu nobis hæc vocitare ſoles.
Aulicus immani qui verba ad ſingula rictu
Diducit riſus turpiter ora tibi.
Aulicus eſt geſtus quo nullus ineptior vſquam,
Ipſo cum manibus geſticulante pede.
Aulicus es,balba ſi quando es nare locutus,
Aulica ſunt auri barbara verba tua.
Aulicus es,muco ſi quando eſt obſita naris,
Aulicus es,barbam cum tibi pædor habet.
Aulicus,ore lupos quoties imitare voraces,
Aulicus,es gurges quando Charine meri.
Aulicus es,crudo quoties è pectore ructus,
Et crudos ructus,quæ comitantur,eunt.
Quænam hæc Aula *foret,dubius perſæpe rogaui,*
Delitias tantas quæ tibi totque parit,
Nunc cum αὐλὴν *porcis tribuiſſe recorder Homerum,*
De porcorum Aula *te quoque credo loqui.*

Hoc abunde interim felices ſibi videntur,quod Regem ſiue Principem herum vocare liceat,quod tribus verbis ſalutare didicerint, quod norint ciuiles titulos ſubinde inculcare,ſerenitatem,dominationem & magnificentiam.

Sed noli,quæſo, amplius delitias aulicas vrgere, quippe quas oculis duntaxat quadantenus,corpore vero minime deguſtaſti. Non enim tutum omnino eſt, has ſpinas contrectare,aut conſultum eos irritare,quibus etiam ſi blandus ſis,non admodum placeas. Verendum namq; mihi eſt, ꝙ ſi hæc vti occœpi, proſecutus fuero,ſi quid forte apud rerum dominos mihi agendum ſit ; ex ſtipatoribus vnus vt cubito me protrudat , aut inflicta calce præcipitem eiiciat ; deinde fiducia plenus facti rationem reddat,ac cauſam tueatur,quam mihi impugnare non vſque quaque oportunum ſit:demum ad palinodiam quoque adigat, quam niſi mox promiſero,dentes amiſero.Et iam mihi caput,mihi os,mihi malæ trepidant.A aliquem videre videor ex gigantibus Regiis,pugnum ſex librarum ſtringere,quem iamiam in buccam mihi impingat. Quod vbi fieret,tum vereor,ne tu in ſinum interim rideas & pro ludo ducas,mihi alapas infligi,os obuerberari,dentes excuti. Et fortaſſe mortis cauſa ſi mihi fueris,non magnifacies,quod clericus non ſim,vt illo te ſagittent Canone Eccleſiaſtici patres : *Si quis ſuadente diabolo, &c.* qui extat *cauſa 17. quæſt.4.c.ſi quis.*

TH. Non eſt quod quicquam verearis,in nullius namque vel Principis contumeliam vel aulici ignominiam quicquam dixiſti. Quin potius ſubditi cum difficultatem periculaque honoris aut potius oneris aulici hinc intelligent, tum Curialibus atque magiſtratui minus inuidebunt ; & hi imperare bene, illi parere diſcent. Cum enim imperia, honores, gloria, diuitiæ & natæ ex illis voluptates (aulam quæ faciunt beatiorem) temporibus ac voluntate hominum,gubernentur, inque caſu ſita ſint;quam incerta,quam lubrica ſit aulę felicitas;vt quæ non ſolum digni-

dignitatẽ & res partas augendi libidine,ſed indies amittendi metu cruciatur, ſemperque aut malis præſentibus . aut formidine futurorum torquetur,cuiuis cõſtare facile poteſt.Etſi enim nonnulli,qui mare aulicum , in quo tot indies fiunt ſuffragia,emerſerunt aliquando,& ad portum vitæ quietioris ſe receperunt, nõnulli etiam honores,voluptates,diuitiasque conſecuti fuerunt , tamen quamplurimi etiã minime emerſerunt,quippe quos aduerſa aulæ tempeſtas

In breuia & Syrtes vrget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis,atque aggere cingit arenæ.

Neque tamen ideo Imperiorum ordo damnatur,boniue Principes,ſub quibus aulici militant, vituperantur;horum enim,poſt Deum,beneficio,res & priuatas & publicas adminiſtrari,pietatis literarumq; ſtudia propagari, noxios homines vinculis ſuppliciisque coerceri,bonos præmiis ornari agnoſcimus ; neque ſine his eſſe dicimus,quod ſeſe aut à parentibus accepturum quiſpiam , aut poſteris eſſe relicturum ſperet. Sed tum vitia perſonarum ab ordine politico inſtituto diuinitus, diſcernendo,ordinem ipſum prædicamus,tum conſiliarios & adminiſtros , malos reprehendendo,bonos certe laudamus. Cæterum aulicorum pleni miſeriarum labores cum recenſentur, Phaëthontes puerique Icari eo ipſo admonentur,ne aut priuati ipſi ordini huic inuideant,aut præter ætatem vireſq; ſuas remp. gerere velint;aut ſi aulicos fieri contingat,ne altius euolando à ſapientum præceptis temere diſcedant,ſed ſuam inſcitiam horum prudentia conſtitui patiantur.

PH In eos igitur,qui aulicarum rerum frena temere capeſſunt,nec aliud tamen præter ignominiam atq; deſpectum ſibi accerſunt,lepide vſurpari poteſt id , quod ingenioſus ille Poëta Phaëthonti diſſuadendo occinuit:

Magna petis Phaethon,& quæ non viribus iſtis
Munera conueniunt,nec tam puerilibus annis.

Nec mirum,eiuſmodi functionum aulicarũ affectatores importunos , vbi iam in functionibus aulicis conſenuerunt,fruſtra demum conqueri:

Tranſegi miſere miſer tot annos,
Guſtando mala,gratias agendo,
Sperando,ingenue ſeruiendo.
Nunc poſt tantos mihi præmium labores
Sunt,ſero ſapere atque pœnitere.

Ipſi enim blanditiis & aſſentationibus ſe primitus inſinuarunt, atque vbi voti compotes facti fuerunt,tum vero Reges ſeſe & tantum nõ deos exiſtimantes, cœlum terræ miſcuerunt,magno ſuorum, Principumque quibus famulantur, malo: luunt ergo hoc modo condignas ſuę temeritatis pœnas. Ne itaque altum ſapiant, cautio eſt. Namque,qui ſua metitur pondera ferre poteſt. Quanquam non nego, etiam dignis ſæpenumero non retribui nauatæ fideliter operæ condigna præmia.

EQ. Huc itaque reſpexiſſe haud obſcure videtur vir quidam ingenioſus , plurimarumque rerum cognitione admodum præclarus, qui aulicam vitam in tabula affabre ita depingi poſſe exiſtimabat. Primo,inquit, pingatur *Veſtibulum* ſublime atque inauratum,neque id humi ſitum in ſolo , verum procul à terra in edito collis faſtigio. Præterea inacceſſum ferme & abruptum , lubricoque aditu, ita vt plerumque, qui ſe iam ad ſummum vſque verticem penetraſſe ſperant , lapſo pede præcipitati ceruicem frangant. Intus autem *Opulentia* ſedeat , tota (ſic vt videtur) aurea,maiorem in modum formoſa atque amabilis. Porro amator vt, vix

tandem

tandem conſcendit, iamq; ad fores acceſſerit, obſtupeſcat, oculis in aurum defixis: deinde *Spes*, quæ & ipſa ſpecioſo vultu eſt, ac verſicoloribus amicta, manu prehenſa introducat, mire iam ipſo ingreſſu attonitum. Atq; ab eo quidem tempore ſpes vſque illum antecedat ducatq;, tum aliæ mulieres illum excipientes, puta *Fallacia Seruitusque*, tradant *Labori*. At is miſerum penitus defatigatum tandem *Senecta* tradat iam morbidum, coloreque commutato. Poſtremo *Contumelia*, arreptum illum ad *Deſperationem* pertrahat. Ex hoc quidem tempore ſpes auolans euaneſcat. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingreſſus fuerat, ſed per poſticũ quoddam & occultum exitum extrudatur nudus, ventricoſus, pallidus, ſenex, læua quidem pudorem occultans, dextra vero ſeipſum ſtrangulãs. Occurrat autem exeunti *Pœnitudo* fruſtra lachrymans, & miſerum bis etiam conficiens. Atque hic quidem eſt picturæ finis.

Sæpius igitur hominibus euenit, vt quod ſibi bonum magno animo pollicentur, totisque viribus illi inhiant, exitio poſtmodum maximo ſit. Haud raro namque blandi vultus in horrorem, datæque dextræ in perniciem conuertuntur. Rectiſſime itaque Semelis præfectus militum Adriani Cæſaris, moriens ſepulchro inſcribi iuſſit, quum vix vacationem obtinuiſſet, & in agro ſeptem annis, quod fuit reliquum vitæ, priuatus in otio & quiete exegiſſet: *Semelis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit. ſeptem tamen duntaxat annis vixit*. Huc tot Pcëtarũ quadrant ſententiæ, quæ vitam priuatam ſummopere commendant, qualis eſt illa Virgilii *lib. 2. Georg.*

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint
Agricolas, quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhians pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasq; auro veſtes Ephyreiaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.
Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita
Diues opum variarum, & latis otia fundis
Spelunca, viuique lacus, & frigida Tempe
Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni
Non abſunt. Illis ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum paruoq; aſſueta iuuentus.
Idem: *Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque*
In ferrum, penetrant Aulas & limina Regum:
Hic petit excidiis vrbem miſerosque penates
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.
Condit opes alius, defoſſoque incubat auro.
Hic ſtupet attonitus roſtris, hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatur enim plebisque patrumque)
Corripuit: gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exilioque domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole iacentem.

Digitized by Google

Agricola incuruo terram dimouit aratro,
Hinc anni labor,hinc patriam paruoſque nepotes
Suſtinet,hinc armenta boum,meritoſque iuuencos.
Nec requies,quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum,aut cerealis mergite culmi,
Prouentuque oneret ſulcos,atque horrea vincat.
Venit hyems,teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande ſues læti redeunt,dant arbuta Syluæ.
Et varios ponit fœtus Autumnus,& alte
Mitis in apricis coquitur vindemia Saxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati,
Caſta pudicitiam ſeruat domus,Vbera Vaccæ
Lactea demittunt,pingueſque in gramine læto
Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos,fuſuſque per herbam
Ignis vbi in medio,& ſocii cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat,pecoriſque Magiſtris
Velocis iaculi certamina ponit in Vlmo,
Corporaque agreſti nudant prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus & frater:ſic fortis Hetruria creuit,
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septem quæ vna ſibi muro circundedit arces.
Ante etiam ſceptrum Dictæi Regis,& ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata iuuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat:
Nec dum etiam audierant inflari claſsica,nec dum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.

Horatius *Ode 16.lib.II.*

Viuitur paruo bene,cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leues ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Tibullus,eques Rom. *lib.1.Eleg.10.*

Quin igitur laudandus hic eſt,quem prole parata
Occupat in parua pigra ſenecta caſa?
Ipſe ſuas ſectatur oues,at filius agnos,
Et calidam feſſo comparat vxor aquam.
Sic ego ſim,liceatque caput caneſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.

Huc ſpectat illud Claudiani de ſene,qui iuxta Veronā conſiſtens villa ſua nunquam egreſſus eſt:

Felix qui propriis æuum tranſegit in aruis;
Ipſa domus puerum,quem videt,ipſa ſenem.
Qui baculo nitens,in qua reptauit harena
Vnius numerat ſecula longa caſæ.

Digitized by Google

Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſsica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicina neſcius vrbis,
Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule computat annum,
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemq; reducit,
Metiturq; ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercum,
Æquæuumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires firmique lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit auum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

PH. Luſerunt illi more poëtico, atq; in vindictam quaſi, quod pro ipſorũ forſitan palato in aulis non fuerunt tractati, iſthæc temere effutiuerunt. Quod ſi enim citra præiudicium ſiue ignominiam quilibet dicere ſententiam iubeatur; priuatus, nihil huiuſmodi (priuata) vita dicet eſſe inutilius, nihil abiectius; ſicut è cõuerſo in magiſtratu poſitus, nihil magis laborioſum, quam alienas curare neceſſitates affirmabit. Eſt nimirum moroſum omnino genus humanum, ſortem ſuam accuſans, & animum gerens grauatum, propriumque vnumquemque plus quam alienum afficit, & quo quiſque tenetur, hoc omnium moleſtiſſimum eſſe dicit. Quod ipſum etiam in egregia & lepida fabella de aſino ſubinde dominos ſuos mutante depingitur. Apud olitorem enim ſeruiens conquerebatur de pabuli inopia & nimio labore. Apud figulum illi moleſtum erat, quod cogeretur aſſidue portare lutum & lateres, multo igitur magis in hoc ſuo rerum ſtatu deplorabat ſuam iniquiorem ſortem quam prius. Tandem venditus coriario, ibi demum acerbam & luctuoſam vitam agebat. Onuſtus enim fœtidis fratrum ſuorum & affinium pellibus, vanis votis ſero priores conditiones exoptabat. Concludam igitur vniuerſam hanc materiam inſigni hoc Ciceronis dicto lib. 1. offic. Multi autem (inquit) & ſunt & fuerunt, qui eam, quam dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe remouerunt, ad ociumque profugerunt. In his & nobiliſſimi Philoſophi longeque Principes, & quidam homines ſeueri & graues, nec populi nec Principũ mores ferre potuerunt. Vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit quod & Regibus, vt ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate vterentur, cuius proprium eſt ſic viuere, vt velis.

Quare cum hoc commune ſit potentiæ cupidorum, cum his (quos dixi) ocioſis, alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant, alteri ſi contenti ſint & ſuo & paruo. In quo neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia. Sed & facilior & tutior, & minus aliis grauis, aut moleſta vita eſt otioſorum. Quapropter & his forſitan concedendum ſit, Rempub. non capeſſentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt: Et his, qui aut valetudinis imbecillitate, aut ali-

Digitized by Google

qua grauiore cauſa impediti à Rep. receſſerunt, cū eius adminiſtrandæ poteſtatem alijs, laudemq; concederent: quibus aūt talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicāt. ea q̄ pleriq; admirentur imperia, & magiſtratus, his non modo nō laudi, verū etiā vitio dandum puto, quorū iudicium in eo, ꝙ gloriā contēnant, & pro nihilo putēt, difficile factu eſt non probare. Sed videtur labores & moleſtias tum offenſionum, tum repulſarū, quaſi quandā ignominiā timere & infamiā. Sunt enim, qui in rebus contrariis parū ſibi cōſtent, voluptatē ſeueriſſime contēnant, in dolore ſint molliores, gloriam negligant, frangantur infamia: atq; ea quidē non ſatis conſtanter. Sed his qui habent à natura adiumenta rerū agēdarum, abiecta omni cunctatione adipiſcendi magiſtratus ſunt, & gerenda Reſp. eſt. Nec n. aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentib. aūt Remp. nihil minus q̄ Philoſophis, haud ſcio an magis ēt & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerū humanarū (quā ſæpe dico) & tranquillitas animi atq; ſecuritas. Siquidē nec anxii futuri ſunt, & cū grauitate conſtantiaq; victuri; q̄ eo faciliora ſunt Philoſophis, quo minus patēt multa in eorū vita, q̄ fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent; quia ſi quid aduerſi eueniat, tā grauiter cadere nō poſſunt. Quocirca nō ſine cauſa maiores motus animorū concitantur, maioraq; efficienda Rempub. gerentibus, q̄ quietis, in quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendā aūt qui accedit, caueat ne id modo cōſideret, quā res honeſta ſit, ſed ēt vt habeat efficiēdi facultatē. In quo cōſiderādū eſt ipſi, ne aut temere deſperet ꝑꝑ ignauiā aut nimis cōfidat ꝑꝑ cupiditatē. In omnib. aūt negotiis priuſ q̄ aggrediare, adhibēda ē ꝑparatio diligēs. Hucuſq; Cicero. Cęterū nūc ſi lubet ꝙ ab initio inſtituimus, reliquas cō[n]uiuiorū ꝓſequamur ſpecies ac modos, idq; breuib.

EQ. Spartam quam quiſque nactus eſt, ſedulo exornet, ſuaque ſorte, licet exigua, cōtentus ſit quilibet, & bonis fruatur p̄ſentibus, liberali interim ſpe ductus fore, vt aut induſtria aliquid adiiciat, aut Principū liberalitate accedat, aut hereditas portum oſtendat, quod omne in lucrum deputet, & veluti probe ſit fœneratum, lætus perfruatur. Namq; *Quid tam ſollicitis vitam conſumimus annis, Torquemurq; metu, cæcaq; cupidine rerum? Æternisq; ſenes curis dum quærimus æuum Perdimus? & nullo votorum fine beati, Victuros agimus ſemper, nec viuimus vnquam? Pauperiorq; bonis quisque eſt, qui plura requirit, Nec quod habet, numerat tantum, quod non habet optat?* *De conuiuiis militaribus.*

PH. Quiſq; ſuo ſe metiatur pede, neq; plus inſumat, q̄ exſoluere valet, ne ſeram tandem in fundo fruſtra q̄rat parſimoniā. Lux' namq; voluptateſq; nō ſolū reip. ſed ēt ipſiſmet luxurioſis & voluptuariis admodū sūt ꝑnicioſæ; ſed & tēporis vbiq; habēda eſt ratio, fieri namq; pōt, vt vnius ēt horę hilaris ac voluptuaria inſania lōgi t[em]pis tædio cōpenſetur: cuiuſmodi inf[e]licē voluptatis fructū inter alios ſenſit Vguccio Fagiolanus. Cū n. is, teſte Iouio, Lucā ad Caſtrucciū ſecuri ꝑcutiendū maturaret, illiq; inter prandendū, Piſanos cōtra eū arma corripuiſſe nū[c]iaretur, nihiloq; ſecius, tanq̄ primo nūcio parū credēs, vti erat cibi rapaciſſimus & maxime vorax, ꝑ ſingulas tēpeſtiui eius cōuiuii dapes, vſq; ad bellaria cōueſci ꝑgeret, eo quidē atrocis animi decreto, vt remotis demū mēſis, Caſtrucciū captiuū ſecuri ꝑcuti iuberet, atq; inde Piſas ad ſeditioſos opprimēdos ꝑꝑerāti agmine reuerteret. Sed cū à ſecūdis mox tertiiſq; nūciis increbeſcēte fama, Piſis res ꝑditas eſſe, ciuitatēq; miro cō[n]ſēſu rebellaſſe renūciarēt; Lucēſes ad tāti exēpli nomē, pari ſtudio recuperādæ libertatis, liberādiq; Caſtruccii ad arma cōcitantur; carcerē refringūt, vinctū adhuc cōpedib. Caſtrucciū educūt, & ꝙ ei' facto debebāt, Principē ciuitatis ſalutāt.

Vguccio mox deſperatis rebus cum prętorianorum ſatellitum manu ad Canē Scaligerum Veronam aufugit: à quo licet ſummo honore fuerit receptus, tamen fieri non potuit, quin in ſua calamitate nonnunquam mordacib. dictis inceſſeretur; vt tum accidit, quum in conuiuio Canis de edacibus illato ſermone loqueretur, & Vguccio ſe iuuenem quaternos altiles capos & totidem perdices, aſſos etiam hœdi clunes, & elixum vitulæ infarctū pectus, præter ſalſamenta, recta in cœna exedere ſolitū narraret, Petrus Nauus è conuiuio vir ſalſus: nō eſt, inquit, Vguccio, cur hæc à te iuuene comeſta, multum admiremur, poſtquam ſenex, nec plane dentib. inſtructus, duas vrbes integras vno prandio abſumpſeris. Erat enim fama, Vguccionem, ſi ab inchoato prandio temperaſſet, ſatis in tempore ad ſedanda naſcentis tumultus initia, Piſas regredi, & vtramque vrbem ſibi incolumem ſeruare potuiſſe.

EQ. Hac igitur in re Romanorum ducum militarium potiſſimum, qui omniū fere gentium victores extiterunt, eluxit ſapientia atque moderatio inſignis hiſtoricorum libris celebratiſſima, quippe qui non milites duntaxat ſuos molli ac delicato victu emolliri atque languefieri minime fuerunt paſſi, vſque adeo etiam, vt neminem ſeorſim prandere atque cœnare paterentur, ipſiſque vna prandendi, cœnandi, atque etiam dormiendi certa ſtatuerent tempora, cœnaſque illorum atque prandia in tentoriis per contubernia ecore ordinateque appararent; verum etiam ipſi ab epularum luxurie tanquam torpedinis fomentis gnauiter abſtinuerunt.

Cæterum cibi Romanorum militares ſiue caſtrenſes erant, laridum, caſeus, poſca, & buccellatum atque acetum, teſte Ælio Spartiano in vita Peſcennii, quem Imperatorem ſcribit iuſſiſſe vinum in expeditione neminem habere, ſed aceto vniuerſos eſſe contentos, & piſtores expeditionem ſequi prohibuiſſe, buccellato iubens milites & omnes contentos eſſe. Eſt autem buccellatus panis ad vſus diuturnitatem bis coctus; alias panis nauticus dicitur, eo quod nautæ in diuturnis nauigationibus eo vtuntur, non enim facile mucorem contrahit. Laridum vero eſt caro ſuilla ſalita, dictum quaſi large aridum, Cicero ſuccidiam dicit. At poſca eſt potio ex aceto, modo maiori minori aquæ mixto confecta, qua vini loco meſſores vti, Chriſtophorus Vaga teſtatur *lib. 2. de arte medendi.* Allium quoque cibus fuit militaris; nam de Athenienſibus ſcribit Suidas, eos ad expeditiones & nauigationes ſuas allia potiſſimum commercari fuiſſe ſolitos. Nam allium creditur bellatorum vires excitare, vnde gallinaceos allio prius dato ad pugnam præmuniri atque excitari aiunt. Vnde Veſpaſianus Imperator, teſte Suetonio, adoleſcentem fragrantem vnguento, quum ei pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſſima increpuit; Maluiſſem, inquit, allium oboluiſſes; literaſque reuocauit. Sed & cepæ bellatorum vires exacuunt, vt teſtis eſt Socrates in Xenophontis Sympoſio: hinc hodie etiam quidam præcipiunt, vt viginti vaſa, qualia ſalſamentaria harengorum ſunt, alliis repleta, totidemque cepis referta, inter menſtrua cibaria mille militibus ad naualem pugnam abducendis ſatis futura naui ferantur; quod quidem præceptum à veterum conſuetudine videtur promanaſſe.

Hic igitur Romanorum militum vilis, aſper, duruſq; victus atq; diæta fuit, qua non ſolum milites, ſed ipſos quoq; Duces ſeu Imperatores vſos fuiſſe legimus, quo nimirum ſuo exemplo, quod in omni re eſt efficaciſſimum, milites tanto facilius

Digitized by Google

in officio continere,& temperantiæ aſſuefacere poſſent. Sic Scipionem tradunt cum amicis ambulantem ſolo cibario pane veſci ſolitum. Sic etiam de Maſiniſſa ſcribunt, qui nonageſimum ætatis annum agens, ſtans adhuc ante tabernaculum vel ambulans cibum capiebat. De Feſcennio Imperatore Spartianus ſcribit, ipſum noluiſſe tota in expeditione quenquam in commanipulatione (id eſt, contubernio,) focum facere, vel vnquam recens coctum cibum ſumere, ſed pane & frigidis veſci, ac quo facilius hac in re milites haberet morigeros ſibique obſequentes, ipſemet ante omnes militarem cibum ſumpſit ante papilionem, nec ſibi vnquam vel contra Solem, vel contra imbres quæſiuit tecti ſuffragium, ſi miles non haberet.

Sed quid opus eſt veterum exemplorum commemorationi immorari? Veniamus ad noſtra tempora,& exemplorum ſatis habemus. Turcæ, quorum imperium longe lateque patet, ſeuera rigidaque in bellis diſciplina vtuntur, à cibo abſtinent, cibo exiguo vilique ſunt contenti, videlicet lacte coagulato,& aqua temperato, & immiſſo pane vel recenti vel bis cocto, necnon caſeo & carnibus ſiccis, Paſtarma dictis. Hi ſunt militares ſiue caſtrenſes illorum cibi, quibus pacis quoque temporibus aſſueſiunt, quibusq; in expeditionibus bellicis non ſerui modo, verum etiam domini atque duces vtuntur. Hac itaque illi abſtinentia diſciplinaq; militari grauiſſima bella feliciter adminiſtrant, victoriis maximis potiuntur, imperiique ſui fines quotidie latius extendunt.

TH. Mirum itaque non eſt, quum luxuria Turcas tot paſſibus vincamus & ſuperemus, nos armis contra belliſque ab illis plerumque cum maximo noſtro dedecore atque detrimento vinci ac ſuperari. In Turcarum caſtris viget ſobrietas, temperantia, parſimonia, caſtitas, continentia, vigilantia, fidelitas & ſumma obedientia. Contra in Chriſtianorum caſtris verſatur luxus & omnis luxuriæ commeatus, gula, crapula, libido, ita vt maior fere adſit meretricum quam militum turba.

EQ. Cæterum puls auenacea Germanis hodie militibus admodum eſt vſitata, quæ ex auena denſa, butyro & ſale condita, in magna ahena ſuper ignem cocta in vaſis ponitur, ac cum reliquo commeatu in bellum conuehitur; q ſi enim quis particulam ad magnitudinem pugni muliebris inde deſumit, aquā ſuperinfundit, atque ad ignem coquit, mediocris magnitudinis paropſidē pulmentario complere, tresq; aut quatuor etiam ad ſatietatem vſq; famem exinde ſedare poſſunt. Porro vini vſus vel omnino nullus vel parcus certe moderatusque in bellis olim extitit. Carthaginenſium ſane milites militiæ tempore à vino omnino abſtinuerunt, id quod faciendum eſſe Plato quoque *lib. 2. de legib.* præcipit. Sic Peſcennius Imperator militibus ſuis vinum flagitantib. reſpondit: Nilum habetis,& vinum quæritis? Mahometes, vt in Alcorano ſcriptum eſt, non ſolum vini potu ſectatores ſuos prohibuit, verum etiam in ebrios 80. plagarum pœnam conſtituit.

PH. Conſtantinus tamen voluit vinum dari militibus, quod & Imperatores Honorius & Arcadius probaſſe videntur, dum cenſent, militib. à Nouemb. menſe de nouello vino dari, quod veteris diſpendioſa videretur erogatio: ita tamen, vt & vinum & acetum alternis diebus concedantur. Ac ſane non omnino vini potus videtur militib. denegandus, quum animi corporisq; virib. augendis recreandisq; ſit aptum. Vnde Plato *in legib.* dicit, hominem poſtq̄ bibit, hilariorē fieri, ſpe bona atq; virib. augeri,& ad dicendū liberum,& ad agendū impigrum atq; alacrē reddi.

EQ. Moderatum vini vſum nec ego denegarim militibus, ſic tamen ne modus excedatur. Immoderatũ namq; vini vſum ſeu potius abuſum, cum in pace, tum in bellis potiſſimum periculoſiſſimum perniciosiſſimumque maximarumq; cladium atq; calamitatum cauſam eſſe ſolere, tam hiſtoriæ veteres, q̃ noſtrorum temporum experientia quotidiana locupletiſſime teſtatur. Cæterum quod ad extraordinaria atque feſtiua conuiuia in bellis vſitata, pompasque triumphales attinet, quæ vel in ducis alicuius, alteriusve perſonæ Principis electione, vel quæ ante prælium, vel etiam poſt prælium (ſiue clades aliqua ſit accepta, ſiue parta victoria) celebrantur, illa maiori, ſolito, cibi potusq; abundantia atque lætitia fuerunt peracta. Prudentes namque Imperatores ante prælium præſertim periculoſius, quod imminere videbatur, dederunt operam, vt milites prius epulis paulo liberalioribus atque copioſioribus corroborarentur atque animarentur, quo maioribus nimirum viib. animorumque alacritate pugnam capeſſerent. Miles enim mediocri cibo potuq; non tamen ad ſatietatem vſque firmatus, robuſtior alacriorque arma capit, & in aciem procedit: contra coactus, prius q̃ corpus cibo firmauerit, ſubito raptimq; in aciem prodire, ſæpiſſime procedente die virib. deficit, ad id etiam inſidioſe ſæpenumero diem extrahente hoſte, vt ſera pugna ſit, atq; ita milites æſtu meridiano & laboribus ſtandi ſub armis, denique fame ſitiq; confecti atque defatigati tanto facilius vincãtur. Hoc quidem ſtratagemate Scipio vſus, milites Asdrubalis pedes referre coegit, tandemq; in caſtra compulit, vt teſtis eſt Liuius *Decad. 3. lib. 1. & 8.* Leo itaq; Imperator iubet eo die, quo pugnãdum ſit, vnumquemq; militem geſtare ad ſellam ſuam ſecum aquam, non vinum, in lagenis, & panem bis coctum in clitellis, vt tempore & neceſſitate flagitante hæc habeant, ad ſe aliosq; in animi corporisq; defectum aliquem incidentes, reficiendum atq; recreandum. Sic Lacedæmoniis Spartam contra Pyrrhum defendentibus, adſtabant mulieres cibum potumq; eo indigentibus porrigentes, vt teſtis eſt Plutarchus *in vita Pyrrhi.* Sed & finito prælio mortuis humo mãdatis cibus potusq; iis qui ex prælio ſuperſtites euaſerant, dabatur largior, quo rurſus ſi ita neceſſe foret, cum hoſtib. prælio contendere valerent. Verum enim vero vt in epulis quæ ante prælium, ſic in his quæ poſt agitantur, durante præſertim adhuc bello, ſummopere cauenda eſt atque vitanda effuſa immoderataq; cibi potusq; ſumptio, quæ victorib. ſæpe ſecuris, & lætitia gaudioque nimio geſtientibus luctuoſam ex improuiſo cladem calamitatemque adfert.

Inprimis vero cõmunis & peruagata omnium fere gentium conſuetudo ſemper fuit, & adhuc eſt, vt præclaræ nobilesq; victoriæ omni lætitiæ genere, omniq; cum ſacrificiorum atq; ceremoniarũ ſacrarum, tum ludorum epularumq; pompa atque magnificentia celebrarentur. Sic apud Iudæos hunc fuiſſe morem ſacræ literæ teſtantur. Nam vniuerſus populus cum mulieribus, virginibus atque pueris ex vrbe effuſus magna cum lætitia, cum cantu, inſtrumentis muſicis atque tripudiis, victoribus obuiam procedebat, illorum laudes carminibus celebrabat, illosq; tandem in templum vſque deducebat atque comitabatur, vbi ſacrificia fiebant, Deoque gratiæ pro parta victoria agebantur. Hinc ſequebantur conuiuia lætiſſima, quæ ſæpe per aliquot dies durabant. Exempla extant *1. Samuel. 30. 26. Iudic. 16. 1. Reg. 18. 2. Paral. 20. Iudith. 15.* Apud Chaldæos idem moris fuiſſe ex ſacris literis conſtat. Nabuchodonoſor enim rex Chaldæorum Arphaxado Medorum rege interfecto, captis Ecbatanis Metropoli, Niniuen reuerſus, cum omni exercitu otia atq; conuiuia per centum viginti dies agitaſſe ſcribitur, *Iudith. 1.* Græci huiusmodi feſtiui-

atem atque epulas poſt victorias vſurpari ſolitas, *ἐπινίκια* quaſi dicas poſt victoria lia appellarunt, quorum paſſim plurima apud hiſtoricos reperiuntur exempla. Veruntamen Romanus ille omnium terrarum Princeps populus, vt victoriis, ita victorialium honorum præmiorum conuiuiorumq; magnificentia cæteris omnibus populis atque regibus longe videtur antecelluiſſe. Fuerunt autem duo præcipui honoris genera, quibus Imperatores, rebus in bello fortiter præclareq; geſtis, victoriisq; partis decorari conſueuerant; quorum vnum Triumphus, alterum Ouatio dicebatur. Ac Triumphi quidem talis fere forma fuit: Is cui Senatuſconſulto vel à populo comitiis centuriatis hic honor erat decretus, qui idcirco triumphalis eſt dictus, corpus habens minio illitum (quo etiã Iouis ipſius ſimulachri facies diebus feſtis illini ſolebat) coronã in capite auream, aliquando lauream, in collo bullã auream, incluſis intra eam remediis, quæ crederent aduerſus inuidiam valẽtiſſima, indutus tunica palmata, ſupra quam toga picta iniiciebatur, dextra ſcipionẽ eburneum, & ſiniſtra auream pateram, necnon digitis annulos aureos geſtans, ſedens in ſella curuli eburnea, curru inaurato, quatuor equis albis eum ducentib. in quibus triumphantiũ filii prætextati ſedere ſolebant, per portam Capenam in vrbẽ inuehebatur, perque viam Appiam octo millia paſſuum amplam, in Capitolium recto & amplo itinere vehebatur, in quo lignei primum cõtinuiq; arcus, poſt marmorei columnis ſuffulti erant, vnde multitudo ſatis cõmode triumphum ſpectare poſſet. Templa deorum immortalium tota vrbe patebãt, ornata ſertis atq; floribus. ſpirantia Arabicos odores, itinera vbiq; repleta pinguib. menſis & lętis poculis, vt feſti victores ſe recrearent. Præferebantur fercula fabricata cum ſignis & monumẽtis victoriæ, quæ poſſent manib. militum ferri, ante præcinentibus & ſaltantibus lætitia militibus, quibus libertas erat ſcommata effundere in ipſos triumphãtes, omneſq; clamabant, Io triumphe, io triumphe. Prętferebantur etiã in vehiculis omnis generis ſpolia, argentum, aurum & purum & ſignatum, arma, vaſa, ſupellex, veſtes, theſauri. Aderant tibicines bellicum clangorem intonantes, boues quoq; auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant, & frontib. vittati ad ſacrificium ſuccincti popæ, hoc eſt, miniſtri agebant. Hoſtes deuicti currum ſequebantur, quorum colla catenis erant onerata. Sic præeunte Senatu in Capitolium aſcendebant ad templum Iouis Opt. Max. vbi mactato tauro albo, qui triambos dictus eſt, laureaque corono in Iouis præmio poſita, eadem comitatus pompa domum reuertebatur. Hæc ex Pomponio Læto & aliis ſcriptoribus vno quaſi faſciculo collegi. Idem Ouationis ritum his verbis deſcribit: Cum hoſtes ſine pugna & ſanguine cum ducibus noſtris conueniſſent, quoniam res peracta ſine cæde eſſet, Ouatio erat. Pedes ingrediebatur vrbem, qui ſic viciſſet, ſine ferculorum pompa, myrto coronatus vna cum militibus, quia ea arbor dicata Veneri quieſcere ab armis oſtendit. Tibicines ouantem præcedebant, quæ paciferæ choreæ inſtrumenta ſunt. In ſacris mactabantur oues, vnde ouationis nomen. Fuit ergo in triumpho clangor tubarum, in ouatione vero concentus tibiarum; illeque Martis, hic Veneris fuit.

Huiuſce porro triumphi magnificentiæ atque pompæ non minima pars erant cœnæ triumphales, quibus Imperatores, vt teſtis eſt Plutarchus, poſt victorias populum Romanum in loco publico excipiebant, à quo deinde cœna peracta honoris ergo domum deducebantur; qui honos, vt idem ſcribit, quoniã Conſulibus, præſentib. Imperatoribus tribui non poterat, idcirco illi conſules ad conuiuium

quidam

quidem inuitabant, ſed poſtea illos rogabant, ne accederent. Cœnas autem haſce inſani fuiſſe immaniſque luxus ex Varrone, Plinio aliiſque conſtat. Tale fuit epulum illud victoriale, quod L. Paulus Æmilius deuicto Perſeo exhibuit, in quo admirantibus Græcis, quod in magno ſplendidoque apparatu curioſus eſſet, reſpondit: Eiuſdem eſſe animi, & aciem & conuiuium inſtruere; illam quidem, vt formidoloſus hoſtibus: hoc vt amicis gratus eſſet, *Plutar. h. in Rom. Apophtheg.* Sic L. Sylla, depoſita Dictatura, cum vniuerſi ſui patrimonii (quod rapinis, cædibus, proſcriptionibus ciuium, aliiſque ſceleribus auxerat) decimam Herculi conſecraſſet, populo epulum per multos dies præbuit adeo copioſum ſeu potius luxurioſum, vt quotidie magna cibariorum copia in amnem proiiceretur: vinum quoque 40. annis vetuſtius populo dari curauit, teſte Plutarcho *in Sylla.* Hoc modo ille populi animos ſibi ob iniurias, quibus illum per multos annos vexauerat, infeſtiſſimos lenire rurſus atque placare eſt conatus.

TH. Næ igitur illi, qui poſtquam publici fiſci, ærarii totiusque populi ſpoliis atque rapinis ingentes ſibi opes atque diuitias iniuſte nefarieque compararunt, ac proinde, & Deo & populo vniuerſo infenſiſſimo vtuntur, ipſumq; deinceps Deum vanis quibuſdam adumbratę religionis ceremoniis: populum vero luxurioſis epulis munerumque largitionibus ſibi conciliare rurſus atque placare contendunt, idipſum à Sylla didiciſſe videntur.

PH. At hæc de quibus hactenus inter nos actum eſt, conuiuia extra communem hominum ſortem apparantur, magno plerumque conſtant: quia vero penes omnes minime eſt, honorifica huiusmodi atq; magnifica apparare conuiuia: proinde, ſi vobis videtur, de vrbanis quoque ac ruſticis, atque ex his mixtis conuiuiis breuiter diſſeremus.

EQ. Artificum, mercenariorum, opificum, omniumque adeo illorum, quorum vita manuum opere atque labore conſtat, certas eſſe feſtiuitates, certasque ac peculiares epulas, quas vel ipſi inter ſe agitant, vel illis prębentur ab iis, qui illorum operis vſi fuerunt, antiquitus ex hiſtoriis, & hodierna quoque experientia cum plurimorum fruſtraneis deteſtationibus ſatis conſtat.

TH. Apud Chriſtianos, præter publicas & communes feſtiuitates, ſinguli fere artifices atque opifices certos quoſdam habent diuos atque diuas, ceu vitæ artificiique ſui patronos atque tutores, vt pictores Lucam, fabri Eulogium, calcearii Criſpinum, ſartores Gutmannum, figuli Goarem, venatores Euſtachium, &c. in quorum honorem dies illis ſacros comeſſationibus compotationibusque, vt fit, celebrare conſueuerunt. Deinde alias quoque habent ſinguli opifices ferias próprias & vſitatas, quibus epulis genioque indulgent, quas enumerare omnes longum foret.

EQ. In Germania communis fere eſt & peruagatus opificum artificumque mos, vt quo die primum noctu ad candelam ſiue lucernam vel incipiunt vel rurſus deſinunt operari, vna liberius ſolito epulentur. Huc quoque pertinent omnes illæ epulæ, quæ artificibus vel quibuſcunque operariis poſt operis alicuius perfectionem abſolutionemve exhibentur. Huiuſmodi eſt illud, quod poſt erectam domus alicuius contignationem fabris, item quod mulieribus poſt veſtium ablutiones exhibetur, & alia huiuſce generis innumera. Mos quoque eſt admodum laudabilis artificum nonnullorum, quo peregrinos ad ſe aduentantes & ὁμοτέχνους hoſpitio conuiuiiſque liberalibus excipere humaniterque tractare ſolent.

TH. Hu-

TH. Huiuſmodi quidem conuiuia, quatenus ad honeſtam à laborib. recreationem vitæq; coniunctionem ſpectant, non videntur eſſe culpanda, ſic tamen, vt nec nimis crebra ſint atque frequentia, nec nimis ſumptuoſa atq; luxurioſa. Hodie namque plerique illorum hominum, vt eſt omnium hominum ingenium à laboribus ad otium atque voluptates procliue, plerunque in popinis volutantur, & quauis data & oblata vel minima occaſione epulantur, cum maxima temporis reique familiaris iactura. Interea illorum liberi, vxor atque familia, quam alere debebant, fame, ſiti rerumque aliarum ad victum cultumq; corporis neceſſarium inopia premitur. Sæpe vno die vel vno conuiuio multorum dierum lucrum atque mercedem, quam ad familiæ ſuæ ſuſtentationem conferre debebant, profundunt atq; dilapidant.

PH. Ad hæc conuiuiorum genera non inepte meo iudicio referuntur ſeruilia conuiuia, quæ à dominis olim ſeruis atque famulis adornari conſueuerunt. Sic apud Romanos Saturnalium diebus moris fuit, vt domini famulos ſuos conuiuio exciperent, ipſiq; ſeruorum officio fungerentur. Idem mos fuit apud Trezenios, apud quos menſe Geræſtione per aliquot dies multæ feſtiuitates celebrabantur; quorum in vno ſerui cum ciuibus aſtragulis ludebant, & ſeruis domini conuiuium præbebant.

TH. Apud Gallos die Iouis, pridie Veneris magnæ, vti vocant, rex Gallię duodecim mendicis epulum lautum præbet, illorum pedes lauat, illis vna cum aulicis ſuis miniſtrat, primum ferculum ipſemet apponit, ſingulisque apophoreti loco dat veſtem. Item die Epiphan. aliquis aulicorum miniſtrorum rex eligitur, cui rex ipſe cæterique inter epulandum miniſtrant.

PH. Huc quoque referri poſſunt Eleutheria, quæ erant dies feſtus & epulæ lętiores, quas ſerui libertate donati celebrabant. Cæterum iſtiusmodi ſeruorū commemoratæ feſtiuitates atq; epulæ tanto ſunt admirabiliores, quo vilior & abiectior olim ſeruorum fuit conditio, quibus ex communi omnium fere gentium more ad herilem menſam, & ad ingenuorum liberorumq; conuiuia atque ſacrificia accedere minime licebat, parce in cæterum ipſis alimenta à dominis porrigebantur, certum nimirum demenſum, quod ſingulis Kalendis, hoc eſt, primo quoque die cuiuſlibet menſis petere ſoliti ſunt.

TH. Illud vero reprehenſione minime caret, quod multi etiam Chriſtianorum famulos, & ancillas ſuas quantumuis fideles, multo durius & contumelioſius tractant, vexant & affligunt, quam vel olim vel hodie Ethnici ſua mancipia. Laboribus illos diurnis nocturnisque pene intolerabilibus fatigant, inedia, ſiti, algore atque æſtu mirifice excruciant, verbis verberibusque duriſſimis tantum non enecant, ita vt illos non hominum, ſed pecorum potius loco habere videantur. Imo pecora ſæpe ſua melius tractant atque curant quam illos. Hi vero cogitent quod ſcriptum eſt *Leuit. 25.* Seruum tuum ne affligas per potentiā, ſed metuito Deū tuum. Item *Eccleſiaſt 7.* Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas eum. Verumenimuero, vt culpanda eſt hæc dominorum quorundam in miniſtros ſuos ſæuitia & aſperitas, cuius Deo omnium inopum & oppreſſorum tutori atque vindici iuſtiſſimo iuſtas debitasque pœnas exoluent: ita contra ſeruorum & ancillarum plurimarum damnanda eſt ignauia, mollities, contumacia atq; perfidia, cuius & ipſi acerbas grauesque pœnas luent.

EQ. Serui nimirum laboribus ſunt exercendi, ne otio ignauiaque torpeſcant; non tamen nimium onerandi, ne illis ſuccumbant; ſed & vt lætum quandoque atque feſtiuum diem tranſigant, ipſis committendum, hiſce enim vacationibus vires recolligunt, atq; impenſius poſtea laboribus inſiſtunt. Ad hunc etiam modum ruſtici quoque (ſub quibus agricolas atque paſtores comprehendo) ſuas habent ab antiquo per certas vices à laboribus vacationes, quinetiam certa quædam & feſtiua conuiuia, quæ ab illis poſt operum præſertim atque laborum perfunctionem animi recreandi reficiendiq; cauſa agitantur. Huiuſmodi fuit illud apud Hebræos, in ouium tonſura tritum & vſitatum conuiuii genus, cuius aliquot illuſtria ſane exempla in ſacris literis occurrunt. Abſolomus certe eo tempore, quo oues ſuas in Baalhaſor Ephraimiticæ ditionis loco tonderi curauit, magnificũ ſeruis ſuis conuiuiũ adornaſſe, & ad illud Dauidem patrem fratreſque ſuos omnes inuitaſſe legitur, in quo Amnonem fratrem ob ſtuprum Thamari ſorori biennio ante illatum obtruncari curauit. Similis conuiuii mentio fit *1.Samuel.25.* Nabal enim Ziphæus, vir diues, cui tria ouium millia & mille capræ fuiſſe dicuntur, cum oues ſuas totondiſſet, conuiuium apparauit quaſi regium, id eſt, valde luxurioſum, in quo videlicet ille ſe nimio vino obruit. Sic Iudas, vt in libro Geneſis ſcriptum eſt, animi ſui ex dolore ob amiſſam vxorem reficiendi recreandique cauſa vna cum quodam amico ſuo ad ouium tonſuram iuiſſe dicitur. Huiuſmodi quoque feſtiuitatis occaſione, Iacob vna cum Rachele vxore ſua fugam arripuit, *Geneſ.31.* Ex quibus conſtat, illam ouium tonſuram (quam luna decreſcente à veteribus fieri fuiſſe ſolitam M. Varro teſtatur, de tempore autem oues lauandi atque tondendi, vide Plinium *lib.18.cap.17.*) magna cum feſtiuitate, lætitia atque conuiuiis fuiſſe celebratam; idque mirum non eſt. Nam priſci homines paſtoritiæ rei mirum in modum fuerunt dediti, ac proinde illorum etiam opes ac diuitiæ cum aliorum pecorum, tum inprimis ouium, quarum maxima eſt fœcunditas atque vtilitas, multitudine æſtimabantur.

TH. Illa ouium tonſura typus videtur fuiſſe atque figura futuræ illius tonſuræ, hoc eſt, mortis atque paſſionis ſalutiferæ domini noſtri Ieſu Chriſti, ceu ouis puræ & immaculatæ, quæ cum tonderetur atque mactaretur, nullam vel minimam vocem impatientiæ teſtem edidit, ſecundum illud *Eſai.53.* vaticinium: Ouis inſtar ductus eſt ad victimam, & quaſi agnus coram tonſoribus ſuis obmutuit (ad hominum ſcilicet conuitia,) & os ſuum non aperuit (ad conuitia ſcilicet regerendum.)

EQ. Huiuſmodi porro conuiuiis in ouium tonſura apud Hebræos antiquitus celebrari ſolitis, videntur ſimilia eſſe illa, quæ apud nos cum in vrbibus, tum in pagis poſt pecorum quorũdam, vt ouium, boum ac præſertim ſuum mactationem ſumma cum lætitia agitari ſolent, quæ idcirco farciminum conuiuia vulgo appellantur. Sed & apud Græcos atq; Romanos legimus antiquitus & ſacrificia & conuiuia hilariora agricolis, maxime collectis iam & reconditis frugibus, perquam vſitata fuiſſe. Cuius rei teſtis eſt Virgilius 1.Georg.

Frigoribus parto agricolæ plerumq; fruuntur,
Mutuaq; inter ſe læti conuiuia curant.
Inuitat genialis hyems, curasq; reſoluit,

Ceu

Ceu preſſæ cum iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Cereri quoque primitias dabant, eamque venerantes epulabantur,& conuiuia agitabant inter ſe; quem morem Horatius exprimit *lib. 2. Epiſt. ad Auguſtum* his verbis:

Agricolæ priſci, fortes paruoq; beati
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem
Cum ſociis operum, & pueris & coniuge fida
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant.
Floribus & vino Genium memorem breuis æui
Feſcenina per hunc inuenta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit, &c.

TH. His ſimiles fere apud Hebræos feſtiuitates atque conuiuia fuiſſe legimus (ſi ſacra profanis quadantenus miſcere licet,) à quibus etiam illa & Græcorum atque Romanorum & Chriſtianorum quoq; ſolemnitates atque conuiuia nonnulla videntur eſſe profecta. Sic enim feſtum Pentecoſtes, quod etiam hebdomadum atque primitiarum feſtum dicitur, ſexto die menſis Siuan, cui Maius noſter reſpõdet (quo menſe Plinius lib.8.cap.18. auctor eſt in Ægypto & in Syria ei vicina meſſem peragi,) meſſe confecta celebrari conſueuit ſummo cum gaudio & epulis, quũ panes nouis è frugibus pro gratiarum actione Deo offerrentur, *Deut. 16. Num. 28. Leuit. 23 Exod. 34.* Præterea ex Dei inſtituto atque iuſſu, meſſe vindemiaq; peracta, omnibus iam terræ frugibus atque fructibus conditis, à die 15. menſis Thiſri (qui Septembri vel Octobri noſtro reſpondet, à *Thiroſch*, hoc eſt, muſto dictus, quod in illo vindemia fieret) Iudæi per ſeptem cõtinuos dies ſimul feriari, ſummaq; cum lætitia conuiuari conſueuerunt; quæ quidem Tabernaculorum feſtiuitas dicta fuit, *Leuit. 23. Deut. 16.*

EQ. Apud Germanos in peregrinatione mea, multa ruſticorum propria conuiuia comperi; quorum exempla nonnulla ſubiiciam. Vt conuiuium poſt ſementem factam fieri ſolitum, à nonnullis *Leporis ſatio* appellatur. Sic conuiuium poſt papaueris ſementem quibusdam in locis vſitatum, nomen ſortitur ab ouis in butyro frixis, quæ illo tempore dari conſueuerunt. Conuiuium poſt fœniſectionem, *Gallicinium* appellatur. Conuiuium item abſoluta meſſe tritici & auenæ, ſumma cum lætitia ab agricolis agitari ſolitum (cuius exempla Ruthæ hiſtoriola ſuppeditat) à nonnullis *falcium ſolutio*; ab aliis *falcium depoſitio*, à quibusdam *galli meſſis* ſiue *ſectio*, ab aliis *Gallicinium* appellatur. Huc quoque referenda ſunt antiqua illa ruſticorum apud Romanos feſta, *Compitalia* dicta, in quibus ruſtici finitis ſationib. in compitis, ſuſpenſis ibi aratris magna cum animorum relaxatione ſacrificia atque conuiuia ganeata & opipara in deorum larium honorem agitare ſolebant.

Conuiuia præterea vindemialia, ſumma cum hilaritate, imo vt verius dicã, cum laſciuia in vuarum collectione agitantur. Nam pueri atq; puellę vuas legentes, qui vindemiatores olim dicti ſunt, poſt prandiũ, ꝙ fere pulmento quodã conſtat confecto ex millio, ludere inter ſe ac laſciuire ſolent, pueriq; puellarũ mammas denudare conãtur; qui ſane luſus à Chriſtiana caſtitate pietateq; alieniſſimus, vulgo *millium concoquere* nominatur. Abſoluta aũt vuarum calcatione & expreſſione, totaq; vindemia confecta, lætiſſimũ conuiuium fieri cõſueuit, ꝙ à nonnullis *balneum vindemiale* vocatur.

 TH. Hu-

TH. Huiuſmodi conuiuii vindemialis exemplum in ſacris quoque literis habemus. Nam *Iudic.9.* dicuntur Sichemitæ collegiſſe vuas in vindemiis ſuis, atq; calcaſſe & indulſiſſe lætitiæ, ingreſſique domum Dei ſui (is fuit Baal) comediſſe, bibiſſe, regemq; Abimeleckum conuitiis proſcidiſſe. Chald. Paraphr. hic chorearum quoque mentionem facit, quæ conuiuii laſciui ſolent eſſe comites. Vtebantur aũt antiquitus magna licentia atq; laſciuia in vindemiis; & hodie quoq; priſca illa petulantia in vindemiis adhuc durat, qua quidem Deus ad grauiſſimã iuſtiſſimamq; iram atque vindictam prouocatur. Non itaque mirum nobis videri debet, ſi vindemiæ nobis ſæpe vel nullæ prorſus ſint, vel admodum miſeræ & infelices, quum nos ingratiſſimi erga Deum, nõ modo illi debitas meritasq; pro acceptis beneficiis gratias non agamus, verum etiam per ſummum nefas atque contumeliam, ſacroſanctum illius numen effrenata noſtra laſciuia petulantiaq; violemus.

EQ. Poſt triturationem quoque epulæ nonnullis in locis apud *ruſticos* agitantur, quæ iuxta vernaculę linguæ denotationem, *flagellorum*, quibus triticum excutitur, *ſuſpenſio*, ſiue *flagellorum depoſitio*, vel denique flagellorum requies, à nonnullis appellantur. Eſt & conuiuii quoddam genus peculiare Germanice *Früauff* appellatum, quiduſdam in pagis die proxima ante Chriſti natalem celebratur. Mulieres per totam noctem fila ducentes, media nocte panem butyro frixum comedunt. Sic quibuſdam in locis vere ineunte ruſtici vna epulantur, farcimen quoddam, quod tota hyeme de fumario dependit, comedentes, quod idcirco, vt & ipſas epulas, Germanice *Inbenckel*, appellant. Eſt quoque apud ruſticos nonnullos conuiuii admodum inhoneſti genus, quod à ſcabendo nomen ſortitum eſt. Vt quum quis ære alieno obſtrictus, cui non ſit ſoluendo, & ita per amicitiæ ſpeciem iuſto maiora à conuiuis ſymbola exigit, vt lucrum faciat. Et ſi quæ ſunt huiuſmodi ruſticorum conuiuia.

TH. Illud profecto ſummopere eſt dolendum, non modo in vrbibus, in quibus, vt eleganter admodum ſciteque Cicero *in oratione pro Roſcio*, inquit, luxuries creatur, ex qua deinde auaritia exiſtit, & ex auaritia erumpit audacia, indeq; omnia ſcelera atq; flagitia gignuntur: verum etiam in agris, in vita ruſtica & agreſti, quæ, vt idem inquit, parſimoniæ, diligentiæ iuſtitięq; quondam magiſtra extitit, immoderatã huiuſmodi conuiuiorum frequentiam atq; luxuriam graſſari. Et quidnam quæſo à Chriſtianorum hominum munere atq; officio magis abhorret, quã quod eo ipſo tempore, quo perceptis nimirum iam repoſitisq; fructibus, Deo ceu munifico illorum datori gratias agere debebant, illumq; precari, vt illis bene feliciterq; frui poſſent, illi cõtra omni luxuriæ, laſciuiæ, petulantiæq; genere Deũ grauiſſime offendũt? Quod tamen nõ ita accipi velim, quaſi omnia huiuſmodi ruſticorũ conuiuia poſt exantlatos labores, animi relaxãdi recreandiq; cauſa fieri ſolita damnanda exiſtimem. Nam ipſe quoq; Deus, qui nihil mali præcipit, voluit populum ſuũ collectis de area & torculari fructib. per ſeptem dies lætitia epuliſq; mutuis indulgere, nec liberos ſolum atq; ciues, verum etiã ſeruos, ancillas, peregrinos, ipſos adhæc leuitas, pupillos atq; viduas voluit lætitiæ illius epularumq; eſſe participes. Vnde colligo, hodie quoq; agricolis, poſtq̃ magnis perfuncti ſunt laborib. licitũ eſſe, conuiuiis ſe mutuo recreare atq; exhilarare, modo abſit luxus, luxuria, dictorum factorumq; petulantia, quæ hodie plerumq; cum illis ſupra commemoratis conuiuiorum ruſticorum generibus ſunt coniuncta.

PH. Fuit olim ruſticorum victus admodũ facilis, ſimplex, tenuis atq; frugalis, quem nimirum ipſa terra proferebat. Vnde Virg. lib. 2. Georg. *O for-*

O fortunatos nimium bona ſi ſua norint
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

Atque huiuſmodi quidem victu olim Romanorum nobiliſſimi quiq; proceres atque Principes fuerunt contenti. Vnde Iuuenalis *Satyr.11.* qui in ſuorum temporum luxuriã grauiſſime inuehitur, poſtquam fercula quædam enumerauit, nullis, vt ipſe loquitur, ornata macellis, vt ſunt hœdus, aſparagi, oua, vuæ, pyra, poma, ſubiungit:

Hæc olim noſtri iam luxurioſa ſenatus
Cœna fuit. Curius paruo quæ legerat horto.
Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor,
Qui meminit calidæ ſapiat quid vulua popinæ, &c.

Hæc Iuuenalis de priſca Romanorum frugalitate, inter quos fortiſſimi, ac virtutibus rebusque geſtis clariſſimi quique, vt rei ruſticæ maxime fuerunt dediti, ita ruſticano quoque, hoc eſt, tenui duroque victu optime fuerunt contenti. Illis itaque temporibus Reſpub. Romanorum opibus atq; diuitiis magis magisque aucta & amplificata fuit, quę ſimul atque in illam immigrauit luxuria, paulatim in deterius labi, imminui ac deformari cœpit, donec tandem omnino interiit. Hodie inter Chriſtianos, id quod vehementer eſt dolendum, ruſticani homines vrbanis cõuiuiorum luxuria nihilo ſunt inferiores, vnde multarum locupletiſſimarum familiarum ruinæ atq; naufragia cõſequuntur, id quod ex quotidiana experientia planum eſt Sed hæc cuiuſque fiant periculo.

TH. Non inter Chriſtianos duntaxat ruſticos, ſed inter eos etiam, qui exempti è plebis fæcibus exiſtimantur, luxurioſa apparantur conuiuia, quę tamen cũ ſummo animæ ſimul & corporis ipſorum detrimento atq; dedecore vtplurimum finiuntur, quippe quæ apud Deum maxime ſunt exoſa. In vino, inquit Syracides *c.31.* virum ne te exhibeas. Vinum enim multos perdidit. Et Eſaias Propheta: Væ, inquit, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſq; ad veſperam. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & ſechar (id eſt, vinũ, vel quicquid inebriat) in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis; nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam; & nobiles eius interierũt fame, & multitudo eius ſiti exaruit, *Eſa.5.* Sic Amos Propheta obiicit optimatibus Iſraëlis, quod bibentes vinum in phialis, & cantantes ad modos lyræ, atque electis vnguentis ſe vngentes non dolerent ob contritionem Ioſephi, id eſt, non afficerentur rebus patriæ, *Amos 6.* Et D. Apoſtolus: Nolite, inquit, inebriari vino in quo eſt *ἀσωτία*, ſed impleamini ſpiritu. Quo in loco D. Hieronymus dicit: Non poſſumus impleri ſimul vino & Spiritu ſancto. Ac ſane, quam modeſta, caſta, & ſobria ab initio inter Chriſtianos fuerint conuiuia, teſtis eſt Tertullianus *in Apologet.c.39.* vbi ait: Comeditur quantum ad famẽ valet depellendam, tantum bibitur, quantum ſatis eſt, pudicis & caſtis. Oratio auſpicatur & claudit cibum, confabulantur inter ſe, quaſi Dominum præſentem habeant, qui audiat. Quumque ventum eſt ad aquam manualem, & lumina poſita ſunt, tũ prouocatur vnuſquiſque vt quantum è ſacris nouit, aut de ſuo ingenio poteſt, cantet & diſſerat. Inde nõ egrediuntur ad vagationes aut libidines, vt qui ſciant, ſibi noctu quoque orandum eſſe; ſed eſt quaſi comederint & biberint diſciplinã. Rectiſſime igi-

me igitur D. Auguſtinus dicit: Ebrioſus ſi vinum ſorbet, ab illo abſorbetur; Deo fit abominabilis: ab Angelis deſpicitur, ab hominibus deridetur, à dæmonib. confunditur, conculcatur ab omnibus. Ebrioſus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

PH. Modicus ſane vini vſus maxime ſalubris eſt, vnde nō ſine cauſa Plutarchus eiuſdem vſui modico inuentionem & facundiam tribuit. Nonnulli, inquit, ingenio ad inueniendum apto, ſed dum ſobrii ſunt, minus audaci, & quaſi concreto, quando ad pocula ventum eſt, thuris in morem à calore correpti exhalant. Enimuero metum, quo nulla alia res magis impedimento eſt cōſultantibus, vinum profligat, multas etiā alias affectiones illiberales & degeneres extinguit; & malignitatē ac ſimultates tanq̄ duplices animi (vt ille ait) plicas explicat, ac verbis oēs vtriuſq; generis in animo affectus detegit. Ad hæc libertatis dicendi, ac per eā veritatis fœcundiſſimum eſt vinum, quibus abſentibus nihil peritia, nihil iudicii ſolertia prodeſt. Vnde doctiſſimus quidam Adrianus Iunius ſuum emblema ſumpſit, vbi Bacchus iuuenis & alacris depingitur, cum hac inſcriptione: *Vinum ingenii fomes.* Voluit enim ſignificare, vinum ſi modicum adſit, vt triſtitiam ſedare, ita ingenium agile reddere & alacre, nihilo ſecius, quam aues pennis euehuntur, vt à Pauſania proditum eſt. Talis fuit Bonoſus Hiſpalenſis, origine Britannus, qui apud Aurelianum Imperatorem ſummo in honore fuit. Is ſi quando legati Germanorum veniſſent, ipſis propinabat, vt hoſce inebriaret, atque ab his per vinum cuncta ſecreta cognoſceret, ipſe quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius, & adhuc in vino prudentior.

TH. Iſtud vero omnino diabolicum inuentū eſt, proponi in conuiuiis præmia illis qui plurimum meri ebibiſſent; qua tamen in re plerique nō ſolum qui minorum, ſed etiam qui perhibentur maiorum gentium, laudi ſibi ducunt, ſi eo nomine prædicantūr, quod innumera pocula potando poſſint euacuare. Certaminis certe huius, inquit Baſilius, arbiter & moderator eſt diabolus, & præmium victoriæ peccatū. Qui enim plus meraci hauſerit, is aduerſus alios præmia conſequitur. Reuera gloria illorum eſt ignominia. Omnia inconſiderantia plena ſunt, omnia cōfuſione. Victi ſunt temulenti, & qui vicerunt, ſunt itidem temulenti.

EQ. Olim quoq; ſimiles concertationes apud Ethnicos in vſu, ſed non abſque noxa fuiſſe, patet ex Plutarcho. Alexander enim Magnus ſepulto Calano Indo, multos ex amicis & ducibus conuocauit ad cœnam, certamenque poculorum, coronamque ei, qui plurimum meri ebibiſſet, propoſuit. Victorem autem huius certaminis Promachum quendam extitiſſe, qui ad quatuor choas proceſſerat, ac victoriæ præmium nactum talentum; verum eum tres dies tantum ſuperuixiſſe, reliquorum vero compotorum XLI. mortuos, teſtatur Chares Mitylenæus, oborto poſt ebrietatem ingenti frigore. Sed nolo hæc vlterius proſequi, quippe cuiuis obuia. Illud interim obiter dico, eſſe in hoc lurconū genere haud dubie multos Philotoconiſtas, qui Athenæo atteſtante, optauere vt in balęnas cōuerterentur, dummodo mare mutaretur in pretioſiſſimum vinum, in quo continue volutandum illis foret; propemodum vti Georgius Charentiæ Comes, qui ob ſuſpicionem affectati regni ab Eduardo Quarto huius nominis Angliæ Rege, fratre ſuo iuſſus mori, & genus mortis quod ſibi magis placeret, eligere, voluit vino Maluatico ſuffocari. Coniectus igitur in vas plenum huius vini, illud ſorbendo tandem ibi ſubmerſus eſt. Et profecto eiuſmodi hominum (ſi modo homines, non amphoræ, dolia ve

liave

Digitized by Google

ſave pertuſa nominandi ſunt) ſepulchris inſcribendum eſſet Epitaphium cuiuſdam paraſiti, repertum Romæ extra portam Capenam, vbi olim ſepulturarũ monumenta apud veteres Romanos poſita erant, quod eſt huiuſmodi: *Heus hic ſitus eſt Offelius bubalus bibulus, qui dum vixit, aut bibit, aut minxit. Abi præceps.* Aut illud etiã Timocreontis Epitaphium:

Multa bibens & multa vorans, mala multaque dicens
Ipſe viris iaceo Timocreon Rhodius.

TH. Grauis ac prudens eſt admonitio S. Martini Epiſcopi Dumiẽſis, in libello ad Mironem Galliciæ Regem, is igitur inter alia in libello ad Mironem Galliciæ Regem de continentia hæc ſcripſit: Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatẽ. Nec præſentibus delitiis inhærebis, nec deſiderabis abſentes. Victus tibi ex facili ſit: nec ad voluptatem ſed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non ſapores. Deſideria tua paruó redime, qui hoc tantum curare debes, vt deſinant, atque quaſi ad exemplar compoſitus diuinum, à corpore ad ſpiritum, quantum potes, te feſtina reducere. Non tantum enim potus, ſed & ciborum exceſſum maxima conſequitur noxa pariter atq; dedecus.

PH. Non tantum igitur in potu, ſed & in cibo capiendo moderatio adhibenda, & vbi expletum eſt naturale deſiderium, deſinendum, non quo inexplebilis rapit cupiditas, progrediendum. Inſatiabilis enim illa quaſique lupina ſiue canina edendi cupiditas, atque vt verbo dicam, voracitas inciuilis eſt, illiberalis, bruta atq; beluina, ab humana natura rationeque aliena, Deo hominibusq; exoſa. Cumq; voracitas iſta atq; ingluuies ipſa per ſe morbus ſit, morborum omnis generis parens eſt atq; procreatrix; & ſicut temperantia in victu mater eſt ſanitatis; ita è conuerſo gula mater eſt aduerſæ valetudinis atque morborum. Tantum igitur, vt etiam Cic. monet, cibi & potionis adhibendum, vt reficiãtur non opprimantur vires. Sumatur ergo cibus citra cruditatem, & pòtus citra ebrietatẽ. Vnde Socrates illos cibos potusve vitandos dixit, qui vltra ſitim famemve ſedandam, appetentiam producerent. Nocet namque empta dolore voluptas. Conſtat inſuper eos, qui eſcis vtuntur viliſſimis, eſſe robuſtiores, ſaniores & generoſiores, vt famuli dominis, coloni poſſeſſoribus: nec ſolum fortiores ſed etiam prudẽtiores, vt philoſophi diuitibus. Suſtentatur namque valetudo, vt recte Cicero ait, notitia ſui corporis, & obſeruatione earum rerum, quæ aut prodeſſe aut obeſſe ſoleant, & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus: poſtremo arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Merito igitur Diogenes Cynicus eos irridere ſolitus eſt, qui pro bona valetudine rem diuinam facerent, & deinde cibo potuque contra ſanitatem ſe ingurgitarent: aſſerens inſanum eſſe, ea à diis precari, quæ in noſtra ſunt poteſtate.

TH. Merito ergo nos quoq; Chriſtiani irridendi ſumus, & leuitatis inconſtantiæque accuſandi, qui cum bonam valetudinem, quæ non in noſtra, ſed in Dei eſt poteſtate, precemur, interea illam noſtra ingluuie perdimus atque corrumpimus. Imo non valetudinem tantum,

——quin corpus onuſtum
Externis vitiis, animum quoque prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Huic affine Sapiẽtis: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animum, ac ſenſim deprimit multa cogitãtem. Vnde Gregorius has quatuor gulæ filias tribuit, ineptam lætitiam,

lætitiam,ſcurrilitatem,multiloquium & hebetudinem mentis circa intelligentiã. Omnibus igitur hominibus,inprimis vero iis,qui magna munera ſuſtinẽt, vel politica vel Eccleſiaſtica,quiq; res magnas atque præclaras moliuntur,à gula atq; ingluuie,ceu certiſſima animi corporisque peſte,rerumque gerendarũ impedimento maximo,ſibi cauere debent. Ciborum enim redundantia cruditatem efficit, vires debilitat,aciem mentis obtũdit,languorem animis affert, deſidiam, ignauiam, ſtuporem,tarditatem ingenerat,atq; poſtremo vitã breui tẽporis ſpatio conſumit. Illos autem,quos Deus vel Reipub.vel Eccleſiæ,vel vtriuſque cuſtodes conſtituit, oportet eſſe ſanos atque valentes,ad mala præcauenda ſagaces, & ad pericula magna propulſanda magnanimos. Huc facit illud Eccleſiaſtici *cap.10.* Væ tibi terra, quando rex tuus puer eſt (nõ tam ætate quam iudicio atq; mente) & Principes tui mane comedunt. Beata ea terra, quum Rex tuus filius eſt nobilium, & Principes tui in tempore,ſcilicet commodo & oportuno,cibum capiunt, propter *fortitudinem*,& non propter potationem.Nihil enim profectò fœdius Reipub.prẹſide vel Eccleſiæ paſtore ructante,oſcitante,nauſeante,ſomno deſidiaq; languente.Quomodo vero aliis imperare,& munus aliquod honeſtum exequi poterit is, qui gulæ ceu importunæ turpique dominæ eſt mancipatus?In media namque muneris functione inſaturabilis abdominis imperio coactus officium repente deſerit, totumque ſe ad ſtudium impuriſſimæ illius cupiditatis applicat. Præterea vt olim Eſau ille gula impulſus,primogenituræ ius atque dignitatem libertatemque ſimul ſuam vendidit:ſic hodie multi homines guloſi omnem dignitatem libertatemque ſuam aliis proſtituunt. Diogenes Cynicus cum aliquando betas cœnæ gratia ablueret, Plato illum intuitus ſubmiſſa voce dixit:Si Dionyſio obſecutus fuiſſes,olera non cœnares. Cui ille, Atqui ſi tu olera cœnare didiciſſes,Dionyſio tyrãno nõ ſeruires: quo reſponſo turpẽ illi ſeruitutẽ exprobrauit, cui ſe cibi lautioris gratia addixerat.

Adde his,quod gula homines ad paupertatem mendicitatemque redigit.Multi namq; opes opimas,patrimonia lautiſſima, breui temporis ſpatio abliguriunt atq; abſumunt,tandemque ad probroſam ignominioſamque inopiam atq; paupertatẽ rediguntur.Hinc ſępe fit,vt quando abdomen quidem illud inſaturabile,quo magnam opum vim abſumpſerunt,manet adhuc atq; durat,opes autem & facultates deficiunt,ad malas artes,ad omnis generis ſcelera atque flagitia impellantur.Vnde *Eccleſiaſt.19.* dicitur: Caue aſotiam, & ne aſſuefacias te ad helluationes, ne incidas in mendicitatis periculum,cum deſtituat te crumena, & cogeris à fœneratoribus accipere. Hinc egregie Iuuenalis Satyra 11.

Talibus à dominis poſt cuncta nouiſſimus exit
Annulus,& digito mendicat Pollio nudo.

Et facete Diogenes,cum luxurioſi cuiuſdam nepotis venalem domum proſcriptam legeret: Sciebam, inquit, quod vino ciboq; oppleta quamprimum dominũ euomeret.Idem cum nimio luxu ad inopiam redactus adoleſcens oleas in cœna eſitaret,forte præteriens;ſi ſic pranſus,inquit,eſſes,non ita cœnares. Non inſulſe etiam Bion Boryſthenites,Philoſophus peracutus ac grauis ad quendam, qui poſſeſſiones ſuas vorauerat,inquit: Terra Amphiaraum abſorbuit, tu autem terram. Veruntamen non eſt admodum opus,hic veterum quorundam lurconum exempla commemorare,qui patrimonia ſua per luxuriam ſubito prodegerunt. Quotidiana,proh dolor,experientia magnam eiuſmodi exemplorum copiam ſuppeditat,vt auctiones proſcriptionesque quotidianæ teſtantur. Cæterum ſufficiat nobis

vel

Digitized by Google

vel vnicum illud idemq; infauſtum exemplum primorum noſtrorum parentum, qui quum partim ſuperbia, partim gula incitati & impulſi, auctore & ſuaſore diabolo, contra Dei legem, arboris illius, quæ boni & mali ſcientiam continebat, fructum attigiſſent ac deguſtaſſent, ſe ſimul atq; nos illorum poſteros, non in temporalem modo, ſed æternam miſeriam præcipitarunt. Hæc fuit origo humanæ miſeriæ, hoc malorum omnium ſeminarium; hinc mortis initiū natum eſt, quæ crudeli dominatu omnes poſtea homines oppreſſit. Ergo vel hac ſola de cauſa merito gulam cane peius & angue odiſſe, fugere, execrari: contra ſobrietati atque temperantiæ ſtudere debemus.

PH. Poſſet huic malo, meo quidem iudicio facile obuiari, ſi luxus officinę amouerentur; quod quidem pii & prudentis magiſtratus officium eſt, vt omni ſtudio, cura atq; conſilio, bonis legib. atq; inſtitutis furtiuos leuium hominum cōuentus tollat atque coerceat; detq; inprimis operam, vt diuerſoria atq; cauponæ (quippe quæ hoc fere tempore luxuriæ ſunt officinæ) ſint quam pauciſſimæ, earumq; numerus viatorum peregrinorumq; frequentia definiatur. Nam vt ipſa docet quotidiana experientia, quo plures ſunt cauponæ atq; diuerſoria, tanto maior ſolet eſſe ſcelerum omnium ac flagitiorum occaſio atq; licentia. Nam cum ipſa hominum ingenia maxima ex parte à negotiis actionibusq; honeſtis ad otium, ad voluptates atque luxuriam procliuia ſint atque propenſa, tum ipſi caupones atque tabernarii plerunque ſui lucri cauſa quoſuis ad ſe allicere & inuitare conſueuerunt. Sic itaq; fit, vt illæ domus nō tam viatorum atque peregrinorum, quam ciuium & indigenarum ſint pleniſſimæ, in quibus illi res fortunasque ſuas abſumunt atq; perdunt. Mirum itaque non eſt, & Claudium Cæſarem, teſte Dione, olim potatorum cauponas Romæ ſuſtuliſſe, & hodie Tedneſtanos, teſte Leone Africano, nulla in vrbe ſua diuerſoria mercenaria pati. *De cauponis.*

TH. Cauponarum hodie infinitus propemodum eſt numerus, potiſſimus vero eſt furtiuarum, in quibus non viatores atque peregrini, ſed ciues atque indigenæ dies noctesque volutantur, helluantur, aleæ, ſtupris aliisque ſceleribus atque flagitiis indulgent, cum maximo & totius Reipub. & ſuæ famę, exiſtimationis, ſalutis, rerum fortunarumque ſuarum omnium diſpendio & detrimento. Sunt itaq; pleraque hodie Chriſtianorum diuerſoria omnis generis ſceleratorū flagitioſorumque hominum receptacula omnis nequitiæ, libidinum improbitatisque officinæ, adeo vt non tam hominum diuerſoria, quam pecudum ſtabula, imo dæmonū domicilia appellari poſſint. Quamobrem pii magiſtratus officium fuerit, huiuſmodi diuerſoriorum & cauponarum magnam accuratamque curam ſuſcipere atque gerere, ac quoad eius fieri poteſt, ſeueriſſimis legum ſanctionibus ciues ſuos ab illarū frequentatione deterrere. Deinde ſi propter peregrinos & aduenas, vel neceſſitatis vel honoris ergo, vt ſæpenumero fit, vel etiam alias honeſtas ob cauſas diuerſoriis illis vti cogantur, vt ne illis vel inter ſe, vel etiam cum viatoribus atque peregrinis totam ibi noctem perpotare ac pergræcari, aleæ, tripudiis aliisque inhoneſtis ludis operam nauare liceat. Prandii quoque atque cœnæ tempus certis horarū terminis definiatur, vltra quos ſi potationes comeſſationesque producantur, in ipſos caupones atque tabernarios animaduertatur. Præterea vt in tabernis illis, ruſticis atque aliis plebeis nihil credant, ſed ſymbolum ſtatim peractis epulis exigant; id ſi neglexerint, non habeant ius exigendi. Denique quum diuerſoria illa publica non in ciuium & incolarum, ſed peregrinorum potiſſimum vſum ſint inſtituta, vt

Digitized by Google

illis tectum, cubicula, lecti, alimenta neceſſaria pro iuſta legitimaq; mercede præbeantur, magiſtratus omnẽ dabit operã, vt hæc omnia iuſto legitimoq; modo atq; ordine fiant. Ac inprimis cum mercenarii illi hoſpites ſæpe peregrinos & aduenas pro ſua auaritia decipiant, inhumaniter ſordideq; tractẽt, iuſto maiora ab illis pretia atq; ſymbola exigant, ac ꝑinde non ſibi ſolum, verũ etiã vniuerſæ ciuitati maximum odium, inuidiam, ignominiam, atq; dedecus apud peregrinos concilient, magiſtratus prudens hanc illorũ auaritiam ſeueriſſimis legib. atq; pœnis coercere ſtudebit, ac illis certum pro annonæ ratione cœnæ exhibendæ ſtabulandiq; pretiũ præſcribet. His atq; aliis huiuſmodi legibus & inſtitutis magiſtratum decet hoſpitia illa publica regere atq; moderari, quod ni fiat, plurima inde mala, incommoda ac detrimenta in vniuerſam Rempub plerunque redundant.

EQ. Abuſum cauponarum & ego quoq; deteſtor, ſed ferendũ tacite, ꝙ mutari non poteſt. Cæterum diuerſa eſt cauponarũ apud gentes diuerſas ratio. Nam in aliis tecti tantũ ſiue domicilii vſus, in aliis eſculenta tantũ atq; poculenta, in pleriſq; honeſtiorib. præſertim & amplioribus, vtrumq; viatorib. & peregrinis exhibetur. Apud Hiſpanos, qui alias erga peregrinos humaniſſimi ſunt, in diuerſoriis nihil præter tectũ viatorib. præbetur, edulia ipſi peregrini in foro atq; iis in locis in quibus venduntur, emere coguntur, quæ quidẽ hoſpiti ſuo dant coquenda. Galli viatores & aduenas, quos aduentare norũt, illis vltro vel ipſimet obuiam ꝓcedentes, vel ſeruulos mittentes ſuos, blandiſſimis verbis atq; promiſſis ad ſe inuitant atque alliciunt. Sæpe etiã, qui tamen noſtrorum magis mos eſt, vini cantharum illis deguſtandum offerunt, & opimos delicatosq; anteres, columbas, gallinas, pullos manibus geſtant, illisq; oſtentant, quo facilius nimirum ad diuertendum apud ſe cõmoueri poſſint. Deinde vbi illos verborum ſuorum humanitate in hoſpitium ſuũ pertraxerunt, illis & cubiculorum & vini optionem dant coquinam atq; cellã vinariam adeundi, indeq; eſculenta poculentaq; quibus potiſſimum delectantur, ꝓ arbitrio eligendi poteſtatem faciunt. Porro ad mẽſam ſemper aſtat aliqua mulier, quæ conuiuium exhilarat facetiis ac leporibus. Eſtque illic mira formarum felicitas. Primum adit materfamilias, quæ ſalutat nouos hoſpites, iubens eos hilares eſſe, & quod apponeretur boni conſulere. Huic ſuccedit filia, ſi qua adeſt, mulier elegans, moribus ac lingua feſtiuis. Nec confabulantur vt cum hoſpitibus ignotis, ſed veluti cum olim notis ac familiaribus. Quoniam autem illæ nõ poſſunt adeſſe perpetuo, eo quod obeunda ſunt munia domeſtica, reliquiq; conuiuæ cõſalutandi, continenter adſtat puellula quædam ad omnes iocos inſtructa. Vna ſatis eſt omnium iaculis excipiendis. Hæc ſuſtinet fabulam, donec redit filia. Peracto conuiuio lepidis fabulis alũt hoſpites, ne quid obrepat tædii. Cęterum in cubiculis nuſquam non adſunt aliquot puellæ ridentes, laſciuientes, luſitantes, vltro rogant, ſi quid habeant veſtium ſordidarum. Eas lauant, ac lotas reddunt. Quid multis? Nihil illic præter puellas ac mulieres, niſi in ſtabulo, quanquam & huc frequenter irrumpunt puellæ. Abeuntes ita complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac ſi fratres eſſent omnes aut propinquæ cognationis.

PH. At huiuſmodi tractationes haud exiguo conſtabunt pretio. Nam muliebre præſertim omne genus eſt auarum, nec niſi inſignis ſpe lucri ſeſe tam amice ac familiariter ad hoſpitum ingenium accommodabunt.

EQ. Ita eſt. In Gallia namq;, Italia, aliiſq; regionib. vbi hoſpites tam amice tractãtur, de pretii ſiue mercedis atq; ſymboli ſolutione, inter actiuum, vt ita loquar, & paſſi-

& paſſiuum hoſpitem vtplurimum diſceptatur, & ita grauiter quidem ſæpenumeroatq; vehementer, vt res ad conuitia, ad verbera, ad iudicium deniq; deueniat.

TH. Iſti nimirum ſunt mores Gallici, vt exteros quauis arte pecunia emungãt. Qui quidem mores vſq; adeo apud ipſos inualuerunt, vt in ipſorum quoq; literatorum ſcholas irrepſerint, planeq; in prouerbium abierit: Accipimus pecuniam, & mittimus aſinos in patriam. Malim ergo apparatũ ſimplicẽ, ac de quo ſaturari poſſim q̃ delicatum facetiiſq; muliebrib. coloratum. Nõ enim fabulis meus expletur venter, præſertim vbi venter ex diutina fame atque itinere confectus male latrat. Proinde Germanorum cauponæ mihi magis q̃ Gallorum arriſerint. Cum enim Germanorũ fere mores maſculi ſint, etiã apparatus cauponarios maſculos eſſe, i. cibo & potu ad ſaturandũ ventrẽ ſatis inſtructos nõ dubito. Quæſo igitur, ne grauere cõmemorare, quib. modis Germani caupones peregrinos excipiãt hoſpites.

EQ. Nimis ac præter modum maſculi ſunt Germanorum apparatus, quamuis non eadem vbiuis apud ipſos tractandi ſit ratio. Quod tamen ego in peregrinationib. meis vidi narrabo. Aduenientem nemo ſalutat, ne videantur ambire hoſpitẽ. Id enim ſordidum & abiectum exiſtimãt, & indignum Germanica ſeueritate. Vbi diu inclamaueris, tandem aliquis per feneſtellam æſtuarii (nam in his degunt fere vſque ad ſolſtitium æſtiuum) profert caput, non aliter q̃ è teſta proſpicit teſtudo. Is rogandus eſt, an liceat illic diuerſari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogãtib. vbi ſit ſtabulum, mota manu cõmonſtrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus n. famulus manu admouet. Si celebrius eſt diuerſoriũ, ibi famulus cõmonſtrat ſtabulum, atq; etiam locum equo minime commodum. Nã commodiora ſeruant venturis, præſertim nobilibus. Si quid cauſeris, ſtatim audis; ſi nõ placet, quære aliud diuerſorium. Fœnum in vrbib. ægre ac perparce præbent, nec multo minoris vendunt q̃ ipſam auenam. Vbi conſultum eſt equo, totus commigras in hypocauſtum, cum ocreis, ſarcinis, luto; id eſt vnũ omnib. commune. Apud Gallos deſignant cubicula, vbi ſeſe exuant, extergant, calfaciant aut quieſcant etiã, ſi libeat. Hic nihil tale. In hypocauſto exuis ocreas, induis calceos, mutas, ſi voles, induſium, veſtes pluuia madidas ſuſpẽdis iuxta hypocauſtum, ipſe te admoues vt ſicceris. Eſt & aqua parata ſi libeat lauare manus, ſed ita munda plerunque, vt tibi poſt alia quærenda ſit aqua, qua lotionem eam abluas. Quod ſi tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. Nihil enim apparant, niſi videant omnes, vt eadem opera miniſtretur omnibus. Itaq; frequenter in idem hypocauſtum cõueniunt octingenta aut nonaginta pedites, equites, negotiatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, ſani, ægroti. Alius ibi pectit caput: alius abſtergit ſudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac perſonarum nõ minor eſt confuſio, quam olim in turri Babel. Quod ſi quem cõſpexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ ſe ferat, in hunc intenti ſunt omnes defixis oculis, contemplantes, quaſi nouum aliquod animantis genus adductum ſit ex Africa, adeo, vt poſteaquam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aſpiciant, nec dimoueant oculos, cibi immemores.

Nefas eſt interim tibi quicquam petere: vbi iam multa eſt veſpera, nec ſperãtur plures aducturi, prodit famulus ſenex, barba cana, tõſo capite, vultu toruo, ſordido veſtitu. Is circũ actis oculis tacitus dinumerat, quot ſint in hypocauſto, quo plures adeſſe videt, hoc vehementius accenditur hypocauſtum, etiamſi alioqui ſol æſtu

Digitized by Google

ſit moleſtus. Hæc apud illos præcipua pars eſt bonæ tractationis, ſi ſudore diffluant omnes. Si quis non aſſuetus vapori, aperiat rimam feneſtræ ne præfocetur, protinus audit: claude. Si reſpondeas, non fero, audis: quære igitur aliud diuerſorium. Cum tamen nihil ſit perículoſius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime reſoluto corpore, atque hic capere cibum, & horas complures commorari. Iam enim omitto ructus alliatos, & ventris flatum, halitus putres. Multi ſunt, qui morbis occultis laborant, nec vllus morbus non habet ſuum contagium. Certe plerique ſcabiem habent Hiſpanicam, ſiue vt quidam vocant Gallicam, quum ſit omnium nationum communis. Ab his non multo minus eſſe periculi, quam à leproſis. Verum iſta rident. Sic enim aſſueuerunt. Sed audi cætera. Poſt redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis inſternit menſas, quot putat eſſe ſatis illi numero. Sed ô deum immortalem, quam non Mileſiis, canabea diceres ex antemnis detracta. Deſtinant enim vnicuique menſæ, vt minimum octo. Iam quibus eſt notus mos patrius, accumbunt, vbi cuique libitum fuerit. Nullum enim diſcrimen inter pauperem ac diuitem, inter herum ac famulum. Poſtquam accubuerunt omnes, rurſum prodit toruus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat ſua ſodalitia. Mox reuerſus apponit ſingulis pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum, aliquando poſt panem. Eum ſibi quiſque per ocium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam ſedetur ferme horæ ſpatio. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non fumoſum? Nõ aliud oportebat bibere Sophiſtas. Tanta eſt ſubtilitas & acrimonia. Quod ſi quis hoſpes, etiam oblata priuatim pecunia roget, vt aliunde paretur aliud vini genus, primum diſſimulant, ſed eo vultu, quaſi interfecturi. Si vrgeas, reſpondent: Hic diuerſati ſunt tot Comites & Marchiones, neque quiſquam queſtus eſt de vino meo, ſi non placet, quære tibi aliud diuerſorium. Solos enim nobiles ſuæ gentis habẽt pro hominibus, & horum inſignia nuſquam nõ oſtentant. Iam igitur habent offam, quã obiiciant latranti ſtomacho: mox magna pompa veniunt diſci. Primus ferme habet offas panis madefactas iure carnium, aut ſi dies eſt piſculentus, iure leguminũ. Deinde aliud ius, poſt aliquid carnium recoctarum, aut ſalſamẽtorum recalfactorum. Rurſum pultis aliquid, mox aliquid ſolidioris cibi donec probe domito ſtomacho apponant carnes aſſas aut piſces elixos, quos nõ poſſis omnino cõtemnere. Sed hic parci ſunt, & ſubito tollunt. Ita totum cõuiuium temperant, quemadmodum ſolent actores fabularum, qui ſcenis admiſcent choros, ita iſti alternis miſcẽt offas ac pultes. Curant autem vt extremus actus ſit optimus. Porro piaculum ſit, ſi quis interim dicat, tolle hunc diſcum, nemo veſcitur. Deſidendum eſt vſq; ad præſcriptum ſpatium, quod illi cleps ydris, vt opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipſe, veſtitu minimum à famulis differens. Rogat ecquid animi nobis ſit. Mox adfertur vinum aliquod generoſius. Amant autem eos, qui bibunt largius, cum nihilo plus ſoluat ille, qui plurimum hauſerit vini, quam qui minimum. Cum tamen nõnunquam ſint, qui duplo plus abſumant in vino quam ſoluant pro conuiuio. Sed antequam finiant hoc conuiuium, dictu mirum quis ſit ibi ſtrepitus ac vocum tumultus, poſtquam omnes cœperunt incaleſcere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiſcẽt ſe frequẽter ficti moriones, quo genere hominum cum nullum ſit magis deteſtandum, tamen vix credas, quantopere delectẽtur Germani. Illi cantu, garritu, clamore, ſaltatione, pulſu, faciunt, vt hypocauſtum videatur corruiturũ, neq; quiſquam alterum audiat loquentem. At interea

videntur ſibi ſuauiter viuere. Atque illic deſidendum eſt, volenti nolenti, vſque ad multam noctem. Tandem ſublato caſeo, qui vix illis placet, niſi putris ac vermibus ſcatens, prodit ille barbatus, adferens ſecum pinacium eſcarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac ſemicirculos. Id deponit in menſa, tacitus interim ac triſtis, Charontem quempiam diceres. Qui agnoſcunt picturam, deponunt pecuniã, deinde alius atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui depoſuerunt, ſupputat tacitus. Si nihil deſit, annuit capite. Nemo reclamat iniquæ rationi qui ſapit. Nam protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus ſolues, quã alii. Quod ſi quis ex itinere laſſus, cupiat mox à cœna petere lectum, iubetur expectare, donec cæteri quoque eant cubitum. Tum ſuus cuique nidus oſtenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti ſunt, & præterea nihil, quo vtaris, aut quod fureris. Illic mundicies eſt, eadem quæ in conuiuio, lintea forte lota ante menſes ſex. Atque hi quidem erant meis temporibus plerique Germanicorum hoſpitum mores, qui tamen ab illo tempore multum fuerunt immutati, & ad humanitatem propius acceſſerunt.

PH. Sunt quidem iſti, quos dixiſti, mores Germanorum ſordidiuſculi; quos quidem inde oriri exiſtimo, quia ab antiquo ſplendores delicatulos nõ admodum morantur, ſed apertos atque conſtantes ſe vbique præbuerunt, quæ perſtans conſtantia deinceps in mores, quadãtenus ſordidiuſculos degenerauit, quod quidem in ipſorum ignominiam non poteſt vergere, cum hodierno tempore, omnib. humanitatis officiis morumque ciuilitate, moratiſſimis quibusque populis facile ſuperiores exiſtant. Audi igitur, quos iam multis paſſibus ſordidiores quorundam populorum mores recenſebo. In vrbe Feſſa, totius fere Africæ celeberrima, ducenta fere hoſpitia eſſe dicuntur: quæ quamuis magna admodum ſint & ampla, ſordidiſſime tamen hoſpites in iis excipiuntur. Nullus enim ibi neque lectus neque lectica reperitur, hoſpes lodicem ſaltem quandam cum ſtorea exhibet. Quod ſi cœnam ibi parari velis, neceſſe eſt, vt macellum ipſe adeas, atque tuo hoſpiti des coquendum, quod inde tibi comparaueris. Fouentur & in his hoſpitiis viduæ Feſſanæ, quæ neque bona habent, neque propinquos à quibus alantur. Horum ſingulis aut interdum binis cubicula aſſignantur, proque egregio hoc hoſpitio mulieres lectorum & coquinæ curam gerunt. Hæc Leo Africanus *lib.3.cap.24.* vbi de Pandochæorum Feſſanorum ſtirpe Elchena dicta (ex qua omnes originẽ habent) de illorum veſtitu, ſermone atque moribus plane fœmineis, barbę raſura, meretricibus cum quibus ceu cum vxoribus viuunt, de illorum conſule certo, de tributis, quæ vrbis rectori pendunt, ſummaque vitæ improbitate plura videlicet. Hinc fieri dicit, vt diuerſoria illa ganeonum tantum & nebulonum ſint receptacula, in quibus maiori cum licentia atque impunitate flagitiis indulgent. Quamobrem viri probi, literati atque mercatores à Pandocheorum illorum commercio atque adeo colloquio quoque abhorrent, ac illis viciſſim interdictum, vt ne templum aut mercatorum collegium, aut balneum intrent.

EQ. Ego huiusmodi quidem diuerſoriorum nunquam factus ſum particeps, recenſebo tamen breuibus, quæ olim amicus quidam meus, mihi diuerſorium quoddam huiusmodi Feſſanum iamiam inituro, de iiſdem narrauit, mihique omnem eo immigrandi cupiditatẽ ademit. Quo (inquiebat) tendis? imprudensne an ſciens ac volens ad eiusmodi ſordidas obſcænitates & obſcænas ſordes. Dicam tibi quæ apponentur bellaria. Carnes rancidæ atque marceſcentes, in vas nihilo

Digitized by Google

purius coniectæ,fœtentes,fumo & carbonibus conſpurcatæ;quibus cum gryllis ſe, muſcę ac aranei,& id genus animalia miſcuerunt,aut quæ vermes iam pepererant; atque hæ ter quaterve coctæ. Caules putridi, rapæ marcentes & mucidæ, legumina ſemicocta; ciceraque piſis,fabis,lentibus interdum & pulueribus atque cineribus mixta. Caſeus viuis eſt plenus vermibus, vndique perforatus, ſitu ſqualidus, ſaxo durior. Butyrum fœtidum,lardumque randicum fercula condit. Oua tunc apponuntur, cum iam pullos alunt. Pira & poma marcida,quæ niſi tu comederes, porcorum eſca fuiſſent. Oleum,quo excoquuntur fercula, de lampadibus ſumitur, vel lucernis,cuius fœtore fugari ſerpentes poſſent: quale illud fuiſſe credendum eſt, propter quod Romæ cum Bochare nemo lauari volebat.

Vinum aut acidum, aut quod ab alia ſumptum menſa eſt,de quo biberat *forte* barbatus aliquis, barbam profuſo nuper iure infectam habens. Qui *aſſident*, heſternam crapulam olent & eructant, per omnia fœtidi. Quorum aliquis percacatis ſedet fœmoralibus, vini impetu emollita aluo, aut apud ipſam menſam vomit. Nam ita frequenter hæc ibi fiunt, vt quocunque tempore abs te aliquis percontetur, quid ibi agatur, recte illi reſpondeas; *Bibitur, vomitur, effunditur.* Beſtiarum etiam ferendus eſt fœtor, quarum excrementis tota referta eſt caupona, aduerſus quæ obturaſſe nares, inurbanum eſt ac inelegans. Craſſum ac multo ſemper iure impinguatum mantile, vt digitis hærens, quoquo trahas, ſequatur. Calices ſitu oppleti ac feculenti, mirum in modum conſpurcata iuxta atque inquinata omnia, ac obſcœna, & odore vt plurimum teterrimo. Nectu autem quæ commoditas quieſcendi, inter obſtreperos Potores? Quorum ille ἀμουσότατον aliquid, nocte iam concubia, quod omnium aſinorum ruditum ſuperet,occinit. Alius vino diſertus,aliquot ſæpe horas ſermocinatur, inconditis tibi fabulis ſomnū interturbans: Forſitan & eundem tecum ſortitur lectum,aut ex ebriis illis vnus, aut qui ex morbo putent, ac ſcabie infectus ſit, aut cui ſpurce oleat anima, vel qui aliis tibi modis ſit moleſtus. Adde lectos, non impuros tantum, ſed & peſtilentes ſæpe, vbi ille dormierat paucis ante diebus morbo gallico adeſus, vbi leproſus aliquis deſudauerat: Lodices ſextum ante menſem lotæ, in quibus ſe volutarunt morboſi illi, quæ multam, ſi inſpicias, ſaniem, multum pus exceperunt. Humi quoque nonnunquam, vix raris ſubſtratis tibi ſtipulis,aut pediculoſa aliqua culcitra, inter cimices ac pulicum examina pernoctandum eſt.

Cæterum iuxta te alii, quibus ſomnum adhuc dum capere non libet, interim magnis clamoribus pergræcantur, alii vomunt, nonnulli ſibi inuicem oppedunt. Alii ſcorta, taxillos alii poſcunt. Illic iam victus iacet potor,ac inter dormiendum vomit, inter vomitum dormit, excubantibus iuxta canibus aut grunnientibus ſuibus, qui mediotenus ſordes elambunt ac vorant. Hæc atque his fœdiora, cum ille mihi denunciaret: Apage, inquiebam, diuerſorium. Malo inter homines, quam inter porcorum grunnitus meam inſumere pecuniam.

PH. Hem,aliorum proſequimur conuiuia,nobis interim eſurientibus pariter atq; ſitientibus. Et profecto, ſi ſingulas conuiuiorum ſpecies ac modos proſequi vellemus,nihil interim de conuiuiis realiter participantes, inedia periremus. Reale igitur atque materiale conuiuium , conſtans nimirum potu ac ferculis, nunc quoque agemus. Et quia iam tum in hoc meo Muſeo vna ſumus, non diuertemur

uertemur in tabernam, ſed vna manebimus; & tametſi non admodum la[illegible] pro ſtatu atque honore veſtro vos tractare poſſum, tenuis enim mihi ac ma[illegible] eſt culina, proſpiciam tamen nobis de vino ſalubri ac ſapido, quod ex antiqua formula theologicum dicunt, atque *Eſt, eſt, eſt*, indigetant. Finito conuiuio corollam conuiualem Equiti imponam, vicesque conuiuio nos excipiendi in ipſum deriuabo. Heus puer, affer talos, menſam inſtrue, aquam frigidam importa, pocula elue, quæque culina depromit mea, eſculenta cito infer. Quod igitur fœlix fauſtumque ſit huic noſtro conuiuio: Primum edico, ne quis hic quicquam proferat, præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in vinum inſumitor, atq; in legitimis fabulis etiam ex tempore confiсta habentor. Si nulli defuerit fabula, duo quorum alter lepidiſſimam, alter frigidiſſimam fabulam dixerit, vini pretium penduntо, conuiuator à vini ſumptu immunis eſto, ciborum ſumptum vnus ſuppeditato. Vbi enim voluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur, qui peſſime dixit, quam qui optime, eo quod non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati eſt, niſi qui aut inſigniter bene cecinerit, aut egregie male. Nonne enim plures rident audito coccyce, quam audita luſcinia? Hic mediocritas laudem non habet. Faciamus ergo fabularum initium. Volumus enim conuiuium fabuloſum eſſe non vinoſum.

EQ. Pro tuo loqueris commodo; fabulis non ſatiamur; in aliena domo fabulas vrgebis, in propria non item, ne tenacitatis inſimuleris. Quia tamen ſic viſum eſt, agedum, ſi ſimul poteſtis non dicam ſorbere & flare, quod Plautus ait eſſe difficile, ſed edere & audire, quod eſt perfacile, bonis auibus auſpicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, ſcitote Batauam eſſe. Erat Maccus quidam ita dictus, eo tempore cum ego eſſem in Batauia. Is quum veniſſet aliquando in ciuitatem, quæ dicitur Leidis, ac vellet nouus hoſpes innoteſcere ioco quopiam: nam is erat homini mos, ingreſſus eſt officinam calcearii, ſalutat. Ille cupiens extrudere merces ſuas, rogat num quid vellet. Macco coniiciente oculos in ocreas ibi penſiles, rogat ſutor, num vellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibiis illius, inuentas alacriter protulit, &, vt ſolent, inducit illi. Vbi iam Maccus eſſet eleganter ocreatus, quam belle, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis ſoleis. Rogatus an & calceos vellet: annuit. Reperti ſunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, ſuccinebat illi laudanti, ſperans precium æquius, poſteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquam ne vſu venit tibi, vt quem ſic ocreis & calceis ad curſum armaſſes, quemadmodum nunc armaſti me, abierit non numerato precio? Nunquam, ait ille. Atqui ſi forte, inquit, veniat vſu, quid tu tum faceres? Conſequerer, inquit, calcearius, fugientem. Tum Maccus: Serione iſta dicis an ioco? Plane ſerio, inquit alter, loquor, & ſerio facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu curſu ſequere. Simulque cum dicto coniecit ſe in pedes. Calcearius eueſtigio conſequutus eſt, quantum poterat clamitans, tenete furem,

tenete

tenete furem. Ad hanc vocem quum ciues vndique proſiliiſſent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum iniiceret, ridens ac vultu placido: Ne quis, inquit, remoretur curſum noſtrum, certamen eſt de cupa cereuiſiæ. Itaque iam omnes præbere ſeſe certaminis ſpectatores. Suſpicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, vt hac occaſione anteuerteret. Tandem calcearius curſu victus, ſudans & anhelus domum rediit, Maccus tulit brabeum.

TH. Maccus iſte effugit quidem calcearium, at non effugit furem, quippe quem ferebat ſecum.

EQ. Actionem furti poſtea ſutor intentabat, veruntamen magis periclitabatur actor quam reus. Nam Maccus grauabat illum actione calumniæ, & intendebat legem Aquiliam, quæ dictat, vt qui crimen intenderit, quod probare non poſſit, pœnam ferat, quam laturus erat reus, ſi conuictus fuiſſet. Negabat ſe contrectaſſe rem alienam inuito domino, ſed vltro deferente, nec vllam precii mentionem interceſſiſſe. Se prouocaſſe calcearium ad certamen curſus, illum accepiſſe conditionem, nec habere quod queratur, quum eſſet curſu ſuperatus, tandem vbi ſatis riſum eſt, quidam è iudicibus vocauit Maccum ad cœnam, & numerauit calceario precium.

TH. Simile quiddam accidit Bononiæ me puero. Erat tempus illud, quo regnant piſcatores, frigent lanii. Quidam adſtabat ad feneſtram fructuariæ, ſiue Græce mauultis, oporapolidis, fœminæ vehementer obeſæ, oculis intentis in ea, quæ propoſita venum erant. Illa ex more inuitauit ſi quid vellet, & quum videret hominem intentum ficis: Vis ait ficos? ſunt perquam elegantes. Quum ille annuiſſet, rogat quot libras vellet: Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille ſe ſubducit non curſu, ſed placide. Vbi prodiiſſet acceptura pecuniam, vidit emptorem abire, inſequitur maiore voce quam curſu. Ille diſſimulans pergit quo cœpit ire, tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, reſtitit. Ibi in populi corona agitur cauſa. Riſus oboritur. Emptor negabat ſe emiſſe, ſed quod vltro delatum fuiſſet, accepiſſe. Si vellet experiri apud iudices, ſe compariturum.

PH. Age narrabo fabulam tuæ non admodum diſſimilem, fortaſſe nec inferiorem, niſi quod hæc nō habet authorem perinde celebrē atq; eſt Maccus. Pythagoras totum mercatum diuidebat in tria hominū genera, quorum alii prodiſſent vt venderent, alii vt emerent; hoc vtrunq; genus aiebat ſolicitum eſſe proinde nec felix: alios non ob aliud venire in forum, quam vt ſpectent quid illic proferatur, aut quid agitur. Hos ſolos eſſe felices, quod vacui curis, gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat Philoſophum verſari in hoc mundo, quemadmodum illi verſarentur in mercatu. Verum in noſtris emporiis quartum hominum genus obambulare ſolet, qui nec emunt, nec vendunt, nec ocioſi contemplantur, ſed obſeruant ſolicite, ſi quid poſſint inuolare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri, dicas eſſe Mercurio fauente natos. Nunc accipite quod aliquando accidit Mantuæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem ſummam pecuniæ, ſed argenteæ, id impoſtor quidam animaduerterat, adiit ſacrificum, qui geſtabat in zona crumenam nummis turgidam, ſalutat ciuiliter, narrat ſibi datum negocium à ſuis, vt vici ſui parocho mercaretur nouum pallium ſacrum, quæ ſumma veſtis eſt ſacerdoti rem diuinam peragenti. Rogat hac in re commodaret ſibi tantillum operæ, vt ſecum iret ad eos, qui vendunt huiuſmodi

Digitized by Google

modi pallia, quo videlicet ex modo corporis ipſius ſumeret maius aut minus, nam ſibi videri ſtaturam ipſius, cum parochi magnitudine vehemẽter congruere. Hoc officium quum leue videretur, facile pollicitus eſt ſacrificus. Adeunt ædes cuiuſdam, prolatum eſt pallium, ſacrificus induit, venditor affirmat mire congruere, impoſtor, quum nunc à fronte, nunc à tergo contemplatus eſſet ſacrificum, ſatis probauit pallium, ſed cauſatus eſt à fronte breuius, quam par eſſet. Ibi venditor, ne non procederet contractus, negat id eſſe pallii vitium, ſed crumenam turgidam efficere, vt ea parte offenderet breuitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam, denuo contemplantur. Ibi impoſtor auerſo ſacrifico crumenam arripit, ac ſemet in pedes conicit. Sacerdos curſu inſequitur, vt erat palliatus, & ſacrificum venditor. Sacrificus clamat, tenete furem: venditor clamat, tenete ſacrificum: impoſtor clamat, cohibete ſacrificum furentem, & creditum eſt, quum viderent illum ſic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora eſt, impoſtor effugit.

TH. Dignus, qui non ſimplici ſuſpendio pereat, tantus artifex, niſi iam tum pendet. Sed ad fabulas redeo. Et quoniam me denuo ordo tangit (philoſopho enim iam culinæ intento parcendum aliquantiſper) regem etiam, ſi quidem id fas eſt, in ordinem noſtrum cogam. Audite igitur fabulam regiam. Lodouicus Gallorum rex, eius nominis vndecimus, quum rebus domi turbatis, peregrinaretur apud Burgundiones, occaſione venationis nactus eſt familiaritatem cum Conone quodam homine ruſtico, ſed animi ſimplicis ac ſynceri. Nam hoc genus hominibus delectantur Monarchæ. Ad huius ædes frequenter diuerterat Rex ex venatu, & vt plebeis rebus nonnunquam delectantur magni Principes, apud eum magna cum voluptate veſcebatur rapis. Mox vbi Lodouicus reſtitutus, iam rerum potiretur apud Gallos, ſubmouit Cononem vxor, vt regem veteris hoſpitii commonefaceret, adiret illum, & rapas aliquot inſignes illi dono adferret. Tergiuerſatus eſt Conon, ſe luſurum operam, Principes enim non meminiſſe talium officiorum. Sed vicit vxor, deligit Conon rapas aliquot inſignes, accingitur itineri. Verum ipſe per viam captus illecebra cibi, paulatim deuorauit omnes, vna duntaxat excepta inſigniter magna. Vbi Conon prorepſiſſet in aulam, quà rex erat iturus, ſtatim agnitus eſt à rege, & accerſitus. Ille magna cum alacritate detulit munus, Rex maiore cum alacritate accepit, mandans cuidam è proximis, vt diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet chariſſima. Cononẽ iubet ſecum prandere, à prandio egit Cononi gratias, & cupienti repetere rus ſuum, iuſſit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Huius rei fama, quum, vt fit, per omne Regis famulitium eſſet peruagata, quidam ex aulicis dono dedit Regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum prouocatum benignitate, quam præſtiterat Cononi, captari prædam, vultu maiorem in modum alacri accepit munus, & conuocatis primoribus conſultare cœpit, quo munere penſaret equum tam bellum tamque precioſum. Interim qui donarat equum ſpes opimas animo concipiebat, ſic cogitans, ſi ſic penſauit rapam donatam à ruſtico, quanto munificentius penſaturus eſt equum talem, oblatum ab aulico? Quum regi veluti de re magna conſultanti alius aliud reſponderet, diuque vana ſpe lactatus eſſet captator, tandem Rex: Venit, inquit, in mentem, quod illi donem, & accerſito ex proceribus quopiam dicit in aurem, vt adferat id quod reperiret in cubiculo (ſimulque locum deſignat) ſerico diligenter obuolutum. Adfertur rapa, eam vt erat obuoluta, Rex ſua manu

donat aulico, addens ſibi videri bene penſatum equum cimelio, quod ſibi conſtitiſſet mille coronatis. Digreſſus aulicus dum tollit linteum, pro theſauro reperit non carbones, quod aiunt, ſed rapam iam ſubaridam. Ita captator ille captus, riſui fuit omnibus.

EQ. Referam quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Lodouico. Nam vt anſa anſam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, quum vidiſſet pediculum repentem in veſte regia, flexis genibus ac ſublata manu ſignificat ſe neſcio quid officii præſtare velle. Lodouico præbente ſe, ſuſtulit pediculum, & clam abiecit. Rogante rege quid eſſet, puduit fateri. Quum inſtaret Rex, faſſus eſt fuiſſe pediculum. Lætum inquit omen eſt, declarat enim me eſſe hominem, quod hoc genus vermiculorum peculiariter infeſtet hominem, præſertim in adoleſcentia. Iuſſitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Poſt dies aliquam multos alter quidam, qui viderat illi feliciter ceſſiſſe tam humile officium, nec animaduertens, plurimum intereſſe ex animo facias quid, an arte, ſimili geſtu aggreſſus eſt regem, ac rurſus illo ſe præbente, ſimulabat ſe tollere quiddam è veſte regia, quod mox abiiceret. Quum vrgeret Rex tergiuerſantem, vt diceret quid eſſet, mire ſimulato pudore, tandem reſpondit, eſſe pulicem. Rex intellecto fuco, quid, inquit, an tu me facies canem? Iuſſit tolli hominem ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas.

PH. Non tutum eſt, vt audio, cum regibus facetiis ludere. Quemadmodũ enim leones ſe nonnunquam placide præbent fricanti, iidem vbi lubitũ eſt, leones ſunt & iacet colluſor: itidem fauent Principes. Sed adferam tuæ fabulæ fabulã non diſſimilem, ne recedamus interim à Lodouico, cui pro delectamento erat, coruos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem milia coronatorum (quoties autem principibus obtigit noua pecunia, venantur omnes officiarii, & captant aliquam prædæ partem, id non fugiebat Lodouicum.) Quum igitur ea pecunia exprompta eſſet in menſa, quo magis irritaret ſpem omniũ, ſic loquutus eſt circumſtantibus: Quid? an non videor vobis Rex opulentus? vbi collocabimus tantã pecuniæ vim? Donaticia eſt, donari viciſſim conuenit. Vbi nunc ſunt amici, quibus pro ſuis in me officiis debeo? Adſint nunc, priuſquam effluat hic theſaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti, nemo non ſibi ſperabat aliquid. Rex quum vidiſſet aliquem maxime inhiantem, & iam oculis deuorantem pecuniam, ad eum conuerſus, amice, inquit, quid tu narras? Ille cõmemorabat ſe diu aluiſſe falcones regios, ſumma fide, nec ſine grauibus impendiis: alius aliud adferebat, ſuum quiſq; officium verbis quantum poterat exaggerabat, idq; non ſine mendaciis. Rex omnes benigne audiebat, & ſingulorum orationem comprobabat. Hæc conſultatio dilata eſt in longum tempus, quo diutius ſpe metuq; torqueret omnes. Aſtabat inter hos primus Cancellarius. Nam & hunc iuſſerat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia ſua, ſed agebat ſpectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conuerſus Rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia ſua. Ego, inquit Cancellarius, plus accepi à benignitate regia, quã promeruerim, nec vlla de re magis ſolicitus ſum, quam vt regiæ in me munificentiæ reſpondeam: tãtum abeſt, vt velim flagitare plura. Tum Rex: Vnus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, iam tua præſtitit benignitas. Ibi Rex verſus ad alios. Nę ego ſum, inquit, regum omnium magnificentiſſimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hic magis accenſa ſpes eſt omnibus, futurum, vt pecunia

Digitized by Google

cunia cęteris diſtribueretur, quandoquidē ille nihil ambiebat. Ad hunc modū vbi ſatis diu luſiſſet Rex, coegit Cācellarium, vt totam eam ſummam domū auferret. Moxq; verſus ad cæteros iam mœſtos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occaſio.

TH. Fortaſſe frigidius videbitur, quod narraturus ſum, proinde deprecor doli mali ſuſpicionem fucive, ne videar de induſtria ambiſſe immunitatem. Adiit eundem Lodouicum quidam petens, vt munus quod forte vacabat in eo pago in quo habitabat, iuberet in ipſum transferri. Rex audita petitione expedite reſpondit: Nihil efficies, videlicet amputans omnem ſpem impetrandi, quod petebatur. Petitor itē mox actis regi gratiis diſceſſit. Rex ex ipſa fronte colligens hominem eſſe non omnino ſiniſtri ingenii, ſuſpicanſq; illum non intellexiſſe quid reſpondiſſet, iubet eum reuocari. Redit. Tum Rex: Intellexeras, inquit, quid tibi reſponderim? Intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Quur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, eſt domi quod agam, proinde magno meo incommodo perſequuturus erā hic ſpem ancipitē, nunc beneficium interpretor, cito negaſſe beneficium, meque lucratum, quicquid eram perditurus, ſi vana ſpe lactatus fuiſſem. Ex eo reſponſo Rex coniectans hominē minime ſegnem, vbi pauca percontatus eſſet, habebis, inquit, quod petis, quo mihi bis agas gratias, ſimulque verſus ad officiarios: Expediantur, inquit, huic ſine mora diplomata, ne hic diu ſuo damno hæreat.

EQ. Non deeſt quod porro referā de Lodouico, ſed malo de Maximiliano, qui vt nequaquam ſolitus eſt defodere pecuniā, ita clementiſſimus erat in eos, qui decoxerant, modo nobilitatis titulo cōmendarentur. Ex hoc hominū genere, quum cuidam iuueni vellet opitulari, mādauit illi legationē, vt à ciuitate quadam, titulo neſcio quo peteret centū milia florenorum. Talis aūt erat titulus, vt ſi quid impetratum eſſet dexteritate legati, pro lucro duci poſſet. Legatus extorſit milia quinquaginta, Cæſari reddidit triginta. Cæſar lætus inſperata præda, dimiſit hominem, præterea nihil inquirens. Interea quæſtores & rationales olfecerāt plus acceptum fuiſſe q̄ exhibitum, interpellant Cæſarem, vt accerſeret hominem. Accitus eſt, venit ilico. Tum Maximilianus. Audio, inquit, te accepiſſe milia quinquaginta. Faſſus eſt. Nō exhibuiſti niſi triginta milia. Faſſus eſt & hoc. Reddenda eſt, inq̃t, ratio. Promiſit ſe facturum, ac diſceſſit. Rurſum quum nihil eſſet actū, interpellantibus officiis reuocatus eſt. Tū Cæſar: nuper, inquit, iuſſus es reddere rationē. Memini, inquit ille, & in hoc ſum. Cæſar ſuſpicans illi rationē nondum ſatis eſſe ſubductā, paſſus eſt illū ſic abire. Quum ſic eluderet, officiarii vehementer inſtabant, clamitantes non eſſe ferendum, vt ille tam palā illuderet Cæſari. Perſuaſerunt, vt accerſitus iuberetur inibi præſentibus ipſis exhibere rationem. Annuit Cæſar. Accitus venit ilico, nihil tergiuerſatus. Tum Cæſar: Nonne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus reſpondit ille. Iam, inquit, opus eſt, en adſunt qui excipient, nec eſt diutius tergiuerſandi locus. Aſſidebant officiarii paratis ad id codicillis. Ibi iuuenis ſat dextre: Non detrecto, inquit, rationem inuictiſſime Cæſar. Verum huiuſmodi rationum non ſum admodum peritus, vt qui nunq̄ reddiderim, iſti qui aſſident, talium rationum ſunt peritiſſimi, ſi vel ſemel videro, quemadmodū illi tractent huiuſmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo iubeas illos vel exemplum ædere, videbunt me docilem. Cęſar ſenſit dictū hominis quod non intelligebant hi in quos dicebatur, ac ſubridens: Verum, inquit, narras, & ęquum poſtulas. Ita iuuenem dimiſit. Subindicabat enim ſic illos Cæſari ſolere reddere rationem, quemadmodum ipſe reddiderat, nimirum, vt bona pecuniæ portio penes ipſos maneret.

PH. Tempus eſt, vt ab equis, quod aiunt, ad aſinos deſcendat fabula, à regibus ad Antonium ſacrificum Louanienſem, qui Philippo cognomento bono fuit in deliciis, huius viri feruntur multa vel iucunde dicta, vel iocoſe facta, ſed pleraque ſordidiora. Nam pleroſque luſus ſuos condire ſolitus eſt vnguento quodam, quod non admodum eleganter ſonat, ſed peius olet, deligam vnum ex mundioribus. Inuitarat vnum atque alterum bellum homunculum forte obuium in via. Quum rediſſet domum, reperit culinam frigidam. Nec erat nummus in loculis, quod illi nequaquam erat inſolens. Hic opus erat celeri conſilio. Subduxit ſe tacitus, & ingreſſus culinam fæneratoris, qui cum erat illi familiaritas, quod frequenter ageret cum illo. Digreſſa ancilla, ſubduxit vnam ex ollis æneis, vna cum carnibus iam coctis, ac veſte tectam deferebat domum, dat coquę, iubet protinus effundi carnes, & ius in aliam ollam fictilem, ſimulq; fœneratoris ollam defricari donec niteret. *Eo* facto mittit puerum ad fœneratorem, qui depoſito pignore drachmas *duas* à fœneratore ſumat mutuo, ſed accipiat chirographum, quod teſtaretur talem ollam miſſam ad ipſum. Fœnerator non agnoſcens ollam, vtpote defrictam ac nitētem, recipit pignus, dat chirographum, & numerat pecuniam, ea pecunia puer emit vinum. Ita proſpectum eſt conuiuio. Tandem quum appararetur prandium fœneratori, deſiderata eſt olla. Hic iurgium aduerſus coquam. Ea quum grauaretur, conſtanter affirmauit, neminem eo die fuiſſe in culina, præter Antonium. Improbum videbatur hoc ſuſpicari de ſacrifico. Tandem itum eſt ad illum, exploratum an eſſet apud illum olla, ne muſca quidem olla reperta. Quid multis? Serio flagitata eſt ab illo olla quod ſolus ingreſſus eſſet culinam, quo tempore deſiderata eſt. *Ille* faſſus eſt, ſumpſiſſe commodato ollam quandam ſed quam remiſiſſet illi, vnde ſumpſerat. Id quum illi pernegarent, & incaluiſſet contentio, Antonius adhibitis aliquot teſtibus: Videte, inquit, quam periculoſum eſt cum horum temporum hominibus agere ſine chirographo, intenderetur mihi propemodum actio furti, ni manum haberē fœneratoris. Et protulit ſyngrapham. Intellectus eſt dolus, fabula magno cum riſu per totam regionem diſſipata eſt ollam oppignoratam ipſi cuius erat. Huiuſmodi dolis libentius fauent homines, ſi commiſſi ſint in perſonas odioſas, præſertim eos qui ſolent aliis imponere.

EQ. Næ tu nobis mare fabularum aperuiſti, itaque cœptum proſequar. Agitabant ſimul conuiuium aliquot belli, vt dicunt, homunculi, quibus nihil prius in vita quam ridere. Inter hos erat Antonius, atque alter idem, & ipſe celebris hoc genere laudis, ac velut æmulus Antonii. Porro quemadmodum inter philoſophos ſi quando conueniunt proponi ſolent quæſtiunculæ de rebus naturæ, ita hic ſtatim nata eſt quæſtio, quænam eſſet hominis pars honeſtiſſima. Alius diuinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud, & ſuæ quiſque diuinationis rationem adferebat. Antonius iuſſus dicere ſententiam, dixit os ſibi videri partem omnium honeſtiſſimam, & addidit cauſam neſcio quam. Tum alter ille, ne quid ipſi conueniret cum Antonio, reſpondit eam partem qua ſedemus ſibi videri honeſtiſſimam. Quum id videretur omnibus abſurdum, attulit hanc cauſam, quod is diceretur vulgo honoratiſſimus, qui primus conſideręt, hoc honoris competere parti quam dixiſſet. Applauſum eſt huic ſententiæ, & riſum eſt affatim. Placuit homo ſibi de hoc dicto, viſuſque eſt in eo certamine victus Antonius. Diſſimulauit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honeſtatis laudem, niſi quod ſciret illum velut æmulum ſuæ gloriæ, diuerſam partem nominaturum. Poſt dies aliquot

Digitized by Google

aliquot, quum rurſus vterque vocatus eſſet ad idem conuiuium, ingreſſus Antonius offendit ęmulum cum aliis aliquot confabulantem, dum adornatur cœna. Et auerſus emiſit clarum ventris crepitum ante faciem alterius. Ille indignatus, abi, inquit, ſcurra, vbi nā didiciſti mores iſtos? Tum Antonius: Etiā indignaris, inquit, ſi te ſalutaſſem ore, reſalutaſſes, nūc te ſaluto parte corporis vel te iudice omnium honeſtiſſima, & ſcurra vocor. Sic recuperauit prius amiſſam gloriam Antonius.

PH. Putida ſunt iſthæc, & inurbana quadantenus, & viro graui indigna, incidunt enim ſæpius diſputationes de rebus variis, quas ita illudere, indecorū admodum foret. Igitur alterius generis narrabo fabulam lepidiſſimam, quam iures eſſe figmentum Comicum, niſi mihi locus perſonæ, totaq; res eſſet tam nota, quā vos mihi noti eſtis. Noſtis, opinor, Polum Fauni generū, noſtis & prędium, quod habet non ita procul à Mantua. Iampridē vagabatur rumor ac fabula, iuxta prædium hoc obuerſari ſpectrum quoddam, cuius ſubinde exaudirentur miſerandi eiulatus, ſuſpicabātur, animam eſſe cuiuſpiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. Autor iſtius Rumoris nemo erat niſi Polus. Cur autē iſta cōfinxerit, neſcio, niſi quia ſic eſt hominis ingenium, gaudet enim huiuſmodi commentis ludere ſtultitiā populi. Dicam quid nuper deſignarit huius generis. Simul equitabamus aliquā multi Richemondam, inter quos erāt quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mire ſerenum, nec vlla vſquam nubecula ſuffuſcatum. Ibi Polus intentis in cœlum oculis, ſignauit totam faciem ac ſcapulas imagine crucis, & vultu ad ſtuporem cōpoſito, ita ſecū, deum immortalē, quid ego video? Rogantibus qui proxime equitabant, quid videret, rurſus obſignans ſe maiore cruce: Auertat, inquit, clementiſſimus Deus hoc oſtentum. Quum inſtarent auiditate cognoſcendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonſtrās cœli locum: Nonne, inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta? Quum negarent ſe videre, atq; ille iuſſiſſet, oculos intenderent, ac locum ſubinde commonſtraret, tandem vnuſquiſpiam, ne videretur parum oculatus, affirmauit ſe quoque videre. Hunc imitatus eſt vnus item atq; alter, pudebat enim non videre quod tā eſſet perſpicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam peruaſerat, tale portentum apparuiſſe. Mirum autem quantū fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant, qui quid ſibi vellet hoc oſtentum, interpretarentur ſerio. Horum ſtultitia ille qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur. Interea commodum diuertit ad Polum Faunus quidam ſacerdos ex eorum genere, quibus non ſatis eſt appellari Latine regulares, niſi Græce cognomen idem accinatur, parochus vici illic alicunde vicini. Is ſibi non vulgariter videbatur ſapere, præſertim in rebus ſacris. Super cœnam ortus eſt ſermo de rumore ſpectri. Quum Polus ſentiret Fauno rumorem hunc non ſolum auditum eſſe, verumetiam creditum, cœpit hominem obteſtari, vt vir doctus ac pius ſuccurreret animulæ tam dira patienti, & ſi quid dubitās, inquit, explora rem. Obambula ad decimam iuxtą ponticulum illum, & audies miſerum eiulatum. Adiunge tibi quem voles comitem, ita & tutior audies, & certior. Cœna peracta, Polus ex more abit venatum, aut aucupatum, Faunus obambulans, quum iam tenebræ ſuſtuliſſent certum de rebus iudicium, tandem audit miſerandos gemitus. Hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhibita ad id olla fictili, quo vox è cauo reddita lugubrius quiddam ſonaret. Faunus domum ſe recipit, narrare cupiens, quid audiſſet. Polus alia via compendiaria iam anteuerterat. Ibi Faunus

nus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam affingit, quo res eſſet admirabilior. Tandem Faunus vehementer obteſtante Polo, ſuſcepit negotium exorciſmi, ac totam eam noctem agit inſomnem, dum diſpicit, quibus modis rem aggrederetur tuto, nam ſibi quoque miſere metuebat. Primum itaque congeſti ſunt exorciſmi efficaciſſimi, & additi noui nonnulli per viſcera beatæ Mariæ, per oſſa beatæ Werenfridæ. Deinde delectus eſt locus in planicie vicina vepreto, vnde vox exaudiebatur. Circumductus eſt circulus ſatis amplus, qui crebras haberet cruces, variaſque notulas. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum eſt vas ingens, plenum aquæ conſecratæ. Addita eſt in collum ſacra ſtola, quam vocant, vnde pendebat initium Euangelii ſecundum Ioannem. In loculis habebat ceruIam à Romano pontifice quotannis conſecrari ſolitam, quæ vulgo dicitur agnus Dei. His armis olim ſe muniebant aduerſus noxios dæmones, priuſquam illis Franciſci cuculla cœpit eſſe formidabilis. Hæc omnia procurata ſunt, ne ſi Spiritus malus eſſet, impetum faceret in exorciſtam. Nec tamen auſus eſt ſe ſolum huic circulo cõmittere, ſed decretum eſt, adhibendum eſſe ſacerdotem alterum. Ibi Polus metuens, ne ſi naſutior adiunctus fuiſſet, proderetur fabulæ myſterium, adiungit parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit, ſic enim poſtulabat actio fabulæ, & erat is qui à tali ludo non abhorreret. Poſtridie rebus omnibus rite præparatis, ſub horam decimam Faunus cum Parocho circulum ingreditur. Polus qui præceſſerat, è vepreto gemit miſerabiliter. Faunus auſpicatur exorciſmum. Interim Polus clam per tenebras ſubducit ſe in villam proximam. Illinc adducit aliam perſonam fabulæ, nec enim poterat niſi per multos agi. Conſcendunt igitur equos nigros, ignem occultum ſecum ferunt. Vbi non procul abeſſent à circulo, ignem oſtentant, quo metu Faunum abigerent è circulo. Verum ea res propemodum peſſime ceſſerat illis. Nam equi ſubito prolato igni, conſternati, parum abfuit, quin & ſe præcipitarent & ſeſſores. Habetis primum actum fabulæ. Vbi reditum eſt in colloquium, Polus velut ignarus omnium rogat quid eſſet actum. Ibi Faunus narrat ſibi conſpectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus ſpirantes ignem, qui tentaſſent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in malam rem. His rebus quum accreuiſſet animus Fauno, poſtero die ſummo cum apparatu rediit in circulum. Quumque diu multis obteſtationibus prouocaſſet ſpectrum, Polus rurſum cum collega ſuo procul oſtendit ſeſe ex equis atris horrendo fremitu, quaſi cuperent irrumpere in circulum. Nihil autem habebant ignis: Nam id male ceſſerat, ſed audi aliud commentum. Ducebant longum funem. Eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc vterque ſe proripit, velut abacti exorciſmis Fauni, ſacerdotem vtrumque vna cum vaſe, quod habebant aquæ ſacræ plenum, prouoluunt in terram. Hoc nimirum præmii tulit pro ſua actione parochus? Et tamen maluit hoc perpeti, quam deſerere cœptam fabulam. His ita geſtis, vbi reditum eſt ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuiſſet in periculo, & quam fortiter vtrumque cacodæmonem ſuis verbis profligaſſet. Iamque certam conceperat fiduciam, nullum eſſe tam noxium aut impudentem dæmonem, qui poſſet in circulum irrumpere. Huc vſque progreſſa fabula, commodum ſuperuenit Poli gener, nam eius filiam duxerat natu maximam, iuuenis ingenio mire feſtiuo, nec abhorrens ab huiuſmodi iocis. Nullumque ille vadimonium non deſereret, ſi talis vel ſpectanda, vel agenda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atque illi delegat partes, vt animam

agat.

agat. Sumit ornatum, ac lubens, conuoluit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera, habet prunam viuam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciem incendii. Sub noctem itum eſt ad locum, vbi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandem procul inter vepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem ac miſere ſuſpirans. Hanc quum Faunus obteſtaretur, vt eloqueretur quiſnam eſſet, ſubito proſiliit è vepreto Polus, ornatu cacodæmonis, fictoque fremitu: Nihil, inquit, tibi iuris eſt in hanc animam, mea eſt. Ac ſubinde procurrit vſque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorciſtam, moxque velut ſubmotus verbis exorciſmi, & vi aquæ ſacræ, quam illi multam aſperſit, retroceſſit. Tandem abacto pædagogo dæmone, naſcitur dialogiſmus Fauni cum anima, percontanti & obteſtanti, reſpondit ſe eſſe animam hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine vocaretur, reſpondit Faunus: Faunus inquit, idem mihi nomen eſt. Iamque ex communi nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, vt Faunus Faunum liberaret. Quum Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, ſubducebat ſeſe anima, negans ſibi fas eſſe diutius colloqui, quod tempus vrgeret quo cogeretur abire, quo liberet dæmoni, pollicita tamen eſt ſe poſtridie redituram hora qua fas eſſet. Rurſus conuenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorciſta, quid eſſet geſtũ, nonnulla etiam admentiens, quæ ſibi tamen perſuadebat eſſe vera. Adeo fauebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertũ erat, ſcilicet animam eſſe Chriſtianam, quæ ſub inclementiſſimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorciſmo proximo ridiculum quiddam accidit. Quum enim Faunus euocaſſet animam, Polus qui dęmonẽ agebat, prorſus ſic aſſiliit, quaſi intra circulum irrupturus, quumq; contra Faunus pugnaret exorciſmis, multamque vim aquæ aſpergeret, tandem exclamat dæmon, ſe ne pili quidem iſta facere omnia: Rem, inquit, habuiſti cum puella, mei iuris es. Id quum Polus ioco diceret, tamen forte fortuna verum dixiſſe viſus eſt: nam exorciſta hoc dicto tactus, ilico recepit ſe in centrum circuli, & neſcio quid immuſſauit in aurem parocho. Id Polus ſentiens, recepit ſeſe, ne quid audiret, quod audire fas non eſſet. Sed, vt aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum eſt cũ anima. Summa huc euaſit. Roganti exorciſtæ, num qua via poſſet à cruciatu liberari, reſpondit illa poſſe, ſi pecunia, quam reliquiſſet fraude partam, reſtitueretur. Ibi Faunus: Quid, inquit, ſi per bonos viros diſpenſaretur in pios vſus? Reſpondit & hoc profuturum. Hic exhilaratus exorciſta, ſumma diligentia percontatus eſt, quanta eſſet ſumma. Illa dixit ingentem, quod illi erat bonum atq; commodum. Indicauit & locum, ſed procul diſſitum, vbi theſaurus hic defoſſus eſſet. Præſcripſit in quos vſus vellet impendi. Vt tres ſuſciperẽt peregrinationem, quorum vnus adiret limina Petri, alter iret ſalutatum Iacobum Compoſtellanum, tertius oſcularetur pectinem Ieſu, qui eſt Treueris. Deinde per aliquot monaſteria magna vis pſalteriorum ac miſſarum perageretur. Quod ſupereſſet, ipſe pro ſuo arbitratu diſpenſaret. Iam totus erat in theſauro Fauni animus, illum toto pectore deuorarat. Vbi nihil eſſet omiſſum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorciſta ſubmonitus à Polo, cœpit animã de curioſis artibus percõtari: de Alcumiſtica, deq; Magia. Et ad hæc anima quædam reſpondit pro tempore, cæterum pollicita ſe plura indicaturam, ſimulatque illius opera liberata fuiſſet à pædagogo dæmone. Sit hic ſi videtur tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit vbique ſerio

prædi

prædicare rem prodigoſam, nihil aliud crepare in colloquiis, in conuiuiis, polliceri monaſteriis magnifica quædam, & omnino nihil iam humile loquebatur. Adiit locum, reperit ſigna, non auſus tamen eſt effodere theſaurum, quod animæ iniecîſſet ſcrupulum, ingenti periculo facturum, ſi prius quam eſſent peractæ miſſæ, theſaurus attingeretur. Iam multis naſutioribus ſubolebat fucus. Quum tamen ille nuſquam non deprædicaret ſuam ſtultitiam, clam admonitus eſt ab amicis, præſertim ab Abbate ſuo, ne qui hactenus habitus eſſet vir prudens, nunc diuerſum de ſe ſpecimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoueri, quo minus crederet rem eſſe ſeriam, adeoque penitus hæc imaginatio occupauit animum hominis, vt præter ſpectra & malos genios nihil ſomniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipſam faciem, quæ ſic pallebat, ſic erat extenuata, ſic deiecta, vt laruam eſſe diceres, non hominem. Quid multis? minimum aberat à vera dementia, ni celeri remedio ſuccurſum fuiſſet. Audi nunc extremum actum fabulæ. Polus & huius gener huiuſmodi technam commenti ſunt. Effinxerunt epiſtolam raris literis deſcriptam, idque non in chartis vulgaribus, ſed in his, in quibus aurifices imponunt bracteas auri, ſubrubentes luto. Epiſtolæ ſententia hæc erat: Faunus dudum captiuus, nunc liber, Fauno liberatori ſuo optimo ſalutem æternam. Non eſt mi Faune, quur te diutius in hoc negotio maceres. Reſpexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberauit à ſuppliciis, ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Auguſtinum, qui proximus eſt Apoſtolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura, vt viuas ſuauiter. Datum è cœlo empyreo. Id. Septembribus. Anno 1498. Sub ſigillo annuli mei. Hæc epiſtola clam poſita eſt in altari, vbi facturus erat rem diuinam. Ea peracta, ſubornatus eſt, qui eum ſubmoneret de re, quaſi caſu deprehenſa. Eam diu circumtulit epiſtolam, & oſtentauit ceu rem ſacram, nihilq; credidit certius, quam eam è cœlo perlatam ab angelo.

TH. Suauiter vt tibi quidem videris me pungis, quippe quem putas tantiſper vanis tribuere ſpectris, meque adeo Fauno ſimilem exiſtimas. At optandum, eque non tua duntaxat, ſed aliorum etiam maxime referret, ſi nihil minus fucis alchymiſticis tribueres, quam ego ſpectris, plurimorum non ita eſſent exhauſti loculi, qui iam ſero in fundo ac ſerio gemunt, teque tuique ſimiles omnibus diris deuouent. Itaque, ſi & te narratiuncula quapiam leuiter pupugero, mihi itidem vt ego tibi ignoſces. Noui ego hominem eruditum, ac vitę etiam laudatæ, Balbinum nomine, hic quanquam ab alchymiſtis, antehac multoties deluſus fuit, tamen nuper denuo mirifice ſibi verba dari paſſus eſt. Adiit enim ipſum quidam perfrictæ frontis non dico nebulo, ſed tamen ab eiuſmodi ſentina non admodum alienus, præmiſſaque ſalutatione honorifica, mox ſic exorſus eſt: Doctiſſime Balbine, mirabere fortaſſis, quod ignotus ſic interpellem te, quem ſcio nunquam non ſanctiſſimis ſtudiis occupatiſſimum. Annuit Balbinus, qui mos eſt illi, nam verborum eſt mire parcus. Ignoſces inquit alter, huic meæ importunitati, ſi cognoris cauſam, quur te adierim. Dic, inquit Balbinus, ſed paucis, ſi potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis vir omnium doctiſſimus, eſſe varia mortalium fata. Ego neſcio, vtro in numero me ponā, felicium, an infelicium. Etenim ſi meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulchre felix: ſin ex altera, nihil me infelicius. Vrgente Balbino, vt rem conferret in compendium, finiam, inquit, doctiſſime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc nego-

Digitized by Google

tium ſic notum eſt, vt nulli notius. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, vt artem omnium maxime expetendam diſcerem, illam, inquam, totius philoſophiæ medullam Alcumiſticam. Ad nomen Alcumiſtices nonnihil experrectus eſt Balbinus, geſtu duntaxat. Cęterum gemitu iuſſit vt pergeret. Tum ille, ſed ô me miſerum, inquit, qui non inciderim in eam viam, quam oportuit. Quum Balbinus rogaſſet, quaſnam vias diceret: Scis, inquit, optime: quid enim te fugit Balbine, virum vndiquaque doctiſſimum, duplicem eſſe huius artis viam, alteram, quæ dicitur longatio: alteram, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino ſciſcitante, quod eſſet diſcrimen viarum, impudẽtem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui ſciam hæc omnia ſic eſſe nota, vt nulli notiora. Itaq; ſupplex huc ad te accurri, vt miſertus noſtri, digneris impartire nobis viam illam feliciſſimam curtationis. Quo peritior es huius artis, hoc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te Ieſus Chriſtus ſemper maioribus locupletet dotibus. Quum hic non faceret obteſtandi finem. Balbinus fateri coactus eſt, ſe prorſus ignorare quid eſſet longatio aut curtatio. Iubet exponat ipſe vim harum vocum. Tum ille, quanquam, inquit, ſcio me loqui peritiori, tamẽ quando ita iubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte diuina contriuerunt, duabus rationibus vertunt rerũ ſpecies, altera quæ breuior eſt, ſed pluſculum habet periculi: altera quæ longior eſt ſed eadem tutior. Ego mihi videor infelix, qui hactenus ſudarim in ea via quæ meo animo non arridet, neque quenquam nanciſci potui, qui alteram, cuius amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immiſit in mentem, vt te adirem virum non minus pium quam doctum. Doctrina tibi præſtat vt facile poſſis dare quod peto, pietas commouebit, vt velis opitulari fratri, cuius ſalus tibi in manu eſt. Ne lõgum faciam, quũ huiuſmodi ſermonibus veterator ille amouiſſet à ſe ſuſpicionem fuci, fidemque feciſſet, ſibi viam alteram eſſe perſpectiſſimam, iam pridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans ſibi, valeat, inquit, illa curtatio, cuius ego ne nomen quidem vnquam audiui, tantum abeſt vt teneam: dic mihi bona fide, longationem tenes exacte? Phy, inquit ille, ad vnguem, ſed diſplicet prolixitas. Quum Balbinus rogaſſet quantum temporis requireretur, nimium, inquit, totus pene annus, ſed interim tutiſſima eſt. Ne labora, inquit Balbinus, etiam ſi toto biennio ſit opus, modo fidas arti tuę. Vt rem in pauca conferam. Cõuenit inter eos, vt negotium aggrederentur clam in ædibus Balbini hac lege, vt ille ſuppeditaret operam. Balbinus ſumptum, lucrum ex æquo ac bono diuideretur. Quanquam impoſtor modeſtus vltro totum lucrum, quod proueniſſet, Balbino deferebat, vtrinq; iuratum eſt de ſilentio, quod faciunt, qui myſteriis initiantur. Iam ilico numeratur pecunia, vnde artifex mercaretur ollas, vitra, carbones, reliquaq; quæ ad inſtruendam officinam pertinet. Ibi noſter Alcumiſta ſuauiter in ſcorta, aleam, & compotationes decoquit eam pecuniam. Vrgente Balbino vt rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud: Dimidium facti qui cœpit habet. Magnum eſt bene præparare materiam. Tandem cœpit adornari fornax. Hic rurſus erat opus nouo auro, velut illecebra venturi auri. Siquidem vt piſcis non capitur abſque eſca, ita aurum Alcumiſtis non prouenit, niſi pars auri admiſceatur. Interea Balbinus totus erat in ſupputationibus, ſubducebat enim, ſi vncia pareret quindecim, quantum eſſet lucri rediturum ex vnciis bis mille. Tantum enim decreuerat inſumere. Quum hanc quoque pecuniam decoxiſſet Alcumiſta, iamque menſem vnum atq;

Digitized by Google

alterum multũ operæ ſimulaſſet circa folles & carbones, roganti Balbino, ecquid procederet negotium, primum obmutuit, vrgenti tandem reſpondit, ſic vt ſolent res præclaræ, quæ ſemper difficiles habent aditus, cauſabatur erratum in emendis carbonibus, quernos enim emerat, quum abiegnis eſſet opus, aut colurnis. Ibi perierant aurei centum, nec eo ſegnius reditum eſt ad aleam, data noua pecunia. Mutati carbones. Iamq; maiore ſtudio res cœpta eſt, quam antea, quemadmodum in bello milites, ſi quid ſecus accidit quam vellent, virtute ſarciunt. Quum menſes iam aliquot ferbuiſſet officina, & expectaretur fœtus aureus, ac ne mica quidem auri eſſet in vaſis, iam enim & illud omne decoxerat Alcumiſta, inuenta eſt alia cauſatio, nimirum vitra quibus vſus fuerat, non fuiſſe temperata ſicut oportuit. Etenim vt non ex quouis ligno Mercurius fingitur, ita non ex quibuslibet vitris conficitur aurum. Quo plus erat impenſum, hoc minus libebat deſiſtere. *Deierabat* Alcumiſta nunquam ſibi ſic impoſitum fuiſſe, nunc errore *deprehenſo*, cætera fore tutiſſima, & hoc diſpendii magno cum fœnore ſarturum ſeſe. Mutatis vitris, tertia inſtaurata eſt officina. Admonebat Alcumiſta rem felicius ſucceſſuram, ſi virgini matri, quæ Paraliis colitur, mitteret aliquot aureos dono, artem enim eſſe ſacram, nec abſque fauore numinum rem proſpere agi. Id conſilium vehementer placuit Balbino, homini pio, vt qui nullum prætermitteret diem, quin peragerct rem diuinam, ſuſcepit religioſam profectionem Alcumiſta, nimirum in proximum oppidulum, atque illic votiuam pecuniam decoxit in ganeis. Reuerſus domum, nunciat ſibi ſummam eſſe ſpem, negotium ex animi ſententia ſucceſſurum, adeo diuam virginem votis ſuis viſam annuere. Vbi multo iam tempore ſudatum eſſet, ac ne mica quidem auri naſceretur vſquam expoſtulanti Balbino, reſpondit, ſibi nihil vnquam tale accidiſſe, in vita toties artem experto, nec ſatis poſſe coniectare quid eſſet in cauſa. Quum diu diuinatum eſſet, tandem illud venit in mentem Balbino, num quo die prætermiſiſſet audire ſacrum, aut dicere preces horarias, quas vocant: nam nihil ſuccedere his omiſſis. Ibi impoſtor, rem, inquit, acu tetigiſti. Me miſerum, ſemel atque iterum id admiſſum eſt per obliuionem, & nuper à prolixo conuiuio ſurgens, oblitus ſum dicere ſalutationem virginis. Tum Balbinus, non mirum, inquit, ſi res tanta non ſuccedit. Recipit artifex ſe pro prætermiſſis ſacris duobus, duodecim auditurum, & pro vnica ſalutatione decem repoſiturum. Quum Alcumiſtam prodigum ſubinde defeciſſet pecunia, nec ſuppeterent petendi cauſæ, tandem hanc technam commentus eſt. Rediit domum admodum exanimatus, ac voce lamentabili, perii, inquit, funditus Balbine, perii, actum eſt de capite meo. Obſtupuit Balbinus, & tanti mali cauſam auebat cognoſcere. Subodorati ſunt, inquit, aulici quod egimus, nec aliud expecto, quam vt mox deducar in carcerem. Ad hanc vocem expalluit etiam ſerio Balbinus, nam capitale eſt, ſi quis Alcumiſtam exerceat abſque principis permiſſu, pergit ille. Non, inquit, metuo mortem, vtinam illa contingat, metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc eſſet: Rapiar, inquit, aliquo in turrim. Illic per omnẽ vitam cogar his laborare, quibus non libet. An vlla mors eſt, quæ non potior eſſe debeat, quam talis vita? Ibi res ventilata eſt conſultatione. Balbinus, quoniam callebat artem rhetoricam, pulſauit omnes ſtatus, ſi qua periculum vitari poſſet: Non potes, inquit, inficiari crimẽ? Nequaquam ait ille. Inter regios ſatellites res ſparſa eſt, & habent argumenta quæ dilui non poſſint. Ne defendi quidem factum poterat ob legem manifeſtã. Quum multis in medium adductis, nihil videretur firmi præſidii, tandem Alcumiſta, cui
iam

Digitized by Google

iam opus erat pręſente pecuniæ: Nos, inquit, Balbine lentis conſiliis agimus. Atqui res poſcit præſens remedium. Iā arbitror adfuturos, qui me abripiant in malā rem. Deniq; quum nihil occurreret Balbino, tandē Alcumiſta, nec mihi quicq̄ occurrit, inquit, neq; quicquā ſupereſſe video, niſi vt fortiter peream, niſi forte hoc placet, quod vnum ſupereſt, vtile magis quam honeſtum, niſi quod durum eſt telum neceſſitas: Scis, inquit, hoc hominū genus auidū eſſe pecuniæ, eoq; facilius corrūpi poſſe, vt ſileant. Quamuis durum ſit illis furciferis dare quod profundāt, tamen vt nunc res ſunt, nihil video melius. Idem viſum eſt Balbino, ac numerauit aureos triginta, quibus redimeret ſilentium, cum tamen in re honeſta citius dentem extudiſſes ab eo, quam nummum. Sic proſpectum eſt Alcumiſtæ, cui nihil erat periculi, niſi quod non haberet, quod daret amicæ. Rurſum noua pecunia inſtruitur fornax, ſed præmiſſa ad virginem matrem precatiuncula, vt cœptis faueret. Iam totus exierat annus, dum illo nunc hoc, nunc illud cauſante, luditur opera, & perit impenſa. Interim extitit caſus quidam ridiculus. Alcumiſta furtiuā conſuetudinē habebat cum vxore cuiuſdam aulici. Maritus cōcepta ſuſpicione, cœpit hominem obſeruare. Tandem quum illi nunciatū eſſet ſacrificum eſſe in cubiculo, præter expectationem rediit domum, pulſat oſtium. Vbi maritus inſtans minitaretur ſe vi effracturum oſtium, ni aperiret vxor, magnopere trepidatum eſt, & circumſpicitur pręſentaneū aliquod conſilium. Nec erat aliud, quam quod ipſa dabat res. Abiecit tunicā, ac per feneſtram anguſtā deiecit ſeſe non abſque periculo, nec ſine vulnere, ac fugit. Scitis tales fabulas illico ſpargi. Itaq; permanauit & ad Balbinum. Neq; id fore non diuinarat artifex. Audite vero technam hominis. Nihil expoſtulabat Balbinus, ſed nubilo vultu ſatis indicabat ſe non ignorare quod vulgo ferebatur. Nouerat ille Balbinū eſſe virum pium, in nonnullis pene dixerim ſuperſtitioſum. Et qui tales ſunt, in quamuis magno peccato, facile condonant ſupplici. Itaque data opera, iniicit mentionem de ſucceſſu negotii quiritans non perinde ſuccedere, vt ſolet, aut vellet, addebat ſe vehementer mirari, quid eſſet in cauſa. Hac per occaſionem commotus Balbinus, qui alioqui videbatur deſtinaſſe ſilentium, & erat qui facile commoueretur: Non eſt, inquit, obſcurum, quid obſtet, peccata obſtant quominus ſuccedat, quod à puris pure tractari conuenit. Ad hanc vocem artifex procubuit in genua, ſubinde tundens pectus & vultu voceque lacrymabili: Veriſſimum, inquit, dixiſti Balbine, peccata peccata, inquam, obſtant, ſed mea peccata, non tua. Non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud ſacerdotem ſanctiſſimum confiteri, vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas in laqueos ſuos. Et ô me miſerum, è ſacrifico factus ſum adulter. Non tamen omnino periit hoc munus quod miſimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa ſuccurriſſet. Iam maritus effringebat fores, feneſtra erat arctior, quam vt poſſem elabi. In tam præſentaneo periculo venit in mentem ſanctiſſimæ Virginis, procidi in genua, obteſtatus ſum, ſi gratum fuiſſet munus, vt opitularetur. Nec mora, repeto feneſtram, ſic enim vrgebat neceſſitas, & ſatis amplam reperi ad effugium. Credidit iſta Balbinus, imo etiam ignouit, & admonuit religioſe, ne ſe præberet ingratum beatiſſimæ Virgini. Numerata eſt rurſus pecunia danti fidem ſe poſthac rem ſacram pure tractaturum. Quum eiuſmodi commentis diu luſiſſet hominem, neque mediocrem pecuniarum vim ab eo extorſiſſet, tandem venit illo, qui ipſum à puero nouerat. Is facile diuinans il-

Digitized by Google

lum idem agere apud Balbinũ,quod nuſquam non egerat. Clam aggreditur illum, exponit qualem artificẽ domi ſuæ foueret, monet, vt quam primum ablegetho- minem ni malit ipſum aliquando compilatis ſcriniis fugere. Balbinus vero tantum abeſt vt curauerit hominem coniici in carcerem, vt etiam viaticum numerauerit obteſtans per omnia ſacra, ne quod accidiſſet effutiret; & ſapuit, mea quidem ſententia, qui hoc maluerit, quam eſſe fabula conuiuiorum & fori, deinde venire in periculum confiſcationis.

EQ. O impoſtores; quo tandem ipſorum irrumpet effrenis audacia pariter atq; impudentia. Putaui ego vnum duntaxat aut alterum eſſe impoſtorem alchumyſticum; verum vti audio, alchumyſtarum vti etiam ſtultorum, omnia ſunt plena. Dabo & ego exemplum. Habebam olim familiarem quendam, qui intra paucos admodum, non annos dico, ſed menſes cum antea pannoſus eſſet, hac vafritie quam plurimos ita ineſcauit, vt ipſe breui diteſceret, illi vero ad inopiam redigerentur; percontabar ex ipſo modum atq; rationem; ille libere pro antiqua noſtra familiaritate mihi exponebat. Bona, inquit, quadam fortuna incidi in veterem congerronem, qui nihilo feliciùs rem adminiſtrarat, quam ego. Compotabamus; cœpit (vt fit) narrare ſuas fortunas, paciſcor hac lege, vt ille biberet immunis, mihi communicaret artem. Communicauit bona fide, ea nunc vectigal eſt mihi. Scis nuſquam non inueniri plurimos huius artis auidiſſimos. In horum familiaritatem quacunque occaſione memet inſinuo, iacto artem. Vbi ſenſero larum hiantem, eſcam paro. Vltro eos moneo, ne temere credant eius artis profeſſoribus. Nam pleroſque eſſe impoſtores, id agentes præſtigiis ſuis, vt exhauriant loculos incautorum. Imo illud etiam addo, ne quid mihi ipſi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. Iubeo illos adeſſe dum peragitur metamorphoſis, iubeo attentos eſſe, quoque minus dubitent iubeo, vt ipſi manibus rem omnem peragant, me procul ſpectante, nec digitum admouente, liquefactam materiam iubeo vt purgent ipſi, aut aurifici purgandam deferant, prædico quantum argenti auriue ſit eliquandum, denique quod eliquatum eſt, iubeo vt pluribus aurificibus deferant ad lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatiſſimum aurum aut argentũ, nihil enim refert, niſi quod minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. Audi præſtigium. Primum paciſcor de mercede, eam nolo mihi numerari, niſi prius ædito artis experimento. Trado illis puluiſculum, quaſi huius vi conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulueris non communico, niſi magna mercede redemerint. Exigo iuſiurandum, ne proferant arcanum artis intra ſex menſes cuiquam mortalium aut immortalium. Fucus autem omnis eſt in vno carbone in hoc parato. Excauo carbonem, in eum inſero liquefactum argentum quantum prædico reddendum, poſt infuſum puluerem ſic inſtruo vas, vt non ſolum inferne & à lateribus cingatur prunis, verum etiam ſuperne, perſuadeo hoc eſſe artis. Inter carbones, qui ſuperne imponuntur, vnũ admiſceo, qui tegit argẽtum aut aurum. Id vi caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liqueſcit, puta ſtannum aut æs, repurgatione facta inuenitur quod admixtum eſt. Si vero alter rem agat ſuis manibus ſic ipſum fallo. Quum is me præſcribente perfecit omnia, prius quam moueatur vas alchumiſticum, accedo tandem & circumſpicio, ne quid forte ſit omiſſum. Aio mihi videri ſuperne deeſſe vnum atque alterum carbonem, clam appono meum, fingo me eum tollere ex aceruo reliquorum, aut illic ante ſic poſitum, vt nulli poſſit agnoſci, & illum fallere.

Tollo

Tollo. Cæterum quum illis abſque me periculum facientibus non ſuccedit, aliquid comminiſcor, aut ollam fuiſſe inſynceram, aut carbones vicioſos, aut ignem parum ſcite temperatum. Denique pars eſt artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. Atq; hi ſunt artis huius (modo artis nomine cenſenda eſt) prouentus vtiles quidem, attamen non admodum honeſti.

PH. Theoricum me in Alchymia profiteor, non practicum; proinde in me exempla hæc non quadrant, quamobrem etiam iſta per vos allata ſuſque deque fero. Quia tamen Dominus Eques mihi narratiuncula ſua bellum alchymiſticum intentare viſus eſt, ego prudenter illud declinabo, atque interim alio ex latere ipſum impetam. Intelligenti ſatis dicam. Narrauit nuper quidam mihi ex contribulibus meis hoc ſibi contigiſſe. Nuper, inquit, incidit mihi iter, quum ſatis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixiſſes eius generis minime malum, & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro mihi rem ſeriam eſſe, opus eſſe præſtrenuo equo, ſi vnquam præbuiſſet ſe mihi bonum virum, nunc præſtaret. Ille pollicetur ſe ſe ſic mecum acturum, vt ageret cum fratre ſuo chariſſimo. Inducit in ſtabulum, iubet vt eligam ex omnibus equis quẽcunque vellem. Tandem vnus plus cæteris arridebat, ille probat iudicium meum, deierans eum equum frequenter à multis expetitum eſſe, ſe eum maluiſſe ſeruare amico ſingulari, quam ignotis addicere. Conuentum eſt de precio, numeratur pecunia præſens, conſcendo. Mira alacritate geſtiebat equus in egreſſu, dixiſſes feroculum eſſe. Nam erat obeſulus & pulchellus. Vbi iam equitaſſem ſeſquihoram, ſenſi plane laſſum, ne calcaribus quidem impelli poſſe. Audieram tales ab illis ad impoſturam ali, quos è ſpecie iudicares inſignes, cæterum laboris impatientiſſimos. Ego continuo mecum, captus ſum. Age, par pari referam, vbi rediero domum. Deflexi in proximum vicum, illic clam apud quendam mihi notum depoſui equum, & conduxi alterum, profectus ſum quo deſtinaram, reuerſus ſum, reddo conductitium equum, reperio meum ſophiſtam, vt erat, obeſum & pulchre requietum, eo vectus redeo ad impoſtorem, rogo vt in ſtabulo ſuo alat dies aliquot, donec repetiero; Percontatur, quam commode me geſſerit, ego vero deiero per omnia ſacra, me nunquam in vita conſcendiſſe tergum equi felicioris, volaſſe potius quam ambulaſſe, nec tam longo itinere vnquam ſenſiſſe laſſitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc quum illi perſuaſiſſem eſſe vera, tacitus ſecum cogitabat equum illum alium eſſe quam hactenus ſuſpicatus eſſet. Itaque priuſquam abirem, rogabat num mihi venalis eſſet equus? Primo negabam, quod, ſi inciderit iter denuo, non facile foret nanciſci ſimilem. Attamen nihil eſſe mihi tam charum, quod non eſſet venale precio largo, etiam ſi quis me ipſum, inquam, cuperet emptum. Quid multis? Non dimittit me, niſi pronunciata equi indicatura. Indicaui non paulo pluris quam emeram. Digreſſus ab homine, mox ſuborno, qui mihi partem agat huius fabulæ, pulchre inſtructum atque edoctum. Is ingreſſus domum inclamat locatorem, ait ſibi opus eſſe inſigni equo, & laboris egregie patienti. Alter oſtendit multos, & peſſimum quemque maxime prædicat, ſolum illum quem mihi vendiderat, quoniam exiſtimabat vere talem qualem prædicaueram, non laudat. At alter ilico rogat, num & ille venalis eſſet, nam deſcripſeram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primum obticeſcere, atque alios ambitioſe prædicare. Quum iſte cæteris vtcunque probatis ſemper ageret de vno illo, tandem locator apud ſe, plane fefellit me iudicium de illo equo,

ſiquidem hic peregrinus ſtatim agnouit hunc inter omnes. Quum inſtaret ille, tandem hic, venalis eſt, inquit, ſed precio fortaſſe deterreberis. Non eſt, inquit ille, magnum pretium, ſi rei dignitas reſpondeat. Indica. Indicauit aliquanto pluris, quam indicaram ipſi, captans & hoc lucri. Tandem conuenit de pretio, datur arra ſatis magna, nempe regalis aureus, ne qua ſuſpicio incideret ſimulatæ emptionis. Iubet equo dari pabulum, ſe mox ait rediturum & abducturum, dat etiam ſtabulario drachmam. Ego ſimulatque cognoui pactionem eſſe firmam, ſic vt reſcindi non poſſet, rurſus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adeſt ille, rogat quid velim. Ilico, inquam, adornetur equus meus. Nam eueſtigio proficiſcendum eſt ob rem maxime ſeriam. Atqui modo, inquit, mandabas, vt aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inq̃, ſed præter expectationem obiectū eſt negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Hic ille, eliges ex omnibus quem voles, tuum habere nō potes. Rogo quamobrem. Quoniam venditus eſt, inquit. Ibi ego ſimulata magna perturbatione, prohibeant, inquam, ſuperi quod dicis. Hoc obiecto itinere, non venderem eum equum, etiam ſi quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille, quid opus, inquit, his iurgiis? Indicaſti equum, ego vendidi, ſi numero pretium, nihil habes, quod mecum agas, ſunt in hac vrbe leges, ad exhibendum equum me non potes compellere. Quum diu clamaſſem, aut equum exhiberet, aut emptorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æſtimaram viginti ſex. Ille æſtimarat triginta duobus. Cogitabat apud ſe, præſtat hoc lucri facere, quam equum reddere. Abeo dolenti ſimilis, ac vix placatus etiam data pecunia. Ille rogat vt boni conſulam, ſe aliis in rebus penſaturum hoc incommodi. Sic impoſitum eſt impoſtori. Habet equum nullius pretii. Expectat vt qui arram dedit, veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec vnquam venturus eſt.

TH. Adhibeamus quæſo in dicteriis facetiiſque noſtris cautionem atque moderationem conuenientem, ne in offenſiones mutuas incurramus, ſi illis incautius atque imprudentius vtamur. Debet enim genus iocandi, vt inquit Cic. non profuſum eſſe nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum. Vt enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Vnde prudenter Plutarchus monet: Dicteriis (inquit) ſiue cauillatiunculis qui nequit caute, artificioſe ac ac tempeſtiue vti, iis omnino abſtineat cenſeo. Eſt enim ſcomma, vt Macrobius ait, non minus amarum, quam accuſatio, ſi aperte proferatur. Sed tamen à ſapiente ſic profertur, vt dulcedine quoque non careat; eſtque nonnunquam iis in quos iacitur, gratum & dulce. Cautius tamen in conuiuio abſtinendum ſcommate, quod tectam intra ſe habeat iniuriam. Cumque dicta huiuſmodi riſum præſentibus moueant, hoc velut aſſenſus genere confirmatur iniuria. Vnde Plutarchus præclaram hanc Lacedæmone diſciplinam fuiſſe tradit, ſalſe dictis alios impetere ſine moleſtia, & æquo animo dicteria ferre: ſi quis vero iniquius ferret, alter ſtatim mordendi finem faciebat.

Eſt igitur in conuiuiis id inprimis obſeruandum quod Macrobius monet: Cum videas, inquit, anceps eſſe omne ſcommatum genus, ſuadeo in conuiuiis, in quibus lætitiæ inſidiabitur ira, ab eiuſmodi dictis faceſſas, & magis quæſtiones conuiuales vel proponas vel ipſe diſſoluas.

EQ. Inter bonos bene agier oportet. Nec ſiniſtre interpretandum, ſi quid cui per

per imprudentiam inter conuiuandum exciderit; proinde ego memorem odi compotorem, & mecum omnes boni, voſque vna pariter, quos bonos & æquos agnoui hactenus, & agnoſcam etiam inpoſterum. Nunc ergo amice abinuicem diſcedemus, vti amice conuenimus, propediem colloquia noſtra continuaturi.

Finis quinti Colloquii.

COLLOQVIVM SEXTVM.

De Variis Vitæ generibus.

Vbi

De electione & inauguratione pompoſa Pontificis; deque Imperatoris, Regum, Archiducum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium, &c. Patriarcharum item, Epiſcoporum, Abbatum, Prępoſitorum, Protonotariorum, Archipreſbyterorum, Archidiaconorum, ſacræ militiæ, &c. honoribus atq; dignitatibus. De Academiis item & Scholis earumq; vtilitate. Vbi de Theologis, Iuriſconſultis, Medicis, Philoſophis, Poetis, Hiſtoricis, Grammaticis, Dialecticis, Mathematicis, Geometris, Muſicis. De Cãcellariis itẽ, Præſidibus, Conſiliariis, Secretariis, Prætoribus, Aſſeſſoribus, Aduocatis, Scribis, Apparitoribus, Admirallis, Primipilariis, Centurionibus, Militibus gregariis, Venatoribus, Piſcatoribus, Aucupibus, Agricolis, Mercatoribus, Typographis, Argentariis, Aurifabris, Fabris lignariis, ferrariis, murariis, & quibus non!

EQVES.

IOcundA NobIS REdIt CHARitum DIes. BRVMa enim SERena mInus, At pRVInoſa hactenus fuit, DESiderium attamen veſtri Haud Efferbuit In Me, quin VICEs dolui meas, quod DOMus INIre veſtras, Muſarum Oracula, Gloriamque Vberem atque Nectareum Thymiama Inde Nanciſci Inhibitus fui, ſed mihi ſat ſi veſter HONOS NOMENque MANEBIT.

PH. Vnde hæc noua ac logogryphica loquendi ratio, ſi colorem mutaſſes, exiſtimarem te aliquandiu orbem circumegiſſe cum Cingaris. Veruntamen, dic, vbi hactenus locorum degeris. Suſpicatus enim ſum, te ob conuiuii corollam, quam tibi, quod adhuc meminiſti, imponebam, conuentus noſtros, metu ſumptuum conuiualium, hactenus declinaſſe.

EQ. Non, per Deum; Vnica enim vice ſæpius apud alios plus inſumo, quam ſi vel ſexies conuiuio vos excipiam. Verum aeris inclementia fere continua, quin etiam aliis negotiis, Pontificalibus præſertim, tantopere fui præpeditus, vt etiam omne id quod priuatis meis impendi negotiis, ſuffurari quaſi opus habuerim. Noſtis enim, Pontifice noſtro Maximo haud ita pridem vita functo, ad electio-

Digitized by Google

ctionem atque inaugurationem noui Pontificis quæ requiruntur, iam ſedulo apparari, ad quem quidem apparatum & ego adſcitus ſum, cui tamen lubens ſuperſedere malim, quippe quorum apparatuum non vſque adeo ſum conſcius, non enim antehac, cum eiuſmodi inaugurationi aliquando intereſſem, tam accurate atque attente ſingula obſeruaui.

TH. Extat apparatuum huiuſmodi prolixa atque exacta deſcriptio in tractatu quodam peculiari, qui inſcribitur: *Sacrarum ceremoniarum ſiue rituum Eccleſiaſticorum S. Rom. Eccleſiæ, libri tres*: quam ſi priuatis tuis adiunxeris obſeruationibus, næ tu perquam appoſite accommodare te poteris. Sic autem in dicto tractatu extat: Quamuis Romani Pontificis electio, vbicunque Pontifex deceſſerit, ex Gregorii Decimi, Clementis Quinti decretis & inſtitutis celebrari debeat: tamen quia frequenter Romæ, vbi plerumque agit, & auditores cauſarum Pontifice abſente relinqui cōſueuere, & in palatio Apoſtolico apud S. Petrum haberi ſolet, vtpote in peculiari & propria ſede; locum Conclauis, (ita enim hodie appellant, vbi patres pro electione includuntur) in ipſo Apoſtolico palatio deſignabimus. Is locus continet aulas ſuperiores duas ſiue tres, & ſacella duo, & ita vndique firmis repagulis muroque clauditur, vt oſtia nulla, feneſtræ nullæ, niſi altiſſimæ, exitus nullus, introitus tantum vnus ſuperſit.

De ſcriptio Romani conclauis.

Dum igitur Pontifici defuncto iuſta peraguntur, Camerarius S. Rom. Eccleſiæ, & qui Cameræ præſunt, curam inſtruendi ornandiq; conclauis diligenter gerant: ad quem aſcenſum aditumque tantum vnum dimittant, qua ad S. Petrum per ianuam in principio primæ aulæ meridiem verſus deſcenditur. In ipſa prima aula, quæ Regia appellatur, eo quod ibi publica conſiſtoria pro regibus regiiſq; legatis ſuſcipiendis celebrari ſolent, feneſtræ portæque omnes muro calceque firmentur præter illas quibus ad ſacella & ad ſecundam aulam itur. Porta prima in principio aulæ ferreis vectibus & ferris quatuor muniatur. In medio porticum habeat, quo eſculenta & poculenta clauſis patribus miniſtrentur. In angulo ſiniſtram intranti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullū exitum nullamq; habeat feneſtram, in ea ſedulo ardeant lampades, ibiq; ceremoniarum miniſtri dormiant. In ſacello ſiue capella minori ad dextram, quæ diuo Nicolao dicata eſt, conueniant patres ad diuina peragenda, & ad electionem celebrandā. In maiori capella ad ſiniſtram parentur cellulæ pro patribus, tot, quot ſunt numero Cardinales electioni interfuturi. In capite huius capellæ ad ſiniſtram intranti cameræ ſunt, in quibus ſacriſta palatii apoſtolici habitat; harum prima pars quæ latrinas habet, pro conclaui reſeruetur, cætera omnia muro claudantur ita, vt tenebroſa fiat pars illa. Et ideo, vt de prima camerula dixi, lampadibus accenſis continue illuſtretur. Cellulæ in ipſa capella maiori hinc inde conſtituantur, non muro aut materia diſtinctæ, ſed cortinis lineis aut laneis tenuioribus ſeparatæ. Eriguntur namque ipſæ cellulæ tignis quaternis, à ſuperiore parte, in quibus cortinæ dependent, firmanturque ipſa tigna aliis lignis tranſuerſis ita, vt locus non maculetur, & inter cellulam & cellulam ſpatium dimittitur palmi vel circa. Famuli Cardinalium, vt primum diſtributio cellularum facta eſt, illas ornare properent, quæ per literas alphabeti ſignātur. Inde non ordine ſed ſorte patribus diſtribuantur pridie quam ingrediantur conclaue; vt cortinis lectis & oportuna ſupellectili in tempore poſſint ornari. Locus ipſe conclauis ita vndiq; claudendus ac muniendus eſt, vt aditum nullū niſi vnū tantum, vt diximus, habeat, nemoq; incluſos alloqui, videre, ſeu quippiā ad eos

clam

clam mittere queat. Sed aduertendum eſt maxime, ne ſupra aut infra, ſiue à lateribus habitationum conclauis ire, ſtare habitareve quiſpiam poſſit, ne voce, ſigno, ſono, aut aliquo ingenio perſcrutari quæ intus fiunt, valeat. Interea Patres crebro conueniant vel in ſacriſtia Eccleſiæ, vbi exequiæ defuncti Pontificis celebrantur; finita miſſa: vel in domo Domini Camerarii ſi ea eſt idonea, & ſi is eſt ex numero Cardinalium.

Inter alia ibi conſtituuntur quadruplices cuſtodes futuri conclauis. Primæ portæ palatii cuſtodia alicui magno Prælato vel nobili potenti, vt primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte diu noctuque palatium patresq; tueatur, cui ducenti ſiue trecenti pedites aſſignantur. Secunda cuſtodia eſt in prima porta, qua ad locum Conclauis aſcenditur. Et hæc demandatur Conſeruatoribus & Capitibus regionum vrbis, qui adiunctis ſibi aliquibus nobilibus ciuibus, portam ipſam cuſtodiunt. Tertia cuſtodia in ſecunda porta aliquãto ſuperius demandari ſolet oratoribus laicis, ſiue non prælatis Regum aut Principum, aut etiam aliquibus magnis & potentib. proceribus, numero ad id idoneo. Quarta autem cuſtodia, quæ eſt in ipſo aditu vnico Conclauis, committi conſueuit prælatis dignioribus Romanæ curiæ ſex aut octo, ſiue ſint oratores, ſiue non: & ſi commode fieri poteſt, & alii idonei cenſeantur, curandum vt ex diuerſis nationibus eligantur, vt omnium ſtudiis tractetur, quod ad omnes pertinet.

Cæterum ſi aliquando contigerit, vt alibi celebranda eſſet Pontificis electio, hinc eſſet ſumendum exemplum, & curandum inprimis, vt locus ipſe idoneus & tutus, & fideli manu militum munitus ſit: deinde vt aditus ac conclaue tripli cuſtodia firmari poſſit: tum aulam quandam ita capacem habeat, vt in ea cellulæ omnes pro Cardinalibus commode conſtituantur. Inde vt ſacellum contineat pro rediuina & electione celebranda idoneum: demum aulas aliquas pro deambulatione & latrinas ad partem: & ita claudendum eſt ipſum conclaue, vt nemo incluſos videre, nemo eos alloqui, aut ad eos quippiam latenter transmittere facereve vllo modo queat. In eum locum ſupellex oportuna conuehenda eſt pro Cardinalibus & eorum famulis, eſculenta & poculenta nulla, præter aquam & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent. Quæ vero ad cibum & potum attinent, portantur veſpere & mane diebus ſingulis.

Porro exequiis defuncti principis per nouem dies completis, & cõclaui oportuno præparato: decima die patres conueniunt in baſilica S. Petri, vel alibi; pro temporis & loci oportunitate: vbi per vnum ex eis Miſſa de ſpiritu Sancto celebratur; & in fine per aliquem Prælatum ſeu doctum virum habeatur ſermo, in quo moneantur patres, vt ſepoſitis omnibus priuatis affectibus, Deum tantum præ oculis habentes, ſanctæ Romanæ & vniuerſali Eccleſiæ de paſtore idoneo prouidere curent. Rediuina peracta, ſi placet patribus tunc intrare Conclaue; Clericus ceremoniarum capiat crucem Papalem & procedat; quem Cardinales ſequantur, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi: crucem præcedunt familiares Cardinalium laici, & immediate Cantores cantantes hymnum: *Veni creator Spiritus*. Et in conclaui apud altare prior Cardinaliũ dicit orationem: *Deus qui corda fidelium*. Poſt Cardinales ſequuntur prælati, & alii Curiales clerici erunt cum ſuis cappis obſcuris. Si vero volunt differre introitum ad veſperam, conueniant de hora, & vadant domum ad prandium, vbi hora congrua fuerit, antequam diſcedant: ſi prius hoc nõ fecerint, quod facere conuenit: ſi poſt miſſam ingreſſuri ſunt conclaue, conuocent fami-

Digitized by Google

liam ſuam vnusquisq;, moneant, hortentur omnes primum ad orandum clementiſſimum Deum, vt patrib. inſpiret ea circa electionem futuri Pontificis agere, quę ſuæ placita ſunt voluntati, & ſaluti S. Rom. Eccleſ. atq; vniuerſæ reip. Chriſtianæ profutura. Tum vt domũ die noctuq; bene cuſtodiant, magiſtro domus obediãt: pacifice & quiete inter ſe viuant, & per vrbem non multum vagentur. Noctu aũt domi omnino ſe contineant, deinde hora pręſcripta in nomine Dñi vadant ad baſilicam S. Petri, ſi Romæ & in palatio Apoſtolico ſit conclaue. Sin alibi, ad Eccleſiã conclaui proximam. Poſtq̃ vero omnes conuenerint, aſcendant ſimul ad cõclaue. Et cum ad altare conclauis cõuenerint, prior Epiſcoporum Cardinalium, omnib. aliis aſtantib. & præſente ac rogato aliquo Notario exigat corporale iuramentum, tactis ſacris Euangeliis à cuſtodib. conclauis, & à ſecundis ac tertiis cuſtodibus, ꝙ fideles & diligentes erunt ad cuſtodiendum palatium & cõclaue reuerendiſs. Dominorum Cardinalium, neq; permittẽt, reuerendiſs. Dños Cardinales vllo modo grauari vltra cõſtitutiones ſanctorum Patrum, de electione Rom. Pontif. ſtatuentes, & maxime Clement. Papæ VI. quas quantũ ad eos ꝑtinet, omni ſtudio & integritate ſeruabunt, & ab aliis pro viribus facient obſeruari. Quarti vero cuſtodes, id eſt, portæ vltimæ introitus conclauis præter hæc iurabunt, quod non permittent aliquem appropinquare ad portã conclauis, aut loqui, ſiue literas dare aliquo modo illis qui ſunt intus, niſi de expreſſo cõſenſu totius collegii, & ſcripta quæ *ad collegiũ* pertinerent. Item ꝙ perſcrutabuntur cibaria & vaſa, quę intromittẽtur omni ſolertia & fide, introſpiciendo epulas, fercula, ne forſan laterent aliquæ literæ: vinũ & aq̃ in vaſis vitreis portari facient, & conſtitutiones præfatas integre *obſeruabũt.* Tum excluſis omnib. aliis prior Epiſcoporum Cardinalium ipſos *Cardinales* verbis conuenientib. hortabitur, vt velint cogitare magnitudinẽ rei, de qua ſunt tractaturi, qua nihil inter eos excellentius eſſe poteſt. His peractis reuerendiſs. Dñi Cardinales ad cellulas quisq; ſuas diuertũt: & Camerarius aliiq; officiales Cameræ Apoſtolicæ oẽs extra conclaue abire iubent, ꝑter eos quos remanere oportet. Tũ omnib. prędictis expulſis porta conclauis cum ſuo porticulo omnib. ferris claudatur intus & extra: aſſignenturq; claues duæ clericis ceremoniarũ interiorib. & tres prælatis cuſtodib. exteriorib. Deinde accenſis funalibus, aliqui iuſſu patrũ ad hoc deputati, latebras angulosq; oẽs conclauis diligẽter ſcrutentur, ne q̃s extra ordinẽ inter clauſos remanere poſſit, in conclaui ordinarie. Sic remanent oẽs reuerendiſs. Dñi Cardinales, & vnusquisq; illorũ pro ſuo ſeruitio retinet duos ſeruiẽtes tantũ: ſi quis aũt aduerſa valetudine premeretur, cõceditur ſibi tertius miniſter ex cõſuetudine, non ex cõſtitutione. Præterea Sacriſta ſacri palatii ſolus. & duo clerici ceremoniarũ; Seruitores dominorũ Cardinalium quisq; hero ſuo famulatur. Sacriſta diuina celebrat in cõmuni corã patrib. & veſtes ac paramenta futuri Pontificis ſeruat ꝑparatq;. Clerici ceremoniarũ celebranti ſubminiſtrãt ſubſellia pro dñis Cardinalib. vbi & quomodo illis placent, ꝑparant, & in cõmuni omnib. patrib. ſeruiũt: conſueuitq; aliis ſuperiorib. temporib. inſtrumentum de electione Pontif. confici. Cum prandii ſeu cœnæ tempore cibaria afferuntur, familiæ Cardinaliũ Cornutas (ita n. cophinos appellant, quib. illa portantur) vſq; ad ſecundam cuſtodiã deducunt. Tum pręfectus familiæ illius Cardinalis cum duob. qui Cornutã portãt, vſq; ad vltimã cuſtodiam accedunt. Pręlati cuſtodes Cornutã aperiũt, fercula & omnia quę intus ſunt, diligenter perſcrutantur, ne quid literarũ inſit. Tum aperto extrinſecus porticulo, intrinſecus aperiri per clericum ceremoniarum, vocariq; ſeruientes il-

Digitized by Google

tes illius Cardinalis, cuius Cornuta eſt aduecta, iubent, illiq; Cornutam cum cibis aſſignant, & vinum quod eſt in vitreis phialis allatum. Seruitores qui extra aſtant, ad portam conclauis non accedunt, & qui intus ſunt, à prælatis cuſtodib. Cornutā recipiunt, & qui primum venerint, primum expediuntur. Ante portam intus aliquantulum remote, ſuſpenditur cortina quædam, ne per porticulum, cum aperitur, videri poſſint, qui ſint intus. Et hoc ſemper ſeruatur, cum cibaria portantur.

Primis tribus dieb. miniſtrantur patrib. cibi libere pro eorū voluntate, illis elapſis panis, vinum & aqua cum vno ferculo tantum carnium, piſcium vel ouorum vnius ſpeciei cum ſalſamentis, ſapore, caſeo, herbis crudis & fructib. Neq; ſecundum conſtitutionem Clementis licet alicui ex patribus de ferculo alterius veſci.

EQ. Gregor. X. in Concil. Lugdunenſi ſtatuit, Rom. Pontif. vita functo, elapſis à die mortis eius 10 dieb. Cardinales pſentes eosq; q̄ cum illis adeſſent, locū cōclauis in vrbe, in qua Pōtifex cū ſua curia reſidebat, ingredi ſimul debere cū vno tantū miniſtro, vel ſi patens neceſſitas fuerit, cum duob. Siq; poſtq̄ intrauerint, intra tres dies electionē non perfecerint, per quinq; ſequentes dies tam in prādio q̄ in cœna vno tantū ferculo contentos eſſe debere, quib. elapſis ſi adhuc concordes nō fuerint, panis tantū, vinum & aqua illis adminiſtrentur, quoad Pontificem rite eligāt.

TH. Poſteriora derogant priorib. Hoc nameq; Gregorii X. decretum per aliud Clementis nimirum VI. circa annum 1340. editum, limitatum fuit; quod quia vltimum eſt, & in ſacrorum canonum codicibus non adhuc deſcriptum, de verbo ad verbum vobis recitabo. Sic autem ſonat: Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriā. Licet in cōſtitutione à fel. rec. Gregor. Pap. X. prædeceſſore noſtro, ſuper electione Rom. Pontif. edita in concilio Lugdunenſ. inter cætera caueatur expreſſe, quod ſi eund. Pontif. in ciuitate, in qua cum ſua curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales in palatio, in quo idem Pontifex habitat, oēs conueniant, & in eo ſinguli ſingulis, niſi illi quibus ex patenti neceſſitate duo permittuntur, ſint contenti ſeruientib. clericis vel laicis, prout elegerint: vnum conclaue nullo intermedio pariete vel alio velamine habitent in cōmuni, & ꝙ dieb. certis nō facta pro viſione de paſtore decurſis, panis, vinū & aqua tātummodo eiſdem cardinalib. donec ſubſequatur ꝓuiſio, adminiſtretur. Quia tñ, ſicut frequenti multorū aſſertione & in Cardinalatu cōſtituti percepimus, nōnulli ex Cardinalib. ipſis in obſeruatione conſtitutionis ipſius grauati nimiū extiterunt: multiq; ex ipſis duos in dicto cōclaui habuerunt ſeruitores nō abſq; ſcrupulo cōſcientiæ, ꝓpter ambiguitatē dictorum verborū videl. ex patenti neceſſitate, duo permittātur, in d. conſtitutione, vt ꝑmittitur, contentorū; Nos prouidere ſuper his cupientes, ex his & aliis certis cauſis rationabilib. q̄ ad id noſtrū animū induxerunt, rigorē conſtitutionis ipſius, & ad fratrū noſtrorum ſupplicationē in hoc prouidemus temperandū; ſtatuentes, ꝙ Cardinales, poſtq̄ conclaue huiuſmodi ſeu clauſurā pro dicta electione celebrāda intrauerint, ſinguli duos ſeruientes tantū clericos vel laicos, ꝓut duxerint, eligendos, ac inſuper ſingulis dieb. præter panem, vinum & aq̄ in prandio, & in cœna vnū duntaxat ferculū carnium vnius ſpeciei tantummodo, aut piſciū, ſeu ouorum cum vno potagio de carnib. vel piſcibus, principaliter non cōfecto, & decentibus ſalſamentis habere valeant vltra carnes ſalitas: & herbas crudas ac caſeum, fructus ſiue electuaria. Ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur, niſi ad condimentum fieret vel ſaporem: nullus vero eorum de alterius ferculo veſci poſſit: liceat etiam ex eis decentia honeſtatis habere in clauſura huiuſmodi,

Digitized by Google

cum in lectis quieſcendi cauſa vel dormiendi eſſe voluerint, intermedia velamina ſimplicium tantum cortinarum, & fel.mem. Clementis Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri & aliis conſtitutionibus contrariis: quibus propter hoc in aliis derogari nolumus, non obſtantibus quibuscunq;. Nulli ergo, &c. Datum Auinioni 8. Idus Decemb. anno decimo. Hactenus Clementis Conſtitutio.

Cæterum conſueuerunt noſtris temporib. patres, antequam ad electionem deueniant, ſtatuere quædam communi conſenſu à futuro Pontifice cõfirmanda, quę poſtea ſinguli ſubſcribunt, iuramentoq; aſtringunt ſe obſeruaturos, ſi ad Pontificatũ aſſumantur. Hæc vbi perfecerunt, de electione agere incipiunt. Sciendumq; in electione tam Epiſcopos quam presbyteros ſeu diaconos Cardinales æqualem in eligendo poteſtatẽ habere, neq; fieri relationẽ meriti ad meritũ, neq; zeli ad zelum, ſed numeri ad numerũ: ita vt ille qui à duabus partib. Cardinaliũ, cuiuscunq; ordinis ſit, rite electus ſit, pro vero & indubitato Pontifice habeatur: & Cardinales nouos, vt primũ creati & publicati fuerint, eandẽ habere poteſtatem in electione, niſi os fuerit eis clauſum à Pontifice, & non apertũ ante mortem, quia tunc nõ haberent poteſtatem, ſin aũt non fuiſſet eis os clauſum, integra permaneat poteſtas.

Porro cũ de electione agere volunt, audita Miſſa Domini Cardinales ſoli in capella illa remanẽt, ſedentq; ſuper ſcabella ſiue ſcamna illis parata: ſuper altare *reſtat* calix vacuus & patena: ante altare menſa parua rubeo panno cooperta *ponitur*, & ſuper eam pugillares & papyrus. Inter cõcauum & altare iuxta menſam ponuntur ſcabella tria. In quorũ medio Epiſcoporum, à dextris presbyterorum, & à ſiniſtris Diaconorum Cardinalium priores ſedent. Sacriſta vero, familiares *Cardinalium*, & omnes alii qui in conclaui reperiuntur, in capella maiori vbi cellulæ *ſunt*, clauduntur, ſoli clerici ceremoniarũ ſolent extra portã capellæ paruæ, vbi patres clauſi de electione tractant, expectare, pręſto venturi, ſi à patrib. pro aliqua re vocarẽtur. Cum omnes ordine ſuo conſederint, prior Epiſcoporum in loco prędicto ſedens, cõmodis verbis hortatur patres ad prouidendum S. Rom. Eccleſiæ de viro idoneo & ſufficienti, & qui tantũ onus vtiliter ferre queat. Deinde proponit eis, per quã viam ad electionem procedere placeat, per viã cõpromiſſi, ſiue per viã ſcrutinii. Quod ſi forte aliqs patrũ diceret in hanc ſententiam: *Reuerẽdiſſimi Domini, perſpecta ſingulari virtute, probitate, &c. Reuerendiſſ. D. N. ego indicarem ſine alio proceſſu, ipſum eligendum ad ſummum Pontificatum, & ex nunc ego eligo ipſum in ſummum Pontificem S. Rom. Eccl.* Si alii vel ſaltem duæ partes iſtius ſententiam ſequerentur, & viua voce ſimili modo illum talem eligerẽt, ille eſſet canonice electus & verus Papa. Et vocatur per viam Spiritus ſancti talis electio ſine ſchedulis aut cõpromiſſo. Sæpeq; apud maiores noſtros fuit celebrata hæc via. Si dominis Cardinalib. placuerit procedere per viam cõpromiſſi, oportet vt omnes concordent ad compromittendum, aliter non tenet: niſi forte duæ partes tamdiu in ſententia permanerent, quoad compromiſſarii electum nominarent, illumq; compromittentes comprobarent, tuncque vt electus à duabus partibus eſſet canonice electus. Forma autem talis compromiſſi eſt eiusmodi:

In nomine Dñi Amen, Anno eiusdem, &c. die, &c. Nos Epiſcopi, presbyteri & Diaconi S. Rom. Eccl. Cardinales oẽs & ſinguli in conſiſtorio exiſtentes, videl. T. Oſtienſ. D. Portuẽſis *(& ſigillatim oẽs alii nominentur Cardinales)* de electione tractãtes ſum. Pontif. elegimus & eligimus per viã procedere cõpromiſſi, & vnanimiter & concorditer, nemine diſcrepante, legimus cõpromiſſarios reuerend. patres Dños T. Epiſcopũ, &c. A. tit. ſancti N. Presbyterũ, & L. S. Adriani Diaconũ, Cardinales, quib.

quib. damus plenariã poteſtatẽ puidendi S.Rom.Eccleſ.de Paſtore,ſub hac forma videlicet,quod duo ex ipſis poſſint eligere tertium de ſeipſis, & omnes tres cõcorditer de collegio,vel de extra poſſint Romanæ & vniuerſali Eccleſiæ prouidere. Et volumus, quod dicta poteſtas duret vſque ad conſumptionem candelæ inibi ex conſenſu ſingulorum accenſæ,& promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros,quem dicti compromiſſarii in forma prædicta duxerint eligẽdum, &c. Compromiſſarii vero ad partem in aliquo loco ſeparato ſe retrahant: & primum inter ſe proteſtentur,quod per quamcunque prolationem verborum non intelligunt dare conſenſum ſuum,niſi in ſcriptis illum expreſſe ponãt, vt inter ſe poſſint vti verbis humanis & reuerentialibus ſine præiudicio.

Alius modus eſt & magis tritus procedendi per viam ſcrutinii, qui ſi magis placet, primo deliberandum eſt, an per ſcrutinium eadem die ſit attentanda via per acceſſum. Deinde omnibus in locis ſuis in capella conſedentibus, prior Epiſcoporum cum ſchedula ſua in manu accedit ad altare,&genu flexus aliquantulum orat: tum ſurgit,& ſchedulam prædictã,quam primo oſculatur,in calice reponit;priore Diaconorum à ſiniſtra parte altaris, vbi Epiſtola legitur, ſtante, & patenam manu ſua eleuante,has ſchedulas,quę vota eorum continent,& ſcribere ſolent Reuerendiſſimi Domini ad partem,quomodo eis placet, in hanc formam : *Ego A. Epiſcopus Oſtienſis Card. &c. eligo ſummum Pontificem Reuerendiſſimum Dominum meum P.S. tit. S. Marci presbyterum Cardinalem,* & eodem modo quiſque nominare poteſt duos aut plures, aut de collegio in eadem ſchedula,&aliquem extra collegium à tergo ipſius ſchedulæ. Schedulam ipſam bene plicatã ſigillo ſuo annulari ſignat; & vt diximus facta prius oratione illam deoſculatam quiſque in calicem ponit. Vt autem prior Epiſcoporum ſchedulam in calice poſuit, accedit ad dextrum cornu altaris, & ibi cum priore Diaconorum patenam eleuat, dum patres votorum ſchedulas calici imponunt;qui ordine ſuo omnes ſigillatim Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, eodẽ modo vt de priore Epiſcoporum diximus, ſchedulas in calicem mittunt. Schedulis in calice depoſitis ſedent patres,& quiſque ante ſe ſcabellum habet cum papyro & pugillaribus: in papyro ſcripta ſunt per ordinem patrum omnium præſentium nomina cum aliqua diſtantia, ita vt vnum tantum nomen in quolibet verſu contineatur in hunc ferme modum: *Reuerendiſſimus Dominus Nicenus habet. Reuerendiſſimus Dominus Rhotomagenſis habet.* & ſic de ſingulis. Tum prior Epiſcoporũ calicẽ de altari ſimul cum Diaconorũ priore ſumẽs illum ſuper menſam prędictã imponit. Deinde ipſe & Diaconus ſedent à dextris, priore presbyterorum ſedente, vt prædixi. Prior deinde Epiſcoporum ſedens calicem manu dextra capiens, ac ſiniſtra patenam firmam retinens, calicem ipſum ſuper patenam immittit, ita tamen vt nihil effundat,& iterum calicem erigens ſuper menſam, vt prius erat illũ conſtituit; tum ſiniſtra aliquantulum patenam eleuans, dextra ſchedulam vnam, quæ forte ad manus venit, pàlam digitis duobus extrahit, illamque primo priori presbyterorum oſtendens, legendam porrigit Diaconorũ priori; qui eam mox aperit, & voce qua ab omnibus exaudiri poſſit, diſtincte legit: *Ego N. Cardinalis Papien. eligo in ſummum Pontificem Reuerendiſſimum Dominum meum D.B. tit. S. Sabinæ presbyterum Cardinalem,&c.* vt ibi ſcriptum inuenit. Cardinales omnes, tam ipſi tres priores quam alii ſuper nomina in ſchedula nominatorum, eligentium nomina ſcribunt in papyris ſuis, vel ſignum aliquod faciunt. Omnibus ſchedulis perlectis, & votis eligentiũ deſcriptis, tres priores vota computant, & alta voce habẽtes plures voces Dia-

Digitized by Google

conus nominat,dicendo:*Reuerendiſſimus D.A.habet voces decem, & Reuerendiſſimus V. habet voces octo, & reuerendiſſimus D.habet voces ſeptem.* Deinde ſi non poteſt attemperari via per acceſſum, & voces non ſufficiunt,re infecta patres diſcedunt: neq; per totum diem aliud agi poteſt circa actum electionis,quia non fit bis in die ſcrutinium.Sequenti die iterum ſummo mane in capella conueniunt,& re diuina peracta, ſcrutinium,vt die præterita,faciunt:ſchedulas in calicem mittunt, quæ à priorib. extrahuntur,leguntur & computantur,vt ſupra Deinde ſi duæ partes in ſchedulis non conueniunt procedunt ad electionem per viam acceſſus. Nam hoc pacto celerius ad finem electionis peruenitur ad illos accedendo, quos in ſchedula nō nominauerint;& poteſt fieri acceſſus ad vnum vel plures,ſicut & nominatio in ſchedulis.Et notandum,quod ſi acceſſus fieret ad plures imperceptibiliter & inconfuſe,ita vt duo haberent duas partes,nemini ius acquiritur,& pro infecto habetur. Legimus ſuperioribus temporibus, cum duæ partes in electione concordabant, priorem Diaconorum conſueuiſſe inducere electum mantum Papale dicendo: *Ego inueſtio te de Papatu vt præſis vrbi & orbi.* Sed hodie non ſeruatur. Conuenientibus duabus partibus in vnum quempiam,ille verus & indubitatus eſt Pontifex: tamen conſueuerunt & accedere,& rurſus prior Epiſcoporum omnibus ſedentibus nomine totius collegii,illum talem eligit in Romanum Pontificem,& eius *aſſenſum* requirit. Quo habito omnes ſurgunt primo ad congratulandum; deinde eum exuunt crocea & caputio paruo, & ſic cum ſuo rochetto faciunt illum ſedere ſuper ornata ſede,quam locant ante menſam, vbi priores ſedebant. Imponunt illi annulum Piſcatoris,& exquirunt quo nomine velit nuncupari; & tunc ſolet ſubſcribere conſtitutiones ante electionem firmatas & iuratas,& ſignare aliquas ſupplicationes. Interim vero prior Diaconorum aperta ſacrariis feneſtella, qua populus expectans videri poteſt, crucem profert, alta voce clamans: *Annuncio vobis gaudium magnum:Papam habemus.Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis S.Sixti electus eſt in ſummum Pontificem,& elegit ſibi nomen N.*

EQ. Tam exacte modum & rationem eligendi ſummi Pontificis exponis, vt ſi penes nos iam electio foret Romani Pontificis,nos facile expedire atq; abſq; vllo arbitratore electuros aliquem mihi perſuaſerim.

TH. Nuda ſane electio,modo abſint ſimultates,habeantque ſinguli rationem iuramenti, quod in hoc tam graui negotio ſancte præſtiterunt, ex numero votorum facile finitur. At electionis confirmatio,ipſaque adeo conſecratio non item; quippe cuius modus multis vix annis,nedum diebus aut menſibus ab ingenioſiſſimis quibuſq; addiſcitur,proinde te ad librū ſacrarum ceremoniarū S.Rom.Eccleſiæ hac vice religo, vbi ſigillatim omnia inuenies, hic vero ſi allegarem,iniucūda forent.Aliquid tamen hiſtorice dicam.Exuitur nouus Papa primum veſtimentis,induiturque habitu Papali, imponiturque altari; eique Cardinales omnes reuerentiam exhibent,per ordinem pedes,manus,& os deoſculantes. Dum hæc aguntur,portæ conclauis omnes aperiuntur, repagula muríque oſtiorum & feneſtrarum deiiciuntur,pulſantur campanæ,& ſigna lætitiæ omnis generis eduntur. Pontifex nouus præcedente cruce & Cardinalibus ad Eccleſiam ſancti Petri deſcendit, & proſtratus ante altare orat, agitque gratias Deo & beatis Apoſtolis. Cæterum ante Pontificem,hac durante ſolemni pompa, immediate miniſter ceremoniarum præcedit cum duabus arundinibus ſuper alteram,ſtuppam, ſuper alteram

Digitized by Google

teram vero candelam ardentem portans. Et cum Pontifex capellam ſancti Gregorii exierit, ceremoniarius ad eum conuerſus, ignem ſtuppæ mittit, genuflexus alta voce dicit: Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi. Quod tertio facit, diſtincto æquali ſpatio, antequam perueniunt ad portam capellæ. Procedunt deinde omnes per nauim ipſius capellæ ſancti Gregorii, vbi ſepulchra ſunt Romanorum Pontificum, vt in ſumma hac exultatione atque lætitia etiam mortis reminiſcantur.

Cæterum finita iam electionis pompa, ſacriſtis, duobus præfectis naualibus, Aduocatis, Secretariis, Cantoribus, Acoluthis, Clericis Cameræ, Auditoribus, Subdiacono Græco & Latino, & Diacono Græco, Abbatibus forenſibus, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Diaconis, Presbyteris in equis ſeſe oſtentantibus, procedit tandem ſummus Pontifex ſuper equum album, phaleratum coopertum è parte poſteriori ſtragula Carmeſina ſub baldachino, quod octo magni nobiles ſiue oratores portant. Cum Papa per ſcalam aſcendit equum, maior Princeps, qui præſens adeſt, etiamſi Rex eſſet aut Imperator, ſtapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frenum aliquãtulum. Si Imperator aut Rex ſoli eſſent, id eſt, non eſſet alius Rex, ſoli equum ducerẽt cum dextra manu, ſin vero eſſet alius Rex, dignior à dextra, alius à ſiniſtra frenum tenerent. Si non ſint Reges, digniores ducant equum. Et poſtquam Imperator, Rex, ſiue alius magnus Princeps aliquantulum equum duxerit, ſubſtituantur alii duo magni nobiles eorum loco & mutẽtur.

Si vero Pontifex non equo ſed ſella veheretur, quatuor maiores Principes, etiamſi inter eos Imperator aut quiuis maximus Princeps adeſſet, ſellam ipſam cum Pontifice humeris ſuis portare aliquantulum debent. Sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis familiares, qui pondus ſuſtinent: ita vt Principes ipſi in ſignum piæ religionis ac reuerentiæ magis quam ad onus ſubeundum manus appoſuiſſe videãtur: qui etiam mutabuntur pro hominum & itineris diſpoſitione. Similiter & octo nobiles, qui baldachinum ſuper caput Pontificis ferunt, mutabuntur poſt aliquod ſpacium, & equos ſuos aſcendentes in ordine ſuo equitabunt, eorum loco nobiles ciues Romani vſque ad Lateranum baldachinum portabunt, mutabunturque per vices. Ante Pontificem conſeruatores, capita regionum, & alii magiſtratus ac nobiles vrbis, pedites præibunt, & prætoriani milites cum eis accincti enſibus circiter centum, & baculum in manibus portantes ad cuſtodiam corporis Pontificis. Circa Pontificẽ aliquando ante, aliquando poſt equitabit Mareſcallus ſiue Soldanus curiæ cum duob. ſacculis pecuniarum ante ſellam, & ipſas pecunias proiiciet ſuper populum ad preſſuram dimouendam. Poſt Pontificem immediate ſequuntur duo cubicularii ſecreti, medium tenentes Auditorem Rotæ Decanum, qui ſeruit de mitra. Et deinde duo Medici cum Secretario principali, aliique adeo alios ſuo ordine inſequuntur, atque ita ad Lateranum procedunt.

Cum autem Pontifex peruenit ad montem Iordanum, Iudæi illi obuiam eunt, genuflexi Legem Pontifici offerunt, lingua Hebraica Legem laudantes, & hortantes Pontificem vt illam veneretur. Pontifex illis auditis in hanc reſpondet ſententiam: Sanctam Legem viri Hebræi, & laudamus & veneramur, vtpote ab omnipotenti Deo per manus Moyſi patribus veſtris tradita eſt: obſeruantiam vero veſtram & vanam interpretationem damnamus atque improbamus, quia Saluatorem, quem adhuc fruſtra expectatis, Apoſtolica fides iam

pridem

Digitized by Google

pridem aduenifſe docet,& prædicat Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, qui cũ Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorũ. Sed quoniã nonnunq̃ accidit, vt Iudæi populi multitudine opprimantur, ſolent aliquãdo impetrare pro eorum ſecuritate, vt hoc faciãt ſuper antemurali arci S. Angeli in angulo, ad viam qua itur ad palatium reſpicienti.

Cum Pontifex ad Eccleſiam Lateranenſem peruenit, deducitur ibi à priore & canonicis illius Eccleſiæ ad marmoream ſedem, ante portã principalem à ſiniſtra ſtantem, quæ ſtercoraria appellatur, & ibi eum ſedere faciunt: qui ita tamen ſedet, vt magis iacere videatur, ad quem mox accedentes Cardinales, eleuant eum honorifice, dicentes. *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem: vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Surgens Pontifex, accipit de gremio Camerarii ſibi aſſiſtentis, quantum pugno poteſt compleɛti pecuniarum, vbi tamẽ nihil prorſus ſit argenti & auri, & ſpargit inter populum, dicens: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.*

Pons ligneus recta linea à porta Eccleſiæ principali ad altare maius excitatur, per hunc pontem Pontifex aſcendit ad palatium Lateranum. Et cum peruentum fuerit in primam aulam, quæ aula concilii appellatur, ſedet Põtifex in ſede ſibi parata apud tabulam lapideam in capite aulæ, quæ dicitur menſura Chriſti. *Et hinc* inde apud eum ſtant Domini Cardinales. Cæteri laudes Deo dicunt. Finitis laudibus Papa procedit ad capellam S. Sylueſtri, ibi ante portam capellæ ſunt duæ ſedes porphireticæ perforatæ: & ibi ſedet Põtifex ſuper primam, ad quem Prior Eccleſiæ Lateranen. accedit, & genuflexus dat Pontifici ferulam in manũ in ſignũ correctionis & regiminis, & claues ipſius Baſilicæ ac palatii Lateranen. in ſignum poteſtatis claudendi & aperiendi, ligandi atque ſoluendi. Surgit deinde Papa cum ferula & clauibus, & ſedet in altera ſede porphiretica ad aliam partem, & ibi reſtituit eidem Priori ferulam & claues, & ab eodem percingitur ſuper planetam ſedens cũ cingulo quodam ſericeo rubro, cum burſa etiam ſericea & rubra, in qua ſunt duodecim lapides precioſi cum muſco. Tum Pontifex præcinctus & ſedens, è gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam, quotquot poteſt manu cõtinere, & ſuper populum ſpargens dicit: *Diſperſit & dedit pauperibus ſuis, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Et hoc tertio facit. In iſtis duabus ſedibus Pontifex ſedet, vt in ſtercoraria. Ducitur deinde Pontifex ad Sancta Sanctorum, vbi ſuper faldiſtorium ſine mitra genuflexus orat. Inde ſurgens cum mitra reuertitur ad capellam S. Sylueſtri, in quam intrãs ſedet ſuper ſedem ibi paratam: tum deponit mitram, chirothecas, pallium, planetam, & aſſumit pluuiale & mitram ſimplicem, & ſedens dat preſbyterium hoc modo, Cardinalibus duos aureos & duos groſſos argenteos. Veniunt Cardinales, & profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque ei mitram apertam, in quam Pontifex immittit pecuniam: illi accepta pecunia manum Pontificis oſculantur; pecunias capit Pontifex è gremio Camerarii. Alii prælati genu flectunt ante Pontificem, & accipiunt in mitra ſua vnum aureum & vnũ groſſum, & oſculantur dextrum genu Papæ. Alii vero prælati & officiales accipiũt in manu tantundem & oſculantur pedem. Dato presbyterio Pontifex cum Cardinalibus aſcendit ad palatium Lateranenſe: & ſi non facit ſolemne conuiuium, deponit paramenta ſua, intrat cameram, quieſcit & prandet, ſeu cœnat. Atq; hæc ex ſacrarum ceremoniarum tractatu ſuperficietenus duntaxat delibaſſe ſufficiat, annus enim laberetur, ſi ſingula vellem proſequi.

EQ. Nulli rei tam ſcite ego me accommodare poſſem quam diſtributioni pecuniarum, nihilque adeo eſt, quod ex ſermone tuo tam attente obſeruaui; quem morem etiam in augurationib. Imperatorum compertum habeo; vter ab altero mutuauerit, ſusq; deq; fero, modo mos hic in viridi manuteneatur obſeruantia. Vtut aũt ſit, ſæpius inaudiui, non minimas partes Pontificis eſſe in Imperatoris inaugutione, vſq; adeo vt pro vero ac cõfirmato Imperatore nõ habendum eum eſſe vulgo exiſtimetur, qui à Romano Pontifice coronam non accepit.

PH. Sequitur ergo, primæuos Romanorum Imperatores, qui orbem domuerunt, non fuiſſe veros ac proprie ita dictos Imperatores. Conſtat namq; ante Carolum Magnum neminem Imperii Romani coronam ex manu Romani Pontificis Romæ ſuſcepiſſe. Quid quod priſci illi Romanorum Imperatores, qui toti fere orbi imperabant, ante Aurelianum, vt Eutropio placet, nulla corona, niſi laurea, aut ex aliqua felici arbore vſi fuerunt; nihil enim grauius odiſſe olim populũ Romanum conſtat quam nomen Regium.

EQ. Hodie vulgaris fama eſt, Romanorum Imperatores tribus coronis ornari oportere variorum metallorum, argentea, ferrea, & aurea. Otho Friſingenſis Epiſcopus & Federici primi patruus, vir doctus & eloquens, in hiſtoria ſuorum temporum quam ſcripſit, tradit, Federicum ipſum coronis quinque aureis decoratum fuiſſe, I. de regno Francorum. II. de regno Germaniæ. III. de regno Lõgobardico. IV. pro Romano imperio. V. pro regno Italiæ. Porro quod ad coronam Imp. ferream attinet, ea ſic appellatur, quod laminam quandam ferream habet in ſummitate, eſt alioquin aurea & pretioſiſſima. Quod vero ad formam coronæ Imperialis attinet, ea ab aliis in hoc differt, quod ſub ſe tiaram quãdam habet in modum fere Epiſcopalis mitræ, humiliorẽ tamen, magis apertã, & minus acutã: eſtq; eius apertura à fronte, non ab aure: & ſemicirculum habet per ipſam aperturam aureum, in cuius ſummitate crux paruula eminet, eam tiaram aliæ coronæ non habent.

TH. Ego hanc quæſtionem, quæ multo conſtitit ſanguine, non decidam. Illud tantum quoad præſens dico. Si hoc ſeculo Imperator Rom. à Pontifice Romano coronari gaudet, iamq; pedem in Italiam immiſiſſe ipſum recognoſcit Pontifex, continuo illi obuiam mittit duos legatos de latere, qui illum conueniant, antequã terras Romanę Eccleſię ingrediatur. Et poſt gratulationes, ſalutationem & benedictionem nomine Pontificis, exigunt ab illo iuramentum in forma, quę ſequitur: *Sanctiſſimo Domino noſtro, Domino N. diuina prouidentia Papa, Ego B. Rex Romanorum, promitto & iuro per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per lignum viuificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod ſi permittente Domino Romam venero, S. Romanam Eccleſiam & ſanctitatem ſuam, rectorem ipſius exaltabo ſecundum meum poſſe & vitam: membrum nunquam, neque ipſum honorem, quem habet, mea voluntate, conſilio, meo conſenſu, aut mea exhortatione perdet, & in Roma nullũ placitum aut ordinationẽ faciam de omnibus, quæ ad ſanctitatem ſuam aut ad Romanos pertinent, ſine veſtro conſilio. Et quicquid de terra Sancti Petri ad noſtram poteſtatem peruenerit, ſuæ ſanctitati reddam: & cuicunque Italicum regimen commiſero, iurare faciam illum, vt adiutor ſuæ ſanctitatis ſit ad defendendam terram S. Petri, ſecundum ſuum poſſe. Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.*

Porro vt primum Eccleſiæ territorium ingreſſus eſt Cęſar, conſedit cum ſua familia expenſis Pontificis quandiu & Romæ & in agro Romano fuerit. Vt Sutriam venit Cæſar, vel locum vicinum, ita vt pridie poſt applicare ad vrbem poſſit, Legati Apoſtolici illum cum aliquibus prælatis à Pontifice miſſis, qui neceſſaria curent, dimit-

dimittunt,& Romam perueniunt. Sequenti die electus Imperator Romam verſus capit iter,cui honoris gratia obuiam mittuntur à Pontifice prælati, Barones & curiales hoc ordine:Primi ad ſextum lapidem,Columnenſes proceres cum ſuis amicis & clientelis, & mox Vrſini atque alii Barones vrbis, tum Pontificis copiæ quæ adſunt cum illarum præfecto,inde Vicecamerarius cum præfecto vrbis, Senatore,conſeruatoribus,officialibus,& aliis nobilibus ciuib. Romanis,deinde ordines curiæ cum regente Cancellariæ,ſiue aliquo alio prælato. Demum alii prælati domeſtici Pontificis cum omni eius familia, & tandem ſacrum Cardinaliũ collegium ad radices montis ad domum leproſorum Cæſarem expectant. Hi omnes diſtincti interuallis Imperatori obuiam procedunt. Oratores vero Principum ſi qui in vrbe ſunt pro ſuo libitu obuiã procedunt. Cardinales quamprimũ Cæſarẽ conueniunt,congratulationib.& oblationib.factis nomine Pontificis & collegii, illum habentes medium inter duos primos Epiſcopos Cardinales, deducunt vſque ad tentorium ſiue alium locum ſibi deputatum extra vrbem : nam Cæſar non conſueuit ea die qua appulit,vrbem intrare,ſed pernoctare ſaltem vna nocte extra mœnia in campis. Cardinales & alii omnes,poſtquam Cæſar ad locum deputatum peruenit,in vrbem reuertuntur.

Poſtera die Cæſar per portam, quæ eſt ſub arce S. Angeli hoc ordine *ingreditur*. Primi duo equites vexilla duo Cæſaris portant; alterum S.Georgii,quod ad Sueuorum pertinet cuſtodiam; Aquilæ alterum : hos ſequuntur Cæſaris cohortes armatæ,tum nobiles proceres & togati eius. Inde oratores Regum & Principum qui adſunt; tum ſi quis adeſt Rex aut maximus Princeps. Et tunc ſequitur præfectus vrbis & Senator. Et ad præfectum quidem pertinet nudum enſem ante Cæſarem ferre, Federico tamen Cæſari Mareſcallus ſuus, non præfectus, gladiũ prætulit. Inter iſtos autem & Cæſarem nemo equitat,niſi Mareſcallus, ſi præfectus nõ præfert enſem. Incedit deinde Cæſar ſolus equitans,& poſt eum prælati conſiliarii proceres inermes,& alii togati ſui. Deinde modico interuallo Imperatricis familia,ſi vxor virum ſequitur,ſuccedere debet; ante illam nobiles & prælati, & poſt matronæ,virgines,& pediſſequæ:circa illam vero ſolam equitantem pedites multi. Vltimo incedunt Eccleſiaſticæ copiæ pompam claudentes. In porta, per quam ſub arce ingrediuntur (hodie via ſalaria nuncupatur) clerus vrbis ſacris veſtib. ornatus,cum crucibus & Sanctorum reliquiis præſidente vicario vrbis,&aliis Eccleſiarum prælatis infulatis Cæſarem expectant,aduenienti cruces deoſculandas offerunt,& cantantes; *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* procedunt vſque ad gradus baſilicæ S. Petri.

Ciues autem digniores baldachinum ſupra Cæſaris caput portant,conſeruatores fræno equum ducũt.Cum vero eſt in magna area ante gradus, præfectus & Senator id muneris gerunt. Et deſcendente ex equo Cæſare præfectus ſtapham tenet,deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargit. In plano ſupra gradus Baſilicæ, ante primum porticum ad dextrã aſcendentibus erigitur ſuggeſtus ornatus cum throno Pontificali,& ſedibus Cardinalium prælatorum & officialium; ſupra quem ſuggeſtum Pontifex pluuiali & mitra precioſis indutus,aſcendit cum ordinibus curiæ paulo ante quam Cæſar appareat. Electus Imperator cum ſuis omnib. ſeruato ordine vt equũ deſcendit, per gradus aſcendit ſuggeſtum. Et vt primum Pontificem videt, detecto capite illum genu terram tangens veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus ſedis, genu ſle-

nu flectit, demum ad Pontificis pedes peruenit, illoſque in reuerentiam Saluatoris deuote deoſculatur. Pontifex hilari vultu Cæſarem aſpiciens, ad oſculum manus & oris recipit. Tum Cæſar iterum genuflexus auri maſſam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore ſuſcepto, prout illi videbitur. Pontifex benigne illi reſpondens, illum ſubleuat & ſummæ charitatis declaratione amplectitur. Et ſtante ibi ad dextram Pontificis Cæſare, Pontifex recipit Imperatricem ad oſculum pedis & manus: Regem vero, ſi quis adeſt, ad oſculum pedis, manus & oris: alios autem prælatos, proceres, & nobiles Cæſaris ad oſculum pedis tantum. His finitis ſurgit Pontifex, & manu ſiniſtra Cæſarem capiens è ſuggeſtu deſcendit, & pariter ad ſecundum vſque Eccleſiæ porticum cum eo progreditur. Deinde Pontifex palatium aſcendit & cameram ſuam reuerſurus, & Cæſar duobus aut quatuor Cardinalibus ſociatus templum ingreditur Apoſtolorum ſacras reliquias veneraturus cum ſuis omnibus. Inde ad loca cuique deſtinata diuertuntur. Poſtera die Cæſar opportuno tempore ad Pontificem accedit, & cum eo de incumbentibus ad ſolemnitatem pertractat.

Cæterũ inſtante coronationis die, Eccleſia ſancti Petri & capella maior decenter ornantur, & præter conſueta eriguntur duo ſuggeſtus hinc & inde extra cancellos capellæ, alter pro Imperatore ad ſiniſtram venientibus; alter à dextra pro Imperatrice. Atque Imperatrix quidem, antequam Pontifex deſcendat ad Eccleſiam, cum ſuis ornata, præueniens ſuggeſtum ſibi paratum conſcendit. Pontifex ſummo mane cum Cardinalibus, prælatis & aliis officialibus, ſub baldachino deſcendit ad Eccleſiam, & præmittit duos Diaconos Cardinales cum ſuis cappis laneis ad Cæſarem, qui eum congruo tempore ad Eccleſiam deducant. Cardinales igitur, qui ſunt cum Cæſare, vt primum cognouerunt Pontificem intraſſe Eccleſiam, & ipſi cum Cæſare & omni ſua comitatiua ad Eccleſiam deſcendunt; ibi à canonicis & collegio Eccleſiæ occurrenti recipitur. Ibique Cæſar deductus ad altare dictæ capellæ ſummo Pontifici & eius ſucceſſoribus iuramentum præſtat, in hac forma videlicet: *Ego N. Rex Romanorum adiuuante Domino futurus Imperator, promitto, ſpondeo & polliceor, atq; iuro Deo & beato Petro, me de cætero protectorem atq; defenſorem fore Pontificis & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus eius, cuſtodiendo & conſeruando poſſeſſiones, honores & iura eius, quantum diuino fultus adiutorio fuero ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Tum indutus ſuperpellicio & almucia recipitur à canonicis S. Petri in canonicum & in fratrem, quos omnes ſtans ante altare dictæ capellæ recipit ad oſculum pacis. Inde præcedente clero, & cantante reſponſum: *Petre amas me, &c.* alii Cæſaris proceres ſuo ordine ad portam deueniunt principalem ipſius baſilicæ, quæ argentea nominatur, & ex quinque media eſt. Interim duo Epiſcopi Cardinales veniunt ad prædictam portam, dum Cæſar adhuc eſt in dicta capella inter turres. Et ante eum iunior Epiſcopus Cardinalis ſtãs ſine mitra ſupra Cæſarem genuflexum orantem, dicit orationem: *Oremus, Deus in cuius manu corda ſunt Regum, &c.* Finita prima oratione, intrant Eccleſiam Cæſare incedente ſemper inter duos Diaconos Cardinales prædictos: & immediate præcedentibus duobus Epiſcopis Cardinalibus præfatis, & flectentes ad ſiniſtram perueniunt ad capellam ſancti Gregorii, vbi Imperator ſedens depoſita almucia primo induit ſandalia, deinde ſtans tunicellam, & demum Imperiale

Digitized by Google

paludamentum,& mox inde procedens ad medium Eccleſiæ,vbi rota porphiretica eſt,venit,& ibi ab alio Epiſcopo Cardinali ſibi aſſiſtente dicitur alia ſuper eum oratio,videlicet:*Deus inenarrabilis,&c.* Procedunt deinde ad confeſſionem B Petri ſub altare, vbi procumbit ſuper faldiſtorium Imperator, & duo Epiſcopi Cardinales aſcendunt capellam, & vadunt ad ſedes ſuas. Prior autem Diaconorum ac prior presbyterorum parati deſcendunt ad eum, atque hinc inde genuflectunt,& diaconus ipſe facit Litaniam procumbens ad ſiniſtram omnibus alta voce replicantibus & flexis genibus remanentibus. Finita Litania ſurgit prior presbyterorum,& ſuper Cæſarem adhuc procumbentem dicit: *Pater noſter,&c.* Et cum diacono his finitis reuertitur ad locum ſuum inter alios Cardinales. Dum vltimæ orationes dicuntur per presbyterum Cardinalem, prior Epiſcoporum Cardinalium cum pluuiali,ſtola & mitra deſcendit ad Imperatorem, & ſimul cum duobus diaconis,finitis orationibus, ducit illum ad altare Sancti Mauritii, vbi ſtans cum mitra vngit brachium dextrum Cæſaris & ſcapulas cum oleo exorcizans in modum crucis, & depoſita mitra dicit: *Oremus, Deus omnipotens, cuius eſt omnis poteſtas & dignitas, te ſupplici oratione atque humilima prece depoſcimus, vt huic famulo tuo N. proſperum Imperatoriæ maieſtatis concedas effectum, vt in tua protectione conſtituto, ad regendum Eccleſiam tuam ſanctam nihil ei præſentia officiant, futura nihil obſiſtant, ſed inſpirante ſancti Spiritus dono populum ſibi ſubditum æquo iuſtitiæ libamine regere valeat, & in omnibus operibus ſuis te ſemper timeat, tibique iugiter placere contendat. Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo participationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri vnguenti infuſionem Spiritus paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem,eandemque vſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inuiſibilia percipere,& temporali regno iuſtis moderationibus executo æternaliter conregnare ei merearis, qui ſine peccato Rex Regum viuit cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti, Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Interea adducitur Imperatrix ſi adeſt, & ſimiliter perungitur in eiſdem locis: deinde dicitur per eundem Cardinalem Epiſcopum oratio ſuper eam cum mitra, quia ad eam non ad eum oratio dirigitur: *Spiritus ſancti gratia noſtræ humilitatis officio copioſa in te deſcendat, vt ſicut manibus noſtris, licet indignis, oleo materiali oblinita pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnctione delibuta impinguari merearis interius, eiuſque ſpirituali vnctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente atque ſpernere diſcas & valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter optare atque operari queas, & opereris auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, &c.* Et hæc quidem fiunt ad altare Beati Mauritii, nam ad altare Beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, niſi Romanus Pontifex ſolus. His completis Imperatrix ad ſuum ſuggeſtum reuertitur,& Cæſar cum Epiſcopo Cardinali & Diaconis ad Pontificem. Diaconi acceptis ſuis dalmaticis & mitris in manibus vadunt ad reuerentiam Papæ, qui deſcendens de ſede ſua, procedit ad altare ſupplicabundus more ſolito: & recipit ad oſculum oris & pectoris tres presbyteros Cardinales aſſiſtentes. Deinde facit confeſſionem Cæſare ad dextram Epiſcopi Cardinalis aſſiſtentis genuflexo, ſuper ſuum faldiſtorium permanente. Facta confeſſione Pontifex accedit ad altare, oſculatur & incenſat, vt alias, deinde recipit ad oſculum oris & pectoris primo Cæſarem, deinde tres ſuos Cardinales Diaconos, & mox ad eminentem ſedem aſcendit, &

Cæſar ad ſuum ſuggeſtum cum ſuis principalibus & miniſtris deducitur. Cum Pontifex deceſſit à latere, miniſtri Cæſaris afferunt gladium cum ſua vagina & cingulo, coronam, ſceptrum & pomum, danda ſuo tempore Imperatori & Imperatrici, quæ per Sacriſtam & clericum ceremoniarum locantur ſuper altare. Interim vero dum Pontifex facit confeſſionem, incipit chorus Introitum & Kyrieel. Pontifex vero in ſede eminenti ſtans ſine mitra, legit Introitum, & procedit in Miſſa, vt alias, vſque ad dictam Epiſtolam & Graduale. Sed poſt orationem diei, dicit pro ipſo Imperatore hanc orationem: *Oremus, Deus regnorum omnium, &c.* Dum cantatur Graduale, Cæſar deſcendens è ſuggeſtu venit ad pedes Pontificis, deducentibus eum duobus diaconis Cardinalibus paratis, & vnus ex clericis Cameræ ex altari accipit gladium cum ſua vagina, & illum ad priorem diaconorum ſtantem ante Pontificem ad dextram portat, quem Pontifex vagina extractum de manu ipſius Diaconi accipiens, Imperatori ante ſe genu flexo in dextra manu tradit, ipſe cum mitra ſedens ac dicens: *Accipe gladium deſuper B. Petri, &c.* Finita oratione Diaconus accipit gladium, & reponit illum in vagina, quam habebat in manu, & ſimul cum Pontifice accingit illo Cæſarem dicente Pontifice: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum,* potentiſſime. Et *attende, quia ſancti non in gladio ſed per fidem vicerunt regna.* Accinctus gladio Imperator, & miles beati Petri effectus, ſurgens euaginat gladium: ter illum vibrat: deinde reponit in vagina: & iterum genuflectit: cui Pontifex pomum de altari & ſceptrum, vt de gladio dixi ad eum portato, in manu dextra pomum, in ſiniſtra ſceptrum ponit, dicens: *Accipe virgam virtutis atque veritatis, &c.* Demum Imperialem coronam cum ſua tiara allatam ſibi ex altari, imponit ſuper eius caput, dicens: *Accipe ſignum gloriæ, &c.* Et mox Imperator oſculatur pedes Pontificis, & ſurgens diſcingitur gladio, eumque armigero ſuo tradit. Et ipſe cum corona, ſceptro & pomo procedens, ab illis duobus Diaconis ducitur ad ſedem Imperialem paratam ſibi à dextra Pontificis inter Pontificem & priorem Epiſcoporum Cardinalium, quæ ſedes altior eſt ſedib. Cardinalium, & humilior papali ſede, habetque aureum pannum poſt tergum, & paruum ſcabellum ad pedes, & ibi ſedet, quouſque Imperatrix coronatur. Imperatrix vero ducitur ab eiſdem ad Pontificem, qui ſurgens ſine mitra ſuper eam genuflexam, dicit orationem incip. *Deus qui ſolus habes immortalitatem, &c.* Deinde ſedens cum mitra accipit coronam Imperialem de manu prioris Diaconorum Cardinalium ex altari allatam, & imponit ſuper illius caput dicens: *Officio noſtræ indignitatis N. Imperatrix ſolenniter benedicta, &c.* Et coronata ſtatim oſculatur pedes Pontificis: & ſurgens educitur tam ipſa quam Cæſar ſimul ad ſuos ſuggeſtus, vbi in ſedibus ſibi paratis locantur, & ſedentibus Imperatore & Auguſta in ſedibus cum Imperialib. ornamentis, laudes Dei & Diuorum cantãtur. Deinde Imperator corona & manto depoſitis, ſine ſceptro aut pomo deſcendit, & ad Pontificis pedes aurum offert quantum ſibi placet. Et ſimiliter poſt eum facit Imperatrix, quæ deinde non reuertitur ad ſuggeſtum, ſed procumbit ſuper faldiſtorium à dextra parte altaris ſibi paratum in loco, vbi non impediat credentiam, & ibi expectat vſque ad communionem. Imperator vero Pontificem ad altare deſcendentem ſequitur, & illi in locum Subdiaconi calicem & patenam cum hoſtiis offert: deinde aquam infundendam in vino. Et retrahens ſe ad partem dextram ſtat vſque quo Pontifex ad ſedem eminentem communicaturus reuertatur, quem Imperator ſequitur. Et ab eius manib. ipſe primo, deinde Auguſta ſacram corporis Chriſti communionem

ſumunt, poſtquam Pontifex cum Diacono & Subdiacono communicauerint. Nam Subdiaconus poſtquam cum Diacono communicauit de corpore & ſanguine Chriſti, accipit de manu Diaconi apud altare cum circulis & ceremoniis conſuetis duas hoſtias conſecratas pro Imperatore & Auguſta: & eas ad Pontificem portat.

Et percepto Sacramento Imperator quidem Pontificis faciem oſculatur; Auguſta vero manum: & deſcendentes ad altare de manu Diaconi vinum purificationis ſumitur; & deſcendunt ambo ad ſuos ſuggeſtus, ibique reſumunt Imperialia ſigna. Poſt communionem Pontifex deſcendit ad altare, & proſequitur Miſſam more conſueto. Et in fine dat benedictionem ſolennem, dicens: *Sit nomen Domini, &c.* Et publicantur immediate indulgentiæ per vnum ex Diaconis aſſiſtentibus ſiue plenariæ, ſiue vt Pontifici placuerit: Tum Cardinales & prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas cappas, Pontifex vero dimiſſis miſſalibus indumentis, accipit Pluuiale & mitram pretioſam, & cum Imperatore deſcendit ad gradus baſilicæ ſub eodem baldachino; Si eſt Dominica *Lætare,* Pontifex portat ſiniſtra roſam auream, dextra benedicit, aſſiſtentibus atque hinc inde eleuantibus fimbrias Diaconis. Hanc autem auream roſam Pontifex antequam ad Eccleſiam deſcendat, in camera Papagalli benedicit cum *balſamo & muſco*, quod ſingulis annis fit in tali die. Si vero eſſet alius dies, dextra ſicut ſiniſtra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus à ſiniſtris retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate eleuabit fimbriam à dextris, caudam vero portabit maior Princeps, etiamſi erit rex. Princeps vel rex & prælati qui venerunt cum Cæſare, dum Miſſarum & coronationis ſolemnia fiunt, ſemper Cæſarem ſequuntur, & cum ipſo in ſuo ſuggeſtu conſiſtunt ſemper. Et ſimiliter, qui cum Auguſta, eam ſemper comitantur aſſiſtuntque; quæ finita Miſſa, dimiſſis Pontifice & Imperatore in Eccleſia ad domum ſuam cum ſuis reuertititur.

Cæſar vero cum corona in capite, ſceptro & pomo in manibus ad latus Pontificis incedit, niſi illius manu ducatur: quia tum pomum, vel ſceptrum tantum in ſiniſtra retineret. Cum ad finem graduum peruenerit, traditis ſceptro & pomo vni ex ſuis, præuenit ad equum Pontificis, & in honorem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cuius vices Pontifex in terris gerit, tenet ſtapham quoad Pontifex equum aſcenderit. Et deinde accepto equi freno per aliquos paſſus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc humilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modeſte recuſare, & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in perſonam ſuam, ſed illius, cuius locum tenet, recipiendo permittit illum aliquantulum progredi, tum firmat ſe, & nullo pacto permittit Cæſarem vlterius ire: qui mox conſcenſo equo ſuo accedit ad ſiniſtrum latus Pontificis, & ſub eodem baldachino equitat. Et hoc ordine procedunt. Primum, procedant familiæ Cardinalium, cum ſuis Valiſiis, & ſimul mixtæ familiæ Prælatorum Principum, & omnium curialium tam Cæſaris, quam Pontificis, deinde duo cum Valiſiis Pontificis, inde familiares domeſtici Imperatoris, & poſt eos familiares Papæ, tum nobiles, Barones, Comites minores vtriuſque: equus cum ſcala Papæ, tum vexilla rubea, quæ duodecim curſores portant. Deinde vexillum populi Roman. vexillum Imperii, vexillum Papæ, vexillum

Eccle-

Eccleſiæ, vexillum Crucis, cum vexilliferis armatis, & ornatis, vt in coronatione Papæ. Hos ſequuntur duodecim equi albi phalerati ſine ſeſſoribus. Deinde quatuor nobiles portantes pilea ex Cramelino, quatuor Papæ cum baculis, quibus ſuccedunt Aduocati & Secretarii mixtim ſecundum prioritatem officii præcedentes cum ſuis Caputiis circa collum, quos tamen præcedunt Secretarii Imperatoris. Tum ſequuntur Cubicularii etiam cum ſuis Caputiis: inde Acoluthi, clerici Cameræ Apoſtolicæ, & poſt eos ſtatim auditores cum rochettis & cappis. Deinde Subdiaconi cum cruce Papali, cum galero Indici coloris, & cum aliis Subdiaconis cum cappis vt alii: tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes, deinde equus albus phaleratus cum tintinabulo portans Sacramentum, & ſuper Sacramentum Baldachinum per ciues Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, ſiue per duodecim beneficiatos Sancti Petri cum ſuperpelliciis, & melius, vt vidi ſeruari per D. Iulium Papam Secundum. Poſt Sacramentum equitat Sacriſta cum ferula alba. Inde, ſi qui ſunt maximi Domini, Principes aut Duces: Principes electores immediate ante Cardinales procedunt. Et ſi quis adeſſet frater, aut filius Imperatoris, iret medius inter iuniores Diaconos Cardinales: Rex iret à ſiniſtris ſenioris Epiſcopi Cardinalis. Et ſi plures adeſſent Reges, locarentur cum aliis Epiſcopis Cardinalibus; ſequuntur duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes Pontifici.

Et ſi cum Cæſare eſſent duo Principes Electores, qui præferrent gladium & pomum Cæſaris, iſti deberent ire immediate ante Cæſarem, ſicut Diaconi ante Pontificem: & quando via eſſet arcta, irent ante ipſos Diaconos, aſſiſtentes, ſi vero non ſint Principes Electores qui portant illa, videlicet gladium, pomum, ſeu ſceptrum, (nam alterum iſtorum duorum portabit Imperator) illi duo vadant ſimul cum Subdiacono, qui portabit crucem, & illum in medio habeant. Sequitur Pontifex ſub Baldachino, & Imperator cum ſua corona, & imperiali habitu à ſiniſtris.

Poſt Pontificem ſequuntur duo Cubicularii ſecreti cum ſeruiente de mitra, & duo Medici cum Secretario; ſi non ſit prælatus. Et poſt Imperatorem duo Camerarii ſint cum vno Secretario. Inde equitabit ſeruiens armorum cum vno Secretario cum Vmbella, deinde prælati aſſiſtentes Papæ. Et ſi quis Archiepiſcopus Princeps Elector Imperatoris adeſſet, iret ante aſſiſtentes Papæ: poſt quos ibunt prælati aſſiſtentes, ſiue Conſiliarii Imperatoris cum cappis, & galeris, vt alii prælati: alioquin non irent inter Cappatos. Sequuntur deinde Prælati, Oratores, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, & Abbates Cappati, & Pileati, & demum alii curiales togati, tam Papæ, quam Cæſaris. Hoc ordine recta via per campum florum, & Iudæorum plateam deuenient ad Eccleſiam S. Mariæ in Coſmedim.

Et ibi Pontifex, ſi roſam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat. Et ad dextram conuerſus per transtiberim cum ſuis omnibus ad palatium reuertitur. Cæſar autem via, qua ſibi melius placet, roſam manu geſtans ad pontem Adrianum redit, vbi viros complures, & de ſe optime meritos equeſtri dignitate inſignire ſolet.

Quo facto, ad Lateranum cum ſuis progreditur. Canonici & Capitulum

Eccleſiæ

Eccleſiæ ſupplicabundi Cæſari in porta principali occurrentes illum honorifice ſuſcipiunt,& poſtquam crucem,& reliquias oſculatus fuerit, incenſant, & præcedentes,atque cantantes, *Te Deum laudamus*, ad altare maius deducunt: vbi procumbens ſuper faldiſtorium,orat detecto capite:deinde ſurgens oſculatur altare. Tum reaſſumpta corona recipitur in Canonicum,& in fratrem Eccleſiæ Lateranenſis, & Canonicos omnes recipit ad oſculum pacis

Quibus finitis aſcendit ad palatium Lateranenſe, & cum ſuis celebrat ſolenne conuiuium ſuis moribus,& ceremonijs. Deinde ſi placet recurrit ad palatium Apoſtolicum ad cameras ſuas. *Hæc omnia extant in tract. ceremoniarum ſacrarum Roman.Eccleſ.*

PH. Hæc ſane ita euenire quandoq; non diffiteor, quando nimirum Imperatores ſponte ſe ſubmittunt Pontifici; at ſunt nonnulli,qui Pontificẽ à deciſione negociorũ politicorum eorumq; præcipue quæ regno ũ conſtitutiones Imperatorumque ac Principum electiones concernunt,omnino excludunt;habere enim Pontificem quæ in Eccleſia agat; quinetiã ſat ipſis virium eſſe atque ingenii, proindeque Pontificum conſiliis non vſqueadeo opus habere, eo quod Deus ipſe ordinem hunc politicum tueri velit,modo conſilio & prudentia ſeſe regi patiantur, quam quidem largiri Deum haud obſcure innui dicunt, ꝙ ipſe in Pſalmis: *Nonne* (inquit) dixi, ꝙ dii eſtis. Et profecto, nõ ſemper tantę fuiſſe auctoritatis *Pontifices* Roman. apud Imperatores pręteritorum temporum ex hiſtoriis ſatis conſtat. Sufficiat vel vnicum de Friderico I. Imperatore exemplum. Cum enim (vt Radeuicus de geſtis Friderici I. lib. 1. cap. 8. ſcribit) Romanus Pontifex Adrianus coram ipſo Friderico I. Imp. qui coronari ſe ab Adriano poſtulabat, de iniuria ſibi per ipſum illata conquereretur, quod deſcendenti ex equo Pontifice, ſiniſtram ſellæ ſtrepã tenuerit,cum dextrã tenere debuiſſet; Fridericus ſubito hac Pontificis oratione cõmotus,paulumq; ſubridens,minime ſe ſtuduiſſe apprehendendis ſtrepis, reſpondit: Tu (inquiens) pater primus es,cui tali officio deſeruimus. Et bile inter perorandum creſcente, addidit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito ſit,an ex beneplacito? Quod ſi ex beneuolentia deſcendit, quis cauſabitur cauſam in ſpontaneo? ſin ex debito, parum intereſſe putamus,quo latere acceſſerit, qui venerabundus accedit.

Dura ſunt etiam,quæ Ottho Friſingenſis Epiſcopus Fridericum I. Imperatorem Romanis in hoc ipſo actu reſpondiſſe, *lib. 2. cap. 21.* ſcribit: Romanorum (inquit) ciues de Principis (Friderici) aduentu cognoſcentes, prætentandum ipſius animum legatione adiudicarunt. Ordinatis ergo legatis induſtriis & literatis, qui cum inter Sutrium & Romam adirent,accepto prius de ſecuritate viatico, ſicque præſentatis regalis excellentiæ conſiſtorio viris, taliter exorſi ſunt: Vrbis legati nos,vrbis non paruum in momentum rex optime ad tuam à Senatu populoque Romano deſtinati ſumus excellentiam. Audi ſerena mente,benignis auribus,quæ tibi ab alma orbis domina deferuntur vrbe, cuius in primo,adiuuante Deo,futurus es Princeps,Imperator & Dominus. Pacificus ſi veniſti, imo quia vt arbitror, veniſti,gaudeo. Orbis Imperium affectas,coronam præbitura gratanter aſſurgo, [illegible]ocanter occurro. Cur n. ſuum viſitaturus populum non pacifice adueniret, non [illegible] munificentia reſpiceret,qui indebitum clericorum excuſſurus iugum, i[illegible] magna ac diutina expectatione præſtolatus eſt aduentum? Reuertantur opto [illegible] tempora, redeant rogo inclytæ vrbis priuilegia, orbis vrbs ſub hoc Principe

cipere recipiat gubernacula, refrenetur hoc ſinperatore, ac ad vrbis reducatur monarcham orbis inſolentia. Tali rector, Auguſti ſicut nomine, ſic induatur & gloria. Scis quod vrbs Roma ex ſenatoriæ dignitatis ſapientia ac equeſtris ordinis virtute & diſciplina à mari vſque ad mare palmites extendens, non ſolum ad terminos orbis dilatauit, quin etiam Inſulas extra orbem poſitas orbi adiiciens, principatus illic propagines propagauit. Non illos procelloſi fluctus æquorum, non hos ſcopuloſæ & inacceſſibiles rupes alpium tueri poterant, Romana virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longe poſitis à nobis principibus noſtris, nobili illo antiquitatis inſigni, Senatum loquor, ex inerti quorundam deſidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui neceſſe fuit. Aſſurrexi, tuæ ac diuæ Reipublicæ profuturus gloriæ, ad ſacroſanctum vrbis Senatum equeſtremque ordinem inſtaurandum, quatenus huius conſiliis, illius armis, Romano Imperio tuæque perſonæ, antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nonne etiam remunerabile iudicabitur tam inſigne facinus, tamque tuæ competens auctoritati? Audi ergo Princeps patienter & clementer pauca de tua ac de mea iuſtitia, prius tamen de tua quam de mea. Etenim, *Ab Ioue principium*: Hoſpes eras, ciuem feci, aduena fuiſti ex Tranſalpinis partibus, Principem conſtitui. Quod meum iure fuit, tibi dedi. Debes itaque primo ad obſeruandas meas bonas conſuetudines legesque antiquas mihi ab anteceſſoribus tuis, Imperatoribus, idoneis inſtrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, ſecuritatem præbere: officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, vſque ad quinque millia librarum expenſam dare, iniuriam à republica etiam ad effuſionem ſanguinis propellere, & hæc omnia priuilegiis munire, ſacramentique interpoſitione propria manu confirmare. Ad hæc rex tam ſuperbo quam inuſitato orationis tenore iuſta indignatione inflammatus, curſum verborum illorum de ſuæ reipublicæ ac Imperii iuſtitia, more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus ſermonem producturum interrumpit, & cum corporis modeſtia orisq; venuſtate regalem ſeruans animum, ex improuiſo non improuiſe reſpondit: Multa de Romanorum ſapientia ſeu fortitudine hactenus audiuimus, magis tamen de ſapientia. Quare mirari ſatis non poſſumus, quod verba veſtra plus arrogantiæ tumore inſipida, quam ſale ſapientiæ condita ſentimus. Antiquam tuæ proponis vrbis nobilitatem, diuæ tuæ reipublicæ veterem ſtatum ad ſydera ſuſtollis. Agnoſco, agnoſco, & vt tui ſcriptoris verbis vtar: fuit, fuit quondam in hac Republica virtus. Quondam dico, atque vtinam tam veraciter, quam libenter, nunc dicere poſſemus. Senſit Roma tua, imo & noſtra viciſſitudines rerum. Sola euadere non potuit æterna lege ab auctore omnium ſancitam cunctis ſub lunari globo degentibus ſortem. Quid dicam? Clarum eſt, qualiter primo nobilitatis tuæ robur ab hac noſtra vrbe tranſlatum ſit ad Orientis vrbem regiam, & per annorum curricula, vbera delitiarum tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Superuenit Francus, vere nomine & re nobilis, eamque quæ adhuc reſidua in te fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere antiquam tuæ Romæ gloriam, ſenatoriæ dignitatis grauitatem, tabernaculorum diſpoſitionem, equeſtris ordinis virtutem & diſciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Noſtram intuere rempublicam. Penes nos cuncta hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium: virtute ſua amictum venit, ornamenta

namenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt conſules tui, penes nos eſt Senatus tuus: penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi te conſilio regere, equites Francorum ipſi tuam ferro iniuriam propellere debebunt. Gloriaris me per te vocatum eſſe, me per te primo ciuem poſt Principem factum, quod tuum erat, à te ſuſcepiſſe. Quæ dicti nouitas quam rationi abſona, quam veritate vacua ſit, æſtimationi tuæ prudentumque relinquatur arbitrio. Reuoluamus modernorum Imperatorum geſta, ſi non diui noſtri Principes, Carolus & Otto nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam Græcis ſeu Longobardis vrbem cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Docet hæc Deſiderius & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam principibus innitebaris. Eos à Francis noſtris non ſolum ſubactos & captos fuiſſe, ſed etiam in ſeruitute ipſorum conſenuiſſe, vitam finiiſſe, vera relatione didicimus. Cineres ipſorum apud nos reconditi euidentiſſimum huius rei repræſentant indicium. Sed dicis, vocatione mea veniſti. Fateor, vocatus fui, redde cauſam, cur vocatus fuerim. Ab hoſtibus pulſabaris, nec propria manu Græcorumve mollitie liberari poteras, Francorum virtus inuitatione adſcita eſt. Implorationem potius quam vocationem hanc dixerim. Imploraſti miſera fœlicem, debilis fortem, inualida validum, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus, ſi vocatio dicenda eſt, veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps vſque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis, ſi poteſt, clauam de manu Herculis. Siculus in quo confidis, forte hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla, nondum facta eſt Francorum ſiue Teutonicorum manus inualida. Deo largiente, vitaque comite, & ipſe temeritatis ſuæ quandoque capere poterit experimenta. Iuſtitiam tuam quam tibi debeam, exquiris. Taceo quod Principem populo, non populum Principi leges præſcribere oporteat. Prætermitto, quod quilibet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſſurus nullum conditionis præiudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis, vt mihi videtur, trium ſacramentorum exactionem. De ſingulis reſpondeo. Dicis me debere iurare, vt leges anteceſſorum meorum Imperatorum, eorum priuilegiis tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas obſeruem. Apponis etiam, quod patriæ vſque ad periculum capitis, tuitionem iurem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo. Ea quæ poſtulas, aut iuſta ſunt, aut iniuſta. Si iniuſta ſunt, nec tuum erit poſtulare, nec meum concedere. Si iuſta, recognoſco me hæc & debendo velle, & volendo debere. Quare ſuperfluum erit voluntario debito, & debitæ voluntati ſacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam iuſtitiam infringerem, qui quibuſlibet infimis etiam quod ſuum eſt, ſeruare cupio? Quomodo patriam & præcipue Imperii mei ſedem, vſque ad periculum capitis non defenderem, qui & ipſius terminos non ſine eiuſdem periculi æſtimatione, quantum eſt in me, reſtaurare cogitauerim? Experta eſt hoc Dania nuper ſubacta, Romanoque reddita orbi, & fortaſſe plures prouinciæ pluraque ſenſiſſent regna, ſi præſens negotium non improbari à mea deberet perſona. Proh nefas. A tuo Roma exigis principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab inſtitore. A captiuis hæc penes nos exiguntur. Num in captiuitate detineor? Num vinculis hoſtium vrgeor? Nonne multo & forti ſtipatus milite inclytus ſedeo? Cogetur Princeps Romanus contram ſuam voluntatem cuiuſlibet præbitor eſſe, non largitor? Regaliter & magnifice hactenus mea cui libuit & quantum decuit, & præcipue bene de me meritis

ritis

-itis dare conſueui. Sicut enim à minoribus debitum rite expetitur obſequium: ſic à maioribus meritum iuſte rependitur beneficium: hunc quem alibi à diuis parentibus meis acceptum ſeruaui morem, ciuibus cur negarem? vrbemque meo introitu lætam non facerem? Sed merito non iuſta iniuſte petenti, cuncta iuſte negantur. Hæc dicens, non ſinecondigna mentis indignatione, orationem terminans conticuit. Porro quibusdam ex circumſtantibus inquirentibus ab his qui miſſi fuerant, an plura dicere vellent, pauliſper deliberantes in dolo reſponderunt, ſe prius ea quæ audierant, conciuibus ſuis referre, & tunc demum ex conſilio ad Principem redire velle. Sic accepto commeatu, à curia egredientes, ad vrbem cum feſtinatione reuerſi ſunt. Hucuſque Otto Friſingenſis.

Quid quod etiam inſequenti tempore, cum Pontifex per legatos ſuos ob captum Lundéſem Epiſcopum cum Imperatore Friderico expoſtularet ipſum monens, vt præ oculis haberet, quod inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiſſet, inſuper quoque Legatus Pontificius, cum ob inſolitam hanc legationem optimates regni exacerbati fuiſſent, ſubdidiſſet: *A quo ergo habet, ſi à Domino Papa non habet Imperium?* omnes proceres tanta ira exarſere, vt Otto de Wittelsbach ſtricto enſe, quem ante Imperatorem progerebat, in legatum irruerit, confoſſurus, niſi Imperator interceſſiſſet. Cum etiam deinceps Pontifex ſuper hac iniuria legatis ſuis illata peculiari, eoque ſatis acri ſcripto apud Imperatorem quereretur, atque cum ipſo de rebus omnibus expoſtularet, cuius quidem hoc exemplar eſt: *Adrianus Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, Friderico, Roman. Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lex diuina, ſicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro & S. Romanæ Eccleſiæ, non quantam deberes, exhibere reuerentiam videris. In literis enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis: in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & iurata, quomodo eam obſerues; cum ab his qui Dei ſunt & filii excelſi omnes (Epiſcopis ſcilicet) homagium requiris fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas tuis manibus innectis: & manifeſte factus nobis contrarius, cardinalibus à latere noſtro directis non ſolum Eccleſias, ſed & ciuitates regni tui claudis? Reſpice ergo, reſpice, tibi conſulimus: quia dum à nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa aptas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus.*

Imperator duriter his verbis reſcripſit: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Adriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ cœpit Ieſus facere & docere. Lex iuſtitiæ vnicuique quod ſuum eſt, reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus noſtris & regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Nunquid tempore Conſtantini Syluester regale aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed eius pietatis conceſſione libertas conceſſa eſt Eccleſiæ, pax reſtituta eſt: & quicquid Papatus veſter regalis habere dignoſcitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Romano Pontifici ſcribimus, iure antiquo & nomen præponimus, & ad iuſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Reuoluite annales; & ſi lectũ neglexiſtis, quod aſſerimus, illic inuenitur. Ab his autem qui Dei ſunt per adoptionẽ, & regalia noſtra tenent, cur homagiũ & regalia ſacramenta nõ exigamus, cum ille noſter & veſter inſtitutor, ab homine rege nihil accipiens ſed omnia bona omnib. cõferens, qui pro ſe & Petro cẽſum*

Cæſari perſoluit, & exemplum nobis dedit, vt ita faciatis, doceat vos. dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant; aut ſi hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſoluant. Cardinalibus vtique veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent ciuitates: quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cum autem viderimus eos quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate, neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare non differemus. Humilitatis autem quæ eſt cuſtos virtutum & manſuetudinis veſtræ, non minimam notam inuritis, cum huiuſmodi quæſtiones religionis non multum conferentes ſecularibus perſonis proponitis. Prouideat itaque paternitas veſtra, ne dum talia mouet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam vſque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper prouidentes, bene ſemper valete. Hucuſq; reſponſum Cæſaris.

TH. Hoc eſt, quod antea dixi, nō interponemus nos huiuſmodi dirarum controuerſiarum quæ nil præter mortem ac ſanguinem, plerumq; gignunt, arbitros. An de iure, an de conſuetudine, an de facto habeat Pontifex Roman. conferendi inſignia Imperialia poteſtatem, nihil moror.

EQ. Occurrit mihi iam prudens factum Cardinalis cuiuſdam Romani opulentiſſimi. Is cum iam eſſet grandæuus, cognatique ac conſanguinei eius continue etiam in ipſius præſentia, rixarentuur, quis illorum ad ineundam hereditatem ipſo defuncto foret proximior, peterentq; ob id ab ipſo, vt teſtamentum condere vellit, quo litibus atque controuerſiis huiuſmodi, via præcluderetur. Promiſit ſe id facturum. Præſtitit etiam. Inuentum eſt poſt ipſius mortem Pergamen magnum, diligenter complicatum, ſigillumque appenſum, cum inſcriptione exteriori, ea in parte, vbi complicatum erat: *Teſtamentum Cardinalis, &c.* Heredes hoc viſo auide expectarunt eius aperitionem. Tandem aperto atque explicato inuenerunt inſcripta hæc verba: *Animam meam committo Deo, corpus terræ, & bona mea iis quibus de iure debentur.* Præterea nihil. Norat videlicet vir prudentiſſimus, incaſſum ſe diſpoſiturum aliquid huiuſmodi harpyiis, cum necdum ſatiati, ſemper aliquid habituri forent, quod vnguibus impetant.

TH. At interim tamen negandum nō eſt, ſummū honorem à ſummis pleriſq; viris ſummo deferri Pontifici, quippe quē pro capite agnoſcunt Eccleſiæ vniuerſali, vſqueadeo vt etiam auctor ſacrarum ceremoniarū Rom. Eccleſ. non vereatur modum ac formam præſcribere honorandi Pontificem. Omnes mortales (inquit lib. 2. c. 3.) cuiuſcunq; ſint dignitatis & præeminentiæ, cum primum in cōſpectum Pontificis aduenіunt, diſtantib. ſpatiis ter debent ante illum genuflectere, & in honorem Saluatoris noſtri, cuius vices in terris agit, eius pedes oſculari. Imperator, reges, maximi Principes, principum ſeu potentum Oratores, prima vice ad oſculū manus & oris recipiuntur, alii ad pedes tantum. Cardinales vero profunde ſe inclinant bis, & tertio flectunt genu nouiter venientes, & oſculantur pedem Pontifici ſacra tractanti. Cardinales dextram manum ſub auriphrigio pluuialis oſculantur: Epiſcopi parati genu tantum; Imperator, reges & maximi principes manū & pedē.

PH. Qualem vero viciſſim ſummus Pontifex reuerentiam ſuis tribuit cultoribus. Honor quippe, vt recte Ethicorum ſchola docet, non eius eſt cui tribuitur, ſed eius qui tribuit.

TH. Iudi-

Digitized by Google

TH. Iudicet quod volet ſchola Ethica. Summus Pōtifex nemini omnino mortalium reuerentiam facit, aſſurgendo manifeſte, aut caput inclinando ſeu detegēdo, Romanorum tamen Imperatori, poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis & manus ſuſcepit, aliquantulum aſſurgit, ad oris oſculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens. Idem aliquando facit & magnis Regibus. Cæteros omnes tam Principes quam Prælatos, cuiuſcunq; dignitatis ſint, cum ad oris oſculum eos recipit, non aſſurgit, ſed ſedens recipit. Conſueuerunt tamen Pontifices Cardinalibus & maximis Principibus priuatim aduentantibus & reuerentiam facientibus, cum non ſint in Pontificalibus, aliquantulum caput inclinare, tanquā reuerentiā reddentes. Et hoc non ex officio, ſed ex laudabili humanitate. Hæc ſunt verba formalia auctoris tractatus Ceremoniarum ſacrarum *lib.2. cap.2.* qui huiuſmodi actibus non ſemel oculatus ſpectator interfuit.

PH. At hæc videntur quadantenus ſapere faſtum atq; arrogantiam, quæ tamen à tali viro debent eſſe alieniſſima?

TH. Itaque ne arrogantiæ poſſit inſimulari, idipſum humilitatis atque ſeruitii cuiuſdam ſpecimine compenſat, dum tredecim (exempli gratia) quotannis pauperibus pedes, exemplo Chriſti lauat. Cuius modum ac veluti ſtructuram atq; apparatū ſæpedictus ſacrarū ceremoniarum auctor his verbis deſcribit: Cum, inquit, Papa peruenerit ad aulā ad hoc paratā, ſint ibi ordinati tredecim pauperes in albis veſtibus nouis à Pōtifice ſibi datis, ſedentes ſuper ſcamnis altis bene ornatis. Credentia ornata ſit cum floribus & herbis odoriferis, vaſis cum aqua calida & frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet peluibus tredecim cum totidem vaſis aqua calida impletis. Item tredecim mappulis in alio bacili. Item aurei Papales tredecim duplices, ſiue viginti ſex ſimplices, & totidem nummi argentei pro eleemoſyna pauperum. Nam Papa dat cuilibet pauperi vnum aureum duplicem, vel duos ſimplices, & totidem argenteos: & hi in aliquo vaſe diſponuntur, duo vaſa pro lauandis manibus Papæ cum ſuo mantili. Item paretur etiam pulpitum cum ſuo pallio albo pro Euangelio, & liber Euangeliorum, ac aliud pulpitum pro Cantoribus, duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum nauicella, & incenſo, quæ Acoluthi teneant, ſedes Pontificalis in plano, pluuiale rubrum & ſimplex, & ſtola violacea pro Pontifice, & liber pro oratione. Cum peruentum fuerit ad locum, Papa exuit pluuiale precioſum, & induit ſimplex, & ſedet in ſede ſua cū ſimplici mitra. Tum Acoluthus cum thuribulo accedit, & miniſtrante primo presbytero Cardin. vel digniore alio poſt eum in eius abſentia, Papa imponit incenſum more conſueto. Deinde Diaconus Cardinalis, paratis ſacris veſtibus librum tenēs ante pectus, ſtans ante Pontificem detecto & inclinato capite, petit benedictionē, dicēs: *Iube Domine benedicere.* Deinde vadit ad pulpitū, poſt quod ſtet Subdiaconus Apoſtolicus tunicella & aliis paramentis indutus, tenens librum more ſolito. Et Diaconus dicit: *Dominus vobiſcum.* ſignat, incenſet, & cantet Euangelium. Quo finito ceroferarii reuertuntur ad Credentiam, & clerici capellæ amouent pulpitū. Subdiaconus autem portet librum oſculandum Pontifici, & Diaconus qui Euangelium dixit, illo finito Papam incenſat. Cantores finito Euangelio cantant: *Mandatum nouum.* Papa tunc ſurgit, extrahitur ei pluuiale, & portatur ex Credentia linteum per Auditorem ſeniorem minore Auditore ipſum præcedente, quo Papa per Cardinales aſſiſtentes præcingitur, & præcinctus deſcendit, & genuflexus cum mitra ſimplici ante primum pauperem aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus,

nalibus, lauat ei pedem dextrum, quem Subdiaconus tunicella indutus à dextris Papæ genuflexus tenet, vnus ex cubiculariis (nam per ordinem veniunt vnus poſt alium cum pelui & aqua) ad ſiniſtram Papæ genuflexus, ſiniſtra ſua vas tenet, & dextra ex aquiminario aquam tepidam miſcet: lotum pedem Papa ſtatim mantili tergit, oſculatur. Theſaurarius, vel in eius abſentia vnus ex clericis Cameræ tenet peluim cum pecuniis, & alius ex clericis vas cum mappulis, & cum Papa oſculatus eſt pedem, dat lauato mappulam, cum qua eum exterſit, & aureum duplicem, vel duos ſimplices cum tot argenteis.

Idem facit ſucceſſiue ſingulis, & pro ſingulis portentur per alios cubicularios ſingula vaſa. Lotis omnibus, Papa reuertitur ad ſedem ſuam, ſedetque & lauat manus cum ceremoniis conſuetis. Deinde ſurgit, & dicit *Pater noſter*, ſecrete, poſtea, *Et ne nos, &c.*

Duo interim acoluthi ante ipſum duo candelabra cum luminaribus tenent. His finitis Papa omnibus præſentibus nihil dicens, intrat cameram, & omnes deſcendunt. Omnes prælati, qui mandato huiuſmodi ſeu lotioni intereſſe voluerint, debent habere cappas, prout in capella habere conſueuerunt, & non mantellos.

Notandum, quod ante Sixtum Papam proceſſus ſolebant legi & benedictio ſolemnis dari plerunque ante Miſſam. Deinde dicebatur Miſſa, & Sacramentum poſt communionem portabatur ad loculum pro die craſtina per Diaconum ſecundum Rubricam communem, & aliquando per celebrantem, ſociantibus tantummodo miniſtris altaris cum luminaribus, & illis reuerſis finiebatur Miſſa, & in fine proceſſus non erant lecti ſupplicantium more, illuc proficiſcebatur Pontifex cum omnibus ordinibus Curiæ, & legebantur, & in fine fiebat mandatum, vt dictum eſt. Sixtus autem præfatus conſiderans, Saluatorem noſtrum non poſſe à nobis ſatis laudibus venerari, ordinauit modum ſupradictum. Finita Miſſa poſtquam Papa diſceſſerit, Forerii debent nudare totam capellam, altare, ſedem Papæ, & omnia.

EQ. Hoc modo atque his præparamentis ſi inſtructus forem, & ipſe pauperib. quotannis lauare pedes non abnuerem, emolumentumq; ſi caperem, libenter admodum ſuſtinerem quoque onus.

TH. Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Nec cuiuis lauanti aliorum pedes, talis recompenſa obuenit, ſed illis duntaxat, quibus per electionis ſuffragia ius acquiritur. Multa enim ſunt, quæ certis officiis atque functionibus ſunt deſtinata, aliis vero conceduntur minime, attentataque pro infectis habentur. Eſt inter cætera multa illud de canonizatione Sanctorum, quæ ſoli Pontifici Maximo attribuitur, cæteris cuiuſcunque conditionis ſint, non item.

PH. Sanctitatem conſiſtere ego opinor non in huius vel illius hominis opinione ac pronunciatione, ſed in vitæ innocentia. Quemadmodum enim, vt Iuriſconſultorum ſchola loquitur, fruſtra eum leges abſoluunt, quem propria damnat conſcientia; ſic fieri fortaſſe poteſt, vt aliquis reputetur ſanctus, qui tamen minime ſanctus, ſed hypocrita fuit; iudicia namque hominum ſæpenumero fallunt ſimul & falluntur, quippe cor hominis inſcrutabile eſt.

EQ. Tu Catonem, imo Momum prope agis, atque Scholaſticorum etiam in

morem

morem omnia in dubium vocas. At memineris, nos hic non in eum finem conueniſſe, vt comice aut ſcholaſtice digladiemur, ſed vt amice conuerſemur, ipſamque rem de qua agimus, nude ac fideliter recenſeamus, recteque an ſecus hoc vel illud fiat, aliis diſceptandum relinquimus. Audire igitur ex Domino Theologo perquam velim, qua via in canonizatione Sancti alicuius procedatur.

THEOL. Auctor ceremoniarum ſacrarum exacte hanc viam exprimit. Eius verba ſi audias, habebis integrum canonizandi actum. Attende igitur; Poſtquam (inquit) increbreſcente fama de excellentia vitæ, opinione ſanctitatis & miraculorum coruſcatione ſummus Pontifex ſæpe fuerit per Reges, Principes, ſeu populos certior factus, rogatuſque vt aliquem vita iam functum aſcribendum in Sanctorum catalogo, & venerandum vt Sanctum decernat. Re cum fratribus mature tractata, ſi procedendum ad inquiſitionem cenſuerit, committat aliquibus prælatis in illis partibus, vbi vitam duxit, & mortuus iacet ille, de quo agitur, vt ſe diligenter informent & ſolerter inquirant de fama, opinione, & deuotione populorum circa illum talem: quam inquiſitionem in genere & ſine teſtium iuridica examinatione facere debent: & quæ inuenerunt, ſuis literis ad ſummum Pontificem fideliter referre.

Pontifex intellecta commiſſariorum relatione, proponit omnia ſacro collegio, & cum eis deliberat, an ſatis digna videantur, quæ relata ſunt ad vlterius inquirendum.

Quod ſi placuerit, committatur iiſdem vel aliis prælatis, vt diligentiſſime inquirant de veritate rei, teſtes examinent, & omnia perſcrutentur, quæ ad veritatem eliciendam ſunt opportuna. Et debent his commiſſariis articuli & interrogatoria mitti ſub Bulla Apoſtolica: cum quibus examinare debent teſtes de excellentia & ſanctimonia vitæ, de puritate fidei, de patratione miraculorum: & illis mandare, vt depoſitiones teſtium, & omnia fideliter per literas ſuis ſigillis ſignatas ad Curiam tranſmittant.

Quibus receptis Pontifex committat illa examinanda aliquibus Auditoribus ſacri palatii, qui videant, & ordinent proceſſum, & videant, an inquiſitio & probatio eſt legitima & ſufficienter facta.

Deinde ſi retulerunt rem bene eſſe paratam, iterum de conſilio fratrum committat tribus Cardinalibus, Epiſcopo, Presbytero & Diacono, qui diligenter examinent inquiſitionem, probationes, & depoſitiones teſtium: & cōſiderent ſolertiſſime omnia conſideranda, & cum placuerit Pontifici, referant in ſecreto conſiſtorio. Et primo de excellentia vitæ & fidei puritate. Quæ ſi iudicabuntur collegio bene probata & digna ſanctificatione, tunc procedent ad narrationem & probationem miraculorum, & de conſenſu Cardinalium finiet ſummus Pontifex vitam & miracula: quæ ita erunt ſufficienter eſſe probata.

Deinde deliberabunt, an quæ probata ſunt, videantur talia, propter quæ merito ſit decernenda canonizatio. Tunc ex conſilio fratrum definit Pontifex canonizationem eſſe faciendam. Fit poſt hæc publicum conſiſtorium, in quo Pontifex cum pluuiali rubeo & mitra precioſis reſidet, & Aduocatus cauſæ longa oratio-

oratione proponit vitam, geſta & miracula canonizandi; & demum ſupplicat nomine Principum & populorum, qui de ea re ſcripſerunt, bonæ memoriæ talem aſcribendum eſſe à ſua ſanctitate in Catalogum Sanctorum Chriſti: Vtque à cunctis fidelibus pro ſancto veneretur, decernendum. Pōtifex audito Aduocato, laudat eius facundiam: dicit libenter ſe audiuiſſe tam mirāda illius viri præconia: velle tamen ſuper hac re maturius cum fratribus ſuis deliberare, hortari atque monere omnes, vt diuinam clementiam implorent, quatenus dignetur inſpirare in mente ſua & fratrum ſuorum, S. R. E. Cardinalium, atque omnium prælatorum, quorum conſilio in tanto negotio ſit vſurus, ea quę ſuę placitura ſunt diuinitati; neque permittat errare Eccleſiam ſuam ſanctam. Prælatos vero monet, vt ſuper his cogitare debeant, vt cum requiſiti fuerint, mature poſſint reſpondere. His dictis finitur conſiſtorium. In huiuſmodi conſiſtorio, vt apud antiquos Codices legimus, ſolebant ſex aut octo prælati ſucceſſive orare, narrantes merita canonizādi, & ſupplicantes pro canonizatione. Aduocatus autem in principio tantummodo petebat à Pontifice, vt prælati audirentur, & ſupplicabat vt canonizatio decerneretur. Poſt hæc, cum placuerit ſanctiſſimo Domino noſtro, vocentur omnes prælati Curiæ in ſecreto cōſiſtorio cum Pontif. & ſacro collegio, & ibi proponat breuiter ſanctitas ſua, ad quid vocati ſint: deinde ſi placet, p Aduocatū faciat ſummatim *repeti vitā*, & miracula canonizandi, & quæ ſunt probationes, in genere tātum. *Poſt hæc* narret quanta cum diligentia & fide inquiſitio & proceſſus ſuper hac re factus ſit, de multiplici & canonica atteſtatione, de inſtanti Principum & populorum poſtulatione. Et demum conſcientiam illorum onerando, exquirat ſigillatim, à quolibet ſuam in ea re ſententiam, & cum omnes finierint, agit gratias de bono conſilio, & hortatur eos vt orent Deum, ne ſinat ſe errare in tanto negotio: & ſic omnes recedunt. In hoc conſiſtorio debent eſſe Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, ad quos tantum pertinet dicere ſententiam ſuam. Poterunt intereſſe aliqui Protonotarii ordinarii, vt ſint rogati de his, quæ gerantur. Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maxime Commiſſarii cauſæ, vt ſi quid eſſet declarandum, poſſint, vt bene informati, mentes aliorum declarare. Summus Pontifex erit cum mitra & pluuiali: Procurator fiſcalis aderit, & faciet rogatos Protonotarios de conſilio & conſenſu prælatorum. Deliberatur deinde dies canonizationis, & interim in Eccleſia conſtruitur ſuggeſtus ligneus tantæ amplitudinis, vt ſuper illum inſtituatur, apteturq; capella cum altari, credentiis, throno Pontificali, ſedibus Cardinaliū aſſiſtentium Papæ, oratorum, prælatorum choro pro cantoribus, & locis omnium ordinum Romanæ curiæ ad inſtar capellæ palatii Apoſtolici à cancellis, & ſupra, quo ad formam ſedilium, & capacitatem. In eo ſuggeſtu erunt duæ ſedes Papales, vna eminens ad ſiniſtram partem, & alia erit amouibilis: aſcendetur ad ſuggeſtum per pontem cum duplici oſtiolo à capite & in imo: ornabitur ſuggeſtus in extremitatibus circum circa cum herbis & floribus, & intus cum pannis & tapetis opportunis ornabitur Eccleſia, & ſuſpendentur per totum inſignia Pontificis, Eccleſiæ & imago canonizandi, atq; etiam inſignia procurantium canonizationem: fiet baldachinum nouum cum inſignibus Pontificis, procuratorum canonizatione & imagine Sancti; quod debet ſuſpendi ſupra altare, vbi Pontifex celebrat.

Fiet etiam vexillum magnum cum imagine Sancti, quod portabitur ante religioſos ſiue illos, qui procurant canonizationem, & ponitur ſupra oſtium ſupra ſuggeſtum.

Cum Pontifex venit ad Eccleſiam, ponuntur circum circa ſuper deambulatorium intorticia numero octuaginta, vel circa, ſex librarum pro quolibet: quę ardeant dum fit officium

Paretur cera diſtribuenda, inprimis pro Pontifice duæ ceræ albæ duodecim librarum pro qualibet, pro Cardinalibus quatuor libræ. Item pro eleuatione Sacramenti duodecim intorticia librarum ſex pro quolibet, pro altari ſeptem cerei, & duo pro credentia duarum librarum.

Item pro offertorio duo magni cerei duodecim librarum, quos offert primus Cardinalis. Item tres cerei ſex librarum, quos offerent tres oratores ſeu deputati cum tribus Cardinalibus. Et omnes cerei ſupra dicti erunt albi, præter octuaginta intorticia Eccleſiæ. Itē ordinentur cerei de cera cōmuni pro prælatis, oratoribus, & magnis nobilibus, duarum librarum, pro officialibus & cantoribus vnius libræ: & pro clero & aliis vt placuerit. Intimetur etiam clero vrbis, vt ſummo mane conueniant ſupplicantes in porticu Eccleſiæ S. Petri.

Statuta igitur die canonizationis, Pontifex paratus pluuiali rubeo & mitra pretioſis, cum Cardin. prælatis, & officialibus paratis proceſſionaliter deſcendit ad Eccleſiam ſub baldachino. In camera paramenti diſtribuuntur cerei, & ab omnibus portantur accenſi. Cum vero Pontifex peruenerit ad porticum ſancti Petri, excipitur ibi à clero vrbis in modum ſupplicantium parato, intrat Eccleſiam Pontifex, & aſcendit ſuggeſtum cum prælatis & aliis officialibus. Clerus vero ſuggeſtum circumſtat. Pontifex oratione facta ante altare, aſcendit eminentem ſedem, & accipit Cardinales & Prælatos paratos ad reuerentiam. Qua facta deſcendit, & ſuper aliam ſedem ſibi ante altare paratā ſedet verſus renes ad altare, vbi facit ſermonem, referens quæ geſta ſunt, & vitam ac miracula Sancti ſummarie & in genere. Demum hortatur omnes, vt ſecum pariter Domino pias preces fundant, orantes ne permittat errare Eccleſiam ſuam in hoc negotio. Surgit deinde Pontifex, remouetur ſedes, & procumbit ſuper faldiſtorium cum mitra. Cantatur Litania à Cantoribus & nulla fit mentio de canonizando, omnibus in terram genuflexis orantibus. Finita Litania Diaconus à dextris ſurgit, & verſus ad populum alta voce dicit: *Orate*; iterum genuflectit, & omnes prolixius orant: tum Diaconus à ſiniſtris ſurgens eodem modo dicit: *Leuate*, & omnes ſurgunt. Tunc Pontifex ſtans ſine mitra, incipit in voce: *Veni Creator Spiritus*, & tam ipſe quam alii omnes genuflectunt ad primum verſum. Cantores proſequuntur hymnum, & Pontifex cum mitra aſcendit ad ſedem eminentem, & mitra depoſita expectat finem hymni: quo completo duo Cantores dicunt verſum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur:* & alii reſpondent: *Et renouabis faciem terræ.* Et Pontifex. *Oremus: Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere,* & de eius ſemper conſolatione gaudere, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum, &c.

Tunc procurator cauſæ inſtāter petit à Pontifice nomine procuratorio, & nomine Principum, &c. pronunciari & declarari beatum N. in Sanctorum catalogū aſcribendum, & vt Sanctum venerandum à Chriſti fidelibus. Pontifex antequam pronunciet, conſueuit proteſtari in hanc formam, quod inuenimus ſeruatū à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clariſſimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam cauſa, quę nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem, & propterea proteſtabatur, nunc

autem non videri congruam illam proteſtationem. Sed de hoc ſtatuat ſummus Pontifex & ſacer Senatus. Forma autem proteſtationis hæc eſt: *Antequam ad pronunciationem veniamus, proteſtamur publice apud vos præſentes, quod per hunc actum canonizationis, non intendimus aliquid facere, quod ſit contra fidem, aut Eccleſiam catholicam, ſiue honorem Dei.* Deinde alta voce, ſedens tamen cum mitra, pronunciat in hunc modum: *Ad honorem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & exultationem fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate eiuſdem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ, N. Sanctum eſſe & Sanctorum catalogo adſcribendum, ipſumq; catalogo huiuſmodi adſcribimus, ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet in die tali feſtum ipſius, & officium, ſicut pro vno confeſſore* (ſi ſit confeſſor) *vel Martyre* (ſi ſit Martyr) *deuote & ſolemniter celebretur.* Et ſi Domino Papæ placuerit, poterit addere iſta verba: *Inſuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ad ſepulturam eiuſdem in die tali deuote acceſſerint, vnum annum & quadraginta d es: accedentibus vero annis ſingulis in octauas dicti feſti ad ſepulturam quadraginta de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.*

Quibus finitis procurator Fiſcalis rogat protonotarios, &c. de proteſtatione facta per Papam, procurator cauſæ ſimpliciter rogat de ſolemni pronunciatione canonizationis, & petit inſtrumētum, & à Papa decerni bullas ſuper his opportunas, & mox ſurgit Pontifex ſine mitra, & incipit, *Te Deum laudamus*, & chorus proſequitur. Diaconus à dextris in fine dicit: *Ora pro nobis beate N.* Et Pontifex deinde dicit orationem de communi, Sancto canonizato conuenientem (ſi non habetur propria) & concludit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Finita oratione Diaconus à dextris ſtans ante Pontificem dicit alte: *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* & poſt Apoſtolos nominat Sanctum N. & Papa ſine mitra cruce ſua præſente dicit: *Precibus & meritis &c.* in fine dat indulgentias, vt ſibi placet. Legimus Bonifacium Nonum Pontificem, cum canonizauit beatam Brigidā, dediſſe plenariam indulgentiam viſitantibus Eccleſias beati Petri & S. Laurentii in Paniſperna, vbi iacebat corpus illius Sanctæ.

His finitis Pontifex incipit Tertiam & accipit ſandalia, vel ſi magis placet, dimiſſa Tertia accipit Paramenta omnia Pontificalia, & canit Miſſam ſolitis ceremoniis, vel de Sancto, vel ſi aliqua ſolemnitas eſſet, cantet de die cum commemoratione de Sancto, & ſi non poſſet, aliquis Cardinalis celebret pro eo. Dum cantatur *Credo*, tres Cardinales commiſſarii deſcendunt ad portam inferiorem ſuggeſtus, & ordinant Offertorium: Et debito tempore, antequam Papa lauat manus in ſede eminenti, veniunt ordinate. Et primus, id eſt, Epiſcopus Cardinalis, offert duos magnos cereos, & cum eo primus Orator offert cereum ſuum, & caniſtellum deauratum cum duabus turturibus. Tum presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & ſecūdus Orator cereum ſuū, & caniſtellum argentatum cum duabus columbis albis; vltimo Diaconus Cardinalis offert duo vaſa vini, & tertius Orator ſuum cereum & caniſtellum diuerſorum colorum cum variis auiculis, Cardinales oſculantur genu, alii pedem ſummi Pontificis: proceditur deinde in Miſſa, vt alias.

PH. Quis vero ipſum canonizat Pontificem, cum vita defunctus eſt. Veriſimile [illegible] eſt & ipſum mori, nec credēdum animam ipſius in alienum, adeoq; in ſucceſſo-

ceſſorum ſuorum tranſire corpus, quod Pythagorici ſenſerunt. Sed neq; ſeipſum tam minime canonizare poteſt, quam minime ſeipſum poteſt baptizare.

TH. Vera ſunt quæ dicis. Nimirum Romanus Pontifex (vt denuo verba ac reſponſionem meam ex auctore ceremoniarum ſacrarum Rom. Eccleſiæ mutuer) etſi mortales omnes dignitate & auctoritate præcellit, omniaque in terris ligare & ſoluere queat, fati tamen extremam neceſſitatem ſoluere nequaquam poteſt. Non enim eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: nec ſeruus maior Domino ſuo. Filio ſuo non pepercit Deus, quem mori voluit, vt hominem à perpetua morte liberaret, vtq; omnes agnoſcerent neminem à corporali morte omnino eſſe immunem. Cogitet ſummus Pontifex, etſi omnium ſit maximus, ſe tamen eſſe mortalem: & elogium illud, quod inter ſolemnia coronationis ſuæ decãtari ſolet, ſedulo memoria repetat: *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi, omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri.* Sit igitur ſemper Pontifex paratus vt bonus paſtor, ſolertiſſimus vicarius, & diligentiſſimus villicus rationem reddere Domino ſuæ adminiſtrationis; & cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, cum Martino Turonenſi clamet & dicat: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. fiat voluntas tua.* Curetque eo maiori ſtudio, quo cæteris omnibus præeſt, vt vltimum actum, quo ſolo coronari electi ſolent, cum laude perficiat. Quod ſi forte nõ agnoſceret dum ægrotat, morbi periculum, medici, qui illius curam gerunt, cum de eius ſalute dubitare cœperint, prudentibus verbis eum admoneant ſemotis arbitris, hortenturq; ad ea peragenda, quæ ad animæ ſuæ ſalutem pertinent, polliceantur ſe omnes ſtudio acturos, quæ ſpectant ad corporis ſanitatem, aperiant idem confeſſori Pontificis, qui verbis apertioribus, ſecrete tamen & cum ſumma reuerentia & charitate moneat Pontificem, in quo ſit diſcrimine, hortetur vt voluntati diuinæ non inuitus adhæreat, cogitet quem locum teneat, oportereque vt alios Principes verbo & exemplo ad viam ſalutis deducat Pontifex ſua ſponte, quod melius erit, vel ſaltem his monitionibus excitatus, cum vltimum diem appropinquare cognouerit, primũ peccata ſua confeſſori diligentiſſime confiteatur, petatque ab eo plenariam indulgẽtiam: deinde tempore congruo iubeat ad ſe vocari prælatos domeſticos, & principales familiæ ſuæ, & præſente ſacratiſſimo Chriſti corpore primum confiteatur Catholicam fidem, quam affirmet ſe ſemper inconcuſſe & firmiter tenuiſſe, & in ea velle viuere & mori, cum Deo placuerit. Tum petat veniam ab omnibus, ſi quem forte iniuſte offenderit: largiatur eis aliquas gratias ſpirituales: roget, vt orent Deum pro anima ſua, & petat à Sacriſta vel ab aliis prælatis, vt tunc ſacratiſſimum viaticum recipiat: vt cum tempus eis videbitur, alia Eccleſiæ Sacramenta ſibi adminiſtrent. Conuocet poſt hæc, dum ſenſus integri ſunt, ſacrum Cardinalium ſenatum: profiteatur iterum Catholicam fidem; petat veniam, ſi in ſua adminiſtratione quempiam iniuſte offenderit. Roget vt orent pro anima ſua, commendet eis Eccleſiam Dei, & hortetur, vt in electione ſucceſſoris diligentes ſint & vnanimes, & talem eligant, qui Chriſtianos vberius quam ipſe, pauerit, qui paſci nouerit: & ſi ei videbitur, nominet vnum, vel plures, quos ſuo iudicio magis idoneos arbitretur. Aperiat etiam eis debita, & credita, ſi qua ſunt, & ſimiliter ſcripturas, pecunias & gemmas, ac precioſa quæq; manifeſtet, condat teſtamentum ſuum, ſi vult, & eligat ſepulturã. Demũ commendet Senatui familiam, & attinẽtes ſuos, & gratias ſpirituales quas voluerint, eis largiatur,

eosq; cum ſua benedictione dimittat. Huiuſmodi vltimũ cum fratribus ſuis ſermonem (vt audiuimus) Nicolaus Quintus nouo tempore habuit, & quod ipſi vidimus, Pius Secundus. Hic etiam in vigilia Aſſumptionis beatæ Virginis, cum pridie de Sacramẽto altaris communicatus fuiſſet, & cum domeſticis, inter quos minimus eram, quæ ſuperius conuenire diximus, peregiſſet; ſacrum collegium ad ſe poſt veſperas conuocari iuſſit, patreſque longo & dulci ſermone, quanquam morti proximus (nam ſecunda noctis hora exſpirauit) allocutus eſt. Vidimus Cardinales omnes abunde lacrymantes è cubiculo languentis exire. Et vltra ſupra dicta omni ſtudio hortatus eſt Senatum, vt expeditionem contra Turcas, ob quam rem ipſe Anconam ſe contulerat, proſequerentur.

Poſt hæc Cardinales, vt cognouerint Pontificem in extremis laborare, tres deligent ex collegio, vnum videlicet de quolibet ordine, qui ſimul cum Camerario inuentarium faciant de omnibus bonis, quæ ſunt in palatio Apoſtolico, & illa reponant in loco tuto ſub bona cuſtodia.

Quæ vero ad Sacriſtam pertinent, reuideant, dimittant apud Sacriſtam, quoniam eſt officium perpetuum. Deinde prouideant Cardinales, ſi in vrbe moritur Pontifex, ne tumultus aliquis concitetur. Aduocent & intromittant *prudenter*, & in tempore Eccleſiaſticam militiam, & eam diſponant per ciuitatem *in locis opportunis*, prouideant etiam prouinciis Eccleſiæ mittendo commiſſarios, viros graues & prudentes. Pontifice vero animam agente, aliquis ex prælatis domeſticis ei adſtet, & crucem inſpiciendam oſculandamque illi crebro offerat, redigatque ei ad memoriam paſſionem Chriſti. Cubicularii adſtent cum diligentia miniſtrantes neceſſaria. Sacriſta in tempore Extremam vnctionem & commendationem animæ faciat, prout in ordinario. Pœnitentiarii vero circumſtent, legant Pſalmos pœnitentiales, paſſionem Chriſti, & alias deuotas orationes, dum adhuc exſpiret. Poſtquam vero ſpiritum Creatori reddiderit, legat officium mortuorum.

Cardinales vero debent mox aſtare, & ſinguli abſoluere defunctum Pontificem dicentes vnum Reſponſorium cum ſuis verſiculis, & orationem pro defunctis, videlicet: *Deus qui inter Apoſtolos, &c.* Et vt quiſque abſoluit, diſcedit. Cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis, & fratres plumbatores lauent eius corpus, tonſor radat barbam. Interim lauetur corpus cum optimo vino albo aromatizato & calido, & loca ſpumantia impleantur aromatibus, myrrha, & aloës, nares & aures impleantur muſco, & demum bene fricentur manus & totum corpus balſamo, quod Cubicularii & Sacriſta ſubminiſtrabunt.

Poſt hæc Pœnitẽtarii induant eum cõmunes veſtes vſque ad rochettum: deinde ſacras, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo à Pandaliis vſque ad mitram ſimplicẽ, tum & annulo, cum fauone, pallio, ſpinulis, & omnibus ornamentis. Paramenta erunt rubri coloris, ponent inde corpus ita ornatum ſuper feretrum, ſiue lecticam coopertam aureo panno cum Pontificis & Eccleſiæ armis, & ſubtus caput ceruical ex panno aureo, & ad pedes duo alii ſimiles, ſuper quibus erunt duo pilei Pontificales. Corpus lauabitur & ornabitur in camera ſecreta, & ornatum ponitur in lectica ſiue feretro in camera Papagalli. Et ibi vſque ad diem, ſi Pontifex in nocte morietur, Pœnitentiarii vigilantes & pſallentes cuſtodient corpus, & habebunt expenſas & omnia neceſſaria à palatio. Deinde hora competente præcedente

Subdia-

Subdiacono Apoſtolico cum cruce, & cum cappa ſua obſcuri coloris, videlicet violacea, Cantores capellæ cantabunt *Subuenite:* & pœnitentiarii portabunt corpus ad capellam maiorem. Portabuntur ante corpus viginti ſex aut viginti octo intorticia accenſa per Scutiferos defuncti. Reliquum familiæ ſequetur; Cantores & Pœnitentiarii cătabunt veſperas & vigilias pro defunctis quouſq; veniant alii religioſi. Et nota, ꝙ Camerarius, ſi non eſt Cardinalis, debet omnib. dum fiunt, perſonaliter intereſſe. Si vero eſt Cardinalis, non ipſe, ſed Vicecamerarius intererit. Collegia clericorum, & conuentus religioſorum, vt venerint, cantant vigilias, aſpergunt & incenſant corpus, & abſoluunt. Poſtquam omnes abſoluerint, deducunt funus ad Eccleſiam S. Petri, & ibi ponitur corpus in medio Eccleſiæ: Præferuntur multa intorticia, familia ſequitur. Finito officio remanet ibi corpus per biduum aut triduum, vt populus poſſit illum viſitare, & oſculari manum. In nocte reponitur in capella maiori, & tandem noctu ſepelitur, interdum vigiliæ per collegia, & conuentus non cantantur, ſed per Canonicos B. Petri defertur corpus ad Eccleſiam, cum capitulo & familia. Interim parantur exequiæ, erigitur caſtrum doloris cum lecto, & alia conſueta fiunt. Sed largius & abundantius, familiares Papæ, officiales Curiæ, & vrbis officiales, ſi Romæ fit, veſtiuntur panno nigro, vt in libris Cameræ Apoſtolicæ plenius apparet, ad quos nos remittimus: fiunt largę eleemoſynæ pro anima Pontificis, religioſis viris, & mulierib. per Camerariũ & Theſaurarium, & maxime ſi Camera eſt diues. In prima die exequiarum leguntur ducentæ miſſæ cum eleemoſyna. Miſſam ſolennem cantabit prior Epiſcoporũ Cardinalium, fit ſermo de laudibus Pontificis, & in fine fiunt abſolutiones à ſeniorib. vt in exequiis Cardinalium ſcriptum eſt. Accenduntur eodem die intorticia multa circumcirca in Eccleſia, & candelę ſupra caſtrum doloris, & idem fit in die nono, miſſam tum cantat Subprior Epiſcoporum Cardinalium. Intra nouenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo à ſeniorib. poſt Subpriorem Epiſcoporum, & leguntur cētum miſſæ. Intorticia circa Eccleſiã & ſupra caſtrum doloris non accenduntur. Reliqua fiunt, vt in primo & nono die. Diſtributio ceræ fit quotidie Cardinalibus, Pręlatis, familię, Curialibus & aliis, qui aderunt, & quotidie fiunt abſolutiones à Cardinalibus in fine miſſæ, circa caſtrum doloris. Quotidie poſt miſſam conueniunt Cardinales in loco congruo, conſulentes de rebus Eccleſiæ, & ordinantes conclaue. Nona die poſt miſſam *de defunctis*, cantatur Miſſa de Spiritu Sancto, & fit ſermo exhortatorius ad electionem Pontificis. Cęterum mortuo Pontifice Collegium id literis ſuis Principibus & maximis Prælatis ſignificat, vtitur in ſcribendo ſtylo Apoſtolico, filios, & fratres illos appellãs, quos Pontifex ita vocat, & ſingulares ſingulariter ſalutat & alloquitur. Porro quod ad Bullas plumbatorum attinet, Vicecancellarius, vt primum Pontifex expirauit, bullas quibus literæ Apoſtolicæ ſignari conſueuerunt, à Plumbatoribus accipit, & partem illam, in qua literæ cum nomine Pontificis inſcriptæ ſunt, publice & coram pluribus per ipſos Plumbatores frangit: & ad ſignandum omnino ineptas reddit.

Aliam vero partem in qua Apoſtolorum capita ſunt ſculpta, lineo panniculo inuolutam alligatam, & ſigillo ſuo ſignatam Camerario tradit, & diligentiſſime curat ne aliquæ literæ ſignari poſſint, poſt Pontificis obitum.

Cæterum ſolent ſummi Pontifices immediatis prædeceſſoribus ſuis, in die anniuo obitus anniuerſarium peragere in capella maiori, in qua Epiſcopus celebrat

Digitized by Google

omnibus Pontificalibus ornamentis nigris paratus. Papa venit paratus in cappa rubra & mitra ſimplici. Celebrans non vtitur ſandaliis atq; chirothecis, & in ornamentis atque in Miſſa omnia obſeruantur, etiam quoad genuflexiones & abſolutionem poſt miſſam, quemadmodum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum eſt ordinatum, exceptis Oratione, Secreta, & Poſtcommunione, quæ ita dicuntur.

Oratio: Deus qui inter ſummos ſacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua *diſpoſitione* connumerari voluiſti: præſta quæſumus, vt qui vnigeniti tui filii vices in terris gerebat, ſanctorum tuorum Pontificum cõſortio perpetuo aggregetur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Secreta: Suſcipe quæſumus Domine pro anima famuli tui N. ſummi Pontificis, quas offerimus hoſtias, vt cui in hoc ſeculo Pontificale donaſti meritum, in cœleſti regno ſanctorum tuorum iubeas iungi conſortio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Poſtcommunio: Proſit quæſumus Domine, animæ famuli tui N. ſummi Pontificis miſericordiæ tuæ implorata clementia, vt eius in quo ſperauit & credidit, æternum capiat te miſerante conſortium. Per Dominum, &c.

EQ. Morte omnia finiuntur. Finiatur ergo tandem etiam *noſtrum de Pontifice* colloquium, atque ad cæteros ſtatus, ac primum, quod à principio à nobis factitatum, ad Imperatorem tranſeamus; cuius ſane maieſtas eſt maxima & ſacroſancta, quippe quæ (quamquam non minus cæteri etiam ſtatus) habet auctorem ipſum Deum, quippe qui expreſſe apud Prophetam ait: Per me reges regnant.

PH. Maieſtatem Principis eſſe ſacroſanctam, quod ipſe Dominus deorum nominibus ipſos dignatur: *Nonne,* inquit in Pſalmo, *ego dixi, vos dii eſtis.* Gerunt n. vices totius entis, cui præſunt. Vnde & bene præſidentes & gerentes, merentur quaſi diuinos honores, & duplicatos. Qui n. bene præſunt, inquit Apoſtolus dupli ci honore digni ſunt. Vnde etiã de diuina influentia, ratione ſui regiminis participant. Hinc de Saule ſcribitur, ꝙ aſſumptus in regem per Samuelẽ ex hoc influentiam meruit prophetiæ, vnde inſiluit in eum Spiritus Dñi, & cum Prophetis prophetauit. Et de Salomone legitur, ꝙ ordinatus in regem, meruit ſapientiam. Hinc etiam videmus, quod reges Chriſtiani poſt regnum adeptum, ſinguli fere peculiarib. præditi ſunt virtutibus atq; efficaciis; vt ꝙ reges Franciæ ſolo attactu morbo regio medentur eumq; illo laborãtibus adimunt, Rex Hiſpaniæ, vt quidam dicunt, dæmones à corporibus humanis fugat, & ſi quæ ſunt admiranda, ſi vera ſunt quæ narrantur. Vnde etiam ipſorum præmium eſt non ſolũ gloria & honor mundanus, quo alioquin Principem ciuitatis tanquam pabulo ſuauiſſimo Principem alendum eſſe Cicero tradit, ſed etiam gloriam conſequuntur ab ipſo Deo pro præmio regiminis & adminiſtrationis. Si enim præmium datur priuatæ perſonæ, ſi egenti ſubueniat, ſi diſcordias pacificet, ſi oppreſſum à potente eripit (quod ſacræ literæ docent) quanto magis premiandus eſt, qui toti prouinciæ pacem conciliat, & manutenet, violentiam cohibet, ac ius cuique ſuum tribuit; & ſi quæ ſunt virtutes aliæ, quibus quam maxime ad Deum accedunt; de quibus paſſim in libris politicis de inſtitutione Regum ac Principum. Et poſſem profecto ampliſſime de Regum Principumq; virorum maieſtates atq; eminẽtia diſcurrere, veruntamen ne actum agam, remitto vos ad Bartholomæum Chaſſanæum, qui honorem regium principumq;

cipumq; virorum dignitatem paginis aliquot grauiſſime tuetur in volumine quod inſcribitur *Catalogus gloriæ mundi*.

TH. Summa quidem eſt ipſorum maieſtas atque præeminentia, habent tamen etiam nonnunquam tam ſummi quam inferiores Principes ſuos defectus atque exceſſus, eosque non leues; quos late congerit Paris de Puteo in tractatu de Syndicatu, vbi vndecim modos enumerat, quibus ſummus Imperator poteſt excedere; prolixe etiam inibi agit de exceſſibus Regum, Principum, Baronum, militum, conſiliariorum, aduocatorum, poteſtatum terrarum, ſuorumque officialium iudicum, aſſeſſorum, nunciorum, ſyndicorum, eorundemque familiarium. Ad quem vos remitto, longum enim foret exceſſus allegare; conſtat de illis ſatis ex hiſtoriis, quæ referre quadantenus pudet. Refert Iulius Capitolinus, Commodum Imperatorem libidinoſiſſimum, congreſſus pudendorum vtriusque ſexus, ex ebore, auro, citroquè variis formis effingi curaſſe, quos Phallouyttouolos nuncupat, idque nimirum exemplo Tiberii, qui, *ex Suetonio in illo, cap.43.* Sellariam excogitauit, monſtroſosque concubitus, ſpintrias triplici ſerie connexos inuicem ſe inceſtantes, cubiculaque habebat diſpoſita tabellis laſciuiſſimarum picturarum, librisque Elephanticis inſtructa; Monſtroſis quoque libidinibus oblectatum Neronem, ex Suetonio *in illo, cap.28.* habemus; ab his itaque, ne turpiſſima libidine infectus Commodus ſuperaretur, & ipſe ad excitandas libidinis illecebras, conformauit ex varia precioſa materia figuras monſtroſarum libidinum, quas Phallouyttouolos appellauit. Additque Capitolinus, eundem habuiſſe vaſa Samnitica calfactandæ reſinæ ac pici, diuellendis hominibus, ac leuigandis, id eſt, ad depiles faciendos, vt molliores & pulchriores viderentur. Sic cum Cæſar Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla nouercam ſuam Iuliam, quæ erat pulchra valde, aliquando nudam conſpexiſſet, & dixiſſet ei, quam cuperem, ſi liceret; ipſa reſpondit: modo libeat, licebit tibi. Memineris enim te eſſe Cæſarem, qui aliis regulam & modum viuendi præſcribat, in agendis & prætermittendis: tibi autem nemo quicquam interdicere audeat. Hoc ſermone motus publice eam ſibi matrimonio iunxit.

PH. Ecquis vero hæc laudat? Nemo cordatus, opinor; ſicut nec illud laudo, quod Baſſianus Papinianum Iuriſconſultum coadigere voluit, vt cædis quam in fraternum ſanguinem perpetrauerat (fratrem enim Getam interfecit) patrocinium ſuſciperet; huic enim Papinianus, ſtrenuus legum atque honeſtatis æmulatori, citius committi quam defendi poſſe parricidium, maſcule reſpondit. Neque illud etiam probo, quod de Diocletiano Euſebius *in Chronologia* ſcribit, ipſum anno Imperii ſui nono mandaſſe, vt poſtmodum ſi quis Cæſarem compellare cupiat, accedat, ad pedes eius ſe ſupplicem coniiciat eosque oſculetur, idque faciant & ſummi & infimi ordinis homines tam nobiles quam ignobiles. Huiusq; ipſe gratia poſtea calceos ſuos pretioſis gemmis auroque decorauit. Sunt nimirum & ipſi Imperatores homines, ac fragilitati humanæ ſubiecti, etiamſi ſummam habeant omnium rerum poteſtatem, vt grauiter Iuſtinianus *in Nouell de his qui nupt. iterant*, ſcribit. Addo etiam hoc, quod Imperator ſiue Princeps non omnino exutus eſt legibus, ac labi eos poſſe ac non raro grauiter lapſos eſſe hiſtoriarum monumentis conſtat, ac ſæpenumero pronunciarunt, quæ cum æquitate minime conueniunt; ſed ea ipſa haud raro retractarunt.

Hinc

Hinc eſt quod Oldendorpius de ipſis deprædicat: Extant, inquit, exempla Imperatorum, qui magna ſui nominis commẽdatione proprias retractarunt ſententias. *Ioan. Oldendorp. in Enchiridio ſuo except. forenſ. fol. 106. l. qui fratres, ff. de iur. patron.* Quinetiam, vtut maxime Imperator ſiue Princeps ſolutus ſit legibus, quod tamẽ haudquaquam largior, cum lex ipſius ſit, ſalus populi, in qua omnis naturæ lex cõſiſtit, nihilominus tñ pacta ſeruare obſtrictus eſt, vtpote quæ ſunt de iure gentiũ: quod ius gentium de iure eſt immutabile. *Inſtit. de iur. natur. gent. §. quod vero.* & in hoc conueniunt omnes Dd. eleganter Bal. *in l. Imperator, ff. de legib.* & Bald. ordinate *conſ. 269. vol. 2.* Bal. *in l. 1. ff. de pact.* ſcribit: Ariſtotelem admonuiſſe Alexandrum vt pacta ſeruaret, quod alias malus finis ſequeretur. Nec vlla ciuilis ratio poteſt corrumpere iura naturalia, *l. ſciendum, §. qui cum. ff. ad l. Aquil.*

EQ. In memoriam reuoco iam quod non ſemel apud Germanos vidi. Cum enim cum ſereniſſimo Domino meo Mantuę & Montisferrati Principe, apud Germanos aliquandiu degerem, obſeruaui poſt comeſſationes principes & nobiles viros ſemel vel pluries corpore in gyrum conuerſo, exploſis tormentis vel baliſtis, pilis vel ſagittis in ſcopum propoſitum ieciſſe, ex quorum numero illis, qui à ſcopo vndiquaque aberraſſent, à ſcurris varicolori amictu cum tintinnabulis & cuculis veſtitis, flagro quodam ligneo ſeu tabella ſuper nates percutiebantur; vocabantque Germani illud ferulæ genus ipſorum lingua *Pritſchen.* Id cum viderem, recordabar morem hunc à Romanis fere antiquioribus ad Germanos dimanaſſe. Antiquitus enim Romani poſt conuiuia ſimili fere modo luſerunt aſtragalos in ſcrobem iacientes, corpore prius in gyrum conuerſo; quod fieri ſolebat, vt ſpiritus animales commoti iacientem facilius à ſcopo declinare facerent, & qui extra ſcrobem aſtragalum forte proieciſſet, à ſcurra (quorum aliqui ſemper principum virorum epulis aſſiſtunt ſuis iocis conuiuas oblectantes) ferula percuteretur; qui quidem ludus à circulari conuerſione Tropea & Tropei, Scurræ luſionis miniſtri dicebantur. Illud vero maxime ridiculum eſt, quod Heliogabalus hanc habuit conſuetudinem, vt octo caluos vocaret ad cœnam, item octo luſcos, item octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, vt de his omnibus riſum citaret. Sed hæc facile condonari viris principibus ſtatuerim, modo abſit obſcenitas. Quum quidem maiores noſtros, adeoque Imperatores heroicos quouis aboleuiſſe conſtat, dum in huiuſmodi næniarum locum ſubſtituerunt exercitationes honeſtas ad virtutum actionem ſtudiumque irritatrices, quas etiam legibus quibusdam muniuerunt atque conditionibus, quas ſi quis non obſeruaſſet, ab eiuſmodi exercitationibus tanquam indignus honorificorum atque adeo vere nobilium conſortio excludebatur, quæ quidem maxima tum temporis erat ignominia: ſi quis iure excluderetur. Huius generis exercitationes fuerunt præcipue Torneamenta, quæ olim ex conſilio prudentiſſimorum virorum, Henricus I. Auceps, Imperator LXXXVII. primus exhibuit nationi Germanicæ Magdeburgi, eaque in laudem & decus eximiæ nobilitatis: & ad excitandum in nobilibus ſtudium virtutis & laudis, in poſterum quoque celebrari iuſſit cum obſeruatione duodecim ſtatutorum ſeu legum, quæ ſequuntur.

Prima lex. Ne admitteretur quis Chriſtianæ religionis hoſtis, aut præuaricator.

2. Qui contra Cæſ. Maieſtatem & Imperium peccaſſet.

3. Qui virginem vitiaſſet aut viduam oppreſſiſſet.

4. Qui iuramenta, chirographa & pacta, manu ſubſcripta ſigilliſq; confirmata violare aut negare conſueuiſſet.

5. Qui prodidiſſet Dominum ſuum, eumve deſeruiſſet in caſtris & militia, vel auctor fuiſſet datę in prælio fugæ: ſuosque ſubditos iniurioſe prægrauaſſet, preſſiſſet aut interemiſſet.

6. Qui homicidium commiſiſſet.

7. Qui templa expilaſſet, aut viduas & pupillos deprædatus fuiſſet vel moleſtaſſet.

8. Qui latro, pirata, prædator vel ſicarius eſſet.

9. Qui auctor nouorum vectigalium aliorumq; reip. grauaminum & incommoditatum extitiſſet.

10. Qui adulter vel mœchator eſſet.

11. Qui fœnerator, mercator ſeu artifex manuarius foret.

12. Qui nobilitatis teſtimonium non à quarto progenitore haberet.

Fuerunt autem celebrata hæc quæ ſequuntur torneamenta in Germania.

I. Magdeburgi ab Henrico I. Aucupe, Imperatore Romano, anno poſt natum Chriſtum 930.

II. Rotenburgi ad Tuberim à Conrado duce Francorum, anno 942.

III. Conſtantiæ ad lacum Bodamicum, à duce Ludolpho de Sueuia & Alemannia, anno 948.

IV. Meresburgi à Marchione Ridaco de Miſnia, Comite Meresburgico, anno 968.

V. Braunſvvigę à Marchione Ludolpho de Saxonia, Domino in Braunſvveig, anno 996.

VI. Treuiræ ab Imperatore Romano Conrado II. anno 1019.

VII. Halæ in Saxonia ab Imperatore Henrico III. anno 1042.

VIII. Auguſtæ Vindelicorum ab Hermanno duce Sueuorum, anno 1080.

IX. Gottingæ in Saxonia, Comite Supplingiburgi, anno 1119.

X. Tiguri, quod vocant vulgari lingua, *an der Lindmat*, à Welpho Duce in Bauaria, & Spoleti, Marchione in Corſica, Domino Sardiniæ, filio Ducis Welphi III. ſplendidiſſime, anno 1165.

XI. Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, à Florente Comite in Holland & Seeland, anno 1179.

XII. Noribergæ ab Henrico VI. Imperatore, laudatiſſime, anno 1197.

XIII. Wormatiæ ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1209.

XIV. Wirtzburgi ad Mœnum in Franconia orientali, ab equitibus Franconiæ, anno 1235.

XV. Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus Bauariæ, anno 1284.

XVI. Svvinforti ad Mœnum ab equitibus Franconiæ, anno 1296.

XVII. Rauenſpurgi Sueuorum, ab equitibus Sueuiæ, anno 1311.

XVIII. Ingelnhemii ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1337.

XIX. Bambergæ in Franconia orientali ad Rhednifum, ab equitibus in Franconia, anno 1362.

XX. Eſlingæ ad Nicrum ab equitibus Sueuiæ, anno 1374.

XXI. Schafhuſii ad Rhenum ab equitibus Sueuiæ, anno 1392.

XXII. Ratiſbonæ ad Danubium ab equitibus Bauariæ, anno 1396.
XXIII. Darmoſtadii ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1403.
XXIV. Hailpronnæ ad Neccarum ab equitibus Sueuiæ, anno 1408.
XXV. Ratiſbonæ ad Danubium ab equitibus in Bauaria, anno 1412.
XXVI. Stutgardiæ in Sueuia ab Vlrico Comite in Wirtenberg & Mumpelgard, anno 1436.
XXVII. Landeshuti Boiorum ad Iſerim à Ludouico Diuite, Comite palatii ad Rhenum, duce Bauariæ ſuperioris & inferioris, anno 1439.
XXVIII. Wirtzeburgi ad Mœnum ab equitibus Franconiæ, anno 1479.
XXIX. Moguntiæ ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1480.
XXX. Heidelbergæ in Palatinatu, ab equitibus Rheni, anno 1481.
XXXI Stutgardiæ in Wirtemberg ab equitibus Sueuiæ, & Eberhardo Comite Wirtembergico, anno 1484.
XXXII. Ingolſtadii ad Iſtrum in Boiaria ab equitibus Franconiæ, anno 1484.
XXXIII. Onolſobaci Noricorum ab equitibus Franconiæ, & Alberto Marchione Brandeburgico, anno 1485.
XXXIV. Bambergæ ad Rhednisum ab equitibus Franconiæ, *laudabilis ſocietatis* Vnicornis, anno 1486.
XXXV. Ratiſbonæ Boiorum ab equitibus Bauariæ, anno 1487.
XXXVI. Wormatiæ ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1487.

Cur vero egregia hæc atque vtilia exercitia deſierint hactenus, mihi non conſtat. Habet certe nobilitas etiamnum multos generoſos & ſtrenuos viros, mihi fauore & familiaritate notos, quibus hæc deſiiſſe ex animo dolent, & redintegrari atque renouari denuo cuperent. Sed quid agant? Vident virtutem non ſolum in ſuo, verum etiam aliis ſtatibus conſeneſcere, omnia orta & aucta occidere, fato in peius ruere, & retro ſublapſa referri: adeo vt nec ipſa Petri ſedes à ruina ſit immunis, vt Criſpus & Platina loquuntur.

PH. Romani antiquitus in acie conſectabantur Nobilitatem; cui ſtrenue incumbebant, de præmiis atque honoribus certiſſimi, ſiquidē fortitudinis ſpecimina edidiſſent egregia. Quoties enim commiſſum prælium victoriaque parta fuit, conſules cæterique belli duces, circumfuſo exercitu, eos, quorum opera præ cæteris præclara fuerat, ſummis laudibus affecerunt. Sic Scipio expugnata & occupata Carthagine militum virtutem maxime commendauit, quod imperterriti perſtitiſſent ad ſæuiſſimam hoſtis irruptionem, neque altitudinem mœnium, nec profunditatem foſſarum & aquarum, neque accliuam munitionis viam perhorruiſſent: ſed animo magno omnes difficultates & impedimenta ſuperaſſent. Idem hic Scipio in pugnis Africanis aliquoties magna laude euectos, omnibus tanquam virtutis exemplar propoſuit Lælium & Maſiniſſam: qui aduerſus Carthaginenſes & Syphacem fortiſſime aliquoties ſe geſſerant. Nonnunquam etiam viuis, quorum fortitudo in bellis ante alios maxime enituit, ſtatuæ erigebantur: quas antiqui ex marmore aut ære fuſili effinxerunt: repræſentantes equeſtrem aut pedeſtrem, armatum aut inermem, pro ratione illius, cui qualibet conſecrata fuit. Sic Cleliæ virgini (vt è multis vnum adducam) Romani equeſtrem ſtatuam ſtatuerunt, quod regis Porſenæ cuſtodes fruſtrata Tyberim tranarit, ſoſpesq; Romam redierit.

Præ cæteris etiam maximo in honore fuerunt coronæ, iis dari ſolitæ, qui è vitæ diſcrimine ciuem liberarant: vnde *Ciuiles coronæ* dicebantur: ſunt & aliæ iis datæ, qui primi hoſtium muros conſcenderunt, aut valla hoſtium ſuperarunt, hinc *coronæ Murales* & *Vallares*. Tam vero fuit honorificum eiusmodi coronis inſigniri, vt nullus honor in bello maior obtingere potuerit: quamuis alioquin viliſſima materia, vt gramine, fronde quercina, aliisque ſimilibus conſtarent, adeoque vix aſſe redimendæ. Hinc Imperator Auguſtus ſalutis mentisque publicæ Princeps peritiſſimus, ne in contemptum abirent, admodum rarenter militem illis coronis donabat: adeo, vt frequentius militis virtutem monilibus, catenis, annulis, aliisque monumentis aureis argenteisve honoraret.

Capta Carthagine cum Scipio murali corona eum, qui murum primus conſcenderat, remuneraturus eſſet, maxima contentio inter milites ſuborta eſt, quibus nimirum deberetur, anne iis, qui nauali an qui terreſtri pugna vrbem adorti eſſent. Tandem cum honoris illa æmulatio ad tumultum & factiones ſpectare videretur, Scipio opportune malo occurrendum ratus, duas donabat coronas: Vnam Q. Trebellio, qui terra; alteram Digitio, qui mari, fortitudinis ſuæ ſpecimina præ cæteris ediderant. Non abſimilis contentio occupata Dura eſt exorta inter Hiſpanos & Italos, vbi duo milites, alter Italus, alter Hiſpanus, quisque de fortitudinis brabeio ſibi debito acriter contendebant.

Et ſane eiusmodi præmia, quæ in ſolo honore poſita ſunt, nullo alio emolumento coniuncta, redintegrare, maxime operæprecium eſſet, in laudem & honorem eorum, qui rem bello præclare geſſerunt. Etſi enim poſt inſignes quandoque victorias, equites aurati quidam creantur, (qui quidem titulus absque vllo alio emolumento mere eſt honorarius) cum tamen haud raro pacis tempore in eos etiam conferatur, qui nunquam bello interfuerunt, quibus vix gladius vnquam vagina vacuus viſus; quin etiam honore hoc ſoli nobiles donentur: inde fit, vt milites, qui non quidem genere nobiles, ad virtutem tamen quaſi nati res maximas aggreſſuri forent, dum ab honorificis illis brabeis, quæ maiores ad virtutem ſtimulos adderent, indigne admodum excluduntur, ad res magnas ineundas & ſuſcipiendas animum ſponte abiiciunt.

Honorificentiſſimum præterea & illud fuit, in Iouis Feretrii æde *Opima Spolia* (à Romulo ſic primum & vocata & inſtituta) ſuſpendere; id quod tribus tantum, quamdiu Reſpublica Romana floruit, contigit, Romulo nimirum, Cornelio Coſſo, & Marco Marcello. Cæterum opima ſpolia dicebantur exuuiæ, quibus dux Romanus hoſtium ducem exuerat.

Inprimis autem Imperator Auguſtus in remunerandis militum virtutibus ſedulus fuit, vsque adeo, vt etiam nouos modos ipſe excogitauerit, quibus fortitudinem militum honoraret: quin etiam licentiam dedit, vt vel triginta ducibus, immo pluribus triumpho ingredi Romam liceret. Intellexit nimirum ſapientiſſimus Imperator, hiſce honorum coaceruationibus coaceruari etiam animorum magnitudinem ad res maximas ineundum. Nulla enim, vt Valerius Maximus ait, humilitas tanta eſt, quæ gloriæ dulcedine non tangatur. Atque, vt Cicero in Officiis, vix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculisque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. Sæpeque

multi, vt idem ait 1. Tuſc. quæſt. qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ amorem, aut etiam vt ius ſuum & libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter & tulerunt. Gloria enim (vt inquit Beroaldus in libello de felicitate) eſt fax mentis, quæ ſola animos mortalium perurit, inflammatque ad magna capeſſenda, ad pericula quævis fortiter & intrepide ſubeunda, in tantum, vt viri magni, excellentia animi præſtantes, ſummum bonorum in gloria collocauerint: ad gloriam perinde atque ad metam actiones ſuas omnes direxerint: denique pro gloria ipſa mori non recuſauerint. Sic namque, vt inquit Boetius lib. 2. de conſolation. rerum verſa eſt conditio, vt diuinum merito rationis animal non aliter ſibi ſplendere niſi inanimatæ ſupellectilis poſſeſſione videatur.

Atque hinc illæ equeſtres apud Romanos, imagines, coronæ murales, caſtrenſes, ciuicæ ac triumphales. Et quis tam multa virtutis inſignia atque laudis ornamenta poterit explicare, quam multa Romanorum legibus fuerunt olim virtuti militari propoſita? Minime ergo mirum eſt, ſi ciuitas illa ad tantam Imperii magnitudinem peruenerit, in qua virtus tam multis honoribus & præmiis afficiebatur; ad quorum cupiditatem non modo nobiles, verumetiam multi è plebe ita vehementer exarſerunt, vt nullum pro Republica vitæ periculum recuſarent. Atque, vt ex innumeris paucos admodum recenſeam, *duo Decii* plebeii quidem fuerunt: propter tamen ſingularem animi virtutem, ampliſſimum honoris gradum in Republica conſecuti ſunt: qui tandem pro patriæ ſalute, victoriæ ſeſe libentiſſime deuouerunt. L. Marius, ille qui Rempublicam Romanam in Hiſpania collapſam reſtituit, humili genere ſuſceptus erat: virtute tamen eſt aſſecutus, vt ad ſummos honores atque gloriam perueniret. Quid hic referam M. Portium Catonem, virum inſigni virtute atque ſingulari ſapientia clarum? Quid M. illum Marcellum, qui primus Hannibalis impetum repreſſit, omniaque tandem virtute vinci docuit? Quid fortiſſimum illum Marium & ſexcentos alios humili loco natos, qui tamen propter virtutem militarem & imperatoriam, aſcenderunt ad honores ampliſſimos, poſteriſque ſuis nobilitatis gloriam pepererunt. Hinc etiam hæc nobilitatis inſignia, quæ noſtris etiam temporibus circumferri videmus, ortum habuere. Nam cum aliquis operam egregiam in bello præſtitiſſet, erat illi ab Imperatore conceſſum, vt nobilis haberetur: & inſigne virtutis geſtaret aliquod, per quod nobilitaret genus, & poſteritatem ad ſimilis facti memoriam excitaret. Alii igitur tot caſtella depicta geſtant, quot illi generis principes pugnando ceperunt: alii circulos, aut quidvis aliud pro numero hoſtium, quos in prælio aliquo duriſſimo interfecerunt; alii vt fortaſſe oſtenderent, ſe lucem rebus patriæ afflictis attuliſſe, ſtellis ſcuta diſtinxerunt: alii denique alia aſſumpſerunt, quibus virtutis ſuæ memoriam proderent.

Porro id quod apud Romanos, idem etiam apud omnes bene conſtitutas nationes priſcis temporibus fuit conſtitutum, plurimumque honoris virtuti bellicæ ſemper fuit attributum: vt ſcilicet ea gloriæ cupiditate omnes alacrius arma caperent, atque ad rei bellicæ ſtudium præcipue incumberent. Contra vero ignauiæ atque formidini permulta probra fuerunt legibus prudentiſſime conſtituta. Apud Macedonas erat olim lege ſancitum, vt qui nullum hoſtem in acie cæcidiſſet, capiſtro publice cingeretur. Apud Scythas nemini licebat in ſacris epulis circumlatum poculum accipere, qui nullum in re militari virtutis ſignum dediſſet. Amazonibus non erat conceſſum vlla conditione nubere, niſi prius hoſtem pugnando

gnando interemiſſent. Solon autem ſtatuit, vt eorum liberi, qui pro patria dimicãdo mortem oppetiiſſent, de publico alerentur. Quod etiam fuit in multis aliis ciuitatibus valde prudenter vſurpatum. Magna Syracuſanorum erga Timoleontem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionyſii ſecundi tyrannide liberati fuerunt. Nam cum poſtea Syracuſis, quod ſupererat ætatis peregiſſet (etenim vſq; ad vltimam decrepitam viuere ei cõtigit) nihil, quod publicam rem attingeret, per id tempus Syracuſani decreuerunt, niſi prius in conſilium perlato Timoleonte, eius ſentẽtiam perquiſiuiſſent, à qua diſcedere nefas erat. Cum autẽ Timoleon deceſſit, candidatus populus Syracuſanus coronatus eum extulit, laudes eius magna lacrymarum vi decantans; publico edicto declarata funeris impenſa, vt, quanti ea conſtitiſſet, omnes intelligerent, in medio foro ſepultus eſt, ſepulchri area magna porticu circumſepta: quæ à Timoleontis nomine vocata eſt, in quo loco quotannis ludi in Timoleontis memoriam edebantur. Athenarum etiam ciuitas erga Ariſtidis liberos grate ſe admodum egit: eorum enim memor, quæ Ariſtides pro Atheniensium ſalute Perſarum bello egerat, honeſte dotatas è publico Ariſtidis filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit, Lyſimachoque filio centum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintaque drachmas in ſingulos dies, vnde viueret, contulit. Diuinitus igitur à priſcis legislatoribus inſtitutum eſt, vt in quocunque hominum genere iſta virtus eluxiſſet, multis inſignibus atque titulis, quinetiam præmiis ornaretũr. Quis enim, vt Iuuenalis ait, virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas? Contra vero turpitudo & ignauia, omni dedecore & publica contumelia afficeretur.

Proinde faceſſant ii, qui nobilitatem habent in aſtragalis, vt eſt in prouerbio, nec animum generis ſplendore dignum gerunt, qui dignitatem maiorum virtute comparatam fœdis factis amiſerunt, qui timiditate, flagitiis atq; ſordibus & omniũ rerum inſcitia ſe in infimam turbam coniiciunt, neq; tamen deſinunt ad nauſeam vſque de familia ſua perilluſtri emugire. Quæſo enim, quem tandem fructum feret iſtud nudum familiæ nomen, cum Reſpub. in vltimum diſcrimen venerit armorũ: aut domeſticis ſeditionibus agitata fuerit? In tanta re ignari omnium (vt in Iugurtha Saluſtii prolixe habetur) trepidant, feſtinant, ſumunt aliquem monitorem ex populo officii ſui: ita plerunque euenit, vt qui imperare debebat, is ſibi alium imperatorem quærat. Inuident honori alieno, nec tamen inuident alienis laboribus & periculis. Maiorum ſuorum fortia facta memorando clariores ſe putant. Verum errant. Sane maiores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam ſui præclaram, virtutem autem non reliquere, neque poterant, ea ſola neque datur dono, neque accipitur. Maiorumque gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum neque mala in occulto patitur. Ac quemadmodum, vt inquit Socrates, frumentum optimum nõ iudicamus, quod in pulcherrimo agro natum eſt, ſed quod commode nutrit: ſic neque virum bonum & ſtudioſum, qui genere clarus, ſed qui moribus egregiis fuerit. Neque ſunt vera atque omni exceptione maiora inſignia illa, quæ in imaginibus, triumphis aut conſulatibus maiorum oſtentantur: ſed haſtæ, vexilla, phaleræ, & alia militaria dona, præterea cicatrices aduerſo corpore. Germanæ tamen nobilitati, quæ & ex ipſius virtutis ſtirpe generata eſt, & eadem virtute nititur, ſummum honorem haberi par eſſe puto. Iſtos autẽ, qui nobilitatis fabulam frigide nimis & inſulſe peragunt (in quos admodum quadrat illud à Dionyſiodoro Trœzenio frequenter vſurpatum: Quis patrem laudabit,

bit, niſi filii infelices?) vellem omnium ſibilis excipi & theatro, perinde ac digniſſimi ſunt, explodi. Virtute enim & conſilio res geruntur, non fumoſis imaginibus.

EQ. Conſtat certe longa rerum experiẽtia, regna, in quibus copioſa ac præclara eſt nobilium multitudo, pene inuicta & immortalia eſſe: id quod exemplis ſuis Gallia & Perſia probant. Gallia n. prope in regum Anglicorũ poteſtatem redacta, ope & auxilio nobilitatis vindicata & liberata. Sic Perſia, modo à Tartaris, modo à Saracenis agitata, virtute & fortitudine nobilitatis, qua regio illa abundat, fortiter defenſata eſt. Sic Hiſpania nobilitatis ope Maurorum ſeruitutem excuſſit. Obiter hic recordor egregii reſponſi comitis Sabaudiæ Petri, cum enim cancellarius Imperatoris moneret, literas feudales de nonnullis oppidis, quæ paulo ante primum in bello acquiſierat, monſtraret; gladium cu vaginatũ illi oſtendens: Hæ, inquit, ſunt literæ, quibus iſta loca acquiſiui. Huc reſpexit fortaſſe Cynus iuriſconſultus inſignis, ſicut allegatur à Paride de Puteo, referens, quod quidã nobilis domino feudi oſtenderit enſem pro inſtrumento feudali. Sed properemus ad alia. Multa enim adhuc à nobis dicenda reſtant, quæ ne à nobis tractari poſſint, valde vereor. Progrediemur igitur quantum licet, etſi non quantum lubet.

PH. Tu quoniam cum ſereniſſimo tuo Principe Germaniam, Galliam, *Hiſpaniam*, & neſcio quas regiones Vtopicas peragraſti, adeoque legationis *munus vel* quaſi ſubiiſti, non enim veriſimile eſt, Principem tuum motu proprio, rebus propriis neglectis aliena cõfeciſſe: Exponas ergo inter cętera, ſi placet, quod ſi legatus Principis contumelioſis ſuperbisve ſermonib apud alienũ Principẽ, ad quẽ mittitur, agat, anne id fert impune, an vero vt alii delinquentes atq; iniuriãtes puniuntur?

EQ. De hac quæſtione extat elegans & diuina trium Impp. ſanctio, nempe, ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab iniuria, remittendum. Superbiam enim verborum iracundi oderunt, prudentes irrident. *Liu. lib 45.* Quod eam ob cauſam profero, ne dicendi libertas legatis præripiatur. Nam contumelioſam linguã recte cõpeſci non nego. Et legati eſt, ſuã quidem dignitatem & auctoritatẽ, ſed modeſte non ambitioſe defendere. Neq; enim quicq̃ eſt, quod legato magis ornamenti adferat, quam ſi in omnib moderatũ ſeſe præbeat, ſi ſeruet modeſtiã, non arrogãter in ſua legatione ꝓcedat, ſi modeſte verbo agat, diſputatione pugnet, ratione vincat, ſi quę tamen à legatis aliquanto acrius eaq; neceſſario aguntur dicunturve, ea ad contumelias non referenda. Interim vero abſint à legato poſtulata ea, quæ ſunt ipſa petitione aut prolatione, iure gentium, liquido iniuſta & iniurioſa. Sic Lacedæmonii legatos Xerxis in barathrũ & puteos præcipitarunt, quod magnificis & iniurioſis quadantenus verbis, ac ſuperba nimis oratione terram & aquam petiiſſent. Sic cum legatus Cæſaris Antonio diceret, vti ſeſe ipſe dederet, quod vir mulieroſus & perditus indignus eſſet, qui amplius dominationis particeps eſſet, ob hanc procacitatem legatus ab Antonio cæſus eſt, & iure quidem, teſte Plutarcho.

Aliud vero eſt, ſi legati tantum ingrata poſtulent. Sic Veneti Regis Galliarum Fecialem denunciantem Reipub. bellum, iniuſtitiamque aliaq; exprobrantem religioſe dimiſerunt. *Guicciard. lib 7. Scip. Gentil. lib. 2. cap 20.*

Confidentia tamen aliqua in legato laudabilis eſt. Cui enim res magnæ ſunt gerendæ, is gerere illas audeat, & ſibi ipſe confidat neceſſe eſt, animoque minime abiecto ſit oportet aut vili. Vſque adeo, vt licet inferiores ſint longe, qui mittunt legationem, iis, ad quos mittuntur, poſſit tamen legatus forte

quadam

quadam cõfidentia vti, ſi magnanimi ſint illi, quibus exponetur legatio. Fecit hoc Hanno, Carthaginenſium legatus, cum Romani nihil moderati æquique ipſi reſpondiſſent. & ſic verecundiores æquioreſque Romanos effecit. *Diod. in Select.* Vnde præclare *Diod. in Select.* Romani, inquit, etiam hoſtes à virtute magnanimos & victoriæ cupidos diligunt. Et Cicero: Sæpe, inquit, virtus & magnificentia in qua grauitas & autoritas, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quam humilitas & obſecratio. Hinc timidi legati iuſtiſſimè vocantur canes muti, non valentes latrare. *c. ſi Rector 43. diſtin.* Docet quippe negare, qui timidè rogat, inquit Seneca. In quo tamen inprimis oportet animaduertere, ne quæ alia repugnent, & cauendum diligenter, ne quid nimis.

Vnde Cymbros legatos non fortes, ſed feroces & ſtolidos dixerim, qui cum victa ea gens eſſet, & in anguſtias redacta à Mario, huic tamen minitabantur. Nec enim probris inceſſere, ſed orare neceſſe eſt, & precibus, nõ criminibus placare id, quod eſt potentius.

Nec vero in magnis ſolum, ſed & in omni re magnum dignumque gerere animum legati debent, nec vt tantillum de ſua dignitate minuatur, vllo modo pati; vſque adeo vt ſi vel de loco ipſi lis moueatur, tueri omnino debeat iura & priuilegia ſui principis, & fugere potius congreſſum alterius legati, quam illi vnquam loco cedat. Ceſſione n. loci aut aliqua alia re, in quam temere conſentiret, facile accidere poteſt, vt ſui principis exiſtimationem offendat. Siquidem nõ licet legatis de dignitate dominorum quicqͣ ſine expreſſo mandato conſtituere.

PH. Poſſuntne etiam clerici eligi in legatos principis laici?

EQ. Dubitandi cauſam inde captas, quod non deceat Epiſcopum & presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immittere, ſed vacare, & ſe commodum exhibere vſibus Eccleſiaſticis. *Can. Apoſt. 8.* Atque inde perſonis Eccleſiaſticis immunitates conceſſæ ſunt, vt poſſint, omnibus aliis derelictis, miniſteriis Dei omnipotentis inhærere. *l generaliter. 52. C. de epiſ. & cler.* Et abſurdum foret, ſi promiſcuis actionibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat, *l 2. C. de teſtam.* Et præcipue clerici, quibus opprobrium eſt, ſi peritos ſe eſſe velint negociorum forenſium. *l. repetita, C. de epiſ. & cler.*

Nuſquam tamen prohibitum inuenio, quin potius permiſſum eſſe arbitror, vt clerici etiam ſecularibus principibus à legationibus eſſe queãt, quod & vſus hodie paſſim obſeruat. Et aliquando neceſſarium eſt, maxime in iis cauſis, in quibus de fide, de religione, deque ſpiritualibus controuerſiis tractandum eſt. Modo à criminalibus cauſis abſtineant, & intra ſui muneris cancellos ſe contineant, non, vt plerunque fieri ſolet, ſuis ſedibus relictis, voluptatum atque ſimultatum fiant mancipia. *late & pulchre P. Greg lib 1. partit. iur. Can. tit. 8. c. 9. lit. h.*

PH. Quid ſi legato in via equus moriatur, aut alias ratione caſus alicuius fortuiti damnum contingat, anne hoc ſibi reſarcitur à principe?

EQ. Videtur id primo negandum. Nam nec mandatarius omnia, quæ impenſurus non fuit, mandatori imputare poteſt, vt reſpondit Paul. *in l. inter, 26. §. non omnia, ff mand.* vel, quod ſpoliatus ſit à latronibus, aut naufragio res amiſerit, vel languore ſuo ſuorumque apprehenſus quædam erogauerit. Nam hæc impendia ſiue damna caſibus aduerſis & maioribus magis, quam mandato negotio imputari oportet. Nec ea facta ſunt exequendi mandati cauſa, ſed extra mandati cauſam contigit, ut fierent.

Sic

Sic Ioanni Andreæ Doctori iuris Can. Bonon. quem ad Pontif. Max. tum Auenione ſedentem legatum miſerat Ægidius Cardin. & Cõmune Bononienſium, cum in reditu non ꝓcul à Ticino in prædones incidiſſet, & ab eis expoliatus fuiſſet, referunt ita cenſuiſſe collegium Doctorum Bononienſium periculum ad Ioannem reſpicere, non ad Remp. quaſi nihil pertineat ea res quæ contigit, ad mandati cauſam, & fortunæ imputanda ſit, non mandato negotio. *Cuiac. ad d. §. non omnia ff. mand. vbi hanc deciſionem intempeſtiue commendat.*

Contrarium tamen verius eſſe arbitror. Legati enim officium publicum eſt, ad quod quis cogi poteſt, cuiuſmodi officia nemini debent eſſe damnoſa, *l. poſt leg. 5. §. aduocat. ff. quib. vt indig.* Et à Doctoribus communiter traditum eſt, quod quicunq; cogitur ad aliquid ſuſcipiendum, ei damna omnia reſarcienda. *Nat. conſ. 168.*

Nec quiſquam dicat: licet poſſit compelli, non tamen ſemper iſtud fieri. Nam & is dicitur compulſus, qui poteſt compelli, *l. nouiſſime. & ibi Bl. ff. quod falſ. tut. aut.* Sic de iudice traditur, ei hoc damnum à partibus debere refundi. *Specul. in tit. de ſalar. in prin.* Et in Ambaſiatoribus iis debere damnum datum redintegrari, expreſſe ſtatuunt *Brun. in l. ſi ſeruus communis. §. quod vero ff. de furt. Mart. Laud. in tract. de legat. n. 6.* Sic & nuncio reſtituitur, *Nat. conſ. 168. nu. 1. poſt Spec.* Et Capitaneo, qui citatus ad aliquem locum venire, in pericula incidit. *Nat. in d. loco, nu. 4.* Et commiſſario *Principis, ex trad. per Rutg. Ruland. in tract. de commiſſ. Cam. par. 1. lib. 7. c. 12. nu. 8. & ſeq.*

PH. Quoniam in has de legatis quæſtiones incidimus, quæſo te, porro expedias, an legati eos ſumptus petere poſſint, quos in hoſpitio pro abundanti, honorarii loco dono dare ſolent?

EQ. Dubitandum ſane non eſt, ſumptus & expenſas legationis legato reſtituẽdas eſſe, cum nemo propriis militare ſtipendiis cogatur, nec cuiquam debeat ſuum eſſe officium damnoſum. An vero omnes indifferenter expenſæ hoc nomine intelligantur, conſiderandum eſt. Et quidem quoad eas, quæ in equis pro ſe & famulo conducendis fiunt, in conſiderationem venire dubium non eſt; idq; propter dignitatem, in qua conſtitutus eſt legatus, inprimis receptum eſt. Imo etiam ſi propriis equis vtatur, *per egregie tradita à Crot. in tract. de teſtib. nu. 407.*

Sic quoq; ſumptus quos in eundo & redeundo fecit, vt & illos quos impendit, ſi in morbum incidat, tamdiu quoad domum reuertatur, repetet. *Brun. in l. his qui. §. quamdiu. ff. ex quib. cau. maior.* Hinc Brun. decidit, ſi Ambaſiatores inficerentur in Ambaſiata, ciuitatem eis debere neceſſaria ſubminiſtrare, quouſq; redire poſſint. Specul. *in tit. de ſalar. in princ.* vbi de legato iudice loquitur, inquiens, quod ſi is propter infirmitatem ſibi contingentem moratus fuit plus in vno loco, quod illud ſibi ſit refundendum. *Crot. d. loco nu. 411. verſ. retenta tamen.* In quo tamen iudicis arbitrium maxime dominatur, vt is æſtimet, qualis ille morbus ſit.

Quod vero ad ſumptus, qui honorariis in hoſpitio diſtribui ſolitis impenduntur, de quibus nunc quæſtio eſt, attinet; licet hos quoq; in petitionem venire debere ex eo concludendum videatur: quod legatus ad conſeruandam Principis ſui reputationem hęc honoraria elargiatur. Cõtrarium tamen verius puto. Sunt enim hæ expenſæ potius voluptariæ, quam neceſſariæ, proindeq; regulariter non repetuntur. Et cum legato ordinatum ſoluatur honorarium, facile ex illo ei tantum, vt & hæc elargiatur, reſtabit. Sic nominatim, ſi legati Principis expendant vltra ſalarium iis conſtitutum, non recipere à Principe, tradit Alber. *in l. idemque. §. Labeo. ff. manda.*

Verum

Verum enimvero vt libere dicam, quod ſentio, tu quærendo non defatigaris, ego vero reſpondendo maxime. Ad ea igitur quæ reſtant, tranſeamus.

PH. Fiat vt lubet. At interim plus eſt in fronte quam in receſſu. De plurimis namq; rebus diſſerere primitus inſtituimus, quas extremis digitis iam non attingimus: Veruntamen ſeruiendum eſt tempori, quod moram vltra præſtitutum non patitur. Cæterum, vt eo vnde digreſſi ſumus, redeamus. Pungit me quadantenus, quod Dominus Theologus, in politicum adeoque regium ſtatum debacchari velle paulo ante viſus fuit; cum tamen Eccleſiaſticus etiam ſuis non careat næuis, ſatiuſq; fuiſſet ſi trabem prius ex Eccleſiaſticorum oculis eieciſſet, ac feſtucam demum politicorum oculis extraxiſſet. Qui quidem næui, ne quid amplius dicam in tantum apud ipſos inualuerunt, vt ſibiipſis non admodum conſtent. Exemplo res fiat illuſtrior. Dictum eſt antea de canonizatione ſanctorum, quomodo & qua via procedatur. Caute admodum agi dictum eſt; neque ego repugno, ſed firmiter credo, diligentem fieri ratione canonizandi inquiſitionem; neque tamen ita caute omnia ac ſingula perſpicere ac perſcrutari poſſunt, quin turpiſſime ſæpenumero fallantur. Legatur hac de re Stephanus Bertrandus, *conſ. 285. in 2. par. vol 3. conſ.* ibi enim quæſtionem, an & quatenus aliquis poſſit venerandus proponi.

TH. Integram pone quæſtionem, nec perperam alleges. Quæſtionem enim ita format: An aliquis tanquam ſanctus abſq; licentia pontificis ſola inſpecta ſanctimonia vitæ & donis miraculorum poſſit venerandus proponi. Ibi concludit, atq; ego vna cũ ipſo, quod non. Adducitq; Bertrandus Antonium Sabellicum in ſuis Enneadibus atteſtantem, q̃ Bonifacius VIII. curarit quendã Hermannum Ferrariæ ſepultum, & ibi viginti annos multa veneratione cultum, refodi, & deinde publice cremari; & fuerat iſte vnus ex fraterculis. Exemplum etiam ponit (inquit ibidem) Hoſtienſis & Ioan. Andreas in peſſimis quæſtuariis, qui quandoq; oſtendunt coſtam peccatoris hominis vel aſini, loco ſancti, quia non curant, niſi vt denarios habeant; alii ponunt oleum in oculo ſuæ Mariolæ, vt videatur flere; & ſic imago quæ facta eſt ad honorem dominæ noſtræ vertitur in ipſius contumeliam. Alii etiam in ſuis prædicationibus quandoque ſeminant errores, & multas fabulas afferunt eſſe veras. Quæ omnia dicebant Hoſtienſis & Ioannes Andreas eſſe corrigenda. Hucuſque Bertrandus. Addo etiam hoc, quod etiam ipſe ſummus Pontifex à næuis atque erroneis quandoque deciſionibus ſit omnino immunis, ita vt etiam communis Canoniſtarum opinio deciſioni præferatur Pontificis. Sic namque idem Bertrandus, *conſ. 208. n. 21. in 2. part. tertii vol.* Quia nos, inquit, ſumus in terra Eccleſiæ, eſſet multum difficile obtinere contra communem opinionem Canoniſtarum, qui habent textum teſtamenti veteris, & habent dictum beatorum Auguſtini & Ambroſii, & ſic duorum ſanctorum: quorum dictum autoritate ſacra firmatum, præfertur etiam deciſioni Pontificis. *Gl. in c. de libellis diſtinct. 20.* Hucuſque Bertrandus. Stella quoque clericorum (liber ita dictus) tantopere debacchatur in religioſos luxuriantes omnique vitiorum genere ſeſe inquinantes, vt nihil ſupra. Quid vero id ſtatui ipſi religioſo derogat? Nihil omnino. Nam & Chriſtus Iudam habuit proditorem atque auarum inter ſuos diſcipulos, quæ tamen ipſius proditio atque auaritia nil quicquam derogauit cæterorum muneri apoſtolico.

PH. Quandoquidem ipſemet fateris, ſtatus Eccleſiaſtici homines ſæpenu-

mero non omnino eſſe puros fortaſſe iuxta dictum Chriſti: *Mundi eſtis, ſed non omnes*. Proinde ad mercenariam victus rationem, ſiquidem placet, tranſibimus.

EQ. Pedem nimium protendis. Nondum enim de Academiis, nondum de Cancellariis, Conſiliariis, Secretariis, &c. vel minimum egimus; fortaſſe quia tu non infimum Academiarum es membrum, ideoq; tacito pede tranſire properas, ne quid profeſſioni tuæ indecorum audire forſan ex nobis opus habeas.

TH. Philautia nimirum vel maxime laborant Academiarum aurigæ. Apud quos etiam primum enatæ ſunt monſtroſæ illæ ſalutationum formulæ, quarum intuitu, nemo fere hodie qui ſibi alicuius videtur eſſe ſagacitatis, niſi plurali adeoque multarum humanitatum numero ac nomine ſe ſalutari ſuſtinet.

PH. Ego certe nunquam approbaui eiuſmodi ſalutationum formulas, eſtq; adhuc lis ſub iudice, num in Academiis, an vero in culinis, vbi Germaniſmus admodum viget, enatæ ſunt. Nulla enim eſt conſtructio Grammatica, verbi gratia, *tu vos ambulantem*. Nec eſt quod quis obtendat, aucta pluralitate etiam honorem creſcere. Quid enim ſacrificio de ſuo honore decedit, ſi æditnus (verbi gratia) *reſpondet*: *& cum Spiritu tuo*; cum debuerit potius iuxta hunc paraſiticum loquendi modum dicere: *& cum Spiritu veſtro*: Recte itaque ac ſalſe nuper imo aſpere potius quiſpiam iſtiuſmodi ſalutatorem deriſit.

Is enim cum ſolus eſſet in conclaui & paraſitus quiſpiam multa *cum pluralitate* adiret; iterum atque iterum circumſpectans, reſpondit, cæteros abiiſſe, ſe ſolum eſſe; ſi quid vellet, oportuniore tempore rediret, dum illi adeſſent. Ille vero negat, ſe quenquã præter ipſum vnum quærere. Tum alter hominẽ percontatur, quot illic lectos videret. Quum vnum duntaxat reſpondiſſet; Et quæ tandem, inquit, temperiæ te agitant, aut è qua popina nobis probe potus ades, vt ego tibi non vnus videar, ſed multi.

TH. Acquieſco in hac tua reſolutione, verumque hominum doctorum honorem non in lenociniis iſtiuſmodi, ſed in ſtudiorum brabeis atque præmiis conſiſtere.

PH. Honores certe ſcholaſtici, qui vulgo promotiones appellantur, ſi rite obſeruentur, & dignis conferantur, magno Academiis ornamento eſſe, neminem facile negaturum eſſe arbitror. Sic enim, opinamur, inquit Solon apud Lucian. Gymnaſiorum deſiderium in iuuenibus magis accẽdi, ſi eos qui optime ſeſe geſſerunt, honorari conſpexerint, & in medio Græcorum præconis voce magnifice proclamari, & non pauci ex ſpectatoribus virtutum ac laboris amore inflammantur. Quoniam ergo omnes artes gloria atq; honore incredibiliter aluntur, idcirco veteres Philoſophi certos etiã honores ſcholaſticos iuuentuti propoſuerunt, quibus ad bonarum liberaliumq; artium ſtudia incitarentur. Proſpiciendum tamen ſemper eſt, ne temere & indignis, hoc præſertim periculoſiſſimo tempore conferantur. Alioquin enim ipſæ promotiones, quarum ſaluberrimus in republica vſus eſt, vileſcunt: & improbi atq; indocti publico teſtimonio cõprobati, haud parum reip. Chriſtianæ ſiue per improbitatem ſiue per ignorantiam detrimenti adferũt.

Recte Cato M. Fuluiũ taxabat, quod militibus coronas leuiſſimis de cauſis dediſſet, quæ non niſi quando oppidum captum erat, dari ſolebant. Recte etiam Adrianus Imperator viris quibuſdam prætoriis poteſtatem de iure reſpondendi petentibus, reſpondit: eam non peti ſed præſtari ſolere: Principes non conferre, niſi ſe prius idoneos demonſtrarent, & publica autoritate promouerentur.

Quan-

Quanquàm non ignorem, hodie non infrequenter honores & inſignia Licentiæ & Doctoratus præmature multis conferri ſolere, fide accepta aſſiduitatis & diligentiæ in poſterum, ne forte hominum ingenio excellentium (quibus hoc dari poſſe exiſtimat Alciat.*lib.1.n.51.*) animi, repulſæ ignominia, à ſtudiis alienentur.

Cæterum quo tempore gradus iſti cœperint, inter autores non conuenit. Conſtat tamen, ante Gratiani decretum & Petri Lombardi ſententias non fuiſſe vſurpatos. Sufficiat, hos autoritate concilii Viennenſis approbatos eſſe, quo etiam leges ſumptuariæ latæ, ne quis ſumptuum magnitudine grauaretur, Anno 1311.

Horum autem graduum cum per ſe magna dignitas ſit, ac præſertim Doctoratus, qui in quibuſdam priuilegiatis Academiis cum equeſtri honore coniungi ſolet: tamen abuſus quorundam effecit, vt in dubium à quibuſdam vocaretur: An dignitas Doctoralis officiat generis nobilitati: vel, num tituli graduſque Doctoralis aſſumptio nobilitatem dedecoret & obfuſcet? quod etſi opinantur delicatuli nonnulli: tamen iſtud contra rationem & contra præterque ſummi Principis intentionem fieri, conſtanter affirmo: ex trad. per Mynſ. & D. Arnold à Rayger, *in tract. ſingulari de propoſ. problem.*

Ioannes certe cognomento Theologus, Henetorum & Mediolanenſium princeps, non ob hoc princeps eſſe deſiit, quod in Pariſienſi Academia literas & Theologiā didicit, gradumque Doctoris conſecutus eſt. Quod idem de Hermanno olim Haſſiæ Landgrauio magiſterii inſignibus decorato, hiſtoriarum monumentis eſt expreſſum. Dignitas enim dignitati coniuncta, priorem non abolet, ſed auget & illuſtriorem efficit.

Huc pertinet, quod alibi traditur: Doctores ipſos quoque eſſe nobiles, & priuilegiis nobilium vti: vſque adeo, vt etiam ſtatuta de nobilibus diſponentia Doctores comprehendant. *Guid. Pap. deciſ. 88.* Hinc Bartolus reſpondit, Doctorem æque vt militem impune geſtare arma, etiam ſtatuto prohibita, nec ab officialibus propterea moleſtari debere, *in l. medicos. C. de profeſſ. & med.*

Quid? quod Bald. notat *in proœm. ff. verb. antecesſoribus*, Doctorem etiam militi præferendum eſſe: quoniam magis ſit honorandus, qui ſua virtute polleat, quam qui aliena: idque exemplo Bononienſium confirmat. Et recte quidem. Nam vt anima corpori, otium militiæ præfertur: ſic literas armis vtiliores eſſe fatendum eſt. Sic Pyrrhus Cyneam plures eloquentia cepiſſe vrbes, quam ſe armis, dicere ſolebat. Sic hodie conſtat Venetos arte & conſilio rempub. ſuam non modo tueri ſed & amplificare, tametſi rei militaris rudes propemodum ſint atque imperiti. Adde quod Cæſares etiam Comitiua dignitate donarunt legum profeſſores, qui ſine reprehenſione & probati, per viginti annos continuos docuerunt. *l. vn.* C. *de profeſſ. qui in vrb. Conſtantinop. comit. meruer. VVeſenb. conſ. 40. n. 50.*

EQ. Quid vero de Doctoribus ſentiendū, qui ex reſcripto & bulla gradū acceperunt, anne priuilegiis & inſignibus Doctorū ſolenniter promotorū gaudent.

PH. Minime gentium: ex recepta omnium ſententia, *per l. ſi ita quis, 53. §. fin. ff de leg. 2. Guid. Pap. deciſ. 88. nu. 5. Coler. tract. proceſſ. execut. par. 2. cap. 3 num. 129.* Hinc recte Dionyſius de Heliodoro aiebat, quem Adrianus Imperator epiſtolarum ſuarum magiſtrum fecerat: Poteſt Cæſar pecunias & honorem tribuere, Rhetorem facere non poteſt. Et recte Doctores iſti codicillares reprobati ſunt hodie in Concilio Trid. *libr. 7. Decret. titul. de magiſtr. cap. 2.* Experientia namque veriſſima omnis eruditionis exploratrix docuit, bullatos iſtos Doctores, bullæ non admodum ab-

ſimiles eſſe, & vt bullam turgidam, faſtu ſuperciliòque eruditionis per emunctæ naris politicos ciuiliter depreſſo detractoque ſubito euaneſcere. Et reuera, vt loquitur quidam politicus, ſunt nonnulli bullati Doctores nimium bullati. Plerunque enim inſtar bullarum omnis doctrinæ ſunt inanes, aut bullæ & diplomata de ipſorum eruditione & profectu magis teſtantur, quam ipſi de ſemetipſis teſtari ac probare aliis ſuam eruditionem poſſunt. Vnde forte conuenientius bullas iſtas dixeris Doctoratas, quam illos Doctores bullatos.

Quanquam dolendum ſit profecto, etiam pleraſque Italiæ noſtræ ſcholas impenſiori, & nimio ſane locupletandi fiſci ſtudio eo dudum redactas, vt dignis an indignis præclari illi honorum gradus tribuantur, dum pretium ipſæ conſequantur, parum penſi habeant. A quo peruerſo certe more niſi mature abſtineatur, tandem fiet, vt iſti honorum gradus, qui pridem non vſque adeo magno apud vulgus ſunt in pretio, apud intelligentes etiam & cordatos plane in contemptum, imo ludibrium & riſum abeant, ac qui iis propter eruditionem erant digniſſimi, etiam gratis oblatos accipere recuſent.

EQ. Penes quem vero eſt tribuere atque conferre priuilegia creandi magiſtros, Doctores cæteroſq; ſtudiorum conferendi gradus.

PH. Scio varie de hoc iam dudum diſceptari. Ego tamen (ſaluo *aliorum iudicio*) ſic ſtatuo; Academiam quamlibet ab Imperatore Romano confirmatam, priuilegiis legitime ornari, iiſque recte vti poſſe. Quippe quod principium & origo omnis dignitatis in iure perhibetur Romanorum Imperator, cuius proprium eſt in dignitatibus conferendis liberalitatem exercere, *arg. eorum, quæ pulchre tradit Crauet. conſ. 44. n. 16.* Hinc Baldus Principem Oceano adæquauit, quod ab eo omnes liberalitates, dignitates, iuriſdictiones, feuda, nobilitates, priuilegia fluant ac refluant, & veluti à fonte in alios deriuentur, *per text. in l. 1. ff. ad l. Iul. de ambit.* Et alibi recte aſſerit, *conſ. 333. lib. 1.* iuriſdictiones & dignitates penes Principes reſidere, vt ſcabellum pedum ipſorum. *Crauet. conſ. 338. num. 1. & 17.* Solus igitur Imperator confert dignitates, iuriſdictiones, feuda, ſine cuius conceſſione & inueſtitura mediata vel immediata ad aliquem pertinere nequeunt. *Molin. in conſuet. Pariſ. §. 2. gl. 3. nu. 10.* Hinc præclare decidunt Doctores noſtri, quod princeps ſolo verbo creare poſſit aliquem Doctorem. *Chaſſan. in catal. gloriæ mundi, part. 5. conſid. 24. nu 91.*

Sic Pariſienſis Academia etiam longe ante Pontificum Canonem introducta & confirmata eſt Caroli Magni autoritate. Idemque etiam de Attica ſchola dici poteſt. Quis Bononienſi Academiæ priuilegia largitus eſt, quam P. Anchar. *in proœm. 6.* veram ſtudiorum matrem rectiſſime appellat, quamque Baldus ICtorum columen, mille annos ante ſuam ætatem floruiſſe dicit.

EQ. Vnum adhuc quæram; tu reſpondere mihi ne graueris. Conferunturne etiam dignitates Academiarum, ac præſertim Doctoratus, ſpuriis & illegitime natis?

PH. Sane arbitror, male eos ſentire, qui dignitatem Doctorum ſpuriis communicandam eſſe ſimpliciter exiſtimant. Iuſtinianus certe, *in l. 2. §. quæ omnia, C. de vet. iur. enucl.* Anatolium legum Doctorem laudat, quod ab antiqua legitima ſtirpe genus duceret. Iaſonem vero legimus, à Mediolanenſium ICtorum collegio repulſam paſſum fuiſſe, quod legitime natus non eſſet. Cuiuſmodi ſtatutum, ne videlicet ſpurii cooptentur, etiam Bononienſes ICtos habere, refert Palæot. *de ſpur. c. 56.* Sic in inclyta Baſilienſium Academia & aliis celebrioribus Germaniæ Academiis

receptum, vt in natales eorum, qui Doctoræ dignitatem ambiunt, cumprimis inquiratur, neque antequam de horum fide illibata conſtet, inſignia honoris conferantur.

Nec vero quiſquam hoc abſurdum putet, cum olim etiam Friderico II. Imperatori neceſſe fuerit, in publicis Comitiis Merſeburgi habitis, poſtulantibus Imperii principibus, fidem natalium ſuorum vindicare idoneis ad hoc prolatis documentis.

Abſit tamen interim etiam à me, vt cum Franciſco Viuio, *deciſ. 162. num. 10. lib. 1.* affirmare auſim, ſpurium non magis Doctorem eſſe poſſe, quam aſinus ſit homo. Non enim nego, poſſe etiam illegitimos ſua virtute adeo inclareſcere, vt etiam legitimorum officiant luminibus.

Sed hæc raro eueniunt, & non niſi propter inſignem & raram ingeniorum excellentiam contingunt. Ac ſi tale quid detur, nemo adeo æſtuare inuidia & liuore debet, vt non inſignia Dei dona agnoſcat, & his aliquid putet de ſummo iure & rigore remittendum *Paleott. c. 65. in fi. & c. ſeq Aluar. Valaſ. conſult. 17. n. 3.*

EQ. Multa ſunt in hac materia, de quibus diſſerere æquum foret, & præſertim de profeſſoribus, ideoque iis quorum intereſſe in typographiis agitur, Academiarũ. Verum metuo vt irritentur, ſi quid fortaſſe durius in illos diceremus. Itaq; ad alia ſermocinando progrediemur. Nihil autem quum magis affine Academiis ſit, quam typographiæ, de illis, ſi placet, aliquid diſſeras. Vidi namq; ſępius paſſim diſcurrere per typographias ſtudioſos iuuenes; quorum hic theſes, ille carmina, alter oratiunculam prælo ſubiici admodum laborat, nihilque magis deſiderant, quam vel nuda ipſorum nomina impreſſa cernere, ſic namque continuo ſe immortales eſſe ſomniant, neminemq; adeo eſſe in rerum natura, quem nunc lateat, ipſorum etiam nomen typis impreſſum extare.

PH. Putas ergo tu, vacare periculo, etiamſi in typographias eoſque qui rebus typographicis operam nauãt, debaccheris? Minime vero gentium. Quinimo vnum ſi offenderis, omnes offenderis. Eſt enim mutuus illorum conuictus, mutuæ operæ, alterq; ex alterius ope atque opera dependet. Compoſitor typos ordine diſponit; diſpoſiti vero nihil proſunt, niſi Impreſſor prelo ſubmittat atque imprimat; impreſſi legentibus ſordent, niſi Corrector limam adhibeat: Corrector etiam facile ab autoris ſcopo poteſt aberrare, niſi Lector exacte atque attente exemplar quod originale vocant, prælegat. Sic mutuæ operæ mutuam neceſſario gignunt familiaritatem, quanquam ea etiam interdum ſit admodum lubrica. Sane Henricus quidam Stephanus edidit aliquando Artis typographicæ querimoniam quandam anno nimirum 1569. ſed ea iamdudum eſt obliterata.

EQ. Quæſo ne graueris eam nobis communicare. Nihil enim, opinor, arti ipſi typographicæ derogauit, cum ille ipſe fuerit typographus: vidi enim perquam multos eoſque haud vulgares in ipſius typographia impreſſos libros. Non itaque veriſimile eſt, ipſum id, cui tum temporis grauiter incubuit, opus damnaſſe.

PH. Quia tantopere vrges, communicabo. Sic autem iam dictus Henricus Stephanus orditur, cœptamque adeo artis typographicæ querimoniam, quam vocat, proſequitur:

Scribimus indocti doctique poemata paſſim, exclamat Horatius, poſtquam dixit, a-

gendæ nauis ignarum non audere eam agere, medicos, quod medicorum eſt promittere, fabros fabrilia tractare. In eandem vero ſententiam & alibi canit:

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis,
Indoctuſq; pilæ, diſcive trochive, quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ:
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere.

Hoc autem quam verum noſtra etiam ætate comperiatur, quotidie teſtantur miſera poemata quæ deferri videmus *in vicos vendentes thus & odores* (vt hic quoque verba Horatiana vſurpem) *Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.* Sed quod ille de iis dixit qui γράφουσι, multo etiã iuſtius de iis dicemus qui τυπογραφοῦσι poemata, quamuis aliena, nec poemata duntaxat, ſed alia aliorum quorumlibet ſcripta. Quid? doctrinam typographi & eius qui poemata ſcribit, parine in lance expendendam cenſes? Non equidem: ſed vtroſque, ſi indocti ſint, æque ſuo in genere (vt ita loquar) indoctos eſſe & cenſeo & affirmo. Quantum enim multi huiuſſeculi verſificatores ab ea doctrinæ abſunt menſura quam vel mediocris poeſis, (ſi liceret mediocribus eſſe poetis) deſiderat, tantum pleroſque typographos ab ea quam ars illorum poſcit vel flagitat potius abeſſe dico: vt de iis taceam qui non ſunt indocti, id eſt parum docti, aut etiam minus quam parum docti, ſed *ne digni* quidem ſunt qui indocti vocentur, quum ſint prorſus analphabeti. *Quid?* (dicet fortaſſe quiſpiam) quum tot librorum agmina ex tot typographorum officinis prodeant, quos omnis doctrinæ expertes eſſe conſtat, an ita neceſſariam illis eſſe literarum cognitionem exiſtimas, vt à ſuis fertiliſſimis alioqui prelis, in quibus conſenuerunt, tanquam Ariſtophanicos Strepſiadas, ad tam ſeram ſcholam vocare, & veluti Pelias quoſdam recoquere velis? Atqui, ſi ideo typographicæ arti doctrina non eſt opus, quod multi eam indocti exerceant, ac de iis queri minime debeo: itidem certe poeticę non eſſe neceſſariam, quod ab indoctis etiam multa proficiſci poemata videamus, ideoque de illis immerito queſtum eſſe Horatium pronuntiabimus. Niſi forte poeticæ quidem neceſſariam omnino eſſe poeticam, at typographicæ arti non item, dicet aliquis. Sed quo id ore dici à quoquam poterit? Itane vero librorum editio pro dignitate ab iis elaborari poterit quibus nihil cum Muſis commune eſt? Itane vero artem cuius velut tutelæ ac fidei literæ hoc ſeculo commiſſæ ſunt, fideliter tractare literarum imperitus poterit? Ecquid obſecro dicturum putamus Aldum, ſi nunc reuiuiſcens videat ſucceſſiſſe ſibi typographos quorum non minima pars vix penę aliud in libris, quam quomodo alba pagina diſcernenda ſit à nigra, intelligit? (Nam qui tantum profecerunt vt Græca literarum elementa poſſint à Latinis, Hebraica à Græcis diſcernere, atrocem ſibi fieri iniuriam exiſtiment ſi in numero indoctorum habeantur.) Quid vero dicturos M. illum Muſurum & Ianum Laſcarin putamus, in quibus primis Græcia reuiuiſcere cœpit, & qui principes in pandendo nobis ad linguæ Græcæ adyta itinere fuerunt? quid, inquam, dicturos remur, ſi, quum ipſi tãtum honoris arti typographicæ detulerint, vt non indignam exiſtimarint cui ſuam operam nauarent, fungentes munere correctorum (liceat enim de rebus typographicis typographice loqui) eo rem deueniſſe videant, vt ſi quis tria Latinæ linguæ verba totidemque Græcæ norit, typographicę illius correctioni nobiliſſimi quique, vtriuſque linguæ ſcriptores committantur? Quid enim, obſecro, aliud eſt, hanc in illos ſcriptores poteſtatem eiuſmodi hominibus permittere, quam gladios furioſis in manus

nus tradere? Eorum ego è numero quendam olim cognoui, illo correctoris munere tam crudeliter fungentem, vt omnibus locis in quibus vocem procos inueniebat, plagas infligeret, porcos nimirum in locum illius ſubſtituens: itidemque vbicunque verbum Exanimare occurrebat, ipſum in Examinare mutaret: (adeo quidem vt & apud Horatium legeret, *Cur me querelis examinas tuis?*) quod nimirum hæc vox pariterque illa (ſicut aliæ prope infinitæ, in quas eandem tyrannidem exercebat) Latinitatis eius terminos excederent, peregrinitatiſq; damnandæ ei viderentur. Porcos enim (aiebat) ſcio eſſe animalia quædam ſic vocata: at procos nec animalia nec aliud in Latino ſignificare puto. interim malo vocem de qua certus ſum, pro ea reponere. Alii ſunt qui neque quid nomen Proci, neque quid verbum Exanimare valeat, ignorent, ac Latina eſſe minime negent, in aliis itē perinde tritis non hæſitent: ſed quum paulo iſtis rariora vocabula in eorum oculos incurrūt, ad ipſa, tanquam monſtra quædam, obſtupefiant: atque adeo procul vnumquodque huiuſmodi vocabulum abigant, aliud ſibi familiare in eius locum aduocantes, vel potius obtorto (vt ita dicam) collo pertrahentes. Exemplum autem ex multis vnum, ſed valde inſigne, proferam. Quum dixiſſet Horatius, epiſtola 2. libri prioris, *nunc adbibe puro Pectore verba puer*, ad verbum hoc *adbibe* attonita frequens huiuſmodi correctorum turba, in *adhibe* mutauit: non vnum vna in voce, ſed multiplex, erratum admittens, vt cuilibet (qui modo illorum ſimilis nō ſit) manifeſtum eſſe poteſt. Et tamen in pluribus quam triginta diuerſis editionibus præclaram illam emendationem me videre memini. Ac certe vix tandem Lugdunenſi cuipiam correctori perſuaſi vt poſthac inemendatū Horatium eo in verſu eſſe ſineret, id eſt, ſuum *adbibe*, quod mendoſum ille putabat, ei relinqueret. Viden', lector, videre cum quibus nunc hominibus negotium ſit antiquis illis Latinæ linguæ ſcriptoribus? Nam de Græcis quid attinet dicere? Græcæ linguæ penetralia ingreſſi ſunt ſcilicet qui Latinam vix à limine ſalutarunt: aut ab illis multum ſperandum eſt, qui ipſis librorum frontibus ignorantiæ ſuæ imaginem ad viuum expreſſam præfigunt. Sic nuper ex quadam Germanica officina (vrbis enim nomini parco) prodiit Græcus liber, in cuius fronte quum diligentiam in eo adhibitam commendare vellet is cui hanc prouinciam demandarat typographus, in eo ipſo verbo quo emendatum ſignificare voluit, tribus fœdiſſimis errauit modis, non typographicis quidem illis, id eſt non ex operarum incuria, ſed ex mera linguæ Græcæ ignorantia aperte proficiſcentibus. Atq; ita miſer typographus dum honorifico titulo commendatā eſſe editionem ſuam exiſtimauit, contra ſuo ipſemet præconio (tanquam ſuo ſe gladio iugulans) illā infamauit. Quod vero omnium maxime ridiculum eſt, videmus paſſim typographorū epiſtolas Latinas, interdū & Græcas, quorū plurimi ne primū quidem earum verbū intelligere, nōnulli ne legere quidē illas poſſunt. Quā multa vero inſuper mala hæc typographorū ignorātia inuehat, alius erit fortaſſe dicē di locus. Sed interim (quū hunc tā miſerū tamq; calamitoſum artis typographicę ſtatū ſæpenumero mecū deploraſſem, cōtinere me nō potui quin omnibus qui Muſas eo proſequuntur & amore & honore quo merentur, luctum meū teſtatum relinquerē, vel potius illos in eius partē (tanq̄ de meo tantūdē detracturus) vocarem. qui tñ multo certe libentius vindices tantæ miſeriæ & iniuriæ q̄ deploratores aduocaturus eram, ſiquos vsq̄ gentium repertū iri exiſtimaſſem. Hinc tandē erupit illa q̄ nūc edo q̄rimonia, inter innumeras occupationes à me ſcripta, nec tñ ex vllo odio, vel ex inuidia (eſt.n. Dei beneficio, cur inuidear ab ὁμοτέχνοις,

potius

potius quam cur inuideam) ſed ex animo graui indignatione percito profecta. Verum dicet quiſpiam, Heus tu, non meminiſti verſus Horatiani quem initio huius epiſtolæ protuliſti? *Scribimus indocti doctique poemata paſſim.* annon & in tuum poema eundem iactatum iri exiſtimas? Imo vero & memini, & me primum omnium in illorum, non in horum numero colloco: ſed vt aggredi illud auderem fecit hic alius ſatyrici verſus, *Si natura negat, facit indignatio verſum.*

Hucuſque Henricus Stephanus. Sed quoniam carmen ipſius querulum aliquanto prolixius eſt quam par eſt; quædam duntaxat ex illo inferam. Sic autem inter cætera, perſonam quaſi agens typographiæ, orditur:

Illa ego quæ quondam, cælo vt delapſa, colebar,
Illa ego quæ multis numinis inſtar eram.
Quam comitem addiderant mundi miracula ſeptem,
Quæ decima Aonidum ſum numerata ſoror:
Deliciæ humani generis vocitata per orbem,
Quæ vocitabar amor deliciæque deum:
Hei mihi, nunc miſeram, contempta, inglorla, vitam
(Si tamen hæc vita eſt nomine digna) traho.
Nunc traho quod ſupereſt, per mille opprobria, vitæ,
Sicque meæ laudi viuo ſuperſtes ego.
At vos, quorum animos vulgi non faſcinat error,
Nec ſua credulitas credere falſa iubet,
Me (quæſo) indicta damnari expendite cauſa,
Nec peragi iuſti iudicis ore ream.
Crimina multa quidem ex omni me parte laceſſunt:
(Fœta ſubinde nouis pectora liuor habes)
Sed duo præcipuè noſtram oppugnantia famam,
Implerunt acri quæ mihi bile iecur.
Me veterum autorum clamant peſtemque luemque,
Sacrilega hos clamant me violare manu.
Sentinamque operum dicunt proferre nouorum,
Quam piper & triuiis ſalgama nota manent.
Nimirum hæc ea ſunt quæ me duo crimina vexant,
Inque odium reliquis quæ rapuere magis.
At non iure in ius me dico fuiſſe vocatam:
Nam quæ non pecco, quare luenda mihi?
Non peccare autem, ſuffragia veſtra probabunt,
Si patiens auris, candida menſque ſinat.
Namque age, Mauortis ſi quis ſibi ſumpſerit arma,
Sed qui non itidem Martia corda gerat:
Si capiti galeam laterique accommodet enſem,
Si parma & telis inſtruat ille manum:
Vixque tamen viſis vertat terga hoſtibus idem,
Parmam cum telis excutiente metu:
Iſtane Mauortis culpa eſt? num portio laudis
Idcirco Marti deperit vlla ſuæ?

Siue

Siue lyram pulſet lyricæ qui neſcius artis,
Et miſeras aures enecet vſque ſonis,
An Phœbus debet culpam aut præſtare Camœnæ?
Aut lyricæ hoc artis dedecus eſſe poteſt?
Si chartas nunc ergo meas, ſi prela typoſque,
Inſtrumenta operis quotque miniſtra mei,
Turba indocta malos indoctè vertit in vſus,
Num merito in partem criminis ipſa vocer?
Siccine ſim adiutrix illis fautrixque putanda,
Quos cane, quos odi peius & angue palam?
Atque adeo quod velle licet, ſi poſſe daretur,
Iam factis odium teſtificata forem.
Sed quid agam? quæ dii tolerant, tolerare recuſem?
At faſtu dicar nunc tumefacta nouo.
Optaui quoties, tenebris adoperta laterent
Quæ mea nunc lucem munera cunque vident.
Nec ſolum hoc, aliis onerauimus æthera votis:
Omnia quæ celeres diripuere Noti.
Iidem debuerant etiam rapuiſſe dolorem,
Qui menti requiem ſurripit vſq; meæ.
Hei mihi quod propriis patior nunc vulnera telis,
Armaq; me contra ſunt fabricata mihi.
Nam queis barbaries à me poſternitur armis,
Quotquot & errorum turpia monſtra latent:
Deniq; queis fœdas expello mente tenebras,
Me dominam illa ſuam nunc maleſana petunt.
Vulnera forſitan hæc dices non eſſe cruenta,
Eſſe cruenta quidem vulnera, & ipſa nego:
Nobilitate animus ſed quanto corpore præſtat,
Vulnera tanto animi quis grauiora neget?
Vtq; bono patri dolor ingens improba proles,
Obiicit hanc illi qui tamen, ille grauat:
Vulnera ſic per ſe ſunt noſtra grauiſſima, linguæ
Sed multo reddunt aſperiora malæ.
Me miſeram: incipiunt quoties effundere virus,
Et probris nomen dilacerare meum,
Terra mihi toties opto mihi terra dehiſcat:
Horror ad has voces pectora tantus habet.
Nam veterum autorum quum ſim columenque ſaluſque,
Illorum labes perniciesq; vocor.
Turba equidem (fateor) me multa profeſſa magiſtram,
In ſcripta illorum perpetrat omne nefas:
Atque manu illota quæ ſunt ſacrata profanat,
Quam vel ſacrilegam dicere iure queas.
Sed gregis iſtius ſi dicor iure magiſtra,
Si tanti ſceleris conſcia credor ego,

Nempe fugax itidem eſt miles, Mauortis alumnus,
Eſt itidem trepidæ conſcius ille fugæ.
Et quicunque malus toto citharœdus in orbe,
Scilicet illius Phœbe magiſter eris.
Sic mala dicetur textrix à Pallade docta,
Vulcanuſque malum ſic docuiſſe fabrum.
Dicenduſne meus quicunq; typographus audit,
Et chartas graphicis implet vbique typis?
Atqui turba iſto titulo nunc multa ſuperbit,
Quæ porcos fuerit paſcere digna magis.
Vix norunt ipſas multi de nomine Muſas,
Vix norunt Muſis aut Helicona ſacrum.
Quid dico? pudet his longe grauiora profari,
Atque magis poſſint quæ ſuperare fidem.
Proh pudor, haud rarus numero reperitur in illo,
Nominis ignorans ipſa elementa ſui.
I nunc, & veterum fœdata volumina multis
Mirare ac multis contemerata modis:
Agmina ſcriptorum graphicos & multa nouorum
(Hoc eſt, nugarum plauſtra) dediſſe typos.
Quid mirum? vt cæcus diſcernit nemo colores,
Horum diſcernit ſic quoq; turba nihil, &c.

Et quæ ſequuntur, quæ ad nauſeam vſque fruſtra queritur bonus ille Henricus Stephanus.

EQ. Forſitan ille ſuas nequiit protrudere merces; ob id exoſas aliorum hoc ſcriptulo reddere voluit, vt vniuerſus orbis ad ipſum conuolare, quaſi vero ex nulla omnino prӕterquam ex ſua ipſius officina terſi ac bene correcti prodeant libri.

PH. Recte iudicas. Nihil enim hac vnquam querimonia obtinuit, etiamſi vel in hanc vſque horam quiritetur. Ars typographica perquam laudabilis eſt, eiuſque beneficio multa excoluntur ingenia, quæ alioquin peſſum irent, proinde verus eius vſus maxime vtilis eſt ac neceſſarius. Abuſus vero vſum verum non tollit. Nihil enim eſt tam eximium quin per abuſum poſſit deprauari.

Hi nempe eſſe mei merito dicentur alumni,
Hi mea cura viri, deliciæque meæ.
Grexque adeo meus hi: (per totum ſi tamen orbem
Quinque decet vel ſex nomen habere gregis).
Illos contra oculi mihi ſunt animuſque peroſi,
Exoſa illorum nuda vel vmbra mihi.
Inſtrumenta quidem mea nunc famulantur & illis:
Eſſe ſed hæc prædam, non mea dona puta.
Artifices appello malos (ne neſcius erres)
Non quo vulgus eos more vocare ſolet:
Sed ieiuna quibus doctrinæ pectora, quorum
Ad Latios auris ſtat ſtupefacta ſonos.
Artifices hos nempe malos ego conqueror eſſe,
Hos fidei artifices conqueror eſſe malæ.

Ornamenta licet conquirant vnd que libris
Quæ dare cunque poteſt vlla perita manus.
Namque quod humano mens eſt in corpore, quod mens
Præſtare humano corpore clauſa poteſt,
Hoc opere in noſtro præſtat correctio:(voci
Fas vſum veteri ſit tribuiſſe nouum)
Hæc fugat à ſcriptis tenebras, lucemque reducit,
Vna hæc cum mendis aſpera bella gerit.
At taurus ſumptis carpet prius aera pennis,
Aut liquidas pinnis ille natabit aquas.

TH. Diſcurſus veſter eſt inſtar rotæ ſiue lapidis molaris, qui ſemper in gyrum quidem voluitur, nunquam tamen vlterius progreditur; ſic in gyrum veſtros torquetis ſermones, nec tamen finem inuenitis. Opus mihi erit flagellis atque adeo ſtimulis ruſticis (abſit tamen inuidia verbo, iocari enim mihi quoque liceat) vt è gyro recta vos incedere atque progredi edoceam, qualiter de cancro Æſopus fabulatur, qui ſerpentem conſimiliter per ambages atq; inuolucra incedentem, recta incedere pariter edocuit.

EQ. Commode infers; ruſticorum enim mentionem facere ſæpenumero volui, ſed aliis ſubinde ſermonibus fui interruptus. Agite igitur de ruſticis ſermocinabimur, atque tunc colloquium hoc finiemus.

PH. Maluiſſem de Mercatoribus atque mercantiis, quam de ſordido huiuſmodi hominum genere, de quibus Marcellus Donatus in ſuis in Ælium Lampridium dilucidationibus: Ruſtici, inquit, animalia ſunt media inter bruta & homines, plus rationis expertes quam rationis capaces; quod norunt illi qui malo ſuo genio acti cum illis conuerſari coguntur. Hæc Marcel. Donatus.

EQ. Bona verba quæſo. Noui enim & ipſe hoc hominum genus melius longe quam tu vel alius quiſq;, qui de ruſticorum ingeniis ex ſcriptis duntaxat aliorum, iudicium temere fertis. Ego vero in peregrinationibus meis reapte didici atq; expertus ſum ipſorum mores atque ingenia, quæ quidem diuerſimode variant, ſicut & omnium aliorum ſtatuum, de quibus hactenus diximus. Sunt boni, ſunt mali, ſunt mediocres. Illos laudo, alteros vitupero; hos neq; laudo neq; vitupero, magis tamen laudo, debemus enim ſemper in laudem quã in vituperiũ eſſe procliuiores.

TH. Fuit certe tempus, quum ſancta ruſticitas omnium ore prædicabatur, *Can. ſancta quippe ruſticitas, 2.q.7. ex Hieronymo ad Paulinum.* Vtilique ratione proſpectum fuit antiquitus (vt Gratianus inquit) vt innocens & quieta ruſticitas peculiaris patrocinii, id eſt, defenſoris locorum beneficio perfruatur, *C. de defenſ. ciuit.* Ne interim Senecæ teſtimonium omittam, qui in Hippolyto:

Non alia (inquit) *magis eſt libera & vitio carens,*
Rituq; melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mænibus ſyluas amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis:
Non ille regno ſeruit: ac regno inuidet:
Spei metuſq; liber, aut illum niger
Edaxq; liuor dente degeneri petit:

Nec ſcelera populos atque inter vrbes ſita
Nocuit, nec omnes conſcius ſtrepitus pauet.

Quanquam hodie mutatis rerum vicibus, ruricolæ callidiores facti ingenioque verſutiore quam oppidani, mox etiam daturi progeniem fallaciorem. Variæ enim iſtorum fraudes in ſuos heros, in vicinos, in rerum ſuarum promercalium emptores, in parochos ſuarum Eccleſiarum; quamobrem etiam acerrime perſtringuntur ab Antonino Florentinorũ pontifice, *in 3. parte ſummarum, tit. 8. cap. 13.* Ex eo etiam ſenſim faſtu ſuperbiaq; intumuere vafri ruſticani, vt ruſticitatis appellatione ſuperbia interdum ſignificatur à Pelagio Rom. Pontif. ad Narſen Patricium *in can. de liguribus, 23. quæſt. 5.*

E Q. Iliacos intra muros peccatur & extra. Nemo enim ſine crimine viuit. Reliquorum nimirum ordinum corruptelæ velut ad imitandum propoſitæ, ſociam atque comitem quaſi ſibi adiungunt ruſticitatem, eamque adeo ad ſe attrahunt. Sua ergo ſibi quilibet imputet vitia. Verum enimvero cæteris paribus ruſticam vitam omnibus diris non eſſe tantopere deuouendam dico; prçterquam enim quod fundi ruſtici fortunæ bonis refertiſſimi ſunt; ſalubritas quoque humani corporis maxime inſignis ex ruſticatione prouenit. Hinc eſt, quod Romani olim ciues quum nonis diebus vrbanas res vſurparent, reliquis ſeptem verſarentur in opere ruſtico; vtrumq; adeo conſequebantur, vt & cultura agros feraciſſimos haberent, & ipſi valetudine eſſent firmiores. Ex quo ſerius ab iis Græcorum vrbana gymnaſia deſiderabantur, aut balnea Puteolana, ſi quave alia amiſſam valetudinem reſtituerent ignauo generi, quod tecto gaudet & vmbra.

Hinc ſubitæ mortes atq; inteſtata ſenectus
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Segnities enim corpus hebetat, labor ruſticus firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.

Quin etiam ex ruſticis herbis inſignem peti morborum leuationem adeoque ad ſanitatem vel maxime conducere conuictum ruſticum vel ipſæ beſtiæ nos admonent, ad quas ægre illæ confugiunt, haud alia quidem aſcititia arte, quam naturæ ducis ſagacitate quadam inſtructę. Olenium pecus ſtatim à paſtu Siſeli herbam comedit, cruciatum alui curatricem. Cerui telo icti, dictamon; hyrundines chelidoniam viſui ſaluberrimam. Vrſus languidus formicas lambendo mandit. Canes nauſea correpti, quum bilem vomitu expellere conantur, gramen appetunt; Sues ad fluuiatiles cancros properant, quos vbi deuorarunt, protinus dolore capitis liberantur. Teſtudo, guſtata vipera, origanum rodit. Apri hedera in morbis ſibi medentur, & cancris veſcendo, maxime mari eiectis: Palumbi, graculi, merulæ, perdices, lauri folio anuum faſtidium purgant, vt Palamedis aues iunco paluſtri: Infinitæque adeo ſunt brutis animantibus notæ herbæ, quas diligenter inueſtigauit Plinius *lib. 8 nat. hiſt. c. 27.* & Plutarch. *in opuſc. de cauſis naturalibus.*

Quanto effuſius adhuc hominum generi ſalutiferas herbas proferunt Rureſtria loca ac ſylueſtria? Æthiopis naſcitur in Ida monte Troadis, & in Meſſenia Siciliæ, cuius radicis coctum potum auxiliari Iſchiadicis, pleuriticis & ſanguinem reiicientibus affirmat Dioſcorides *l. b. 4. cap. 100.* Apios ſeu Iſchas è Creta ad nos affertur, cuius pariter ſaluberrimæ qualitates recitantur à Theophraſto *lib. 9. de nat. plant. cap. 20.* Ricinus, palma Chriſti, germana eſt Ægypti & Hiſpaniæ, de qua Plin.

lib. 15.

lib. 15. cap. 7. & Galen. *lib. 7. ſimplic. medicam.* Nucem myriſticam fert inſula Badan apud Indos, Caſſiam ſolutiuam Ægyptus circa Memphim, Ariſarum primum ager Romanus non longe ab vrbe; quod celebrat Galenus, *lib. 6. Simplic. medicam.* Styrax familiaris eſt Syriæ Iudææ circa Gabala, Marathunta & Caſſium Seleuciæ montem, apud Plin. *lib. 12. cap. 25.* Quid enumerem lupum Salictarium in Germania ſeri ſolitum ab iis qui Zythum conficiunt? Quid mandragoram & pſeudocoſtum, herbas Gargani alumnas, Apuliæ montis? Ab eodem plurima gignitur Thaſpia. Zea veluti Germanico in ſolo creſcit & Italico, multum à Galeno commendata, *lib. 6. ſimplic. medicam.* Ita Pyrethrum in quibuſdam Italiæ montibus, & Pyſtacia Syriæ herba, hortis magnatum Italorum inſita paſſim conſpicitur. In Bohemia necnon vulgaris eſt Conſiligo, præſertim in agro Pragenſi vt Matthiol. *in Dioſcor.* aſſerit. Innumeras alias herbas earumque in nos beneficia, naturæque priuilegia videre licet apud Theophraſtum, *lib. de plantis & ſtirpibus.* Plin. *in natur. hiſt.* & Dioſcoridem Anazarbæum.

In ſumma iſtud tenendum eſt, in ruſticatione ipſa atque adeo in ruſticis herbarum beneficiis ſitam eſſe potiſſimum ſalutis humanæ ſuſtentandæque valetudinis rationem, quam M. Valerius Coruinus exemplo ſuo comprobauit, ad centeſimum annum vita perducta, cum eſſet exacta iam ætate in agris, eoſque coleret: Cuius inter primum & ſextum conſulatum ſex & quadraginta anni interfuerant. Itaque quantum ſpatium ætatis Romani ad ſenectutis initium eſſe voluerunt, tantus illi curſus honorum fuit, vt à M. Tullio memoriæ proditum eſt *in Catone maiore*; pergrata, ad hæc, ruſtici vrbanique ſoli viciſſitudine.

Conſequor ex hoc rure ſenex, quod Comicus olim,
Vrbis vti, nec agri me ſatias capiat.

TH. Optimam corporis conſtitutionem ſequuntur animi mores & temperamentum. Ergo felix ille animi, quem dulces Camænæ remotum à curis vrbanis in ſecuros ſecretoſque ferant ruris receſſus, vbi nec inſanum vltra ac lubricum forum famamque pallentem trepidus experiatur. Sed eidem veterum monumenta voluendi nouaque meditandi otium ſuppetat liberrimum. Tunc enim non illum fremitus ſalutantium, nec anhelus cliens excitat, nec incertus futuri teſtamentum pro pignore ſcribit. Ac ſane quot reconditæ doctrinæ libri è ſuburbana villa ad nos peruenere? Hoc modo Tuſculanum rus & Phormianum luminis plurimum attulit Ciceroni, Laurentinum Plinio, Caregium Laurentio Medici literarum patrono, Chelſeicum Thomę Moro, Santomurianum & Marlianum Budeo, qui illic libero mentis conceptu ſibi canebant & Muſis. Sicut etiam de Valerii Flacci pręediolo refert Martialis, quo ille in prædio exiguo Mineruæ curas reponere conſueuiſſet. Imo & doctiſſimus Seneca plantauit platanos, ſua manu piſcinas effodit, aquas diduxit, nec alibi lubentius erat quam in agris.

Succedit his ſummum aliud maximumque ruris priuilegium, quo externis ſolicitudinibus vacui traducuntur ruricolæ ſenſim à profanarum literarum ſtudiis ad cæleſtis ſupernæque vitæ contemplationem, & amæna piorum concilia mortales Elyſiumque meditantur.

Felices animæ quibus hæc cognoſcere primum
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Verum haud vlla magis compendiaria patet ad eam perbeatam cognitionem via, quam Eremi ruſticæque ſolitudinis incolatus. Idque fuit in cauſa, cur Baſilius

Magnus de laudibus Eremi & D. Auguſtinus ad ſororem de eremitica vita ſcripſerint; & S. Pater Athanaſius ſolitariam vitam agentes opere edito conſolatus ſit. Quaſi è paradiſo hortiſque terreſtribus facilior paretur aſcenſus ad cœleſtem illum paradiſum ſedeſque beatas. Quod animo meditantes Aſcetæ priſci & Anachoretæ, continue Spiritum duxerunt, in ſaltibus Thebaidos, diuino afflatum numine, vitamque inibi popularibus vrbium turbis poſthabitis conſumpſerunt, vt cernere eſt apud D. Hieronymũ *in vitis patrum*, & apud Palladium *in Lauſiaca hiſtoria.* Quo in genere extiterunt Antonius, Hilarion, Macharius, Arſacius, & alii quidam in Nitria Sceti, Ægypto, Ponto, ac cæteris eremi penetralibus, qui cęleſtia ſpirantes terreſtria calcabant.

Quinetiam omnium præconiis laudatur cana fides priſcaque frugalitas & ſanctimonia primorum orbis terræ parentum, quorum ſolitaria vita ruſtica, magis erat amica naturæ, initioque humanæ conditionis, quam vrbana poſterior. Nam quum duæ vitæ traditæ ſint homini; ruſtica & vrbana, antiquior multo eſt ruſtica, fuit namque tempus, cum rura colerent homines, neque vrbem haberent, eo nimirum tempore, quo agri coli ſunt cœpti, atque in caſis & tuguriis habitabatur; nec murus nec porta quid eſſet, ſciebant homines, & immani numero annorum vrbanos agricolæ præceſſerunt. Vnde & ruſticitatem ſinceram eſſe ac ſimplicem veritatis nunciatricem, qua laudentur virtutes vitiaque culpentur, oſtendit Fridericus Auſtriæ dux, patruus Friderici Imperatoris. Nam is crebro mutata veſte, ſolus inter agreſtes conuerſabatur: quibus cum arans, de ſeipſo & de purpuratis ſuis confabulari conſueuit. Interrogatus, cur id ageret. Neque enim de me *(inſit)* alio modo verum audire poſſum. Vt eſt apud Æneam Syluium, *lib. 3. comment. in dict. & fact. Alphonſi reg.*

Ex quo pariter etiam efficitur, vt liber ſolutuſque Vicanorum animus feratur propenſius ad Aſtronomiæ cognitionem, terreniſque ac cœleſtibus prognoſticis futuros caſus ſagaciter proſpiciat.

Namque in conſilium maria aduocat, æthera, terras,
Naturamque omnem viuitque auctoribus aſtris,
Cura Deum agricola, atque animo præſcita recenſet,
Et rerum euentus ſenſu præſagit acuto.

Nec felicius quicquam Nauio Actio contigit, Augurum Roman. illuſtriſſimo, quam patre naſci exigui colono ruſculi, quem puer etiam ruſticis operis adiuuerat. Is enim ætatis progreſſu callentiſſimus Aſtronomiæ, quum multa prædiceret diuinitus ad tantam nominis celebritatem peruenit, vt reliqui eius ſeculi augures collati ad illum in nullo honore extiterint, Tarquinio Priſco Rom. rege. Id quod author eſt Halycarnaſſ. *lib. 3. Rom. antiquit.* Hinc eſt, quod Varro arbitratur, notaſſe agreſtes primitus quædam in cælo ſigna, quæ præter alia erant inſignia, atque ad aliquem vſum culturę tempus deſignandum conuenire arbitrabantur. Argumento ſunt ſeptem ſtellarum ſigna, quę Homerus ἄμαξαι & propinquum eius ſignum βοώτην nuncupat; Latini boues & triones & prope eas Axem indigetant. Triones enim & boues appellabantur à bubulcis etiamdum Varronis ſeculo, maximę cum terram ararent.

Porro Lunæ & anni dies ruſticis operibus faciundis diſtinxit Heſiodus ἐν ἡμέραις; quem multi ſecuti agricolationum ſcriptores, Virgilius, Cato ſenior, Columella & Palladius. In ipſam quoque meſſem, Plinii teſtimonio, concurrunt prælia vento-

ventorum aliquando, damnoſa imperitis. Sic Democritus, metente eius fratre Damaſo, ardentiſſimo æſtu, orauit, vt reliquæ ſegeti parceret, raperetque deſecta ſub tectum, paucis mox horis ſæuo imbre vaticinatione probata, vt eſt apud Plin. *lib. 18. natural. hiſt.*

Quocirca vt totum hoc in pauca contraham, omne tulit punctum ruſtica res vitaque, non externis ſolum fortunæ bonis cumulans vnumquemque noſtrum, ſed & præſtantiſſimis animi dotibus; ſiue hæ ad rempublicam tuendam poſteritatiſque ſtudium, libris editis ſpectent, ſiue ad ſalutem animæ quietemque futuræ vitæ ſempiternam. Quo cœleſtis tandem mortalium animus, quique ex altiſſimo illo domicilio profectus eſt, tranſacto terreni incolatus diuerſorio, illuc reuertatur.

PH. Sunt, vti nunc intelligo, ruſtici opinione ſua feliciores; modo ipſi id agnoſcere vel poſſent, vel perſuadere quiſpiam calleret. Et facitis vos quoq vt omnino vobis aſſentiar, in eo præſertim, quod innumera clarorum ingeniorum monumenta nemoribus ac lucis, id eſt, villarum ſolitudini debeantur. Etenim

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes:
Præter cætera, Romæ meve poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas, totque labores?
Hic ſponſum vocat: hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Auentino viſendus vterq;.

Proinde inter præcipuos Muſarum fructus numero, quod nec in ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes ac lacrymas reorum doctiſſima conduntur opera aut carmina componuntur: ſed ſecedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque ſedibus ſacris. Verum enimuero videmur aliquatenus fortaſſis obliti decori, qui tractatis paulo ante regalibus ad ruſticana nunc & plebeia deſcenderimus ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους, ab equis ad aſinos, vt eſt in prouerbio.

EQ. Quaſi vero Poetæ inſigniores Duces olim duntaxat, & non etiam rura ac paſcua poemate decantarint. Quin etiam ea eſt inter vtrumque, principis & ruſtici paſtoris munus affinitas, vt Homerus non dubitarit, Regem ποιμένα λαῶν, paſtorem populorum appellare. Imo Romani Regum Domini feſto plauſu amplexi ſunt Magonis Pœni libros de Agricultura octo & viginti, decretumque Senatuſconſulto, illos in Latinum ſermonem verti, cum elogio, vt is Ruſticationis parens veneratione dignus haberetur. Quo minus mirandum, Deiotaro Regi nuncupatos fuiſſe Diophanis de re ruſtica commentarios, & Auguſto, de herbarum vſu, Caii Valgii: vt Cepuricon quoque volumen à Sabino tyrone ſibi dicari glorioſum Mecœnas putauerit. Atque hæc ſatis pro tempore dicta ſunt; iamdudum enim diſſerendi me cœpit faſtidium.

***

COLLO-

COLLOQVIVM SEPTIMVM De Svmmo Bono.

Vbi

De vniuerſis mundi bonis, de voluptatibus corporis, de Fortuna, de diuitiis, de gloria & honore, de regnis & imperiis, de ſplendidis ædificiis, de nobilitate, de fauore Regum & Principum, de formæ elegantia, de cultu corporis, deq; animi bonis Laconice agitur, & quam non ſummum in illis bonum conſiſtat, demonſtratur.

THEOLOGVS.

LAxauimus hactenus per remiſſiones quaſdam animos noſtros iucunda admodum conuerſatione amæniorique ſermone, atque à procellis rerum humanarum animos noſtros in tranquillitatem quadantenus ſubduximus; quo etiam amiciſſimo per interualla conuictu atque conuerſatione ſubinde ita accreuit vireſque eundo acquiſiuit amicitia noſtra mutua, vt vnum amare videatur, qui nos omnes; perfectaque adeo ſit hæc amicitia (ſiquidem perfectum quid dici in hac vitæ lubricitate meretur) trium noſtrum quidem, ſi numerum, *ἓν δέ, ſi amorē* reſpiciamus. Quinetiam ſurſum ac deorſum à ſummo ad imũ *varia* varie conferendo percurrimus; neque tamen in quo mens humana acquieſcere poſſit, quicquam inuenimus, vſque adeo vt ſi amplius nihil extaret exclamandum ac lamentandum propemodum cum Cicerone nobis foret; Is enim ſtylo ac more Ethnico ita quiritatur: *Ego omnibus tentatis nihil inuenio, in quo acquieſcere poſſim.*

EQ. Sic nimirum in natura comparatum eſt, vt diuerſi diuerſis rapiantur ſtudiis, nec quenquam facile inuenias, quem ſuæ ſortis minime pæniteat; ſemper enim eſt de quo quiritemur, quodcunque tandem vitæ genus ingrediamur. Sic alii (vt ad ſpeciem tranſeam) libero lecto nihil iucundius eſſe reputantes, a lites & alterna iurgia extimeſcentes, à connubio penitus abhorrent, & iidem tamen dedecus aliquot aut flagitium in ſe admittentes, inquietam circumferunt conſcientiam, orbitatemque ſuam deplorant. Qui autem ad coniugium animum applicant, ſi pudicam ac morigeram nacti ſunt vxorem, ſemper ad mortis inſidias exhorreſcunt, cum mortalem eſſe non ignorent: aut ſi longæua & fœcunda ſit, liberorum in ſpem bonam educandorum, anxia ſemper cura affligantur.

Si vero indomitum aliquod cui contingat animal, quod neque plagis, neque vllo obſequio ad bonam frugem reuocari queat, vitam iſti morte acerbiorem agunt, ac non procul à faucibus orci, domicilium ſibi fixum arbitrantur. Vnde Metellus ille, in Senatu Romano aliquando verba faciens; Quandoquidem inquit, ea eſt conditio noſtra, vt neque commode cum vxoribus nec ſine illis viuere poſſimus; æternæ potius ſaluti, quam breui voluptati conſulendum eſt. Nimirum ſine matrimonio humanum genus conſeruari nequit, & quaſcunque hoc vitæ genus affert moleſtias, omnino deuorandæ videntur.

Si ve-

Si vero ad varias parandi victus rationes reſpicias, alii quidem nihil agricultura melius nihilque præſtantius eſſe iudicant. Sed Marco Tullio teſte, miſeram ſubinde conditionem eſſe ſuam experiuntur, vt quorum felicitas à ventis ac tempeſtatibus dependeat. Itaque alii ad locupletandas ſuas fortunas mare expetunt, ac vt pauperiem effugiant mercatores, extremos currunt ad Indos; ſed præter aſſiduos terrores, quos furentis Pelagi fluctus illis obiiciunt, non raro & vitæ & bonorum omnium iacturam naufragi patiuntur. Sic Medicorum conditionem quidam maximopere commendant, quippe quod domi reſides vitam agant tranquillam, cutemque curent, vitæque adeo, ac fortunarum diſcrimine careant. Neque interim attendunt, quod ſi illorum non ſuccedat curatio, impoſtores eos ac homicidas nuncupari.

Iucundiſſima eorum, qui ſplendorem aulæ ſequuntur, reputatur vita; ſed ſplendida miſeria circumdati, & aureis compedibus vincti potius iſti videntur, quam vt ſolida frui felicitate iudicentur. Eccleſiaſtici, in ſancto & laudabili munere verſantur, ſed quos labores exudant, & vigilias in cognitione ſacrarum literarum tolerant, non ſemper eum quem habent propoſitum finem, aſſequuntur. Nam quam adhibent curam in docendo populo & ad omnem pietatem formando; multoties ſe vanam in aera ſpargere vocem, ventrique, qui caret auribus, concionari experiuntur. Nullumque adeo eſt vitæ genus variarum ærumnarum expers, & quæcunque homines agunt, mille caſibus & periculis ſubiecta ſunt: aut ſi florentem nacti ſunt fortunam; tamen quid ſerus veſper vehat, ignorant. Itaque Græcorum quidam vitam hominum, non vitam, ſed calamitatem vere dixit, & peruulgatum illud celebre eſt proverbium: Optimum eſſe aut non naſci, aut ſi natus ſis, citò mori. Ac profecto longa vita, quid aliud habet, quam variantes & alternantes fortunæ vices, mutabileſque rerum viciſſitudines, vt inter ſpem & metum ſubinde fluctuet, & poſtquam adempta eſt ſpes, ſuaque opinione fruſtrata, laſſum animum hominis curaque confectum ac ſtupentem, vt verbis Comici vtar, relinquat.

PH. Lubricitas illa non tam humani ingenii, quam omnium in natura rerum nihil obſtare videtur quo minus in hoc vniuerſo aliquid ſit atque inueniatur, in quo requieſcere animus hominis iam tum fluctuans, adeoque *εὐδαιμονίας* ſiue beatitudinis portum, in hac etiam vita aſſequi poſſit. Quamuis enim in tanta mentium humanarum perpetuis & Cimmeriis tenebris oberrantium caligine, vulgus hominum ad certum & definitum ſcopum actiones ſuas neutiquam referre nouit: tacito tamen ſenſu, & occulto veluti naturæ inſtinctu, fugiunt omnes ſibi quæ aduerſantur, ſequuntur conuenientia, & ſui ſalutem conſeruationemque appetunt. Præſtantiores vero naturæ & præmoniti finem actionum ſuarum, & ſtudiorum omnium ſedulo reſpiciunt, eumque ad certum ſcopum, vel iocundum in vita, vel vtilem, vel honeſtum dirigunt, & ad ipſam vſque Beatitudinem conſcendere nituntur. Vnde etiam veteres Philoſophi Beatitudinem definierunt, *Statum eſſe bonorum omnium congregatione perfectum. Et ſecretis malis omnibus, cumulatam bonorum poſſeſſionem. Beatos vero dixere eos, qui in bonis eſſent, nullo admixto malo, quos nullæ ægritudines exedunt; nullæ libidines cruciant, nullæ futiles lætitiæ exultantes, languidis liquefaciunt voluptatibus.* *Qui beatus eſt*, inquit Cic. *non intelligo quid requirat, vt ſit beatior. Si eſt enim quiddam, quod deſit, ne beatus quidem eſt.*

Intentis itaque oculis in vniuerſum hoc vitæ humanæ theatrum, omnia illa quæcunque bona dici poſſunt, in vnum collecta cumulum, tribus quaſi claſſibus diſtinxerunt, nominaruntque bona alia *Corporis*, alia *Fortunæ*, alia *Animi*.

Huius diſtributionis rationem reddiderunt, quod bonum omne, aut eſt ſua natura delectabile, aut vtile, aut honeſtum. Delectationem bona corporis habēt: Fortunæ vtilitatē ingentē pollicentur: Honeſtatis prætextu animi bona reliquis omnibus gloriæ & laudis palmam præripere cupiunt; Sunt autem corporis bona, ad corpus quæ pertinere videntur, vti ſunt voluptatum illecebræ, delitiarum iocunditas, corporis robur, ſanitas, pulchritudo, vitæ diuturnus vſus, & alia huius generis. Bonorum fortunæ ambitu continentur omnia fortunæ munera, qualia ſunt: opes & diuitiæ, gloria & honores, regnum & imperium, poteſtas & eminentia, nobilitatis decus, ædificiorum ſplendor, veſtitus ornamenta, pretioſa ſupellex, formoſa coniunx, numeroſa proles, multitudo amicorum, & eiuſmodi. Animi bonis annumerantur: Artes & ſcientiæ, prudentia & ſapientia, ſtudium virtutis, &c.

Hæc bona omnia, alia aliis præſtantiora, atque adeo aliquod ſummum bonum eſſe mens humana ſtatuit, quodque ſummum excitet in animis mortalium gaudium, ſummamque lætitiam. *Summum autem bonum dixerunt id eſſe, quod cuncta alia in ſe continet bona, quo quis adepto, nihil aliud deſiderare queat, in quo ſolo lætetur & acquieſcat.* Ac ſane ad inquiſitionem ſummi boni, perfectique gaudii, ſapientiſſimi homines plurimum ſemper ſtudii & laboris impenderunt; ſed diuerſa *plane ratione* pro diuerſitate ingeniorum, alii alia bona ſunt amplexi. Nam qui *rebus* ſenſum quoquo modo titillantibus afficiuntur, voluptatem ſummum bonum eſſe ſtatuerunt, eamque in omnibus rebus quæſiuerunt. Alii, qui ad vtilitatem ſtudia ſua retulerunt, fortunæ bonis ſummam ineſſe felicitatem lætitiamque arbitrati ſunt. At melioris notæ homines, in animi bonis beatam vitam poſitam eſſe exiſtimantes; totum vitæ ſuæ tempus ſtudiis literarum & virtuti conſecrarunt.

Et hodie quoque his ipſis eligendis, ſectandis, comparandis bonorum generibus, omnes omnium hominum conſumuntur curæ. Videas enim ingentem hominum multitudinem, qui ſenſuum dulcedine & gaudio capiuntur, io[illegible]unda tantum & ſuauia, quæque ſenſibus allubeſcunt ſectari, & in omnis generis voluptates magno conamine totoque impetu ruere. Quibus abunde conſecutis, felices ſe eſſe, lætos atque beatos arbitrantur. Videas & alios, qui dum in vtili conſiſtere beatam vitam cenſent, poſthabitis corporis voluptatibus, fortunæ bona affectare, ſeque felices atque beatos exiſtimare, & maximo gaudio affici, ſi opibus affluant, diuitiis ſatis firmi ſint, ſi gloria & honore conſpicui, ſi imperio & regno potentes, ſi proſapia & nobilitate illuſtres, ſi dignitate & eminentia clari exiſtant. Sed optimi quique nobiliſſimisque ingeniis prediti, poſtquam in honeſtate ſummum bonum ſitum eſſe perſuaſum habent: ſpretis cōtemptisq; corporis & fortunæ muneribus, bona animi amplectuntur, & multiplici rerum ſcientia exultant, laudabilique virtutis ſtudio mirifice ſibi placent. Atque hæc bona ad ipſum cœlum eleuantes, beatos ſe, atque adeo beatiſſimos prædicant. Idque præclarum olim Philoſophiæ decretum eſſe voluerunt.

TH. S[illegible] quidem de ſummo bono diſſeris, at nondum quodnam illud ſit.

ſit, nobis exponis. Summum enim bonum vt aliquid ſit & dicatur, hæ neceſſario requiruntur conditiones.

1. *Vt verum ſit*, minimeque fuco aliquo, aut falſa veritatis ſpecie obductum.

2. *Perfectum vt ſit*, omnibusque numeris abſolutum, nec alieni egens ſibi vero ipſi per omnia ſufficiens. *Nulla enim ſolida felicitas & lætitia eſt, quam contumelia vlla contaminat.*

3. *Stabile ſit atque perenne*, nec vllis mutationum vicibus obnoxium.

Summum enim bonum niſi verum, & ab omni fuco alienum: niſi perfectum, niſi conſtans & perenne fuerit, Summi nomen boni nequaquam obtinere poterit. *Nihil enim inueteraſcere, nihil in eo extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus beata vita conſiſtit. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus eſſe non poterit,* inquit Cic.

Verum enimuero ſummum bonum, ſi à vero aberrauerit, ſi imperfectione quadam mutilatum ſit, ſi mutationum injuriis obnoxium: denique, niſi his circundatum fuerit munitionibus, his inſtructum armis; nobiliſſimum illum ſuum, de quo nūc agimus, effectum, *gaudium nimirum & beatitatem veram perfectam & ſtabilem*: tanto conſenſu, tum ſacris, tum prophanis celebratam literis, gignere & in lucem producere minime poterit.

Verum enimuero, agite, quæramus & inueſtigemus illud Summum bonum & beatitudinem, & ex effectu cauſam indagemus.

Ingrediemur itaque ſplendidiſſimum hoc mundi Theatrum: perſcrutabimur præcipua huius mundi bona: corporis, fortunæ, animi: Volitabimus per Prophetica & Apoſtolica cœleſtis Paradiſi vernantia prata, luſtrabimus omnium temporum hiſtorias, & ad horum omnium trutinam præcipua huius mundi bona examinantes, videbimus; an hæc bona vel ſingula vel vniuerſa aliquam certitudinem, veram beatitatem, verum, perfectum & ſtabile gaudium efficiāt, ſummumque bonum ſuo ambitu comprehendant.

Videamus primum voluptates corporis, atque num vitam beatam, verum, perfectum & ſtabile gaudium, in quo acquieſcere quis poſſit, conferant, indagemus. Sane ſeculi huius filii exercent lætitiam, ſectantur corporis voluptates, quærunt delitias, indulgent genio, gaudent Theſſalicis, Erichthumicis, Sybariticiſque epulis & conuiuiis, ducunt choreas, luxuriantur, amant, nepotantur, cantant & belluina veſania, toto impetu, pleniſque quod dicitur, velis, & inflammato quaſi animo in voluptates ruunt, omniſque generis cupiditatibus & libidinibus fræna laxant. Denique vitam ducunt Cyclopicam, & omnino eiuſmodi, qualem Salomon *Sap.* 2. deſcribit. Sic enim ſeſe mutuo perfruendis voluptatum illecebris filii huius ſeculi extimulant: *Venite*, inquiunt, *fruamur bonis præſentibus, & vtamur creaturis tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo impleti & vnguentis obliti omnem captemus fruēdis voluptatibus occaſionem, antequam prætereat flos temporis, coronemur roſis, priuſquam marceſcant. Nullū pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbique relinquamus veſtigia lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.*

Eandem plane pingit iuuentutem Horat:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati
Sponſi Penelopes, nebulones Alcinoiq;

voluptas corporis.

In cute curanda, plus æquo operata iuuentus:
Cui pulchrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cithara ceſſatum ducere curam.

Huius vitæ imaginem retulit nobis tunc aula Alexandri Magni tanti Monarchæ, tantis alioquin virtutibus, tanta fortitudine, & rerum ſucceſſu toti mundo ſpectabilis: *Cum voluptatibus frana remittens, per Carmaniam nondum penitus deuictam, tanta tamen confidentia ſeptem diebus iter faceret, temulentus cum temulento exercitu, vt vicos per quos iret floribus coronisque ſterni iuberet: Liminibus ædium, crateras vino repletas, & alia eximia magnitudinis vaſa diſponi: vehicula deinde conſtrata, vt plures capere milites poſſent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa*, ſiue vt Plutarchus, *partim purpureis & picturatis tapetibus, partim arborum ſemper recentium & virentium inumbrata ramis, quibus Regis etiam vehebantur amici, & Duces coronati, potanteſque. Regem ipſum cum amicis ſuper pulpetum in edito & conſpicuo tabulato erectum quadrato conuiuiis noctem diebus continuantem, octo equis compoſito gradu vectum. Currus Regius crateris aureis, eiuſdemque materia ingentibus poculis pragrauis. Videres*, inquit Plutarchus, *non cetrã, non galeam, non ſariſſam: ſed milites Phialis, pateris, calicibus, thyriclis, toto itinere, ex grandibus doliis & crateris haurientes: Prabibebant inter ſe, alii ſimul inter pergendum, alii recumbentes. Circumſonabant omnia loca fiſtulis, tibiis, carminibus, cantilenis, bacchabundis mulieribus. Tam incompoſito & inconditо itinere, comitabantur pocula, bacchabunda licentia ludus, quaſi ipſo præſente Baccho & comeſſationis Duce. Poſtquam in Regiam Gedroſia venit, relaxauit de integro exercitum intempeſtiuis conuiuiis. Ferunt temulentum Chororum ludos ſpectaſſe, amaſium eius Bogoam, Choragum palmam obtinuiſſe, exornatumq; medio Theatro tranſiſſe, & ad latus eius conſediſſe. Macedonas, cum id viderent, plaudentes, vt oſculum inferret conclamaſſe, quoad illum complexus, & diſſuauiatus ſit.* Poſt Calani Indi vero in rogo interitum, Alexandrũ frequentib. amicis & præfectis ad cœnã inuitatis, certamẽ & præmiũ ſcribunt ꝓpoſuiſſe potandi meri. Qui plurimũ hauſit Promachus, ad quatuor cõgios ꝑgreſſum eſſe, relatoq; pro victoriæ pretio Talẽto, triduum tantũ ſuperſtitem fuiſſe. Ex cæteris vnũ & quadraginta ex vinolentia exanimatos. Nuptias amicorum cum Suſis celebraſſet, & ipſe Darii filiam in vxorem duxiſſet Statyram, nuptialique epulo ſplendide celebrato, ſingulis conuiuarum, quorum fuerit nouem millium numerus, aurcam Phialam ad libandum donaſſe: ſed ante hæc, Clitum fidiſſimum conſiliarium & fortiſſimum Ducem, à quo in prœlio ad Cranicum ſeruatus fuerat, inter pocula ſuis manibus confodiſſe. Poſtquam Perſidem ſubiugaſſet, & Perſepolim in ſuam poteſtatem redegiſſet, de die conuiuia iniiſſe, quibus etiam fœminas intereſſe voluit, non quidem quas violare nefas eſſet: quippe pellices licentius quam decebat, cum armato viuere aſſuetæ. Ex his vna Thais, & ipſa temulenta, Regi perſuadet & cæteris, vt è conuiuio ſurgerent, omnes mero qui incaluerant, ad incendendam temulenti vrbem, cui armati pepercerant. Regia quæ fuit totius Orientis, vnde tot Gentes ante iura petebant, patria tot Regum, vnicus quondam Græciæ terror, molita decem millium nauium claſſem, & exercitus quibus Europa inundata eſt. Tandem eo vſque proceſſit temulentia, vt tantum Regem in flore ætatis, medioque florentis Fortunæ curſu, è rebus humanis eximeret.

Dolendum eſt, inquit Curtius, *illam indolem & ingentia animi bona, quibus omnes in orbe Reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendisq;*

diuq, velocitatem, in deditis fidem, in captiuis clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & vſitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdaſſe.

In huiuſmodi aſotia & luxuria ſummum hominis bonum adeoque vitam beatam conſiſtere exiſtimandum? minime vero. Cum enim Deus mens ſit caſta & ſobria, extremo odio proſequitur beluinam iſtã & immanem hominum, corpore tantum viuẽtium ingluuiem, reliquasq; corporis voluptates omnes, beluinas illas atq; ſalaces abominatur, ac ſeuere pœnas præſentes & æternas expoſcit ab omnib. ventri qui ſunt & voluptatibus dediti: *Væ*, inquit Eſa. 5. *qui ſurgitis mane ad conſectandam ebrietatem, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis, Cithara & Lyra & Tympanum, & tibia, & vinum, in conuiuiis veſtris, & opus domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Væ qui potentes eſtis ad bibendum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem! Iccirco vt abſumit ſtipulam lingua ignis, & torridum gramen flamma comburit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen vt puluis diſſipabitur.* Proinde ſummi boni nomen ipſis minime competit. Vt nihil nunc dicam de immani illa, cum animæ tum coporis, famæque pariter atque fortunarum iactura, quæ exinde veluti ex impuriſſimo & venenoſo malorum omnium fonte promanat. Ac famæ quidem iactura facilis eſt. Facilis eſt lapſus in ſermone & geſtu, vbi vino incaleſcimus, & lætitia quando perfundimur. Fines verecundiæ in conuiuiis & ſympoſiis, vbi curis ſoluti, frontem liberius exporrigimus, nullo negotio tranſiliuntur. Modus in cibo & potu, ſaltu & cantu difficulter ſeruari poteſt. Facili itaque momento contingit, vt intercedente huiuſmodi malo, omnis hilaritas contaminetur. Sæpe talia committunt verbis factisve temulenti, quæ excuſari poſtridie exhalata crapula difficulter queunt, & quorum ipſos non modo pudeat, ſed quæ etiam ingentem animo perturbationem concitent, & ignominiam pariant. Sæpe in peſſimam partem rapiunt homines, quæ animo non malo à nobis dicuntur agunturve, quæque in ſe, cum mala non ſint, reprehenſionem nullam merentur: Quanto magis id fiet, ſi animum curis moleſtiisque releuare, & nubem ſupercilio demere: ſi in conuiuiis & compotationibus ſecure laſciuire aliquando voluerimus? vt eſt ſeculum hoc calumniarum ferax. Hi fructus, hæ merces ſunt tanto labore tantisq; ſumptibus, & tam ſollicite quæſiti gaudii. An non *voluptas ſæpius relinquit cauſas pœnitendi quam recordandi?* vt vere Cicero. Quod ſi forte vnus obtigerit nobis dies tam expectatus, tamque exoptatus, quem totum læti exigimus, nulla triſtitiæ nubecula contaminatum; centum nobis interim abeunt triſtes mœſtique, ingentibus qui animum curis afficiunt, vnicum illum qui nobis lætus affulſit, ſumma mœſtitia obnubilantes. Itaque Syra. *Calamitas hora vnius obliterabit gaudium totius diei. Ita Diſplicitum eſt* (inquit ille) *voluptatem vt mæror comes conſequatur. Quin incommodi plus maliq, ilico adſit, boni ſi obtigit quid.*

Nec minus etiam corporis iactura facilis eſt; vſqueadeo, vt ſæpenumero, cum in ſumma nos verſari lætitia exiſtimamus, repentina ſuperueniens calamitas omnem lætitiam in miſerabilem luctum & lachrymas conuertat. Nihil iam dicam de Balthaſaro Babyloniorum monarcha, qui in ipſo apparatu ac conuiuio regio fuit confoſſus; nihil de Attila, qui in amplexibus nouæ ſponſæ expirauit; nihil de Henrico rege Galliæ, qui conſtituta pace & inito fœdere cum Philippo rege Hiſpaniarum, eique data in matrimonium filia, in ipſa nuptiarum feſtiuitate, ex cruſtulo fractæ lanceæ per oculum in cranium eius inopinato ingeſto, morte ſua ino-

pina ſummam lætitiam in miſerabilem luctum & mœſtitiam conuertit. Duo duntaxat referam cõmiſeratione admodum digna exempla. Celebrabantur aliquando in aula regis Galliæ Caroli VI. cuiuſdam nobilis feſtiuitates nuptiales. Rex animi recreandi gratia (erat enim mente pauliſper læſus) & noui ſpectaculi cõuiuis exhibendi ſtudio, cum quinque aliis, ludis nocturnis, in cœnaculum prodiit, vultu in Leonini oris imaginem perſonato, reliquum vero corpus delibutum, multoq; lino depexo, ac in villos confecto ita contexit, vt hiſpidi ac ſemiferi portenti ſpeciem ſpectantib. præberent. In orbem reſte data choreas pedibus plaudunt, feſcennino carmine modulantes. Tota ex Regia fit concurſus ad picatorũ ſpectaculum. Ludovvicus Aurelianẽſ. Regis frater, ſtudio clarius viſendi, correptam face propius admouit. Ex qua ſcintilla forte in Regem incidens, repentinum in omnes illos effuſa flamma, conflauit incendium. Rege vix ſeruato vxoris Biturigis veſte caudata, fluxaq; qua inuolutus eſt, antequam ad viuum flamma, iam corpus lambens peruenisset: quatuor miſere vſtulati perierunt: quintus in propinquam promi cellam ruens, aqua vinoque ſe perluens, ſalutem ſibi peperit. *Æmilius libro*

Idem in Germania anno 1570. accidit cum comites aliquot Hohenlocenſes multis comitati nobilib. Eberhardum conſanguineũ ſuum in arce Waldenburga, feſto Bacchanaliorũ viſitandi ſtudio conueniſſent. Hi vt nobilib. matronis & puellis nocturnũ quoddam ludicrum (vt mos iſte nimis frequens obtinuit) exhiberent: Faunorũ perſonas, multa ſtuppa, lineis veſtibus, piceretinaq; agglutinatis, induti, iucundiſſimo ſpectaculo conuiuas ad ludum, proiectis in menſam teſſeris prouocant. Ex quibus vna fortuito caſu in terram delapſa, puer perſonatos dum reſpicit, funalis incautius adhibiti flammam concipit, & opem implorat ab omnium. Eberhardus ipſe, pro ſua pietate, puero periclitanti opitulaturus, eodem malo corripitur: incenduntur & reliqui. Iocus eſſe primo viſus eſt. Mox rem ſerio agi, clamores omnium indicant. Ad labrum vicinum, quod comes in hunc euentum aqua adimpleri iuſſerat, certatim accurrunt: At illud modo non exhauerat. Erat qui Pſycterum aqua plenum afferret, ſed in ipſo limine præ nimia feſtinatione offendens collabitur; effuſa quæ intus erat aqua. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiſcens, auxilii deſperatione calamitatem auget. Et vertitur lætitia in miſerabilem eiulatum, dum tribus horis tres comites, in ipſo ætatis flore miſeris vſtulati modis, periere.

—— *Vſque adeo nulla eſt ſincera voluptas*
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

De fortuna. PH. Quod ſi vero quis per omnem vitam proſpera vtatur fortuna; quod de L. Sylla, qui ſibi ipſi ob id Fortunati cognomen indidit, auctores literis produnt. Sed & Polycrates Samius per omnem vitã feliciſſimus fuiſſe fertur, vtq; Fortunæ perpetuum fauorem experiretur, ſuaſu Amaſis Ægyptiorũ Regis anulum ſignatorium ſmaragdo, ſeu, vt Plinius ſcribit, ſardoniche pretioſiſſimum, & ſibi ex omnibus gemmis chariſſimum; in profundum maris abiecit: Quem tamen, capto & exenterato, qui eum deuorauerat piſce, Regique muneris loco à piſcatoribus oblato, cum recuperaſſet, exiſtimauit ſe omnium hominum eſſe feliciſſimum, nec yllam aduerſantis fortunæ iniuriam ſe vnquam ſenſurum confiſus eſt.

Eadem prorſus de Hugolino Piſano Guelfarum partium principe, Platina refert: quod proſpero per omnem vitam, & felici rerum omnium ſucceſſu clarus fuiſſ; ciuibus charus, opibus firmus, prole multa & ſeris nepotibus felix, ſemper

extite-

exciterit. Itaque pater patriæ à ſuis & Dominus appellatus; vitam in florentiſſimo fortunarum omnium ſtatu iucundam, in florentiſſima Florentiæ republica duxit, & ad nutum omnia gubernauit. His elatus ſucceſſibus, Fortunæque adblandienti plurimum confiſus; celebri frequentique natalis diei conuiuio, Fortunam ſuam deprædicare, attollere, & tantum non cœlo adæquare, denique ex intimis amicis quærere auſus fuit; *num quid abeſſe videretur:* Vnus tamen ex his: *ſola Numinis* (inquit) *abeſſe ira procul à tam ſplendidis & ſecundis rebus diuq; nequit:* Thules quoq; rex Ægypti, & Gyges, poſt adeptam Lydiam, Serapidem conſuluerunt, num qui ſe eſſent beatiores.

TH. Heu dementiam, heu vanitatem, fortunæ ſecundioris afflatu ita intumeſcere, vt fragilitatis humanæ obliti homines præponere ſe omnibus aliis non verecundentur, atq; adeò ipſi Deo ſimillimos ſe eſſe, ſuperba perſuaſione exiſtiment; & incertæ fallaciſq; ſortis poſſeſſione dubia ita lætari, quaſi cunctis periculis erepti, in tutiſſimum felicitatis portum ſint collocati.

An non rerum teſtatur experientia, fortunam ambiguis admodum errare paſſibus, continueq; variare vices; acerboſque adeo oſtendere vultus illis quibus hactenus admodum blandita fuit, & corrugata fronte triſtiſſimũ præbere aſpectum, quib. paulò ante iucundiſſime arriſit, eoſq; quaſi ex altiſſimo gradu deiicere, quos nuper ad ſummum felicitatis apicem euexerat. Vnde etiam tanto maiori triſtitia & dolore illorũ percelluntur pectora, quo maius ex blandimentis Fortunæ conceperunt gaudium. O volucrem fortunam, inquit Cicero, quã cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas recidunt. Mirabili enim modo in reb. humanis ludit, nunc blanda & indulgens, nunc ſæua & infeſta: modo maternos induit affectus; modo nouercæ furorem imitatur: honore hos; contumelia alios afficit: hos eleuat; illos deprimit: dat & aufert: *& omnia verſat*, inquit Poeta, *ancipiti caſu*, & pro libitu miſeros homines vexat atque eludit.

Quid enim homo, quæſo, aliud eſt, *niſi Fortunæ ludibrium*, vti Sabellicus de P. Vẽtidio ſcribit, *quem Fortuna luſerit, & luſerit ad deriſum vſque mortalium, & vitæ huius ludibrium.* Is puer bis ductus in Triumpho eſt, & quidẽ matris ſinu, ante Imperatoris currum, vt refert Gellius. Poſt cum adoleuiſſet, ægre ſibi victũ quæſiuit, eumq; ſatis ſordide inuenit; comparandis nimirum, & tergendis mulis, & vehiculis, quæ Magiſtratibus prouincias ſortitis mercede pberet. Ex hoc tam ſordido Ventidio, Fortuna, prouidentia Dei verius dixerim, primum Cæſaris internuncium, mox tribunum etiam plebis, ſ'ãdem vrbis prætorem fecit. Sed interfecto Cæſare, & manum retrahente Fortuna, hoſtis Pop. Rom. cum Antonio iudicatus eſt. At non multo poſt coniunctis partibus, non priſtinam modo dignitatem recuperauit; ſed & Pontificatum & exin conſulatum adeptus eſt. Qam rem tam intoleranter tulit populus Rom. qui Ventidium Baſſum meminerat, curandis & fricandis mulis victitaſſe, vt vulgo viis vrbis verſiculi præſcriberentur:

> *Concurrite omnes augures: aruſpices:*
> *Portentum inuſitatum conflatum eſt recens:*
> *Nam mulos qui fricabat; conſul factus eſt.*

Gellius addit ex Suetonio, eund. Baſſum à M. Antonio prouinciis orientalib. prępoſitum eſſe: Parthos in Syriam irrumpentes tribus præliis fudiſſe. *Eam nimirum gentem*; inquit S. bellic. *bello fregit, quæ vna omnium, ad orientem ſolem Romanos frangere conatus.* Primus de Parthis triumphum duxit: & morte obita publico funere ſepultus eſt: Inſigni variantis Fortunæ exemplo.

Ad eun

Ad eundem plane modum Eunapius *Ablabium pilum & luſum fortunæ nominat:* Propterea quod humili genere ortum, fortuna ad ſummam dignitatem Prætorio præfecti, ſub Conſtantino M. euexit: & ad eam ſuſtulit dignitatem (quod teſtatur Volaterranus) vt vna cum Conſtantio filio Imperii Rector ab Imperatore relictus fuerit; ſed mox deiectum, in Bithyniam vſque exulare fortuna coegit. Quo miſſi ab Imperatore percuſſores non pauci, literas honorarias ad pedes eius prouoluti, primo exhibent: quibus perlectis, omnique metu ſolutus; purpuram magno faſtu in literis oblatam popoſcit. At illi, nihil ſe amplius in mandatis habere profeſſi, pro foribus ſtare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt. Intromiſſi, virumque adorti: *pro ſtola purpurea, necem illi purpuream obtulerunt, fruſtatim diſſecto in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur.*

Heu vitam cunctorum mortalium. O quam fluxa fallacique ſpecie & volucri orbe res humanæ circumaguntur! Atque vt in procelloſo mari naues à fluctibus quatiuntur: huc atque illuc impelluntur, nunc in altum deducuntur, nunc in profundum deiiciuntur: Ita fortuna miſeros varie torquet, quoſdam euertens, nonnullos ad ſummum dignitatis faſtigium extollens. Cuius rei exemplum inter cæteros euidentiſſimum in ſeipſo præbet inſignis ille Athenienſium dux Alcibiades, quem duas fortunas inter ſe quaſi partitas eſſe Valerius Maximus ſcribit; alteram quidem, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præſtantiſſimam, fauorem ciuium propenſum, ſumma Imperia, præcipuas potentiæ vires, & flagrantiſſimum ingenium aſſignaret: alteram, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam denique mortem ii ſi gereret: nec aut hæc, aut illa vniuerſa; ſed varia, perplexa, freto atque æſtui ſimillima.

Non igitur quenquam decipiat arridentis fortunę ſpecioſa facies, nec circumueniat blanda adulantis ſimulatio. Nam cum illa lætiſſimo vultu apparet, pullam induere cogitat. Et cui imponere ſtudet? niſi cum quo blandiſſimam exercet familiaritatem.

Atque vt omnia fortunæ ludibria paucis comprehendam, ſic habeto. Quoſdam, quibus toto vitę tempore patrocinata fuit, in extrema demum ſenectute turpiter deſerit, & tanto grauiori torquet dolore, quanto maiore affecit gaudio: Aliquando per totam ætatem nullo amico dignatur intuitu illum, cui in vltima demum ſenecta lepide arridet. Alius fortunam in principio & fine vitæ ſuæ indulgentiſſimam experitur, quam in medio curſu nouercantem ſemper, & inſidiantem ſibi conqueſtus eſt. Alius contra medium tenet vitæ curſum felicem & exoptatum; extrema autem dura & aſpera deplorat. Quandoque prodigioſo ludo exagitat homines, vario felicitatis & infortunii, ancipitique turbine & conflictu, nullo ſeruato ordine, vt ſupra pluribus vidimus exemplis. Interdum placet infimæ ſortis, & abiectiſſimæ conditionis homines, in altum tollere, vt Moſen, Saul, Dauid, Æſter, Machabæos, Sfortiam, Willichium, Agathoclem, & alios innumeros. Rurſus quoſdam gaudet ex ſummo rerum faſtigio deturbare, & ad ima præcipitare, vt Haman, Vaſthi, Adonibeſek, Crœſum, Henricum IV. & plurimos alios. Hęc eſt inſtabilis aura fortunæ, quæ dignos ſæpe reſpuit; indignos honorib. ornat: bene meritos deiicit, immeritos in altum collocat: euertit bonos; erigit improbos. Hunc iſto, alium alio loco benignius fouet. Exempla paſſim ſunt obuia, itaq; illis prolixe

Digitized by Google

prolixe inferendis ſuperſedebo, ſatisq; me demonſtraſſe autumo, in fortuna ſummum hominis bonum minime poſſe conſiſtere.

PH. Fortunam quidem ipſam ſua natura eſſe lubricam, non admodum nego; verum non idem continuo de bonis fortunæ ſtatuendum videtur. Eſt enim penes poſſidentem, vti vel abuti fortunæ bonis, ſuntque in noſtro quaſi arbitrio, quamprimum illa nobis fortuna liberaliter largita eſt; cumque prius in fortunæ eſſent arbitrio, poſt noſtra omnino fiunt, nec quicquam iuris in illa Fortunæ amplius conceditur. Atque vt de diuitiis primum faciamus initium, ſunt certe illæ egregia diuinæ clementiæ & bonitatis bona, hominibus ad vſum huius vitæ conceſſa, quæ dilectis ſuis etiam ſomniantibus diuina largitur benignitas. Et benedictionem Dei diuites facere, ſapientiſſimus pariter ac ditiſſimus rex Salomon teſtatur. Cuius etiam ex diuina clementia, tantæ fuerunt, tamque immenſæ opes, vt, ſi Budæi hominis longe doctiſſimi eruditiſſimis ſupputationibus, ex Eupolemo apud Euſebium lib. 9. de præparat. Euangelica, prolatis fidem habemus; aurum quod in Templo, columnis, & vaſis duntaxat fuit conſumptum, valuerit ducenties nonagies ſepties centenis, & ſexaginta aureorum coronatorum millibus, id eſt, trecentis tonnis, vt vulgo dicimus, auri. Quod ſi his annumeraueris dena talenta, mercedem operariis 183600. datam, colliges ſummam 39022000. aureorum coronatorum, quæ faciunt quadringentas amplius tonnas auri: opificum ſumptibus cibariis, viginti annorum non computatis: nec pretio, quo lapides, quo ligna, quo argentum, ſtannum & æs comparata ſunt, æſtimato. *De diuitiis.*

EQ. Videmus certe immoderato cumulandarum opum ſtudio paſſim occupatas hominum mentes, eosque nihil magis in votis habere, ac nulli rei plus operæ, ſtudii & curarum impendere, quam conficiendæ pecuniæ, & augendæ rei familiaris: vt hoc modo contra oēm fortunæ iniuriam, nummis probe muniti, cōtra vim neceſſitatis, reb. neceſſariis inſtructi, contra inopiā opib. firmi, ſemper habeāt in promptu, quæ vſus quotidianus poſtulat, quove ſe contra paupertatis onus grauiſſimum tueantur, & vnde toga niteat. Quæ quidem inexhauſta diuitiarum libido, hominum mentes adeo excæcat; vt dulcis hodie apud plerosque odor lucri ſit ex re qualibet, non apud mercatores duntaxat, aut ſalarios, eiusmodique homines ſordidam mercaturam exercentes; ſed apud illos etiam eosque non paucos, quos de fæce vulgi Deus exemptos ad ſummas dignitates ſuſtulit, & ad rerum faſtigium collocauit, qui quod leges vetant, licentia ſibi ſumunt, & adeo mercatorio ſunt ingenio, vt ſuo genere & dignitate prorſus indignam exerceant mercaturam, & ſordidum quæſtum faciant, non ex frumento, lana & lino, quæ ipſorum ſolum produxit, ſed illis rebus, quibus in vrbibus ſalſamentarii, laniones & caupones occupantur.

TH. Homines profecto, modo homines, & non potius Harpyiæ dicendi, qui vel à ſtatuis farinam exigerent. O diram & non niſi corporis & animæ interitu explebilem auri ſitim! *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames!* Sed quid! tantis laboribus, curis & periculis congeſtæ opes, beatumne reddunt ſecurum ac lætum poſſeſſorem, ſuauiter deinceps & delicate viuentem, bonisque ſuis vtentem, fruentem? Omnino quidem hunc fructum laborum ſuorum, ſummis periculis & immenſa curarum mole locupletati, percipere debebant; ſed eo peruenire eos Plutus ipſorum non ſinit: Quin potius quanto plures coacceruarunt opes; tanto arctiori eos obſequio ſibi obſtrictos detinet: &

dum Mammonis ſui ſeruitio corpore atque animo occupantur, perpetuis curis & ſolicitudinibus, angore animi atque mœrore afficiuntur. Accedit & noua calamitas, multiplicanturque curæ, dum nocte dieque cogitant ſolicite, quomodo numen hoc ſuum, ſuo ſibi obſequio ita deuinctum detineant; ne qua ab ipſis iniuria affectum, vel diminutione læſum, poſſeſſorem mutet: neve tinearum & tempeſtatum iniuriis, latronum & furum malitia, aut perfidorum hominum fraudibus ac impoſturis expoſitum, pereat: aut fortuito quodam caſu ipſis eripiatur. Itaque, *quia timidus ſemper*, vt eſt in Prouerbio, *Plutus*; vitam agunt diuites plenam timore & anxietate. Idque mecum affirmat Syrac. cap. 31. inquiens; *Peruigilare vt diteris, conſumit corpus, & de re familiari eſſe ſolicitum, interrumpit ſomnum; cum quis lecto decumbens ſolicitus ſe torquet, ſubinde euigilat; perinde vt in morbis moleſta eſt inſomnia.* Et Salomon, Eccleſ. cap. 2. *Quid*, inquit, *homini proderit de vniuerſo labore ſuo & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt? Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni ſunt: nec per noctem mente requieſcit. Et hoc nonne vanitas?* Cumq; diuites animo ſemper ſint ad rem intento, curis ac triſtitiæ nebeculis obducto; rara in vultu hilaritas, rara in alloquio comitas & affabilitas apparet; triſtitia noctes & dies cor ipſorum excedens, ita eos macerat, vt perpetuis curis torqueantur. Quemadmodum ſutor ille; quem diues poſtico habitantem, & animo à curis vacuo dulciſſimas cantilenas cottidie modulantem, magna pecuniæ ſumma ditarat; accepta pecunia, omnis lætitiæ oblitus eſt.

EQ. Recordor iam Polycratis illius, cuius antea per Dominum Philoſophum facta eſt mentio, exitusque eiusdem tragici, quantumuis per omnem antea vitam eſſet feliciſſimus. Cum enim illius ingenium inexplebili pecuniæ cupiditate flagrans, Orætes Darii præfectus cognitum haberet; ſimulata à Dario defectione, cum Polycrate amicitiam finxit. Octo igitur ſcrinia lapidibus, ſuperſtrato ſingulis auro, impleuit, miſſoque legato, Polycratem ad hæc inſpicienda, quorum vſus illi foret ad res magnas conficiendas, totiusque ſubigendæ Græciæ, inuitauit: Polycrates poſtquam rem ſe ita habere à Meandro quem præmiſerat, didiciſſet, magna ſpe tanti auri potiundi, profectionem & ipſe ad Orætem adornat. Neque à propoſito retrahi potuit, vllis vel ſanorum hominum conſiliis, vel ſomniorum oſtentis, vel Deorum etiam reſponſis, vel filiæ vnicæ, infauſto ſomnio territæ, voce & lachrymis, quibus patrem vſq; ad nauem proſecuta eſt, & profectionem tanto conatu & importunitate diſſuaſit, vt ad iram commotus Polycrates ei minaretur, longo ſe tempore eam non elocaturum, bene confectis rebus, ſi rediret. Illa idem ſibi imprecatur, modo patrem ſaluum & incolumem domi retineret. Qua filiæ pietate cum minime moueretur Polycrates, & Sardis ad Orætem perueniſſet, captus & cruci ſuffixus eſt. Ita Dux tota ætate feliciſſimus, dum alienũ aurum ſitit, proprium vna cum vita & Imperio amiſit. Recte itaque Ariſtoteles: *Multi propter diuitias periere, multi ſibi & aliis necem intulere.*

TH. Hoc nimirum eſt, quod Syracides cap. 3. inquit: *Multi dati ſunt in auro caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum. Væ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* Omnium ergo rectiſſime illi faciunt, qui cum ex benedictione diuina poſſideant mediocres opes, eis tamen ita vtuntur, ne cor apponant, neve illis ſint irritamenta malorum, ſed domini ſuarum facultatum manentes, non ſerui.

Cæterum,

Cæterum, vt maxime hoc Numen, quod tanto obſequio à toto mundo colitur, poſſeſſorem ſuum, quoad in hoc mundo viuit, non deſerat, in morte tamen eum deſertum relinquet. Nihil ſiquidem in hunc mundum intulimus, nihil recedentes reportabimus, & hodie fortaſſis anima noſtra à nobis repetetur, & cuius erant, quæ tanto labore, cura & ſolicitudine comparauimus? Quid nobis congeſta auri vis tunc proderit? Vt perdix colligit oua, & non excludit: Ita comparans diuitias, ſed iniuria, mediis diebus ſuis derelinquet eas. Pſalm.49. *Qui confidunt in diuitiis ſuis etiamſi viuant in perpetuum & non videant interitum, tamen morientur. Quoniam videbit tam ſapientes morientes: ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. & relinquent alienis diuitias ſuas.* Eodem modo Syrac.cap.11. *Inuenies hominem, qui multa corradit, & comparcit, atque ita diteſcit, cogitatque, iam bene conſtabiliui vires meas, nunc comedam & bibam. fruarque partis opibus; neque ſcit horulam illam tam prope adeſſe, qua moriatur, & omnia relinquat aliis.* Cuius rei exemplum diues in Lucæ 12.cap. nobis proponitur. Et Salomon: Eccleſ.5. *Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas: quo modo venit ſic reuertetur. Quid ergo prodeſt ei, quod laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumnis atque triſtitia. Hoc viſum mihi eſt bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub Sole, numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus, & hæc eſt pars illius. Et omni homini cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatemq; ei tribuit, vt comedat ex eis, fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc eſt donum Dei.*

Memorare igitur nouiſſima ô homo, conſidera finem nunquam habiturum finem, & tempus ſecuturum abſque tempore. Et ecce iam inſtat, & hoc momento fortaſſis aderit. Quid tum proderit tibi, etiamſi totum mundum lucratus fueris. Conſidera triſtiſſimam vocem filii Dei: *Quam difficile eſt diuites intrare in regnum Dei: facilius eſt vt Camelus tranſeat per foramen acus, &c. Væ vobis diuitibus, quia conſolationem veſtrã habetis Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis.* Sonet in auribus ſingulis momentis vox illa Salomonis Sapient. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra.* Nihil itaque conſultius eſt, quam vt ſpretis contemptiſque his caducis & momentaneis mundi & fortunæ bonis, abiectaque nimia illa rerum parandarum cura & ſollicitudine; ſi medioeris nobis rerum ſuppetit vſus, præſentibus ſimus contenti, & præter ſortem noſtram nihil expetamus amplius. Quin potius ad ęternorum & cœleſtium bonorum agnitionem ductu diuini Spiritus accedamus, in quo vita vere beata exſiſtit, & cuius contemplatione mentes noſtræ tanta lætitia perfunduntur, cœleſtibusque bonis veris & perfectis ditantur, vt magis magisq; hæc infima ſordeſcere incipiant.

PHILOS. Audio quæ dicis, & approbo, illud inprimis, quod ſummi boni appellationem diuitiis ob hanc cauſam derogas, quia nimirum poſſeſſorem ſuum vita defunctum deſerunt, nec quicquam defuncto proſunt. E conuerſo itaque concludo, ea, quæ non viuis tantum, ſed demortuis etiam proſunt, ſummi boni nomen mereri. Atque hinc infero, Gloriam, honores, famamque, beatam efficere vitam, perenneque conferre gaudium, adeoque inter ſumma bona, vel ſaltem connumerandam, hæ enim mortuos minime *De gloria & honore*

 deſerunt,

deſerunt, ſed poſt mortem demum reuiuiſcunt. Ac ſane non rari ſunt, atque illi inprimis qui genio & ingenio quam maxime valent, qui non vſque adeo parandis conſeruandisque opibus incumbunt, ſed gloriæ & laudis auidiſſimi, omne ſtudium & induſtriam ſuam huc cõferunt, ac omnes ingenii neruos eo intendunt, vt in ſummo aliquo dignitatis faſtigio collocati, magnificisque titulis & honoribus ornati, in ore & calamis omnium verſentur, & publicæ famæ præconio commendentur. Itaque in id maxime incumbunt, vt, poſthabitis rebus aliis omnibus, memoriam duntaxat nominis ſui, à ſitu & puluere vindicatam, præclaro aliquo monumento ad poſteros transmittant, & vitam de cætero agant cum gloria ſplendidiſſimam.

EQ. In Heroicis animis maxime hæc dominatur cupiditas, quæ etiam in Alexandro illo Magno ab ipſis incunabulis cõſpiciebatur. Puer, patre Philippo multas ſuas referente victorias, minime lætabatur; ſed ad condiſcipulos & coætaneos conuerſus: Nihil mihi, inquit, reliquum faciet pater: putans, patrem omnem iam gloriæ adipiſcendæ occaſionem anteuertiſſe. Subiicientibus pueris, ei omnia parari: Quid refert, reſpondit, multa ſi habeam & agam nihil, omnisq; parandę glorię materia mihi ꝑripiatur. Et quæ res eum inſtigauit, vt adultior factus, totum orbẽ armis impleret; niſi ambitio, & Achillis gloriæ æmulatio? quem eodẽ *plane modo* Hectorem æmulatum eſſe, hiſtoriæ teſtantur. Alexandri rurſus æmulus Caius Iulius Cæſar, cum Gades perueniſſet, & in Herculis templo Alexandri imaginem forte contemplatus eſſet, ingemuit: quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quod nihil dum à ſe memorabile actum eſſet, in illa ipſa ætate, qua iam Alexander *orbem* terrarum ſubegiſſet.

Quin etiã videmus infantes & pueros, quauis vel minima re ſupra æquales efferri, eosq; vt ſuperent ſummo ſtudio contendere: *affici lætitia cum vicerint, victosq; pudere. Quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes fiant?* vt Ciceronis verbis vtar: In Cyro indoles gloriæ cupidiſſima tempeſtiue apparuit. Cum à pueris inter ludendum Rex creatus eſſet, Regiam prę ſe tulit magnanimitatem & ſplendorem, Heroico plane animo cæteris imperauit, ius adminiſtrauit, contumaces puniuit: coram Aſtyage delatus, quod ſeruus Regius bubulcique filius, ingenuos ſeruilibus verberib. affeciſſet, cauſam ſuam ſumma conſtantia defendit; feciſſe ſe vt Regem, intrepido vultu & animo affirmans. Poſt vero nullum non laborem pertulit, nullum non periculum laudis gratia ſuſtinuit. Cum igitur hæc cupiditas omnium hominum, præſertim qui erectiori ſunt animo, & generoſa indole præditi, mentes occupet, quid ergo prohibet, quo minus in ſummi boni claſſem referatur?

TH. Maximum habere momentum, quoad hanc quidem quam viuimus vitã, honorem & gloriam, non diffiteor. Quid quod nec Deus ipſe hominum à ſe conditorum delectatur vel ſocordia vel ſegnitie, vt in obſcuro, & vitiorum omnium tenebris, ignauo torpeſcant otio, & vitam agant brutis animalibus ſimillimam: ſed ad imaginem ſuam condidit eos, nõ vt inani virtutis fuco; ſed veræ pietatis ſtudio, ex his vitiorum luſtris emergant, immortalemq; nomini ſuo lucem acquirant, ac famæ celebritatem conſequantur. Suntque omnino ſeruilia ingenia, quæ malunt otio, voluptatibus & liquore torpeſcere, quam arduum virtutis ac gloriæ collem aſcendere, ſusque deque faciunt, quo loco & exiſtimatione ſint apud alios. *Eſtq;*, inquit Cicero, *anguſti animi atque demiſſi, honores & dignitates contemnere.* Itaque

Spartani

Spartani olim liberos ſuos ita inſtituerunt, vt à prima mox ætate gloria ducerētur, infamia ingemiſcerent,& exultarent laudibus. His qui non commouebantur, tāquam ignauos & ad virtutem degeneres contemſerunt. *Honos enim alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloria.*

Generoſus quoque animus & nobiliſſima indole præditus, huc omnes ingenii & induſtriæ vires intendit,& nihil in omni vita magis expetendum eſſe ducit, quam vt in luce hac omnium clariſſima conſtitutus, vitam glorioſe agat, & mediocrem nominis ſui conſequatur ſplendorem. Magno igitur & elato animo curas omnes & labores, quæ huic rei impendit, damna quoque & iacturam bonorum vel omnium contemnit, atque adeo præ pulcherrimo hoc laudis ſtudio, omnes vel corporis cruciatus, omniaque mortis pericula, parui eſſe putanda, exiſtimat. *Trahimur omnes*, inquit Cicero, *laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur.* Nec diſſimile eſt Catonis illius maioris iudicium, cum inquit: *Perfecti homines & excellentibus ingeniis præditi excitantur ſpe gloria.*

Non improbo hunc conatum; at vitam vere beatam in eo neutiquam conſiſtere iudicamus. Cauſa eſt, quod plerunque homines, gloriæ & honoris auidiſſimi, fuco duntaxat, & falſa virtutis ſpecie, inanique nomine: malunt auram popularem vanamq; gloriolam captare, quam arduo pietatis ac veræ virtutis ſtudio verā gloriam, & immortale nominis decus demereri. Pauci famam ſuam, non populari rumore, ſed conſcientię veritate metiuntur. Hic morbus totum corrupit orbem terrarum.

Hinc tam varia & vana, atque etiam diuerſa ſunt hominum ambitioſorum, ad aucupandam auram popularē, ſtudia. Hic ſuperbia inflatus, ſimulata in omnibus negotiis aliqua magnificentia, ex faſtu honorem & laudem quæritat. Itaque ſingula verba, & ſingulos greſſus ſuos enumerat. Alius plus iuſto ſeſe demittens, ſubmiſſi animi laudem venatur. Hic diuitias oſtentat ſuas; ille paupertatem & inopiam, inani vterque faſtu laudem captat inanem. Hic veſte ſplendida indutus, ſe ipſum admiratur atque ab omnibus ſuſpici cupit; alius lacera & pannoſa veſte incedens, humilitatis fucatam præbet ſpeciem. Sic religionis & pietatis hypocriſi, totus mūdus decipit & decipitur.

Itaque cum aliquando Laërtius adoleſcentes Rhodios elegantiori cultu incedere conſpexiſſet: *Hic faſtus eſt*, inquit. Quod animaduertentes Lacedæmoniorum iuuenes, ſubſtricta tunica parce ſordideque amicti incedebant. Quibus viſis, dixit Laërtius: *Hic alius faſtus eſt.* Cumque Antiſthenes Philoſophus veſtem laceram & detritam ambitioſius ſæpe oſtentaret, à Socrate deriſus & ambitioſæ ſuperbiæ incuſatus eſt. Eiuſdem enim, inquit Eraſmus, ambitionis eſt, vilitatē amictus oſtentare, & delicato cultu ſeſe venditare. Rectius autem Plato vir ſapientiſſimus, modum & auream mediocritatem cum in veſtitu, tum in aliis rebus omnibus ſeruans; licet eſſet frugalis, amans tamen munditiei erat. Contra vero Diogenes Cynicus ſupra modum ſordidus, aliquando calcans Platonis aulæa & periſtromata: *Calco*, inquit, *faſtum Platonis.* At Plato, *Calcas* (reſpondit) *ſed maiori faſtu.* Hic Diogenes gloriæ & laudis auidiſſimus, quo virtute non poterat, fuco peruenire contendit, *& cum Penelopes coniugio fruſtraretur, ad ancillas conuerſus eſt.* Ex ambitione ab hominum contubernio ſegregatus, in dolio, eoque parum integro habitauit, honores contempſit, nec quicquam proprii, niſi à natura datum, habere voluit. Itaque bibentem ex manu cōſpicatus, poculum ligneum, vnicum totius domi inſtrumen-

tum quod habuit, & ipſum abiecit. *Non ſciebam*, inquiens, *naturam hominibus poculum ſuppeditaſſe.* Iactauit paſſim, ſe tragicas ferre & implere execrationes. Nam erronem ſe eſſe, domo, ciuitate, patria carere, mendicum agere, tenui veſtitu vti & in diem viuere. Olera lauanti cum Ariſtippus dixiſſet: *Si Dionyſio adulareris, iſta non eſſes; Imo reſpondit, ſi tu iſta eſſes, Dionyſio non adulareris.* Interim tamen animi celſitudinem præ ſe ferebat tantam, vt cum omnes Philoſophi ad Alexand. M. belli contra Perſas, à Græcis Ducem electum, ex variis locis ſalutatum veniſſent, ipſe in cranio ſuo otium agens, nihil de Alexandro ſollicitus erat. At poſtquam ad illum Alexander veniſſet, & ante dolium eius, in quo tum forte apricabatur, conſiſteret, quęreretque, Ecqua re opus haberet; iubet eum pauliſper ex Sole recedere: non enim ſibi dare poſſe, quod auferret. Hyeme frigida perfuſus aqua, ſtetit toto deſtillans corpore. At Plato commiſerentibus tanquam indigna paſſum dixit: *Si vultu commiſerari Diogenem, abite.* Hominis notans ambitionem, ob quam miſer erat potius quam miſerandus. *Et tamen*, inquit Laertius, *in his ſordibus non minus ſibi placebat, quam Alexander in totius orbis imperio.*

Sed vtriuſque Gloriæ veræ nimirum & falſæ diſſimilia in actis Apoſtolorum referuntur exempla: Ioſes Barnabas agrum ſuum vendidit pecuniam ad pedes Apoſtolorum detulit integram, vt adoleſcentis Eccleſiæ & perſecutionem *patientis* neceſſitatem ſuis opibus ſubleuaret; idque ex vera animi ſimplicitate, abſq; omni fuco & ambitionis nota. Quo facto tantam nomini ſuo acquiſiuit gloriam, vt filius conſolationis ab Apoſtolis nominaretur. At Ananias, huius exemplum falſo imitatus, vendidit & ipſe agrum, ſed parte pecuniæ abſcondita, reliquam ad pedes Apoſtolorum detulit, ſperans ſe eandem laudem conſecuturum. *Verum* tantum abfuit, quo voti ſui compos redderetur, homo inanis gloriæ ſtimulis exagitatus: Vt quia non recto corde incederet, & Spiritui Sancto mentiretur, vna cum fama & nominis celebritate vitam ipſam mirabili Dei iudicio amitteret.

Eodem plane falſæ laudis affectu Caligula laborauit, de quo Suetonius: *quod ſæpe de conditione ſui temporis ſit conqueſtus, illud nullis calamitatibus publicis inſigniri, neq; ſibi materiam rei gerendæ adminiſtrari: hiatum terræ optaſſe, in quo exemplo M. Curtii ad patriæ ſalutem inſiliret: Cædes item, famem, peſtem, bella & eiuſmodi alia, vt Alexandri M. Iulii Cæſaris & Scipionis virtutes æmularetur. In expeditione Germanica deficiente belli materia, contra Syluas & arbores, contraq; Oceanum mouiſſe: nihil aliud agens, niſi quod trūcatis arboribus, ac in morem trophæorum adornatis, & militibus congas legere iuſſis; ingens ſe belli mariſq; periculum adiiſſe, gloriaretur. Romam terreſtri magna ex parte itinere, triremes quibus Oceanum introierat, veluti ſigna periculi miſiſſe, addito grauiſſimo edicto, quo ſenatum populumq; Romanum obiurgauit, quod Cæſare præliante, tantoq; diſcrimini obiecto, intempeſtiua conuiuia, & amœnos ſeceſſus, læti & hilares celebrarent. Militum vero animos quotidie vulgato illo Virgilii, durarent, ſecundiſq; ſe rebus ſeruarent; in tanto cum ſyluis & arboribus præliandi periculo obfirmauit.*

Recte igitur D. Apoſtolus *Galat. 6.* in eos inuehitur: *Si quis ſibi videtur aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſuum ille fallit animum, opus igitur ſuum probet quiſq; & tum in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in alio.* Et Syracides cap. 1. *Caue fili, ne fallaci pietatis ſpecie timeas Deum, neq; acceſſeris ad eum duplici corde, ne fueris Hypocrita in conſpectu hominum & non ſcandaliʒeris in labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas & teipſum in contemptum conuicias, ſi quando reuelet Deus abſcondita tua, & in medio Synagogæ elidat te. Quoniam nullo vero timore, ſed maligne acceſſiſti ad Dominum, & cor tuum plenum fuit dolore & fallacia.*

lacia. Quam κενοδοξίαν & Seneca Ethnicus deteſtatus inquit: *Conſcientiam potius quam famam attende; ſed plerique famam pauci conſcientiam verentur.* Et Epiſtola 61. *Illud præcipue nos impedit, quod cito nobis placemus: ſi inuenimus qui nos viros bonos dicant, qui prudentes, qui ſanctos, non ſumus modica laudatione contenti: quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſerit, tanquam debitum putamus. Optimos nos eſſe ſapientiſſimosque affirmantibus aſſentimus, cum ſciamus, eos ſæpe multa mentiri: adeo quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contrarium maxime facimus.* Vera enim gloria conſcientiæ propriæ teſtimonio & bonorum omnium recte iudicantium approbatione conſtat. Quid, quod anxiam omnino & periculis plenam hominis vitam gloriæ acquiſitio reddit. Id quod vel vnico Ciceronis exemplo luce clarius patet. Quos ille non ſuſtinuit labores? quas non pertulit moleſtias vnius gloriæ conſequendæ ſtudio? ſed tantum abfuit, quo voti ſui compos factus fuerit, vt tandem exclamare coactus ſit: *O me nunquam ſapientem.* Cum aliquando claros aliquot, & nobili familia adoleſcentes Romæ accuſatos, quod contra diſciplinam militarem, in faciendis ſtipendiis aliquid perpetraſſent, inque Siciliam ad ſe prætorem miſſos, egregie defendiſſet: putauit ſe propterea in magna eſſe apud omnes admiratione, nominisque ſui gloria & ſplendore totam iam ſe impleuiſſe ciuitatem. Romam igitur contendens, in via incidit in quendam familiarem, hunc percontatus, qui ſermo eſſet inter ciues de ſuis rebus geſtis, & quid ſentirent? & illo reſpondente: *Tu vero Cicero vbi hoc ſpatio fuiſti:* animo plane concidit, multumque de ambitione remiſit, quod vidit, *mentionem ſui in vrbem, tanquam in vaſtum incidentem pelagus, nihil ſe ad gloriam reddidiſſe conſpectiorem.* Inſana certe eſt nimia illa gloriæ atque honorum cupiditas, cum ipſo etiam Eſaia teſte, fluxa ſit omnis & tranſitoria mundi gloria: *Omnis caro* (inquit cap. 40.) *fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri, exaruit fœnum, decidit flos.* An non miſera eſt honorum conditio? qui fœno arido, non viridi gramini æquiparantur, & aſſimilantur floribus, non qui humana cura & induſtria prouehbuntur, ſed qui in campis ſylueſcunt, quibus nihil vilius, nihil inconſtantius, nihil leuius? Salomonis profecto ingens erat gloria, & celebre nomen in toto orbe, ita, vt Regina Auſtri ex longinquo venerit ad audiendam ſapientiam eius, qua omnes in mundo Reges ſuperauit; qui muneribus ſuis ſatis teſtati ſunt, quanto eius videndi & audiendi deſiderio tenerentur. At filius Dei hanc eius in omnes Mundi partes peruulgatam famam & vniuerſam Maieſtatis gloriam, liliis campi longe inferiorem eſſe teſtatur: *Dico vobis, quod Salomon in vniuerſa gloria ſua non fuerit tam ſplendide amictus, vt vnum ex iis.* Longo igitur interuallo vnum Lilium non omnia, non domeſtica cura nutritum, ſed Lilium agri; non vulgarem & quotidianam, ſed vniuerſam gloriam Salomonis poſt ſe relinquit. Vt fumus à vento diſſipatur, ita euaneſcit omnis huius mundi gloria. Teſtantur enim omnes hiſtoriæ, homines, cum ad ſummum peruenerunt gloriæ & dignitatis faſtigium, & incipiunt parta ingentibus laboribus gloria, quiete frui, tanto grauiori lapſu ruere, quanto altius aſcenderunt. *Nebucadneſar* cum diuinos honores affectaret, infra omnium mortalium conditionem abiicitur. Et *Haman* quanto celerius ad proximum à Rege locum & dignitatem aſcendit, tanto grauiore ruina decidit.

Cumque *Herodes* vltra humanam conditionem diuinos honores ſibi conferri pateretur, ab Angelo Domini percuſſus, à ſolio deaurato deturbatur, & quem paulo ante vt Deum adulatores adorabant; modo vt hominem morti vicinum & fœtore plenum auerſantur.

Xerxis

Digitized by Google

Xerxis ingens gloria fuit; ſed maior faſtus: humanæ conditionis oblitus, ſupra Deos & homines, adeoque ſupra omnes creaturas efferebatur: ſuperbo ſimul & procaci faſtu, Helleſponto trecenta verbera infligere, ſtigmata inurere, & colaphos incutere iuſſit, & in pelagus par compedum coniicere his verbis: *Hac te Dominus pœna afficit, qui eum læſiſti, à quo nulla vnquam iniuria affectus es: adeoque in eam ſuperbiam prolapſus eſt, vt maris terrarumque, ac propriæ naturæ inſcius videretur.* Sed quando faſtigium ſuum ſupergreſſa eſt humana gloria; ſuſtinere amplius molem non poteſt. Itaque Xerxen tanto maior apprehendit ignominia, quanto gloria eminentior erat, poſtquam turpi fuga omnem gloriam in confuſionem conuerteret.

Nec minor Cyri cũ gloria faſtus: cui cũ quidã ex ſacris equis candidis in Gyndem fluuium demerſus periiſſet, hanc iniuriam vlturus, totam ſoluit Babylonis obſidionem, & cum vniuerſo exercitu ad Gyndem vlciſcendum conuertitur, totaque æſtate labore & ſumptu immenſo Gyndem in centum & octuaginta alueos diuiſit: *O immanem profectò*, inquit hiſtoria, *ſuperbiam, elementis non ſecus ac hominibus iraſci, & ab eis reuerentiam exigere.* Cumque ingentem, Tomyri Maſſagetarum Reginæ bellum inducendo, gloriam ex victa fœmina reportare ſperabat, victus à fœmina tantus Monarcha & fortiſſimus heros perpetuum dedecoris & ignominiæ exemplum poſteris reliquit.

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet, totum quidem fere mundum his vanitatibus eſſe corruptum, nihil tamen inde veræ felicitatis & εὐδαιμονίας nihilque veri, perfecti & perennis gaudii ineſſe in tanto tamque immoderato gloriæ ſtudio: quod nihil ſit, niſi inanis & vana vanorum hominum opinio, quouis vento, quauis aura fugacior & leuior vmbræ ſomnio, quæ quam cito pereat, quam celeriter, quantoque incommodo & præſentiſſimo vitæ, fortunarumque omnium diſcrimine euaneſcat; ſatis ex iis quæ dixi, apparet. Hanc qui ſectantur, audiant vocem filii Dei dicentis: *Amen dico vobis, receperunt in hoc ſeculo mercedem ſuam.* Quin potius veræ virtutis ſtudioſi ſimus, *quæ radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia tanquam floſculi celeriter decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum.* Veram virtutẽ per ſe, abſque omni ambitioſa affectatione gloria ſequitur, & falſam qui ſpreuerit veram habebit. Et Cœlius aureum illud, & quemadmodum ipſe vocat bracteatum, & omnium foribus appingẽdum, Ageſilai cognomento Magni Apophthegma in Theatrum adducit: qui ſciſcitãti cuidam, quonam pacto gloriam apud homines adipiſceretur: ſi dicas, inquit, optima; facias autem pulcherrima. Simus igitur modica & peruulgata inter noſtros gloria, virtute parta, contenti, & quotidie Syracidis præceptum in omnibus vocationis noſtrę operibus nobis proponamus: *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominũ gloriam diligeris. Quanto maior es tanto magis te humiliato in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper.*

Viſibus edocto ſi quicquam credis amico
Viue tibi & longe nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes præluſtria vita;
Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

PH. Ad altiora ſeries inſtituti noſtri colloquii me vocat. Si nõ in voluptatibus, non in fortuna, non in diuitiis, non in honore, ſummum hominis bonum conſiſtit, eo quod omnia hæc ſunt lubrica, fortunæque ludibriis expoſita: Regna ergo

atque

atque imperia, quæ fortunæ ludibria fere tranſcendunt, ſummi boni locum mereantur. Ac ſane videmus plurimos, eosque non infimæ conditionis ingenita quadam naturæ bonitate, ſummo ſtudio, ſummisque laboribus ad dignitates ſuperiores, regna & imperia aſpirare, & in eis veram felicitatem, verum, perfectum & perenne gaudium quærere. Multi Reges & Principes omnibus ſeculis ſpem omnem in regnis ſuis, optimarum legum præſidio bene conſtitutis, & magna rerum bellicarum potentia armatis, militum copioſo numero inſtructis, arcium & ciuitatum munitiſſimarum robore confirmatis, collocatam habuerunt. Quemadmodum de Nebucadneſare ſacræ teſtantur literæ, quod cum Babylonem à ſe magnificentiſſime conditam intueretur, ingenti perfuſus gaudio, in hanc vocem inſolẽtem proruperit: *Hæc eſt Babylon ciuitas illa magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei.* Apries Ægypti Rex tantam de ſui regni firmitate conceperat fiduciam, vt palam iactare non ſit veritus: Regnum ſe poſſidere ne Deorum quidem vi & potentia deſtruendum. Dionyſius Syracuſanus gloriari ſolitus eſt; Regnum ſuum duabus cathenis adamantinis firmatum eſſe.

EQ. Ingens certe eſt regnorum & imperiorum ſplendor, magna Regum potentia. Imperatoribus, Regibus, Principibus, & omnibus in quacunque Magiſtratus eminentia poſitis, magna exhibetur à ſubditis reuerentia, ſummo honore coluntur, & quidem non immerito. Delicatiſſimo vtuntur corporis cultu, fulgent auro & gemmis, ſplendidiſſimis ædificiis inhabitant, immenſo ſatellitum agmine ſtipantur, denique vitam agunt inter mortales, mortali conditione fere ſuperiorem. Quæ res hominum oculos perſtringit, & omnium animos rerum auguſtiſſimarum maieſtate attonitos detinet, vt hanc vitæ rationem admirentur, & cæteris omnibus præſtare exiſtiment, totamque in ea hominis felicitatem conſiſtere arbitrentur.

PH. Natura hominis, inquit Saluſtius, *auida eſt imperii.* Et hic dominandi affectus ab ipſa natura, adeoque à primis generis humani ſatoribus nobis inſitus eſſe videtur. Itaque cum Alexander Magnus Philoſophos diſputantes & aſſerentes audiret, non vnum eſſe mundum, ſed plures, in lachrymas ſolutus eſt, quod nondum vnius mundi dominio potiretur. Et Dionyſium Syracuſanum Tyrannidem vita ipſa longe chariorem habuiſſe oſtendit hæc, quam de eo Cælius Rhodoginus annotat, hiſtoria. Cum enim in initio Tyrannidis, quam variis artibus, vt erat ingenio vafer, acquiſiuerat, à ciuibus in eum conſpirantibus arctius obſidione premeretur: amici vero ſuaderent, vt niſi vellet à ciuibus ſuis, in poteſtatem eorum redactus, cum ludibrio necari; Tyrannidem ſponte deponeret: hanc enim ſolam ſalutis viam relictã: ipſe autem videret bouem, quem cocus tunc forte mãctabat momento prolapſum, conuerſus ad amicos reſpondit: *Nonne deforme eſt mortem adeo celerem expaueſcentes, tantum relinquere principatum.*

TH. Etſi tantus hic dominandi ardor hominum, vitam beatam verumque gaudium in Principatu quærentium, mentes occupatas detineat: veram tamen neutiquam felicitatem; ſed falſam & veri duntaxat ſpecie fallentem, imperia & regna conferre, euidentiſſimis rationibus & omnium temporum hiſtoriis oſtendemus. Nam ſapientiſſimus omnium, qui vnquam Regia dignitate & ſplendore illuſtres fuerunt, Salomon, accuratis rationibus & ſumma diligentia inueſtigatis, non modo rebus omnibus, quas tantopere admirantur homines, verum etiam conſiderata & diligenter examinata potentia, maieſtate & ſplendore ſuo Regio,

exclamat: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas!* deplorans nimirum omnium Regum & Principum vitam euanidam ſimul, & curis miſeriisque refertam. Tametſi totius mundi imperium quis inuaſerit, totoque æui ſui tempore in ſummo dignitatis faſtigio collocatus, in exiſtimatione ore & calamo omnium verſatus fuerit, tandem tamen reipſa comperietur, *Omnia vanitatem fuiſſe:* nimisque ſero deplorabit, omne illud, quod in maieſtate Regia contriuit tempus, plenum fuiſſe miſeriarum, triſtem ſeruitutem, & non niſi nocturnum quoddam ludicrum. Vti quondam compertum fuit, in ebrioſo quodam homine, quem Philippus cognomento Bonus (Princeps Belgiæ, ob inſignes virtutes, pietatem, fortitudinem, iuſtitiam, & in gerendis rebus perpetuam felicitatem, æterna memoria digniſſimus) in foro ſtertentem inuenerat, in quo vitæ humanæ in ſummo dignitatis faſtigio ludicrum experiri placuit. Itaque hominem ſublatum, in Regiam ſecum abduxit, regio lecto collocari, donec edormiiſſet, poſteroque die hominem more Ducali ſplendide indutum ita tractari, illique miniſtrari iuſſit, ac ſi iam ille Dominus & Princeps Belgiæ eſſet: circa veſperam vero rurſum inebriatum, veſtibusq; prioribus indutum, loco quo eum repererat, collocauit; qui poſtridie experrectus, collatis rationibus omnibus ſomnium fuiſſe vitam illam Ducalem, quam egerat, ſtatuit.

Iohannes vero Arragonum Rex, piiſſimus ſenex, vanitatem hanc imperiorum & Principatus, ac fluxam rerum humanarum conditionem, in ipſo mortis articulo nimis pathetice deplorauit. Febri enim anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono correptus, poſt vſum cœnæ Dominicæ, dum lectioni Euangelicæ & recitationi Pſalmorum intendit, ſubito languore concidit: ita vt clauſis luminibus, manibus pedibusque rigeſcentibus defeciſſe iam, & animam efflaſſe crederetur. Verum reſpirans, & recluſis oculis, omnes qui aderant aſpiciens, exclamauit: *O vanas hominum cogitationes! O miſeros omnes, qui ad principatus aſpirant, qui diuitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & illorum ſecuram vitam atque beatam, qui panem comedunt cum ſudore ſui vultus, qui viuunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? labores ſcilicet magnos & multa corporis & animæ pericula nec vnquam ætate tam longa, potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miſerum & infelicem, qui tam ſero fallacem mundum cognoſco? qui vitam certe vixiſſem multo meliorem, ſi non Rex, ſed pauperis agri cultor fuiſſem.* Cōuerſus a. ad imaginem Chriſti crucifixi defixis in cœlum oculis, *O pientiſſime redemptor, inquit, parce mihi indigniſſimo ſeruo tuo, miſerere mei clementiſſime Ieſu, & à peccatis meis auerte faciem tuam, non meis meritis Domine, quæ nulla ſunt, ſed illa tua ineffabili pietate, & infinita miſericordia motus, qua homines à morte redimere per crucem tuam voluiſti.* Atque inter hæc verba, quæ cum magna animi commotione protulit, extinctum eſſe, Marinæus lib. 18. rerum Hiſpanicarum commemorat. Et eiſdem plane votis ac querelis Alphonſum fratrem eius Regem Neapolitanum ex hac miſera vita emigraſſe, teſtantur hiſtoriæ.

Et cui melius conſtabit de Regnorum fucoſa gloria, & mentita Regum felicitate, quam ipſis Regibus & Principibus. Quapropter cum aliquando Dionyſius iunior Rex Syracuſanus ex Damocle aſſentatore aulico, qui quotidie felicitatem & beatitudinem eius prædicabat, quæreret: num illam experiri ſecum & deguſtare velit fortunam & felicitatem: *Annuentem Regali & aureo collocauit lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificisque operibus picto, abacumque ornauit argento auroque*

cælato.

cælato: eximia forma pueros delectos conſiſtere ad menſam, atque ad nutum illius intuentes, omnia diligenter adminiſtrare iuſsit: addidit vnguenta & coronas, incendit odores, ipſamque menſam exquiſitiſsimis epulis conſtruxit. Damocles ſibi fortunatus viſus. At Dionyſius in medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iubet, vt impenderet illius beati ceruicibus. Quo animaduerſo Damocles, ita animo concidit, vt nec pulchros deinceps adminiſtratores, nec plenum artis aurum & argentum aſpiceret, nec manum in menſam porrigeret. Iam ipſæ defluxerant coronæ; denique Tyrannum precatus eſt, vt abire liceret, quod iam beatus eſſe nollet. Huius porro Dionyſii ſic deſcribit vitam Cicer. vt miſerrimum plane fuiſſe in ſummo iſto maieſtatis gradu oſtendat, nec ea ipſa, quæ concupiuit, ne tum quidem, cum omnia ſe poſſe cenſebat, conſecutum, perpetuo terrore & metu amittendæ vitæ vna cum Tyrannide conflictatum. *Cumque plurimos haberet amicos & familiares, Græcoque more amore coniunctos adoleſcentes, credidiſſe ſe eorum nemini: ſeruis & barbaris curam corporis commiſiſſe: & ne tonſori collum crederet, filias tondere docuiſſe ab adultis ferrum remouiſſe, candentibus iuglandium putaminibus barbam & capillum ſibi vt adurerent inſtituiſſe. Foſſam latam cubiculo cum ponte penſili circumdediſſe. Cumque in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, ex alta turri concionatum. Neque tamen, quod eſt miſerrimum, ſi vel maxime voluiſſet, ex hoc carcere, & ex iſta ſeruitute ad libertatem & iuſtitiam contendere potuiſſe; his enim improuida ætate impliciuiſſe ſe erratis, eaque commiſiſſe, vt ſaluus eſſe non poſſet, ſi ſanus eſſe cœpiſſet. Vixiſſe igitur cum fugitiuis, cum facinoroſis, cum barbaris fugiſſe conſortium omnium, qui libertate digni erant, huius vita, vt compendio dicam, inquit Cicero, nihil tetrius, miſerius, deteſtabilius excogitari poteſt.*

Legimus & de Rege quodam, qui nunquam ridere viſus ſit, quique nullis rebus, quantumuis iucundis & facetiis ad riſum commoueri potuerit. Aulici & conſiliarii Regis ſui ingenium admirati, fratrem Regis impellunt, cauſam triſtitiæ vt ſciſcitetur. Cui Rex cauſam indicaturus, poſtero die iubet foueam profundiſſimã ſtratis in fundo ignitis carbonibus parari, ſolium vetuſtate fere corruptum ſuper imponi, in quo fratrem diademate, ſceptro, & cultu Regio magnificentiſſimo ornatum, collocat, abacum auro argentoque cælato, & varii generis vino, epuliſque exquiſitiſſimis inſtructum poni iubet, adhibentur cantores voce & multiplici inſtrumento muſico modulantes, miniſtrant menſæ nobiles aulici, nec quicquam Regalis magnificentiæ deſideratur. Interim capiti fratris Rex enſem filo bombycino imminentem è lacunari demittit, armatos milites quatuor ſubornat, qui ſtrictis enſibus nouum Regem adoriantur, pectus hic, alter tergum, reliqui duo vtrũque latus mucrone petant. Quibus hoc modo conſtitutis fratrem bono eſſe animo, demere ſupercilio nubem & ridere Rex iubet: at is inter tot pericula totus perterritus, & pene exanimatus, quo ſe vertat, niſi præſentiſſimo cum vitæ periculo non videt, modo vt ſurgere & abire ſibi liceat, per Deos omnes precatur. Tum Rex: Talis eſt vita omnium, qui ad gubernacula ſedent; in his periculis vitæ & fortunarũ omniũ ſingulis momentis verſor & ego, in Regio quidem ſum cõſtitutus throno, at is ſingulis horis ruinã minitatur. Cũ nullũ ſit in orbe imperiũ tã firmũ, ꝙ non variis caſib. ſit obnoxiũ, quocunq; me verto imminens periculũ ante oculos poſitũ cerno: Supra me Deũ iuſtũ iudicẽ, accuratã poſtulaturũ paulo poſt à me totius vitæ & gubernationis meæ rationẽ video, ſineq; ſingulis momẽtis, vitę meæ tenui filo dependẽtis, imminentẽ vereri cogor. Infra me ſi lumina defigo gehẽnæ horribile barathrũ, infernalib. flãmis ardẽtẽ intueor. Si ante me ꝓſpicio vitã vario

fortunæ ludibrio expoſitam deſidero, & tragicos caſus extimeſco. Retro reſpiciens vitam anteactam multis peccatis & erroribus deploro; ſi ad vtrumque latus oculos deflecto, imminentium vndique malorum congeriem, & ingruentium calamitatum pericula exhorreo. His malis exercentur quotidie, qui imperia & principatus tenent. Habes igitur frater cauſas triſtitiæ meæ, quas dum ſingulis momentis mihi ante oculos pono, nullam mihi ridendi & ludendi cauſam oblatam video.

Vt itaque rem in pauca contraham, concludo ex his, quæ iam breuiter dixi: *Imperia, regna, principatus & dignitates, nihil facere ad vitam beatã, nec gaudium & tranquillitatem veram, perfectam, ſtabilem & ſinceram animorum efficere:* neque vnquam eam exhibere regibus beatitatem, quam ſplendore ſuo & maieſtate prima facie pollicentur. Proinde abiecta hac dominandi libidine, quiſque ſuo loco & ordine ſit contentus, & in id potiſſimum enitatur, *vt Dominus ſui ipſius efficiatur:* vt ſibi ipſi imperet, affectibus ſuis dominetur, & æſtuantes animi motus compeſcat. Hæc enim optima imperandi & dominandi ratio eſt, ſuperans fortiſſimos duces & audaciſſimos athletas, qui inimicum proſternere, hoſtium agmina propulſare, bellicoſiſſimos populos vincere, & munitiſſimas arces euertere, ſeipſos autẽ vincere, furentes animi motus compeſcere, & affectus cohibere turbulentos minime potuerunt. Hæc vincendi ratio omnes victorias Simſonis, Hannibalis, Scipionis, *Alexandri,* Cæſaris vincit, longoque poſt ſe interuallo relinquit. *Melior eſt,* inquit Salomon, *patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.*

Qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex.

——Tunc omnia iura tenebis
Cum poteris rex eſſe tui.—— Et Boetius:
Qui ſe volet eſſe potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis ſubmittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiſcat
Et ſeruiat ultima Thule:
Tamen atras pellere curas
Miſeraſq; fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

De ſplendidis ædificiis. PH. Video me nondum aſſecutum eſſe ſummum bonum. Sed needum tamen deſiſtam perquirere. Circumferam oculos in vniuerſum hoc mũdi theatrum. Atque occurrit iam commodũ. Quid quæſo de illis iudicas, qui ſplendidis & magnifice exſtructis ædificiis delectantur, nec quicquam magis in votis habent, quam vt ædificandi ſibi magnificas ædes conceſſa copia, perpetuam nominis memoriam quærant. Cuius rei exempla nobis etiam præbent ſacræ literæ. Salomonis certe regiam admiramur, qui cum ſeptem annis templum Ieroſolymorum ędificaſſet, tredecim annos in ædificanda regia conſumpſit. De qua cum multa Ioſephus, tum hæc quoque verba ſcripta reliquit: Difficile eſt enumerare amplitudinem & varietatem aularum tam maiorum quam mediocrium, quæ ſub terra latebant, quæque in aërem elegantiſſime attollebantur. In ſumma, totum ædificium è marmore candido, & cedro & auro atque argento conſtabat: diſpoſitis per parietes & laquearia

Digitized by Google

quearia variis lapillis auro incluſis: quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat. De Achabo ſacræ literæ referunt, quod domum ſibi condiderit eburneam, pro qua voce Hieronymus teſtatur domum dentis in ſancta lingua legi. Hic in tantis vixit delitiis, vt non niſi in domo ex dentibus Elephantinis, ſiue ebore exſtructa habitarit. Et de Cyro hiſtoriæ teſtatur quod domum ſplendidiſſimam exſtruxerit; illigatis auro lapidibus, menſis & ſubſelliis ex ſolido auro & argento fabrefactis, & diſtincto lacunari gemmis precioſiſſimis, vt cœli ornamentum referret. Sed omnem admirationem ſuperant Neronis delitiæ, de quo Suetonius refert, quod domum ædificauerit vrbi amplitudine non abſimilem, quam poſt incendium, quo conſumata erat, reſtitutam, auream appellauerit. In cuius veſtibulo coloſſus CXX. pedum ipſius effigie: Porticus triplices milliarias habuit. In medio ſtagnum maris inſtar ædificiis vndiq; circumceptum. Rura continuit cum aruis, vinetis, paſcuis, ſyluis, pecudibus, feris. In cæteris partibus, inquit, cuncta auro lita, diſtincta gemmis vnionumq; conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, vt flores è fiſtulis, & vnguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quę perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. Parum eſt quod de Cicerone refert Saluſtius delitias eius deteſtatus, non minoris quinquaginta millibus auri habitaſſe.

Et quemadmodum Abſolomus Dauidis filius, vt pulchritudinis ſuæ, qua oēs eius ætatis homines ſuperauit, monumētum exſtaret perpetuum; columnam marmoream, in valle regia prope Ieruſolymorum vrbem, ingenti proceritate ſtatuit: Ita hodie Reges & Principes, aliiq; multi opib. inſtructi & dignitate cōſpicui, dum vident, nihil ad beatè viuendum ſibi deeſſe, niſi immortalem nominis gloriam: hanc vt conſequantur, nomenq; ſuum à ſitu & puluere, ſeu æterna obliuione vindicent, incredibilem pecuniæ vim, ædificandis celeberrimis vrbib. munificentiſſimis arcibus, cōſpicuis palatiis, magnificis templis & monaſteriis, amœniſſimis hortis & viretis: exſtruendis turrib. altiſſimis, theatris & circis ſplendidiſſimis, aquęductib. artificioſiſſimis impendunt: Vt nihil nunc dicam de ſtructuris Semiramidis, de columnis Herculis, deque ſeptem mundi miraculis, quæ certe omnia hominum illorum memorias ab interitu vindicant, proindeque in ſummi boni numero habenda videtur ſtatuendum.

TH. Neque hæc quæ dixiſti, ad ſummum bonum conſtituendum ſufficiunt. Præterquam enim, quod hæc tam magnifica ædificia exiguam conferant vitæ humanę commoditatem, ac animos tantum hominum ſui admiratione dementent, & oculos pulchritudine ſua paſcant: nihil præterea quod tantis laborib. & impenſis reſpondeat vtilitatis habent. O vanas hominum cogitationes! O fruſtrati ambitioſorum conatus, Gloriam ſibi, & immortale nominis monumentum, tantis tamque irritis laboribus, cum ſtulta temporis & pecuniarum iactura quærentium! quod tamen non niſi vnico virtutis & pietatis ſtudio comparatur. Quo, cum ardua ſit ſemper via & multo ſudore paranda; Illis vero Regibus, qui Pyramides conſtruxere, ob ignauiam, tyrannidē & crudelitatem, qua miſeros premebant ſubditos, inuia & prorſus pręcluſa: quo virtute non potuerunt, potentia contendebant. Quocirca tantum abfuit, quo, quod tantis conatibus quærebant, obtinuerint, vt eo magis ſtultitiam ſuam toti mundo prodiderint. Quemadmodum Plinius teſtatur: Qui cum duodecim ordine recenſuiſſet Hiſtoricos, qui de Pyramidib. Ægyptiis ſcripſerint, inter hos omnes dicit, non vere conſtare à quibus Regibus illæ

factæ ſint: *Iuſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus*: Proinde & Labyrinthos hos *portentiſſima humani ingenii opera appellat*: Alii vero, *ſtultorum Regum magnifica opera, Regumq́ pecuniæ ocioſam & ſtultam oſtentationem. Adeo*, inquit præterea Plin. *Veſana dementia quæſiſſe Gloriam impendio nulli profuturo. Præterea fatigaſſe regni vires, vt tamen maior artificis laus eſſet.* Hanc hominum vanitatem, in ſe ipſo conqueſtus eſt Rex, poſt homines natos, ſapientiſſimus Salomon: *Magnificaui opera mea & ædificaui mihi domos, & plantaui vineas: feci hortos & pomæria & conſeui ea cūcti generis arboribus, exſtruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluā lignorum germinantium, &c. Cumq́ me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.*

Ex hoc ſapientiſſimi Regis & dicto & exemplo intelligimus, nec vitam beatam nec ſperatam lætitiam aut requiem conſecuturos, qui eam quærunt in ſplendide ædificatis palatiis, & ſumptuoſis cœnaculis, aut domibus multo auro, pictis tapetibus exornatis. Nam cum ingentem Nebucadneſar de ſua Regia concepiſſet animo lętitiam, nimis ſubito conuerſum gaudium illud fuit in triſtiſſimum ſpectaculum. Neque Cyrus vllam capiebat ex ſuo Palatio tam ſplendide exædificato, auro argentoque adoperto voluptatem. Verum vix abſoluto ædificio, poſtquam contra Maſſagetas profectus eſt, non rediit: nec ſperati Gaudii & *voluptatis* cōpos factus eſt. Ita repentina calamitas ſuperueniens eis, qui in *magnificis* delitescunt palatiis, cœnaculis & cubilibus, gaudium quod animo conceperant, requiem & delicias quas ſperarant, in miſeras curas & triſtiſſimum luctum ſæpe conuertit: & multi ingentibus curis, laboribus & impenſis, vix abſoluto ædificio, morte pręueniuntur, priusquam iis quoquo modo fruantur; imo aliis *poſt ſe* relinquere coguntur, ſibi quod parauerant: O caducam, ô breuem, ô momentaneam hominum vitam, vanis plerunque curis, moleſtiisque non neceſſariis refertam! Quæ ſtultitia, tantis ſudoribus partas opes, tam leuiter, & fere maiori, quo partæ ſunt labore profundere, ſupra modum ſplendida ædificādo palatia. Adam, Methuſalem, Abraham, Iſaac, Iacob & reliqui patriarchę, quibus vita decuplo longior fuit, & ad mille annos extendebatur, in tentoriis habitabant. Nouerant enim & vere nouerant, ſe, vt peregrinos & aduenas, permanentem hic non habere ciuitatem. At nos palatia ingentia exſtruimus, qui vix decem aut viginti annos vitæ, reliquos habemus.

PH. Et hæc ita ſe habere, vti dixiſti, fateor. At nunc vnum adducam, quod vix opinor negare audebis, quin in ſummi boni claſſem referendum ſit, Nobilitatem dico.

EQ. Flos certe & decus generis humani Nobilitas eſt, præmium virtutis & induſtriæ, ab ipſo Deo originē ducēs: qui quaſdā ex multitudine humana familias, virtutis laude ornatas, ad Honorum & Dignitatum culmen euexit. Voluit enim Deus conſpici illuſtre diſcrimen virtutis & vitiorum, laboris & deſidiæ, & gradus eſſe Dignitatum inter homines, vt aliqui ſint, qui imperent, & leges dictent, aliqui rurſus, qui legibus obediant: & hoc modo communis hominum Societas conſeruetur, coaleſcat in pace & concordia, & legum beneficio ab iniuria malorū vindicata, propagetur. Quos itaq; æternus ille ac præpotens hominum conditor aliis præferre, quos ad ſummum dignitatis gradum attollere, & ad Imperii faſtigiū collocare voluit, aut quos ad res magnas, hominumque generi ſalutares gerendas excitauit: hos ſingulari virtute, & præ omnibus aliis heroica indole, inſtruxit; &

ſæpe

Digitized by Google

ſæpe eorum nomina quoque, antequam in lucem venerunt, edidit. Quemadmodum de Cyro ſacræ literæ teſtantur, quod, cum ad euertendum Imperium Medorum, & conſtituendum Regnum Perſarum, liberandosq; Iſraelitas ex captiuitate Babylonica, Deus eum vocaſſet; non ſolum per os ſanctorum Prophetarum ſuorum, ad res tantas efficiendas miſſum iri, prædixerit; ſed & ipſum nomen eius tot retro ſeculis ediderit. Et ipſe Cyrus elapſis 70. hebdomadib. publice propoſito edicto fatetur: Omnia regna terræ dediſſe ſibi Iehouam Deum cœli, & ipſum præcepiſſe ſibi, vt ædificaret ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Ad eundem modum Dominus miſſurus Moſen ad educendos Iſraelitas ex Ægypto, ipſum egregia indole Ioſuam, ad introducendum populum in terram promiſſam; heroica virtute: Iudam, Gideonem, Iephtam, Simſonem, ad liberandos Iſraelitas de manu Philiſtæorum, inſigni fortitudine, inſtruxit. Dauidi ingenium omnibus Regiis virtutibus, pietate, ſapientia, fortitudine, præditum indidit. Salomonem ſapientia, cunctos in orbe Reges ſuperante, ornauit. Danielem & ſocios inſigni eruditione & rerum reconditiſſimarum cognitione aptos fecit, ad res maximas in Imperio Perſarum gerendas. Ipſa denique experientia teſtatur, eximia virtute & natura heroica præditos eſſe, qui ex heroicis parentibus ſunt nati, & è præclaris familiis ortum habent. Et hos ſingulari, præ aliis hominibus omnibus Deus fortuna, ſucceſſu mirabili, & peculiari Numinis afflatu ornat. Videmus cum ſummo animorum noſtrorum admiratione, hoc ipſum in Alexandro M. Dario Hiſtaſpe, Iulio Cæſare, licet Ethnicis. Idem in Moſe, Dauide, Samuele, & aliis: in quibus etiam generoſus & heroicus animus tempeſtiue in ipſis incunabulis apparuit. In Moſis facie diuina virtus eluxit, cum in fiſcella ſcirpea expoſitus in mari fluctuaret. Quanta in Dauide ἀρετὴ, & quãtum futuræ fortitudinis indicium? dum vix pueritiam egreſſus, auſus fuerit cum Leone & vrſo congredi, quos ſolius pedis manuumq; vi confecit? quo deinceps ſucceſſu animatus non dubitauit, ipſum Gigantem Goliathem, ſola animi magnitudine & diuina ope fretus, adoriri. Tempeſtiue in Alexandro M. apparuit Regia indoles, cum ſolus Bucephalum, generoſæ ferociæ equum, de quo frenando omnes deſperabant, prudentia ſumma domaret; & ob id præ nimio gaudio deoſculatus eſt à patre, qui admiratus ſingulare eius ingenium, ad res maximas natum, dixit: *Quære fili par tibi Regnum, ſiquidem non capit te Macedonia.* Cumq; Darii Perſarum Regis matrem, vxorem & filiolum captos in poteſtate haberet, & hunc in amplexum ſublatum aliquamdiu tenuiſſet & exoſculatus eſſet Alexander, atque ſingularem in eo puero indolem conſpexiſſet; ad Ephęſtionẽ conuerſus, inquit: *Quam vellem Darius, vel tantillum ex hac indole habuiſſet.* Et Xenophon totus in eo eſt lib. 1. vt ingenitam naturæ Cyri heroicæ bonitatem oſtendat. Certe inſigne animoſitatis & fortitudinis futuræ edidit documentum, cum puer in venatu, quotiens ceruam proſilientem, aut aprum irruentem vidit, fruſtra inhibentibus corporis cuſtodibus, cum periculo etiam vitę, impetum in illas feras faceret; inſtar, inquit Xenophon, generoſi catuli, &c.

Idem de Alphonſo filio Ferdinandi Regis Arragonum, commemoratur, qui, vix adoleſcẽtiam ingreſſus, cum in venatione aprum eximiæ magnitudinis in fugã conuertiſſet, non deſtitit eum inſequi, per loca inuia, dura & aſpera, etiam poſtq̃ in rapidiſſimum flumen Iberum, aper fugiendo ſeſe demitteret; ipſe, fruſtra vociferante præceptore, cuius cuſtodiæ commiſſus fuerat, periculumque oſtendente, eum

te, eum inſecutus ſtrenue occidit. Mira commemorantur de Samuelis indole: de Auguſtino, Bernhardo, Chryſoſtomo, quam tempeſtiue præclaræ indolis documenta dederint. De Cicerone, qui in ludo literario non diſcipulos modo omnes, ſed & eorum parentes in admirationem ſui pertraxit, adeo, vt ad Ciceronem contemplandum oculis, & acumen atque ſolertiam eius in diſcendo conſiderandum, aceruatim ad ludum confluxerint ciues. Itaque quos Deus ad res magnas vocauit, his quoque eiuſmodi indolem indidit, quæ eximiis virtutibus & magna auctoritate inſtructa eſſet, vt appareat, eos diuinitus vocari, adiuuari, & referre eos ſapientiæ, iuſtitiæ & veritatis ipſius Dei imaginem. Atque hinc orta Nobilitas, quæ hodie adhuc durat, inque animis heroicis ſubinde excitatur.

TH. Reſpondeo verbis Boetii: *Si quid eſt in nobilitate bonum, id eſſe arbitror ſolum, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerēt*; maximeque ideo cura tenentur nobiles, vt quemadmodum virtute nobilitatis decus conſecuti ſunt, idem virtute tueantur, nec quicquam committant vnquam, quod illuſtri generi eorum labem aliquam aut maculam aſpergat. Qua de re olim admonebantur, cum multis aliis rebus, tum etiam his Lunulis, quas tanquam ſigna Nobilitatis eminentioris, Romani patricii in calceis geſtabant. Lamina erat aurea, figura qualis ferme in Luna prima conſpicitur. Vt enim varii in Luna *vultus: Ita varios* nobilib. Fortunæ vultus eſſe extimeſcendos indicarunt: Ex *obſcuro prodit* illa, tenui luce coruſcās: mox maiorem acquirit. Soli oppoſita, plena luce reſplendet; ſed cum iam clariſſimam lætamque oſtentat faciem; rurſus conſeneſcens deficit; donec plane luce omni amiſſa, ex conſpectu hominum euaneſcat. Ita meminerint Nobiles, commonefacti nobili hoc antiquitatis documento & nobilitatis primæ inſignio, variis ſe fortunæ caſibus obiectos eſſe, & fieri poſſe, vt mutata ſæpius Fortuna, tandem omnes prorſus Lunulas ſuas amittant: Vti in Eſaiæ vaticinio Deus illis comminatus eſt. Quanto itaque genere ſunt ſublimiores, tanto ſint animis ſubmiſſiores: & ſedulo dent operam, vt Phaetontis currum recte gubernent, regia via incedant, mediumque ſemper curſum teneant, ne à recto tramite deficientes, ad ima præcipites ruant. Cuius olim Poetæ, de Phaetonte fabulantes, eos admonere voluerunt. Hic enim Solis filius, de nobilitate generis cum Epapho Iouis filio decertans, quo cunctis mortalibus generis ſui nobilitatem patefaceret, multis indefeſſisq; precibus, tandem à patre vel inuito obtinuit, vt currum ſolis ipſi regendum vno die concederet, verum voti compos factus, Regiam viam obſeruare neſciens, ſubindeque à medio curſu exorbitans; modo calore terrarum orbem, ob nimiam Solis propinquitatem combuſſit; modo Æthiopicam regionem, nimio & inſueto frigore, ob Solis abſentiam preſſit. Itaque, ne genus humanum, omnia animantia & terræ naſcentia, prorſus interirent: fulmine infelix currus Solis rector, à patre deiectus, periit.

Cum itaque in Nobilitate plus fere ſit oneris quam honoris, fortunæq; etiam mutationibus obnoxia ſit, ſummi boni nomen neutiquam meretur.

PH. De fauore quoque regum ac principum, & de formæ elegantia cultuque corporis dicturus eram aliquid: Sed quia ea quæ hactenus in mediū protuli ac pro tempore commendaui, nullum in ſummi boni claſſe locum inueniunt, facile iudicare poſſum, neque his locum vel minimum dari.

TH. Fauor certe regum ac principum valde inconſtans eſt, id quod tam ſacræ literæ, quam etiam Ethnicorum ſcripta ſatis teſtantur. Experti ſunt hoc ipſum

magno ſuo malo quam plurimi, qui aureos montes de fauore principum ſibi polliciti ſunt, ſed vana ſpe ſe deluſos eſſe, nimis ſero deplorarũt, cum nihil inde reportarint neque lucrati ſint, quam pro fauore dolorem, pro ſplendore laborem, pro opibus inopiam, & deformem cum læſa conſcientia ſenectutem. Iam quod ad formæ elegantiam attinet, quam fragilis illa ſit, ipſi nos quotidie in nobismetipſis experimur. In luxurioſa porro veſtitus ratione, qui ſummum bonum quærit, næ ille in ſtultorum claſſe primum meretur locum. Veſtimenta enim dedecoris noſtri atque infamiæ, quam primi noſtri parentes temere contraxerunt, euidentiſſima ſunt indicia atque ſimul operimenta.

PH. Corporis & fortunæ bona perſtrinximus hactenus, oſtenſumque aduerſus me, nullum iis in ſummi boni claſſe relinqui locum. Verum enimuero non idem de animi bonis ſtatuendum videtur, hæc enim ſua integritate, venuſtate & ſplendore, ſapientum omnium calculo longo poſt ſe interuallo, corporis & fortunæ bona relinquunt; habentque ſedem in ipſa anima, præſtantiſſima hominis parte, & circa quæ animus hominis occupatus vitam agit veram homineque digniſſimam. Suntque in ſpecie bona hæc, ſapientia, prudentia, honeſtæ artes, actiones & ſtudium virtutum omnium. Et aperiret ſeſe mihi hic latiſſimus de illis differendi campus, ſi omnes omnium ſapientum ſententias colligere, & quid de his bonis ſtatuerint, recenſere vellem, & niſi laxata iam dudum vela contrahenda eſſent.

TH. Scio egomet, præſtantiſſimos philoſophos; Ariſtotelem, Platonem, Ciceronem & alios, vitam beatam tum in virtute, tum in actione virtutum, arbitrari conſiſtere. Sed fallunt & falluntur: cum enim ſummum bonum, omnium curarum & moleſtiarum plane expers eſſe debeat, hæc vero quæ dixiſti bona animi moleſtiis omnimodis minime careant: vix in ſummi boni claſſe locum inuenient. Exemplis id, quod dixi, fiet illuſtrius.

Quis quæſo Salomone Rege ſapientia rerumque omnium, quæ ſub ſole ſunt, ſcientia inſtructior? quis illuſtrior? ſed audiamus ipſum de infinitis moleſtiis & laboribus ſuis, in ipſa rerum omnium inueſtigatione conquerentem: *Ego*, inquit, *Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael, & propoſui in animo meo, quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparetur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Locutus ſum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Ieruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter & didici. Dedique cor meum, vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam, & agnoui quod in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Quo vel vnico dicto Rex ſapientiſſimus nobis ob oculos ponit, omnes illas difficultatum moleſtias, quas deuorare coguntur, qui vel literarum vel virtutis ſtudiis incumbunt, quibus laboribus & moleſtiis cum acceſſerint liuidi dentis, optima quæque arrodentis, ſcommata, vt eſt virtutis & induſtriæ comes inuidia, frangunt illa ſæpenumero honeſtum hoc bonorum propoſitum, torquent & excruciant animum, & frangunt robur cordis eius, ſummoque mœrore contaminant vitam, quam beatam illi vocant & felicem. O miſeram vitam, tot ærumnis, tot cruciatibus, tot calumniis, dicteriis & odio inuidorum expoſitam!

Quin ipſa experientia magiſtra didicimus, permultos homines, ſummo ingenio & eruditione præditos, ob virtutis & doctrinæ excellentiam, in ipſum vitæ

diſcrimen ſæpenumero incidiſſe: nonne videmus quotidie eos, qui liuoris œſtro perciti, inuidiæ rabie laborant, aliis viris bonis & eminentioris doctrinæ aut virtutis infinitas inſidias ſtruere, eoſque artibus variis circumuenire, donec tandem eos ſic premant vt opprimant; aut mergāt, amplius vnquam ne emergant. An non eodem modo Socrates, quo nemo etiam Apollinis oraculo, vel ſapientior vel eruditior, vel vitæ quoque innocentia, fide, & integritate purior, ab inuidis collegis oppreſſus eſt? Tertullianum virum integerrimum & eximium Eccleſiæ doctorem, Clerus Romanus, ob eloquentiam admirandam, & reliquas dotes præcellentes, odio plus quam Vatiniano, proſecutus eſt. Quæ res ita eum momordit, ita viri illius pectus concuſſit atque emolliuit, vt mutata ſententia, ex conſtantiſſimo veritatis aſſertore, acerrimus eiuſdem hoſtis, ex propugnatore oppugnator, & ex Catholico Doctore, Montanici furoris ſectator factus ſit. Hanc aleam ſubiit Gregorius Nazianzenus, tantus Eccleſiæ doctor. Hanc ſortem tulit Athanaſius; non niſi ob præclaram eruditionem, eloquentiæ flumen, virtutem & pietatem, quibus Alexandrum multis modis ſuperauit, omnibus inuidiæ telis expoſitus: Quibus ille nō petitus eſt calumniis? quibus non figmentis, veritatis fuco linitis, gloriam nominis eius denigrare Arriani ſtuduerunt? quibus non denique impudentiſſimis & putidiſſimis mendaciis, periculum vitæ ſtruere, labemque & maculam virtutibus eius aſpergere iidem conati ſunt? Hoc præmium eſt laborum & induſtriæ, virtutis & pietatis, in hoc ſeculo viris, ſummo ingenio, præclara eruditione, egregia virtute, & ſingulari pietatis & eloquentiæ laude ornatis! Hæc eſt præclara illa beatitas quam gignunt ſapientia & virtutis ſtudia!

Quod ſi forte hæ inſignes & præclariſſimæ animi dotes, inciderint in hominem natura ſuperbum & inflatum, quem ipſæ literæ emollire & humaniorem reddere nequeant; Verum efficitur quod alioquin Apoſtolus dicebat: *ſcientia inflat.* Accidit enim ſæpenumero, vt homines eruditione & eloquentia præditi, cum ſua dona intueantur, putent ſe ſimilem nō habere, ſe multis paraſangis reliquos omnes anteire. Ingentes itaque animo concipere ſpiritus, ſe ſuaq; omnia extollere, & modo non ſublimi, vt Poetæ verbis vtar, ferire ſydera vertice, omnes faſtidioſe præ ſe contemnere, ſe ſolos lynceos putare, reliquos omnes fungos & ſtipites eſſe, aut ſtatuas veruceeas & margites, in quibus prorſus nihil ſit ſalſuginis.

Præterea eo rem deueniſſe cum ingenti animorum noſtrorum dolore videmus, vt multi donis diuinitus conceſſis, miſere abutantur: non, vt honore & gloria afficiant illum, cui omnia ſua accepta referre debebant: neq; ad vtilitatem proximi & ædificationem totius corporis Chriſti, vt D. monet Apoſtolus, ſed in id ſumma animi contentione enituntur, vt ſuum tantummodo commodum promoueant, ſeipſos humo tollant, magnū nominis ſplendorem ſibi acquirant, auramq; captent popularem, vt ſoli profundioris eruditionis, limatioris iudicii, acrioris ingenii, politioris linguæ, laudem & exiſtimationem reportent. Quinimo eo vſque degenerare, proh dolor, hęc animi bona videmus, vt quibus Deo inſeruire, proximoque prodeſſe homines debebant; his ad Dei omnipotentis ignominiam & proximi interitum potius abutantur. Quæque animi dotes pulcherrimæ, inſtrumenta laudum diuinarum eſſe debebant, hæc triſti metamorphoſi ita conuertuntur, vt Organa ſint & media, quibus Deus contumelia afficiatur: proximo incomda creentur innumera & immenſa, Opes itidem & fortunæ eius omnes exhauriantur, fama lædatur, exiſtimatio violetur, vitæ ſtruantur inſidiæ, adeoq; ipſa animarum ſalus in dubium exitiale vocetur.

Peri-

Periculum facere licebit, ſi vel vnius eloquentię & facundię donum, eiuſq; abuſum multiplicē, defixis in totū huius mundi theatrum, omnesq; vitę conditiones & ordines oculis, cōſideraueris: alme Deus, quantum miſeriarū pelagus in Eccleſia, quantam malorum lernam in Politiis, & priuata ſingulorum vita, ab hominibus diſertis, ſolo eloquentiæ flumine excitatam, deprehendes? Qui abuſus, etſi à vero rei vſu, interuallo omnium longiſſimo diſiungendus erat: quia tamen hæc ita fieri videmus, omni ratione concludo, ſummum in illis bonum minime conſiſtere: Addo etiam hoc quod multa ſunt in artibus & diſciplinis, adeoq; in vniuerſa Philoſophia, manca & imperfecta, multa quæ vberiorem demonſtrationem deſiderent, multa quoque arcana in illis comprehendi, ad quæ vis ingenii humani penetrare minime poſſit, communi eruditorum omnium calculo comprobatur. Tametſi nec hoc ignorem, hunc defectum ipſis artibus & facultatibus non poſſe imputari, ſed imbecillitati ingeniorum. At hoc ipſum eſt, de quo conquerimur. Si namque nullum eſt tantum rationis & ingenii humani acumen, quod poſſit ad ſublime illud ſcientiarum faſtigium penetrare, perfectiſſimamque inde rerum cognitionem haurire; quid in artibus & ſcientiis, quarum perfectam notitiam nemo mortalium adipiſcitur, perfectam beatitatem quærimus, & fruſtra quærimus, quod obtinere non poſſumus?

Idē eſto de ſtabili & perenni, in ſcientiis omnibusq; animi bonis, beatitudine iudicium. Vt enim omnia in hoc ſeculo, adeoq; ipſum τὸ σχῆμα, ſeu habitus huius mundi, decreſcit, defluit, pręterit, labitur & tandem prorſus perit: Ita quoq; animi bona omnia, temporis progreſſu minuuntur, & penitus obſoleſcunt. Vacillat memoria, defloreſcit ingenium, labaſcit prudentia, flacceſcit virtutum omnium ſtudium, degeneratque ſubinde in peſſima teterrimaque vitia.

Ætate Ciceronis quidam Grammaticus omnem artem ſuam obliuioni dederat, ita vt viginti quatuor Alphabeti literas recitare amplius non nouerit. Quod ipſum & de Georgio Trapezuntio, inſigni illo Grammatico, de vtraque literatura præclare merito, commemoratur, quod in vltima ſenecta, omnem rerum ſcientiam & eruditionem plane amiſerit, ac ſi nunquā literis operam dediſſet. Non contemnendos in Philoſophia fructus fecerat M Antonius Caracalla: verū ipſum poſtea tanta cepit omnis doctrinæ obliuio, ac ſi nomen literarum nunquam audiuiſſet.

Tanta eſt ingenii humani in hoc campo letheo infirmitas, vt niſi quotidie eadem repetiuerimus, facile memoria excidant: & in obliuionem veniunt ſæpenumero amici, quibus cum ante aliquot annos conuerſati ſumus: & leui occaſione aliquid eiuſmodi obtingere nobis poteſt, quo ingenium læſum aut violatum, aut aliqua morbi, caſus, vel ictus, iniuria affectum; omnem vigorem priſtinum amittat. Vini & potus abundantia infirmatur. Ebrietas quotidiana memoriæ mors eſt. Cuius rei exempla nō pauca à Plinio commemorantur, vti, de quodam lapide icto, vnde literas oblitus fuerit omnes, porro cætera, tenaciſſima retinens memoria: deque lapſo ex præalto tecto, qui matris & affinium & propinquorum nomina oblitus ſit: Sed & de ægroto, qui ſeruorū, deq; Meſſala Coruino Oratore, quem proprii nominis ceperit obliuio. De Thracibus quidem ſcribunt, quod adeo obtuſo fuerint ingenio, vt vltra quaternarium numerando progreſſi non ſint.

Nec defuerunt, qui in ſummis ingeniis & præſtantiſſimis viris, Cicerone, Plutarcho, atq; adeo ipſo Ariſtotele vacillantis memoriæ exempla deprehenderint. Et Didymus Grammat. quo neminem aiunt plura ſcripſiſſe, deficientem memoriam

prodidit ſuam; cum hiſtoriæ cuidam pertinacius repugnaret, quam tamen ipſe ſcripſiſſe, prolato libro conuictus fuit. An nõ teſtantur ſacræ literæ, diuinam vindictam inſolentis ingenii faſtum reprimentem, Nebucadneſari memoriam felicem in beluinam rabiem conuertiſſe.

Quocirca tandem omni ratione concludo, neque in corporis, neque in Fortunæ, neque in ipſo animi bonorum faſtigio, vitam beatam ſummumque adeo bonum contineri. Proinde multo ſublimius, multo nobilius & præſtantius bonum ſit neceſſe eſt, quod vitam vere & perfecte beatam citra omnem defectionis aut imperfectionis notam vel maculam conferat. Cuiusmodi beatitatem omnia huius mundi bona ſuo ambitu & complexu nequaquam continere, hactenus ſatis me demonſtraſſe arbitror. Oremus igitur votis ſupplicibus, Deum omnipotentem, vt quia nihil eſt in hac vita, in quo homo abſque nauſea & tædio penitus acquieſcere poſſit, vt ipſe velit eſſe ſummum noſtrum bonum, noſque gubernare ac ſuſtentare clementer velit, donec tandem ipſo vitam omnesq; noſtras actiones gubernante & regente, ſuperatis tempeſtuoſi maris huius mundi procellis & fluctibus omnibus, ad optatiſſimum vitæ & tranquillitatis æternæ portum appulſi, æuiterna cum ipſo εὐδαιμονίᾳ & beatitudine, ineffabilique gaudio & lætitia perfruamur. Continenter itaque illud *Diſce mori*, quoad hic viuimus, practicemur, illudq; Richardi de Mariſco Epiſcopi Dunelmenſis Epitaphium noſtris obuerſetur animis:

Culmina qui cupi-		*laudes pompasq́; ſiti-*	
Eſt ſedata ſi-		*ſi me penſare veli-*	
Qui populos regi-	*tis*	*memores ſup omnia ſi*	*tis.*
Quod mors immi-		*nõ parcit honore poti*	
Vobis præpoſi-		*ſimilis fuerã; bene ſci-*	
Quod ſum vos eri-		*ad me currendo veni-*	

F I N I S.

INDEX

INDEX SVPPLEMENTI DIERVM CANICVLARIVM IOANNIS MAIOLI, SEPTEM COLLOQVIIS ABSOLVTI.

A.

ACademiarum adulterini partus. 506
Academiarum aliquot fundationes. 508
Acetum quomodo ſubito confici poßit. 377
Adami lapſus. 8
Adelheida ex nobili Thuſcorum ſanguine fœminæ de morte filiorum ſuorũ prædictio. 98
Adoleſcentis cuiuſdam temeraria per magicam artem amoris captatio, infeliciſsime ipſi cedit. 306
Adoleſcentum quorundam mira exſtaſis. 232
Adonai veri Dei nomen. 48
Adoratio quid. 31
Adrianus Imperator eximiæ pulchritudinis puerum mactauit. 28
Adulatio hominũ idolatriæ fuit incentiuũ. 21
Adulatio aulica Philoſophiæ peſtis pernicioſiſſima. 407
Achæorum ædificia ob violationem templi Neptuni terræmotu concuſſa. 117
Ædificiorum ſplendor an ſummum ſit in vita humana bonum. 540
Ægyptiorum dij. 27
Ægypti oracula quæ. 137
Ægyptiorum Sacrificiorum genera multa. 55
Æſchilus tragicus ex teſta marina deſuper in caput illius decidente perijt. 99
Æſculapij natiuitas qualis. 38
Æſculapij fanum morborum ſanatione celebre. 120
Ætatis anno 49. qui perierunt, exempla, 372. Anno 56. qui perierunt, exempla. ibid. 373
Aëreorum deorum ſacrificia quæ. 61
ex Aëre diuinatio. 244
Afflati qui dicantur. 227
Agricolæ auium acceſſus & receſſus obſeruant 154.
Alchymiſtarum fuci atq; ineſcationes. 455 456. 457. 458. 459. 460
Alexandri magni aula. 52 4. φιλαυλία. 532
ex Alphabeti literis ſortes. 213
Altare, quaſi alta area. 58
Amatoria maleficia quæ. 303
Amicitiæ Regum repentinæ ſunt adeoq; facile diſſipantur. 419
Amilcari Carthaginenſium duci de captiuitate ipſius dubium redditum reſponſum. 98
Amphiarai oraculum vbi. 138
Amuletorum anilium exempla. 281. 282. 283
Anagrammatiſmorum vſus atq; artificium. 210. Exempla multa. 211. 212
Ancilla à dæmone obſeſſa. 222
Ancylia apud Romanos quæ dicta. 128
Angelus malus cur dicatur Satan. 216
Angerona vnde ſic dicta. 178

Anguibus cur inprimis delectetur Satan in ſuis ſacris. 229

Animæ exſtaticorum an corporibus eximantur, circumducantur. 229

Animatorum quorundam conſenſio diſſidiumve. 379

Animæ mortalitatem multi ſtatuerunt Ethnici. 82

Animarum immortalitatis conſideratio homines à peccatis abſtrahit. 63

de Animæ immortalitate oraculum. 110

Animarum humanarum auocatores qui dicantur. 237

Animam omnino nullam eſſe, Ariſtoxeni ſententia. 82

Anniuerſaria ſacrificia ab Ethnicis quomodo celebrata. 57

ex Annulis diuinatio. 241

Antiatina ſors quænam ſic dicta. 208

Antiochenum oraculum quale. 137

Antonini Pij in imperio felicitas ſignis euidentibus præfigurata. 193

Antri Trophonij deſcriptio. 139

Apis Ægyptiorum Deus qualis. 140. Cultus. 141

Apollinis flagitia. 38

Apollinis Dindymæi oraculum quale. 136

Aqua ex niue liqueſcens ſitim non extinguit, ſed auget. 379

Aqua in fanum miraculo non illapſa. 123

Aquæ conſecratæ aſperſio apud Ethnicos vſitata. 54

per Aquam diuinatio. 242.243

Aqua cribro geſtata. 111

Aquarum in ſacrificiis Ethnicis delectus. 60

Ara ignoti Dei qua occaſione extructa. 112

Arca quædam fatalis Roderico regi interitum portendens. 130

Ariolatio quid. 144

Aruſpicinæ origo. 45

Aſinus inter ſydera collocatus. 42

Aſellus Priapo litalis victima. 34

ex Aſini capite diuinatio. 242

in Aſinum transformatio. 327

Aſpidomantia quæ. 242

Aſſentatores aulici quomodo ſe inſinuent. 421. exitus eorum plerumq; miſerabilis. 413

Aſſyriorum dij qui. 19.20

Aſtrologia quatenus conceſſa. 349

Aſtrologicarum prædictionum exempla. 350. 358.359

Aſtrologiæ iudiciariæ refutatio. 363.364

Aſtrologorum infinita mendacia. 365

Aſtrologia per Picum Mirandulam confutata. 359

Aſuiti cuiusdam, qui ſe cum Aſmundo, ſocio, ex pacto conſepeliri curauit, monſtroſa hiſtoria. 115

Auaritiæ execratio. 529.530

Auenacea puls Germanis militibus vſitata. 429

Auium admiranda. 378

ex Auibus auguria. 171.172.173

Auium præſagia naturalia. 148.149.150

Aues tabellariorum munere perfunctæ. 157

Auium temperantia in cibis. 158

Auguriorum origo. 197. eorumque confutatio atq; execratio. 198.199

Auguria & auium præſagia non ſunt vnum & idem. 148

Augurij etymologia. 160

Auguriorum varietas. 161

Augurum munus. 163

Augurum prædictionibus haud raro euentus reſpondit. 166. Exempla. 166.167.168.169. 170

Aulicorum mores genuini qui. 421

Aulicæ maieſtatis elegans proſopopœia. 423

Aulicæ vitæ ſplendor an in ſummi boni felicitatisq; claſſem referendus. 521

Aulicæ vitæ conditio. 404.405

Aulica præcepta quæ præcipua. 405

Aulæ diſſolutæ atque improbæ idea. 410

Aulicorum vt plurimum mores ac ſtudia. 411

Aulæ monendi libertatem difficulter admittunt. 417

Aulicus fauor lubricus. 417.418. Exempla ibid.

Aurium tinnitus an aliquid ſiue fauſtum ſiue infauſtum ominetur. 196

B.

Baſilaci impoſtoris reſponſa atque oracula. 133
Beelzebub cur dicatur Satan. 215
Bellica magorum præſtigia. 265
Bidental locus quinam ita dictus. 171
Bona alia corporis, alia fortunæ, alia animi. 522
Butyrum vt non cogatur, verſus magicus. 314

C.

Cabala Iudæorum quid. 209
Caca dea qua dicta. 32
Cadauera humana Satan quandoque induit. 250
Calculorum ludus qualis. 205
Cambyſes Ecbatana deuitans, in Ecbatanis deſperabundus obiit. 99
Campi Elyſii Ethnicorum. 24
Canum latratus quid plerumque portendat. 394
Canonizationis alicuius ſanctiforum ac modus. 487.488.489.490
Canopus Ægyptiorũ Deus qualis. 28. eius forma. 29
Capitis abſciſſio, quam magi ineunt, mira. 246
Captiuos an magi liberare poſſint. 264
Caribes Indiæ popul. hoſtes captiuos mactant. 79
Carminis, quo dij olim ex vrbibus euocabantur, formula. 178
Carnium eſum cur Pythagorei & Encratitæ vitarunt. 82
Caroli V. conuiuium Imperatorium, cum in Imperatorem Romanum eligeretur. 400. 401.402
Caſtor & Pollux gemini. 39
Catonis reſponſum, quod ſuperſtitioſulo dedit, lepidum. 197
Caupona pleraq; luxus ſunt officinæ. 441
Cauponæ cuiuſdam præſtigiæ. 260
Cauponarũ Ferrariẽſium ſordes ac ſæ vres. 445. 446
Cauponarum hodie infinitus eſt numerus... & damnoſus. 442
ex Cera diuinatio. 214
Cereris ſacrorum ritus qualis. 57
Chaldæorum & Ægyptiorum diu inter ſe cõmiſſis Chaldæorum Deus vincitur. 28
Characterum, quorundam certorum verborum formularum num ſit vis aliqua. 270
Chiromantiæ an & quatenus aliquid tribuendum. 348
Chloris dea qua. 34
Christi nomen quidam ementitus temeritatis pœnas luit. 258
Chriſtianorum antiquorum conuiuia. 437
Cibi Romanorum militares ſiue caſtrenſes qui. 428
Ciborum inexpletum deſiderium. 439
Cinis in ara quadam ſub dio exiſtens, ventorum impulſu nunquam diſsipatus. 112
ex Cineribus diuinatio. 146.213
Circes veneficia qua. 269
Citharistria virgo faſcino ad alas alligato mortua luſit, congreſſuſq; publicos frequẽtauit. 126
ex Claue diuinatio. 242
Clerici & monachi cur mortem præ aliis ægre ferant. 82
Climactericorum annorum quæ ratio. 366. 367
Climactericis annis qui perierunt, exempla. 370. 371.372
Cloacina dea ſimulachrum in cloaca repertum. 34
Cœleſtium influentiarum notitia iucunda. 353.354 ſacris literis commendata. ibidem.
Cœnæ triumphales quæ. 431
Coitus hominum ac ferarum nefarius. 285
Coitus diabolici maxime exe randi. 286
Compitalia ſacrificia antiquorum quæ. 180
Conſiliariorum dignitas atq; neceſſitas. 408 quales eſſe, ſint. ibid. 409
Conuiuiorum Imperatoriorum apparatus. 399 400
Conuiuia militaria quæ. 427
Conuiuiorum ratio atq; differentia 384 finis. 385.386 387

Conuiuiorum defectus. 387.
Conuiuiorum exceſſus atque abuſus. 388. 389
Conuiuia cyclopica quæ. 390
Conuiuia Philoſophica. 391
Conuiuas diabolos nemo temere aduocare debet. 220
Conuiuia ſeruilia antiquorum quæ. 433
Conuiuia luxurioſa. 436. 437
Conuiuia doctoralia, rectoralia ac magiſtralia. 397
Conuiuia phantaſtica. 264
Conuiuia opificum, artificum, mercenariorum quæ. 432
Conuiuiorum ruſticorum exempla ac ſpecies. 435
Conuiuiorum regalium apparatus quis. 398
Conuiuialium ſermonum exempla. 447. 448 449
Conuiuiorum pontificalium apparatus. 392. 393. 394
Cornelius Agrippa exulare coactus. 268
Cornices iuglandes ſerunt. 155
Coronæ ciuiles, murales & vallares quæ olim dictæ. 499
Coturnicum ludus. 157
Coruorum & Falconum pugna ominoſa. 193
Crateres in Sicilia, ad quos periuria explorabantur, quales. 137
ex Cribro diuinatio. 241
Crœſus muli imperium quod portendebatur, non intelligens, regno exutus, tandem cum damno ſuo veritatem prædictionis ſenſit. 100
ex Cryſtallo diuinatio. 240. Exempla. ibid.
Cunina dea quæ dicta. 32
Cupidinum & amorum ſimulachra in Græcia. 34
Curationum ſuperſtitioſarum exempla. 281. 282
Cyanippus Syracuſanus ob vim filiæ illatam diis immolatus fuit. 113
Cybeles ſacerdotes membrum genitale ſibi abſciderunt, & cur. 59
Cyri faſtus ipſi exitioſus. 536
Cyrus fatum mortis non euitauit. 103

D.

Damoclis aſſentatio vindicata. 538
Daphidas Sophiſta ambiguitate vocabuli equi de ſaxo, cui equi nomen, præcipitatur. 99
Dauid Rizius fortunam aulicam egregie expertus. 414
Dæmonum cultus vnde. 47
Dæmonum in facinoroſos animaduerſiones. 107
Dæmonis meridiani in fratricellum quendam machinationes. 92
Deliæ ſortes quæ. 137
Delphicum templum vbi. 135
Delphi templi ſpoliatio haud impunita. 116
Democriti Abderitæ animus imperterritus. 183
de Dei æternitate oraculum. 110
Deorum cultus quomodo introductus. 4
Deorum flagitia. 23. 36. 37. 38. 39
Deorum multitudo per Chriſti aduentum profligata. 44
Deorum cultus quando cœperit. 19
Deorum cultores ridiculi. 78
Deorum cœleſtium ſacrificia quæ apud Ethnicos. 58
Deorum inimicitiæ, cædes & ſcelera. 22
Deorum dearumq; natiuitas qualis. 35. flagitia. 38. 39
Dea muta quæ. 32
Dearum aliquot elumbis atq; obſcura origo. 31. 32. 33. 34
Diaboli nunciorum munia obeunt. 220
Diaboli poteſtas quouſq; ſe extendat. 256
Diaboli mille formæ. 251
Diabolorum obſequium magno conſtat. 252
Diaboli opera atq; effectus non ſunt in vniuerſum præſtigiæ. 255
Diabolus per reuelationes hominibus ſæpe illudit. 88
Diabolus ex ventre mulierculæ vocem emittit. 132
Diabolus non ſine inſignis lucri ſpe certa auxilium fert. 126

Diabolus gladio confoſſus. 218
Diabolus equitis ſpeciem aſſumens, in Nobilis cuiusdam ſeruitio fuit. 219
Diabolus monachorũ quorundã famulus. 219
Diaboli lapſus. 5
Diabolus quomodo primitus ſeſe apud homines inſinuauerit. 92
Diabolus ad preces vitamq́; innocentem hortatur eos, quos ineſcare ſtudet. 93
Diabolicarum prædictionũ an aliqua ſit certitudo. 101
Diaboli condolentia admodum ſuſpecta. 119
Diaboli matrimonium, eiusq́; filiæ quas exinde procrearit, & quibus elocatæ. 216
Diabolus honeſtorum virorum conſortium ſub ementita ſpecie quandoq́; aucupatur. 216
Diabolus formam amicabilem omnibus numeris abſolutam nequit confingere. 217
Dianæ contemptus morte vindicatus. 112
Dianæ Laphyræ ſacrificia. 57
Dianæ caprea per Agamemnonẽ iaculo transfixa, grauiter vindicata. 115
Dies armiluſtrius qui Romanis dictus. 51
Dierum criticorum ratio qua. 366
Dierum obſeruatio quatenus conceſſa, & quãdo ſuperſtitioſa. 201
Dies Ægyptiaci qui ita dicti. 201
Dionyſius meliores vincens fato ac reſponſo de ipſius morte fidem fecit. 99
Diuinatio ex nominibus & numeris qualis. 208
Diuinationum varia genera. 145. 146. 239
Diuorum ex vrbibus euocatio antiquis vſitata. 127
Diuitiæ an ſummum hominis bonum conſtituere poſſint. 529
Doctorum honores atq́; præeminentiæ. 507
Doctores bullati an priuilegiis & inſignibus Doctorum ſolenniter promotorum gaudeant. 507
Dodonæi oraculum quale. 96
Druides qui ita dicti. 228

E.

Ebrietas quomodo obſtruatur. 377
Eclipſes quid portendant. 355. 356
Effaſcinationes. 233
Effaſcinationis exempla. 263
Eleutheria, dies feſti qui. 433
Empuſarum amores diabolici. 291
Empuſa Baroni Germanico diu cohabitans. 292
Enarchus ad vitam reuerſus mira narrat. 123
Enneaticis annis qui perierint exempla. 371. 372
Epaminondas Thebanus pelagus ex reſponſo fruſtra vitauit. 99
Ephod Hebræorum quid. 85
Epimetheus quid denotet. 26
Epitaphia quædam minus honorifica. 81
Epitaphium Richardi de Mariſco. 548
Epulum rex Galliæ annuatim duodecim mẽdicis præbet. 433
Epularum Germanicarum conditio. 443. 444
Equus iniquo pretio emptus, venditori aſtu iterum obtruditur. 461
Equorum ſanandorum ratio magica. 283
Eriſichthon Theſſalus ob exſciſſum Cereris nemus, perpetua fame diuexatus. 118
Ethica ab auibus exempla mutuatur. 154
Ethnicorum ſacra turpia. 50
Extorum exploratio apud Ethnicos. 65
Extiſpicina quæ ita dicta. 66. 144
Exſtaſis in captione oraculorum. 86
Exſtaſis, Medicorum ſententia, quid. 230. 231

F.

Fabularum origo vnde. 16
Familiarum mutationes fatales. 104
Faula Herculis ſcortum pro dea celebrata. 33
Fauni qui. 40. 42
Feſtiuitatum veterum atq́; recentiorum ratio quæ. 435
Fiducia quid. 31
Figmentorum poëticorum quæ ratio. 35
Filij inobedientes non raro à ſpectris diuexantur. 189
Flora ex opibus meretricijs dea nomen ſibi acquiſi-

quiſiuit. 34
Floræ deæ feſtum in nuditate corporum celebratum. 71
Fons Faliſcorum mirabilis. 244
Fons oleo exuberans integra die. 193
Fontes Heclæ montis miraculoſi. 238
Fornax Dea quæ. 82
Fornicalia feſta apud Ethnicos quæ. 55
Fortuna an ſummum hominis ſit bonum. 526. 527.
Fratrum duorum mutua cædes fatalis. 102
Fraus fraude compenſanda. 461
Fridericus I. Imperator Pontifici Romano ſeſe non vſqueadeo ſubmiſit. 480. Eius dura in Pontificem reſcripta. 480. 481. 482. 483
Friderici I. in Legatos Romanorum acerba inuectiua. 481. 482
Friderici II. de morte ſua oraculum ambiguum. 98
Fulgurum prodigia. 194
Fulmina duplicia. 171
ex Fumo obſeruationes vanæ. 145

G.

GAllorum cauponum exteros excipiendi mos. 442
ex Gallina quadam candida augurium ſiue omen Liuiæ. 191
Gemmarum vires admirandæ. 275. 376
Genii qui dicantur. 2
Geniorum origo quæ. 176. 177. 178
Geomantia quid. 208
Germaniæ Principum præſagia ante ipſorum obitum apparentia. 237
Germanorum cauponum peregrinos excipiendi mos. 443
Gigantes vnde. 49
Glauci Spartiatæ periurium fato punitum. 108
Gloria & honor an ſummi boni loco habenda. 531
Græcorum dii. 22
Græcorum dea præcipua quæ 48
Grammaticam aues quadantenus docuerunt. 153
Gratiarum actio pro non impetrato beneficio fuit aliquando lucroſa. 451
Grauidarum pericula, quæ ſagæ intentare illis ſolent. 312

H.

HAmilco ob ſepulchrorum deſtructionem pœnas luit. 116
Hammonis idolum quale fuerit. 134
Haruſpicina quid. 144
Hecla Iſlandiæ mons ſpectrorum apparitionibus celebris. 251
Heliogabalus Imperat. humano litauit ſanguine. 78
Heræ deæ ſacrificia quæ. 57
Herbarum ruſticarum inſignis utilitas. 516
ex Herbis diuinatio. 214
Herculis ortus vtaque diſſoluta. 38
Herculis ædes rotunda in foro boario. 122
Herculi ſacra quædam maledictis atque execratione celebrata. 70
Herculis acta præcipua cum mythologiis in arce cuiuſdam viri illuſtris eleganter expreſſa. 12
Hieroglyphica. 2
Hieroſolymæ vrbis excidium portendentia omina quæ. 193
Hilaria quæ antiquis dicta. 398
Hiſpanorum cauponum exteros excipiendi mos. 442
Homagium quod dæmones maleficis præſtant, quale. 294
Hominis creatio. 6
Hominis pars quænam ſit honeſtiſſima, facetia ridicula. 452
Hominum mactationes horrendæ. 74
Hominum immolatores iudicium Dei non euaſerunt. 78

I.

IAni nomen vnde. 49
Iaſon in appetitione Doctoratus cur repulſam paſſus. 503
Idola ſingula peculiaribus inſignita fuerunt notis 30

Digitized by Google

Idolorum introductio Romanos fecit diſſolutiores. 29
Idolatria abominatio. 21.22
Idola & ſimulachra fatalia. 127
Idolorum cultus inſanus. 126
Iehoua nomen cum Iouis vocabulo quoad literulas fere congruit. 48
Igne vt non exurantur veſtes. 379
ex Igne diuinatio. 145
Ignes fatui. 260.261
Imagines equeſtres apud Romanos vnde. 500
Imaginum vſus apud antiquos quis. 17
Imaginum fabricatores magici. 314
Imagines alicubi viſæ quid portendant. 381
Exempla. 381.382
Immolatio hominum horrenda. 74
Immolationes hominum apud Hetruſcos olim vſitata. 79. *abolita.* ibid.
Imperatoria maieſtas cateris omnib. in terra praeminet. 494. 495
Imperatores Romanorum vbi coronentur. 473
Imperatoris Romani in vrbem Romam ingreſſum qualem Pontifex velit ac iubeat. 474.475
Imperator Romanus ad menſam Papæ quadantenus miniſtrat. 294. 396
Imperatrici quomodo per Papam benedicatur. 476
Imperiorum ſplendor ac dominium an ſummum ſit in vita humana bonum. 537
Imperiorum mutationes fatales. 104.105 106
Impoſtura magorum varia. 241. 242. 243
Imprecationes non ſunt temere effutienda. 175
Inanimatorum quorundam conſenſio diſſenſiove. 370
Incantationum modi ac forma. 271.272
Incantatorum impietas deteſtanda. 272
Incuborum queratio. 287
Induſium Neceſſitatis magicum quodnam. 265
Infantum luſtrationes Romanis vſitata. 53
luſtrationis die nomina ipſis impoſita. 54
Infans è vacca genitus. 286
Inferos cui deorum Ethnicorum adiudicarint. 23
Inferorum deorum ſacrificia quæ. 62
Ingenii humani infirmitas. 547
Ingurgitationes execrandæ. 438
Inoculationis origo ab auibus. 155
Inſomniorum exempla. 330.331.332.333.334. 335.336.&c.
Ioannis Fauſti magia. 247
Iocandi genus quale eſſe debeat. 462
Iouis flagitia. 39. *Dæmonibus ab Homero aggregatur.* 39
Iouis paſtoris ſimulachrum qua occaſione poſitum. 32
Iouis Beli ſtatua qualis. 137
Iouis nomen deorum quaſi principi apud Ethnicos tributum fuit. 49
Ioui Polieo ſacrificandi ritus admodum ridiculus. 58
Iſaacius Angelus ex inſperato Imperator ſalutatus. 102
Iſidis ſacrificiorum ritus. 57
Iſidis cultus vnde. 49
Iſraelitæ ad idolatriam fuerunt proclines. 21
Iudaeorum Tephilin quid. 276
Iudaeorum diuinatio per Ieduim qualis. 146
Iudæi in Chriſtianorum conuiuia non admittendi, nedum cogendi. 386
Iulianus apoſtata humano litauit ſanguine. 78
Iulii Cæſaris cædes prodigiis denunciata. 103
Iunonis nomen vnde. 49
Iuramenti formula quod Imperator Romanus Pontifici Romano præſtare cogitur, ſi ab ipſo coronari vult. 473
Iuramenti formula, quod Rex Romanorum, Pontifici ſe ſubmittens eidem præſtat. 475
Iuuenis equeſtris ordinis à dæmone obſeſſus. 221.

K.

Koboldi, ſpirituum ſiue dæmonum genus in Germania ſuperioribus temporibus haud infrequens. 181

L.

Laius Thebanus rex fatum, quod mortem ipſi à proprio filio imminere prædixerat, non euitauit. 103
Lampadophoria quid. 27
Lappiorum exſtaſis mira. 231
Larentalia vnde ita dicta. 32
Lares vnde prognati. 32
Lares qui apud Ethnicos dicti. 179
Laterum aureorum à Crœſo dedicatorum vindiciæ. 115
Latrunculorum ludus qualis. 205
Leæna meretrix apud Athenienſes culta. 32
Legatorum priuilegia. 502
Legati principis laici an poſſint eſſe Clerici. 503.
Legati an petere poſſint ſumptus, quos in hoſpitiis pro abundanti, honorarii loco dono dare ſolent. 504
Legati cuiuſdam pecuniarum rationes redditurі expedita reſponſio. 451
Lethe qualis fluuius fingatur. 24
Leuctrica clades quæ fuerit. 109
Lex ad Chriſtum ducit. 10
Legis promulgatio. 9
Leporis per viam tranſcurrentis omen. 195
Liberi patris flagitia. 39
Libethræ vrbis fatum à ſuo amne. 100
Librorum certorum apertione ſortes ſuperſtitioſæ. 213
Licurgi conſtitutiones quædam parum honeſtæ. 72
Ligna viridia ſponte ignem vbi conceperint. 111
Ligna Ethnicorum ſacrificiis qualia adhibita. 60
Limonio facies mulierum nitidior ſit. 378
Linearum luſus qualis. 206
Lipara tumulus. 238
Lituanorum obſeruationes ſuperſtitioſæ ex vmbra corporis igni oppoſiti. 145
Loteria contractus qualis. 204
Lucina qualis dea credita. 179
Ludi veteribus vſitati qui. 205
Ludouici Galliarum regis prudentia cum ſuauitate facetiarum coniuncta. 449.450
Lupa Romuli nutrix diuinis honoribus olim affecta. 32. Vnde lupanar, lupercalia. ibidem. 33.
Luporum in vrbe conſpectus omen inauſpicatum. 174
Lupus ſacrilegii vindex acer. 115
Luſtrationes apud Ethnicos quæ ſic dictæ. 51 earum varia genera. ibid. 52
Luxuriæ irritamenta apud Ethnicos. 71
Luxuria in conuiuiis deteſtanda. 436.437
Lycanthropia an poſſibilis. 323.324. Exempla. 325.326.

M.

Macci cuiuſdam facinus ridiculum. 447
Machabæi Scotorum regis de morte ſua reſponſum ambiguum. 98
Magdalena Crucia cum dæmone coitus. 289
Magi Roma expulſi. 265
Magicorum librorum lectio admodum periculoſa. 244.245
Magi ſe inuicem contundunt. 245.246
Magicorum operum exempla. 297.298.299
Magia an licita ſit. 237
Magiæ ſpecies. 239
Magicorum myſteriorum indagatio curioſa vindicatur. 248
Magorum appellatio apud antiquos honorifica. 235
Magia naturalis ſiue artificialis exempla. 257
Magiſtros creandi priuilegia penes quos ſit. 508.
Magnificentia quatenus in conuiuiis exercenda. 398
Maieſtas Imperatoria ſacroſancta. 494
Maleficandi modus per inhalationem. 311
Maleficia num abigi poſſint remediis naturalibus. 278
Maleficium ligaminis admodum hodie vſitatum. 315.316.317
à Maleficiis num remedium petere liceat. 318

Digitized by Google

Maluatici ſapor quomodo conciliari vino poſſit. 377
Mangonium pro mulieribus ex limonio. 377
Manichæorum μετεμψύχωσις quid. 82
Manuel Græcorum Imperator ſuperſtitione mirificè faſcinatus. 129
Maris dominationem cui deorum Ethnici tribuerint. 23
Marinorum deorum ſacrificia quæ. 61
Martis flagitia. 39
Martis oraculum in Aſia. 140
Matrimonium ex porcorum grunnitu captantes. 197
Medeæ veneficia quæ. 269.270
Medicinam à Magis ne poſcito. 280
Memoria hominis flaccida. 547
Menippi amores diabolici. 290
Mercurius fur ac nebulo. 39
Metallariis vſitatæ diuinationes quæ. 380
Minerua ab Athenienſibus, præcipuè culta. 48. ex cerebro Iouis nata cur dicatur. ibid.
Miracula diuina à diabolicis quomodo diſcernenda. 124
Miraculorum quaſi naturæ exempla. 233
Miraculorum diabolicorum quæ ſit ratio. 111
Miracula num dæmones efficere poſſint. 256
Miraculorum finis. 126
Miræ Satanæ quandoque operationes. 122
Mnemoſyne quid. 4
Monachi ſpecie ſpectrum Diabolicum, Rubezal dictum in Bohemia. 219
Moniales à dæmonum vexationibus non omninò liberæ. 224.225.226
Monſtra quæ dicantur. 381
Moſes Cretenſis Iudæos ludificauit. 271
Morbi à diabolo curati in alium eumq; ſanguine proximiorem deriuantur. 280
Morbos infligere Sagæ admodum ſunt promptæ. 308. Exempla. ibid. 309. 310
Mortuorum cadauera apud Ethnicos quomodo cremata. 65
Mortuorum ſacrificia qualia 64
Mortuorum reſuſcitatio opus diuinum. 125
Mortuorum euocatio an poſſibilis. 237.238
Mortuos ſuſcitare an Satan poſſit. 123
Mulieres Lacedæmonum hoſtem fugant. 31
Muliercula cuiuſdam Peruanſis vanæ prædictiones. 89
Mulierculаrum quæ de reuelationibus diuinis gloriantur, vanitas. 90
Muſarum appellatio vnde. 3
Muſcæ ab Herculis victimis trans Alpheum relegatæ. 112
Mythologicorum exempla. 15

N.

Natiuitatum coniectores. 359.360
Naturæ effectus admirandi. 373
Naturæ affectiones, quæ miraculorum rationem gerunt, quænam. 233
Naturæ admirandorum, quorum ratio διότι reddi nequit, exempla. 234
Nauis cingulo virginis veſtalis alligata ſubſtitit. 111
Necyomantia quid. 237
Nero Cæſar ſeptuageſimum tertium ætatis annum, fatalē ſibi, vti exiſtimabat futurum, à Galba ſeptuaginta trium annorum viro regno exutus periit. 100
Nicopolis vrbs vnde ſic dicta. 196
Niues illæſæ in Æthnæ cacumine. 261
Nobilitas an ſummum ſit in vita humana bonum. 542
Nobilium exercitationes heroicæ. 496
Nobilitatis origo. 498 499.500
Nobilitas in aſtragalis quæ. 501
Nobilitas regnorum fulcrum. 502
Numerorum analogia mirabilis. 209
Nundina dea Romanorum quæ. 54

O.

Obſeſſorum miſera conditio. 220. Exempla. ibid. 221.222.223.224.
Obſtetricū diuinationes ex pelliculis cum infantulis ex vtero extractis. 136
Oculorum reſtituti omina. 121
Oculi furum quomodo magicè excutiantur. 242.
Œconomia auium ſolertiam, & picarum præſertim imitatur. 154.
Oedipus vnde ita dictus. 103
Omina ſuperſtitioſa atq; anilia. 195.196

Omine non omnia carent, quæ per naturam fiunt. 194
Omina alia itineraria, alia domeſtica, alia vibratoria. 195
Omina non ſunt in vniuerſum floccipendenda. 175
Omina ex quadrupedibus quæ. 174
Ominum exempla quæ aut inſignem calamitatem, aut egregiam fortunam anteceſſerunt. 199.191.192
Opificum conuiuia quæ. 432
Oracula deorum ſeu diabolorum potius, vnde. 94. illorumq; prima occaſio. 95
Oraculorum diabolicorum varii modi. 132
Oraculorum diabolicorum reſponſa ambigua. 97. exempla. 98.99
Oracula antiquorum quæ. 134.135.136.137.138.&c.
de Oraculis Plutarchi ſententia. 141.142
Orimaſda Chaldæorum & Perſarum quid. 48
Oſcula Pontifici ab Imperatore & Imperatrice quomodo infigantur. 478
Oſtenta in natura quæ dicantur. 381
in Ouium tonſuris conuiuiorum apparatus. 434

P.

PAlladium Troiæ aductum quid fuerit. 128
Palladis nomen vnde. 48
Pan qua occaſione Athenis cultus. 49
Pandora quid. 25. eius ſignificatio. 26
Parnaſſus oraculis celebris. 135
Pauones cur per nocturna ſilētia vocem clangoſam ſubinde ingeminent. 151
Pauſaniæ Lacedæmoniorum ducis obraptam itidemq; interfectam virginem fatalis pœna denunciata. 108
Pectorale Hebræorum quid. 85
Pecuniarum ſpe inani ac ſpecie diabolus ſuos plerunq; ludificat. 267
ex Pelui inſpecta diuinatio. 239
Penates qui ſic dicti. 179
Pentheus Thebanorum rex temeritatis dignas pœnas luit. 113
Peſte apud Athenienſes graſſante, quomodo vrbem expiarint. 111
Peſtis per Graculum quendam quomodo abacta. 120
Petri cuiusdam Brabantii deplorata nequitia 132
Pharenbe oraculum quale. 140
Philippus Macedoniæ Rex quadrigas ex reſponſo vitans, in loco, qui Quadriga vocabatur, occiſus eſt. 99
Philtrorum exhibitorum vis ac natura. 304. 305
Phyſiognomicarum prædictionum ratio quæ. 344
Pilappiorum coniectationes magicæ. 133
Piſiſtrato dormienti mors denunciata. 108
Planetarum ordo ac vires. 357
Platonis conſtitutiones quædam minus probandæ. 71
Plebis honos, quem exhibent, adulatorius eſt. 421
Pluuias ciendi modus ridiculus. 262. & magicus. ibid. 263
Poëſis ab auibus multa depromit exempla. 153
Poëtica licentia modus quis. 36
Polycratis tragicus exitus. 530
Pontificis Romani electio quomodo ſuſcipiatur. 464.465.466.467.468. Modus procedendi per viam compromiſſi ſiue per viam ſcrutinii. 468.469
Pontificis electi confirmatio qualis, eiusq; ſolennitates. 470.471
Pontificalium conuiuiorum apparatus, atq; in conſeſſibus conuiuialibus ordo. 392.393.394
Pontificis ſubſellia ſublimiora Imperatoris. 477
Pontificis atq; Imperatoris per vrbem Romam proceſſus. 478.479.480
Pontifex Romanus nemini mortalium reuerentiam facit. 483.485
Pontificis Rom. exequiæ. 491.492.493.494
Porcorum vſus in ſacrificiis Ethnicis. 68
Portentorum exempla. 383
Potentiorum familiaritas periculoſa. 419
Prædictionum diabolicarum euentus an attendendus atq; ſuſpiciendus. 101.102
Præneſtinarum ſortium inuentio. 207

Præſepe

Præſepe ſidus quodnam dicatur. 42
Præſtigiæ num ſint omnia diaboli opera. 255
Præſtigiatores. vide Magi.
Preces Chriſtianorum quales eſſe debeant. 93
Preces Ethnicorum improbæ. 81
Priapo litalis victimaque. 34
Principes à virtutis ſtudiis atque exercitiis quandoq; exorbitant. 495
Principum, qui ſe plebeiorum cætui data opera immiſcuerunt, exempla. 420
Prodigalitatis exempla. 440
Prodigiorum exempla. 193.194.383
Promethei fabula vnde originem duxerit. 24. eius ſignificatio. 26
Promotionum honores Academiis magno ſunt ornamento. 506
Prophetiæ vera & ficta. 87
Prophetandi ſcientiam nemo temerè debet affectare. 87
Proſerpinæ fanū à Pyrrho haud impune violatum. 416
Prudentia rerumq; cognitio an ſummum hominis ſit bonum. 545
Puellæ demortuæ cadauer à diabolo vt viuum repræſentatum. 250
Puellarum ſeductio per veneficas attentata. 287
Puerperarū à ſagis intentata pericula. 311.312
Pullorum auguria quæ. 173
Pullarius quis eiuſq; officium. 173
Pyromantia quid. 145
Pythij oraculi origo. 134. celebritas. 135. vaſtitas. 136
Pythones qui. 237

Q.

QVadrupedum omina. 174
Quadrupedum admiranda. 378
Quercuum multiferum robur & virtus. 378
Quercus prægrandis ad ædes nobilis cuiuſdam inhumani per dæmonem proiecta. 119
Quirinalia Ethnicorum quæ ita dicta. 55

R.

RAnæ ex vtero parturientium egreſſa mortis infantuli prænuncia. 256.257
Rapæ recompenſatio liberalis. 449.450
Raptus exſtaticus quid. 231
Rationale Hebræorum quid. 85
Regnorum mutationes fatales. 104. 105. 106
Regnorum fucoſa gloria, & mentita regum felicitas. 538
Religionis & ſuperſtitionis diſcrimen quodnam. 44
Religionis Chriſtianæ & Ethnicæ diſcrimen. 81
Religioſi cuiuſdam conatus temerarius malè ipſi ceſſit. 218
Religionum Ethnicorum autores quales. 80
Reſpublica ab auium ſedulitate exempla capeſſit. 154
Reuelationibus an & quando fides tribuenda. 88
Reuelationibus virorum tutius quàm fœminarum fides tribuitur. 89
Rex ad menſam Papæ quadantenus miniſtrat. 394.396
Rex quidam cur nunquam riſerit. 539
Rhea ſemidea in cultores ſuos beneficentia. 112
Rhetorica quibus quadantenus accepta ferenda. 153
Ridicula exterorum geſtuum veſtiumq; pariter affectatio. 415
Romanorum dij qui. 29
Romani prudentiores deos fictitios non admodum obſeruarunt. 29
Romanorum maiores tantopere commendati qui fuerint. 12
Roſæ ſecundo florentes peſtilentiæ præſagia. 375
Ruris priuilegia. 517
Ruſticorum vita ac mores. 515.516
Ruſtica vita antiquiſſima. 518

S.

SAcrificiorum & cultuum Ethnicorum ritus. 44
Sacrificiorum Ethnicorum origo vnde. 45
Sacrificia muta quæ Ethnicis dicta. 68
Sacrificia fumo carentia quæ. 391
Sacrificium fur egregiè fallit pecuniamque expilat. 448

Sacrificandi ritus apud Ethnicos non fuerunt iidem. 56
Sacrificiorum ritus apud Romanos quinam. 55.56
Sacrificiorum Ethnicorum ritus vnde. 55
Sacrificia & cultus ſanctorum patrum. 46
Sadducaeorum errores. 82
Sagarum conuentus viſendi deſiderium temerarium vindicatur. 247
Sagarum conuentus, earumq; hiſtoria. 288 289
Sagæ quibus artibus à dæmone alliciantur. 300
Sagarum cum dæmone contractus, atq; conuentus. 301.302
Sagarum nocturnæ vagationes. 296.297.298. 299
Sagittarij magici qui. 314
Salutandi modi monſtroſi. 506
Salutandi mos apud antiquos quis. 175
Sanctitas in quo conſiſtat. 486
Sancti alicuius canonizatio quomodo ſuſcipiatur. 487
Sanguinis humani vis indirecta. 274
Sanitas à diabolo care admodum emitur. 319. 320.321.322.323
Sardanapali regis epitaphium. 81
Sartoris cum ſpectro colloquium. 268
Satyri qui. 40. vnde dicti. ibid.
de Satyrorum creatione opinio ridicula. 41
Saturnus ſceleratiſſimus membra genitalia amputauit parenti. 76. explicatio mythologica. 77
Saturnus lapidem pro Ioue deuorauit. 32
Saturni in corpus humanum vires. 367
Scelera atrocia atroces ſequuntur pœnæ. 108
Scropha occurſus augurium fuit Troianis condendæ vrbis. 168
Schedularum è collo pendentium num ſit vis aliqua. 281
Sebenniticum oraculum quale. 137
ex Securi diuinatio. 241
Septenarij numeri an ſit vis aliqua. 368
Serapidis templum vbi. 138
Serapis ſimulacbrum immane Alexandriæ deuaſtatum. 131
Serapis Ægyptiorum. Vide etiam Apis.
Serpentibus Satan in ſuis ſacris delectatur. 229
Serpente prognatos ſeſe plurimi gloriati ſunt. 37
Seruorum conditio apud Chriſtianos debet eſſe tolerabilis. 433. vacationes à laboribus, ipſis quandoq; permittendæ. 434
Sibyllarum origo atq; conditio. 227
Sigthunius Sueciæ rex à genero in bello occiſus. 103
Sileni qui. 40.41
Simia cum fœmina coitus. 215
Simonis Magi Magia. 254
Simulacbra ex leuibus cauſis erecta. 31
Soliloques in ſumma obſeruantia. 118
Somniorum obſeruatio an & quatenus conceſſa. 329.330.331.432
Somnia ſciſcitantium oracula. 56
Sortium vſus perantiquus. 202. an & quatenus conceſſus. 203
Sortes non vnius ſunt generis. 203
Sortes diuinatoriæ quæ ita dictæ. 206
ex Sortibus ratio diuinandi. 207
Sortes Virgilianæ quæ. 214
Sortium olim apud Germanos conſuetudo ſimplex. 212
Spartanorum duorum iuuenum malitia ac cædes grauiter punita. 109
Spectra magnitudinem Pigmæorum referentia. 182
Spectro ementito diu deluſus ſacrificus. 453 454
Spectrorum acceſſus euitandus. 245
Spectrorum exempla memorabilia. 186.187. 188.249
Spectra ſanioribus Philoſophis ſemper fuerunt ſuſpecta, rariſſime etiam illis apparuerunt. 183
Spectra nocturna horrorem incutiunt. 184. exempla. ibid.
ex Speculo diuinatio. 239
Sphingis appellatio vnde. 15
Spiritus familiares qui dicantur. 236
Spolia opima Romuli quæ dicta. 499
Statuarum honore priuari ignominioſum fuit apud veteres. 19

Statua-

Digitized by Google

Statuarum multitudo apud Rhodios. 19
Statuæ fatales in fornice fori Conſtantini. 129
Statuæ magicæ in vrbe Conſtantinopoli. 130
Statuæ in genua prolapſæ & ſupplices. 114
Statuarum vſus qui. 17
Stellarum in humores corporis humani vires. 374
Stephani Hagiochriſtophoritæ interitus fatalis. 102
Sterculus deus qualis. 32
ex Sternutamentis omina ridicula. 200
Strenarum origo atque vſus apud veteres, atque etiam hodierno ſeculo. 200. 201
Suffimentorum variæ genera apud Ethnicos. 58
Summum bonum vt aliquid & vere dicatur, quæ requirantur. 523
Summum bonum in hoc orbe concauo an ſit. 520
Superbia in quo conſiſtat. 533. execrabilis. 534. 535
Superſtitiones quomodo in animis hominum confirmatæ. 108
Superſtitioſæ quarundam rerum obſeruationes haud raro ſunt damnoſæ. 131
à Superſtitione quantum differat pura religio. 30
Sybaritæ cædem in templo Iunonis commiſſam haud impune tulerunt. 109
Syluanus Syluarum deus. 43
συμπαθείας & ἀντιπαθείας exempla. 379

T.

TAges extiſpicinæ & aruſpicinæ autor. 80
Talorum ludus qualis. 205. 206
Tegularum marmorearum ex Iunonis Laciniæ templo translatarum vindiciæ. 115
Tempeſtates prouocare num magi poßint. 307
Templa deorum alicubi illæſa, omnibus circum ædibus collapſis. 122
Templorum Ethnicorum violatores, violationem non tulerunt impune. 108 & 113
Templorum apud Ethnicos obſeruantia & reuerentia. 60
Terminus deus qualis. 32
Ternarius numerus in Ethnicorum ſacris ſedulo vſurpatus. 60
Terræ dominationem cui deorum Ethnici tribuerint. 23
Teſſerarum ludus qualis. 205
Theologi cuiuſdam de reuelationibus mulierculæ cuiuſdã Peruenſis ſtulta perſuaſio. 89 513. 514
Theſaurorum exhibitio, quæ à Diabolo expectanda, periculoſa. 252
Thracium oraculum quale. 140
ex Thure diuinatio. 146
Titanes qui & vnde dicantur. 49
ex Tonitruis & fulminibus auguria. 170
Torneamentorum vſus olim apud Germanos nobiles conſpicuus ac maximè laudabilis. 496. leges. ibid. 497
Tragœdia tragica à quodam genio immiſſa. 118
de Trinitate oraculum. 110
Tranſlatio de loco ad locum num ſit poßibilis. 295
Triumphorum militarium mos apud antiquos. 430. 431
Trophonij oracula vbi. 138. origo. 140
Tuba ex tibijs gruum. 156
Tubiluſtria apud Romanos quid. 52
Tuccea virgo veſtalis cribro aquam portauit. 111
Turcarum crebræ luſtrationes. 54
Turcarum in victu frugalitas. 429
Tutinus deus qualis. 32
Typographicæ artis querimonia. 510. 511. 512 513. 514
Typographorum labores atq; operæ mutua. 509
Tyrannorum mores qui. 419. 420

V.

VAlerianus Imp. pueros immolauit. 78
Veneficarum opera, in perniciem hominum ac pecudum terræque naſcentium. 263
Veneri caluæ ædes qua occaſione conſecratæ. 31
Venereus congreſſus & impediri & reſtitui poteſt. 121

Veneris armatæ ſimulacbrum vnde. 31
Veneris Gazææ ſimulachrum obſcænum. 71
Ventriloqui qui dicantur. 144
Ventriloquorum diuinatio. 339
è Ventre emiſſam vocem audientes conſternati. 132
Verbum Dei quomodo efficax. 273
Veritatis confeſſione diabolus ludit. 110
Veſta beneficio aſini virgo. 34
Veſtarum collegium à quo inſtitutum. 72. Earum numerus. 73. viuas defodiendi, ſi ſcortationis conuictæ fuiſſent, mos horrendus. 73
Veſtæ nominis origo. 72
Veſtæ templum apud Romanos, nunc nomine S. Mariæ de Gratia notum. 72
Veſtes ſacerdotales apud Ethnicos quales. 59
Veteres non ſemper cum ratione inſaniuerunt. 44
Victimarum pro deorum dearumve conditione diuerſa fuit ratio. 65
Victima ſacrificantium varia apud Ethnicos. 58. 59
Victimarum ad aras adductarum obſeruatio. 60
Vinum militibus in caſtris num præbendum. 430
Vini vſus modicus conceſſus. 438
Virginis Burgenſis crebra exſtaſis. 232
Virgines ſacræ. vide Moniales.
Virgula diuina quam Metallarii dicunt, quæ. 380
Virgo, honeſta & pudica alioquin, à dæmone obſeſſa. 222. 223
Virginis Gandenſis, quæ ſe abſque virili ſemine grauidā exiſtimauit, ſtulta perſuaſio. 91
Virgonum ſine congreſſu virili concipere poſſit. 293
Virginitatem puellarum quomodo nonnulli explorare nitantur. 147
Virgines Dianæ ſacris quomodo conſecratæ. 118
Virilitatem artibus diabolicis colligari. 121
Virtus virtutumq; actiones an ſummum hominis ſint bonum. 545
Virunculi montani qualia monſtra. 182
Viſio & Verbum in Hebræorum oraculis. 86
Vitæ priuatæ commendatio. 424
Vitæ genus quodlibet tædio non caret. 426
ex Vngue diuinatio. 241
Vocalium numerus par vel impar quid ominari antiquitus creditus. 213
Voluptas an ſummum ſit hominis bonum. 524. 425
Vrim & Thumim in ſacris literis quid ſignificet. 85

X.

Xerxis faſtus ipſi exitioſus. 536

Z.

Zoroaſter, magorum auus. 246

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google